
UNIVERSITY
OF
TORONTO

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XI.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1843.

PHILIPPI MELANTHONIS

EPISTOLAE, PRAEFATIONES, CONSILIA, IUDICIA, SCHEDAE ACADEMICAE.

VOLUMEN XI.

III. DECLAMATIONES PHILIPPI MELANTHONIS

USQUE AD AN. 1552.

ORATIONES PHILIPPI MELANTHONIS.

III. *Declamationes*, sive orationes prolixiores, quas Melanthon vel ipse publice recitavit, vel aliis hominibus doctis recitandas tradidit.

III.

DECLAMATIONES PHILIPPI MELANTHONIS.

No. 1. an. 1517.

De artibus liberalibus.

Prodiit separatim, Stofflero dicata. Vid. quae diximus in Epp. Vol. I. p. 15., ubi habes epistolam nuncupatoriam. Recusa apud Craton. Mylium p. 71., in Sel. Decl. T. I. p. 324., in ed. Serv. I. p. 280. et Richard. T. I. p. 2.

De artibus liberalibus oratio, a Phil. Mel. Tubingae habita anno 1517.

Egregius animi vir Plato Athenaeus et sapientiae nomine venerabilis, in dissertatione quam Erastas seu de Philosophia inscripsit, Socraten ait ingressum in Dionysi Grammatici, spectasse illic geniis elegantissimis nobiles pueros, et ex iis forte duos ultro ac citro contendentes: Esse quaedam de Anaxagorae vel Oenopidae scitis controversa videbantur. Sic enim in ludo illi orbes pingere, flexuras ductare, versilibus punctis finire, et artifici manu variegatas undique lineolas imitarier. Haec, uti solebat, penito contemplatus animo senex, cuidam e familiaribus puerorum adsedit, blande illum officio cubiti admonitum scitatus: Quid hoc, quod mediteutur adolescentes tanto studio et cura? Num honestum ac magnum? Continuo iste nugari, nescio quae, cognitu sublimia et quasdam Philosophias garrire. Socrates contra impudentiam demiratus hominis, contatur, num ergo turpe ducat id quod agit iuventus philosophari. Aderat ibi quispiam non malus vir, is improbe dolens responsum Socrati, et autoritate tanta viro, et de sapientiae studiis modesta roganti, commodum intervenit: Socrati ait, mittendum hominem sordidum, squalentibus obrutum voluptatibus, et indignum plane, qui cum Philosophiae disputatio communicetur. Prudenter ille quidem non ad omnes pertinere sacrosanctam rem, sapientiam arbitratus, ἀμύητον iure solennium interdixit. Idem ego propemodum acturus, num ardua res, num pulchra, num laudanda Philosophia, eos mihi auditores dari cupio, quorum ita sint affectae mentes, ut sponte orantem sequi certent. Si quis ea barbarie, ea immanitate, ut splendore ac pulchritudine sapientiae trahi non possit, iam relegatus esto, iam quasque cycladas aut gyaras malis, quam ardentis Philosophiae vultus. Neque vero hic facundia luditur peregrina ferrugo, neque fastus ingenii. Ipsa sese res genuina facie bonis mentibus probare solet, quo fit, ut et aperta magis ac simplex mea sit futura oratio. Artes primum dependemus administras Philosophiae. Deinde illam ipsam quoque si visum fuerit, quae maius aliquid communi hominum sensu spirans, caput inter nubila condit: Ea est vox Daemonii. Omnem isthunc locum, opinor et hoc anno, mense Iulio, concione quadam a nobis explicatum cognostis. Hoc tum erat studio, cum e suis fontibus derivarem artes, ut animi naturae ostenderem insita earum initia, scilicet hanc facem prima lux et aevintegra mentibus humanis foenerat. Dein ut imperiti naturae iudices, ut abhorrentes a veterum historiis, qui unam gentem, aut unum fortasse Marsyan, primitiis artium dignantur. Nam ut eadem gentibus omnibus, atque adeo omni coelo aequi bonique ratio, iidem iusti fontes, sic eadem ubique naturae scientia, modo

par studium accedat, et ut in summa dicam, rex Iuppiter omnibus idem. Grandia haec tum, nec ἀπροσδιόνυσα ei loco. Sed exporrigo frontem adulescentiae dicturus. Quaedam iucundiora, quaedam etiam clariora prioribus feram in medium. At interim, si quid ab humanitate vestra, optimi viri, pietas mea, vel a vobis adulescentes nunquam non officiosa voluntas emereri potest, quaeso non solo argumenti nomine, verum et mea ipsius causa, pari cum caeteris Oratoribus vestris loco pari gratia habete.

Constans et vetusta fama est, natum Iove Mercurium, quum ad Aegypti flumina puer a Nymphis aleretur, ut erat indoles festiva, per lusum iocumque solitum pleraque commentari, Deas vafricie fallere, novas artes, nova opera miranda posteris effingere. Eximia est, quae gentibus inde aliquot inter sacra fuit Lyra, id enim fabulis callido nomen invento proditur. Factam aiunt e concha quam forte fortuna iam in sicco destituerat Nilus in alveum regressus: Testudinem vocant notiori vocabulo. Festivum profecto naturae opus. Oblongula est, ut reliqua taceam, et capite quasi in orbem sinuato, ac ob id apta manibus habendo. Quod cum in ripa ludens puer observasset, utilem ratus ostraci figuram, adit propius, aridam caedit, sonat ea et nescio quid blandius, statim Deus arripit laetabundus, bene pulchrae rei sperans, pellem nervo culmis infigit, chordas adstruit septem, intendit chely, experitur cantu organon, αὐτοσχεδίῳ miratur, interque manus et brachia versat, placetque iam non autori tantum, sed ipsis etiam Diis nutricibus: Coepit esse laudatum et selectis numinibus: Donatur Apollini. Nec longo post tempore Phoebus operam navans hominum gratiae, chelyn dedit Orpheo muneri. Fuit ἑπτάχορδος, Homero ac Pindaro magnis testibus, dum Orpheus Calliopae studio de Musarum numero duas adiiceret resticulas. Post Orphei fata, aiunt alii ad Musaeum gnatum venisse, alii fatidicam in Lesbon delatam, atque inde a Terpandro in Aegyptum patriam, gratissima munera, divinorum consciis sacerdotibus. Ibi esse coepit Aegypto sacra, quam pleraeque secutae nationes, itidem coluere Mercurii chelyn. Nomen inde factum syderi, Lyra, quo res aetati posterae foret angustior. Haec est Lyrae celebrata nobilitas tot gentibus, tot liberis. Quorsum vero haec? quid de una sibi tantum Lyra placet antiquitas? Quaeso mihi paulisper aurem commodate, rem explicabo non vanus. Poëtica mythos uno eodemque iucundo involucro, et populari quidem, primas artium origines, primosque authores tenet. Mercurius Iove natus, Iovis mens habetur iis, qui veteris Philosophiae periti sunt. Lyram de testudine, non falsa mundi imagine, sic in re parva lusit natura, πολυδαίδαλον fecit, chordis ornavit septem: Est enim ille sacer habitus numerus. Septem hae sunt artes, ut agam historica fide, supera defluxae mente, quibus omnis naturae scientia comprehenditur. Iam et praesides Musae totidem, quae duae reliquae septeno choro ius omnium sibi vendicant. Ecce Dei manu fabrefactam Lyram, ecce Deum munus, Artes. Mihi vero iam de naturae scientia, non Daemonii voce res est, putoque nostris ingeniis propria, rationis usu contingit. Ea est in oratione partim, partim in rebus. Scientia rerum prior, sed nos vulgari more dicemus. Quae ad sermonem spectant, ingeniorum puerilium exercendi habentur initia. Grammatica prima, cui quoniam elementa literarum debemus, nulla ex parte non est necessaria: quid enim attinet longius immorari palam concessae rei, quam utile mortalibus repertum, literae, ἄσβεστοι memoriae custodes, popularis regulae sermonis, ut mittam caetera. Huic accedit proxima Dialectica, subtilis disserendi ratio, nam id indicat nomen literaturae comes, complexa quicquid hoc omne, quo se aliqua vis effert ingenii: ac si licet hoc audacius paulo, sola mihi omnium mater artium haberi posse videtur: Tantum abest, ut dignum docto speres, ut pectus ad sapientiam formare quovis modo queas, si Dialecticon politias, vanissime omnium, quisquis es contempseris. Neque enim ille mercium pater Oceanus tantum opum, tantum divitiarum orbi convehit universo, quantum artium una cyclopediae, Dialectica. Et attingerem ex iis aliquot, ni passim id sonarent scholae: at si vultis tamen, ostendam usui fuisse vel summis ingeniis. Vir animi sagax Aristoteles, ut hunc nominem, in quem opinio hominum consentiens multis iam seculis conspiravit, quaeso quid praestat ubique vel aptius vel eruditius Dialectica? potestque illa quasi Delphico gladio, ut omnium sensa nunquam non penitissime confodiat. Invenit, disponit, Dialecticae debet, ipsa enim quid quaeque res, quid cuique cohaerens, et quo ordine, pulcherrime distinctis filis notat. Iam si Platonicos huc accire datur, quantus inter

illos eminet Augustinus, qui dialexi ceu Mercurii alis, ita Platonici vim animi excelsam vocant, humana superans, divina proximus attigit. Non audio quosdam male feriatos homines, qui cum ἀγράμματοι καὶ ἄμουσοι literas vulgo iactitent, hoc habent primum, ut a Dialecticis quam longissime absint. Age belle ridetur haec tota fex a Socrate, non in Gorgia tantum et Lache, sed omnibus pene dissertationibus Platonis. Habet Grammatica ut docte loquaris, haec ut vere, ut discriminatim, ut certum, ut solidum, quod enthymemata, syllogismi, theses, finitio, partitio commodum exhibent. Et syncera sunt et firma, quae in hanc aleam conveniunt, minimeque fucata. Daedali statuas quondam suspexit antiquitas, non de adsciticia specie, ut Pausanias ait, sed ingenua quadam forma, cui plane γνήσιον hoc erat, admirandam referre ipso decore maiestatem, et propemodum illud melioris seculi θεῖον. Fortassis et de nostris Dialecticis tale quiddam licebit, Stoicos dico, aridi sunt ac ieiuni sermonem, foecundi sensa: verum haec alias. Omnino de ipso sciendi amore Dialectica inter primores artium recenseri non temere solet. Quare valeant ἀντίτεχνοι suis complicibus, τοιοῦτον τὸ βαρβαρὸν γένος, ut cum Euripide dicam: liberum est enim cuique aut bonum esse aut malum. Vos qui Philosophiae nomen dedistis adolescentes, qui boni esse, qui sapere dextrae menti, qui prodesse olim Reipub. contenditis, in elementa Dialecticae incumbite. Nullo pharmaco magis aut vegetum aut acre, nulla harmonia reddi potest ingenium elegantius. Bias rogatus, quid esset cuique inter prima dulce, respondit, quid proprium. Est autem vel maxime propria homini ratiocinatio, διάλεξις, contemplatio cuiusque [rei] diligens. Iam quaeso quid eo suavius? Varium Poëtae Proteum fingunt, omnium sibi rerum vultus formasque aptantem. Quo nimirum commento intelligentiae nostrae metamorphosin in omnes rerum species significant. Discernit autem species rerum unica Dialectica, perpetua et inconcussa veri scientia. Quam vellem haec pluribus agere liceret per horam, quo magis perspicue vobis Dialectica probaretur. Sat fuerit adiecisse, Neminem a conditis literis unquam ullo sapientum iudicio, inter candidatos studiorum cuiusque generis censum, huius expertem. Sed aurem Cynthius vellit oranti, et admonet superesse Rhetoricam. Quid vero illa? Pars Dialecticae, quosdam argumentorum locos populariter instruens. Et de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Logicis artibus tantum. Chordae illae tres in chely symphonae, Musarum trium ludus: Polymneia, cui nomen est a memoria, literas habet. Euterpe Dialecticam, quod mira sciendi cupidine rapiantur, qui in contemplatione degunt. Melpomene forum demulcens, Rhetoricam. Quae rerum est cognitio, pendet omnis e numeraria, quam vocant Arithmeticam. Si enim, ut visum Platoni, aliqua rerum prima notio inserta est natura mentibus hominum, qua liceat uti, vel ad universalium contemplationum principia agnoscenda κατὰ πρόληψιν, ut doctus vir Epicurus vocat, vel ad vestigandas singularium partes, quaeso quae est alia, quam ordinis, quam numeri regula? qua videtur in unoquoque, quid primum, quid extremum, quid unum, quae multa. Quae ut non temere solent magistra ferula discier, ita natura prius percepta tenemus. Laratan aiunt, quisquis ille fuit, Pythagorae Doctor, dixisse animam numero matrem esse, videlicet, quo significaret congenitam numerandi scientiam animis mortalium. Et licet de puerorum rudibus ingeniis periculum facere, an non primum est, quod scire videntur numerus, par, impar luditur, item cubus primus et postremus. Quamobrem in erudiendis pueris a numero auspicandum censet Plato, quo excultis iis quae natura insunt seminariis, recipi caetera promptius queant. Et Pythagoras omnem philosophandi rationem e natura mentis humanae cognatoque studio derivans, principia Philosophiae numeros posuit. Tum qui praestitere quondam sapientia magni viri, τὸ ἀριθμεῖν numerare, pro philosophari dixerunt. Abenzoar nosse inquit omnia, qui sciat numerare. Et Neocli Plato quaerenti, cur homo sapientissimum animal, respondit, quoniam numeros calleat. Iam quae arcana venati maiores e pari ac impari, quae sublimia ex uno, duobus, tribus, quatuor, quinque, sex, septem, et rursum ex horum congressibus, dies defecerit explicare conantem. Accedunt ad numeros literae, sortes, aenigmata, nomismata, et huiuscemodi non paucae commerciorum notae. Nec est ut Syros aut Phoenicas memorem vobis authores numeri. Eadem generi hominum ratio idem hoc ubique praestat, ut signet, discernat, iudicet, quae usurae veniunt e numeraria. Sequuntur eam ponderum ac magnitudinum mensurae, planae, solidaeque figurae, aequa, iniqua propor-

tio, quae fere capita Geometriae sunt. Hinc admirandae hominum generi machinae, ac ut Eudoxi, Archytae, Menaechmi, Archimedis, Boetii automata praeteream, quantum bombarda, nostrate inventum, bellicis contulit? Addo Plasticen, et quae nascitur e perspectivis Picturam, utrunque civitatum vel pulcherrimum ornamentum. Huius generis sunt celandi, scalpendi artes, et inter eas Calcographica, aereaeque Germanorum scribendi formulae. Hic artium nexus, haec origo mechanicon duabus principibus artibus Arithmetica et Geometria, hic usus est utriusque per tot manuarias operas. Quod si ad animum transferas, Dii boni, quae suavitas, quod nectar offundetur contemplanti, imo quae lux sese ex illo rerum chao aperiet: isthaec mentem sensilibus haerentem, avellit seducitque ad intelligibilem aeternamque naturam. Sic Plato *ἀριθμεῖν* philosophari, et *θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν* commodum afficta notatione dixit, id est, semper aeternam veri naturam intelligendo versare. De Arithmetica Geometriaque obiter: in colophone ac fastigio artium, Musica et Astronomia locantur. Age quid Musica laudatius? elegantis ea harmoniae ratio, sive organicam, sive naturalem velis. Insignis utraque honore poëmatum, id quod alia sum acturus oratione. Plerisque gratior Musica orbe artium aliarum, quod haec ad contemplationem pariter moresque conferunt. Erigunt aliae ad coelestia mentes nostras, haec una coelo superos ad humana deducit: quo argumento veteres arbitror musica signa passim Deum statuis appendisse, quasi illis Dii conciliati nobiscum versentur. Confert moribus, quod nulla res familiarior tranquillandis animantium affectibus. Scitis de Orphei Lyra quid? et quae Pythagoreae gentis instituta fuerint, *ᾠδαῖς χρῆσθαι πρὸς λύραν*. Ex ea factione Clinia celebris vir, modestissime usus disciplina magistri, quoties animo turbabatur quacunque causa, statim ad Lyram properabat: rogatus aliquoties, quid hoc? nihil respondit praeter hanc voculam *πραΰνομαι*. Atque hi sunt proprie Musarum soni, qui ad honestam vitae constitutionem, qui ad virtutem pertinent: Succedunt Musicae saltatoriae artes, Arcadum inventa, sed longior est res, quam a nobis agi modo possit. Reliqua cyclopedeiae Astronomia est, numeros, magnitudines, motus, harmoniam, id est compagem superi atque inferi orbis, dimensa, syderum effectiones ac influxum complexa, Medicinae parens, fati conscia. Arithmetica, Geometria harmonica ancillariis disciplinis communiter utitur. Longius hanc quadruvii seriem duxissem, sed hora deficimus, agitque rem eam publicis scholis quotidie *Iohannes Stoffler* Philosophus, autoritate, fide, literisque Mathematum venerabilis. At hae quatuor artes, quatuor item in Lyra Mercurii chordulae, suum quaeque stridens, prima se Terpsichorae debet, ordinis ac numeri artifici, habet enim a choris nomen Dea. Secunda Thaliae, quoniam floreat exculta *γεομετρῶν* commodis vita. Musicam Erato iucunda regit affectio. Eminet inter socias clarissima in Homericae Dianae modum Urania, principem astrorum scientiam decora referens. Septem chordas numerari adulescentes audistis, nec discretae Lyra voces redduntur, plures quatnor, tres orationis funiculi communes quadruvio. Quatuor aliae chordae rebus suis discrepant. Non confingo licenter haec auditores, ut illi Atticorum *χοροπλάθοι*: Platonicis quoque veteribus ratio sapiendi talis fuit, autore Plutarcho. Et de quaterno Lyrae systemate quae disputavi, Terpandri sunt, ait ille:

> *ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστρέψαντες ἀοιδὴν*
> *ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους μελεδήσομεν ὕμνους.*
> Septena iam forte chely nova carmina vatem,
> Quatuor et distincta modis panxisse iuvabit.

Iam ne, quae Mercurii sit Lyra tenetis, quot chordae, quot artes? Et Musas artium praesides appellare sum solitus. Illae vero quid? Congenitus hominum animis ardor et strenua sciendi cupido. Testis antiquissimus vates Orpheus, qui Musas hymno canens, inquit:

> *Πάσης παιδείης ἀρετὴν γεννῶσαι ἄμεμπτον*
> *θρέπτειραι ψυχῆς, διανοίας ὀρθοδότειραι.*

Hoc est, si venerandam Orphei maiestatem carmine licet nostro imitemur:

> Munera vestra Deae virtus et gloria verax,
> Quasque artes agit humanae vis fervida mentis,
> Vos animi dulces etiam veneramur alumnas
> Aeternum recti quibus insevistis amorem.

Censae artium numero Musae septem, duae supersunt, Cleio et Calliope, quibus aequum in omnes literas ius: historiae Cleio, Calliopen poëmati praeficimus. Omnis generis scripta usurpant historia et poema, nec alii maiori fruge operave leguntur authores, quam Historici ac Poëtae. Adulescentes animos e vulgarium studiorum sorde evellunt, locoque referunt excelso, iam viris digna

spirantes. De artibus hactenus, quae organa sunt, et quasi quaedam praeludia magnae illius Diis genitae sapientiae, quibus instructae mentes hominum, Dei numen coelis demissum excipere queant. Nec fas puto de illa plura commentari, quisque secum bonus vir anxie cogitet, quae illi *γνησίη οὐλύμποιο*, ut Callimachus ait: Ipsa est quae in medio artium choro communis omnibus desidit, omnium rerum certa scientia. Sic Apollinem prudens antiquitas in mediis Musis pinxit universitatem omnem cithara temperantem, ut est apud Orpheum:

πάντα πόλον κιθαρῇ πολυκρέκτῳ Ἁρμόζει.

Capita artium, nomenque *τῆς σοφίας*, ut licuit, brevissime attigi, non in hoc versatus, ut magnifice laudarem. Egregie nobilis pictor Timanthes Cyclopem in tabula, uti ferunt, brevicula dormientem delineavit, eius cum esset magnitudinem expressurus, iuxta Satyros thyrso pollicem monstri dimetientes fecit. Quomodo nos angustis ingeniis homines ingentia molimur, Philosophiae laudes, nec fere nisi dormientis sapientiae oras contingimus. Equidem cum temperarem mihi a laudibus, quas multi multas ineptissime effutire solent, hoc egi tantum, ut quam honestae res essent artes, quippe sacrae, intelligeretis. Tum ut admonerem iuventutem, easdem Musas esse, quas hodie vocant artes. Proba ratio est, cur velim adulescentes hoc omnes rectissime norint. Passim prostant Musae in poëmatis, vitio indoctorum interpretum, qui rem multo dignam studio negligunt, et quantum coniicio, iuventae operas vani distinent. Idem Mercurius est pueri, qui animus nobis, *καὶ οὗτος ἐστὶν ὁ στροφαῖος*. Eadem Musae, deinde et eadem chordae, quae artes, animi cum habitu suo consonantia, Lyrae harmonia. Iam quis est e vobis, qui non harum rerum honestate capiatur? Conveniebat fortasse ut inhortarer vos ad virtutem, sed vestra iam sponte currentes. Agite exempla vobis magnorum hominum, qui me circumsidunt capite, agite intenti spem patriae longe pulcherrimam, ante oculos, ipsumque animi sensum ponite, quo nihil esse optandum vobis, nihil contendendum, praeter honestas literas, praeter virtutem cognoscatis. Nullis deliciis, nullo errore hominum, regia via excedite: nulla vos cupido avellat infamis a virtute. Infamem adpello, quae aliena sit a studiis literarum, atque ab iis, quibus addicti sacris omnes estis. Eleganter admonet dialogo Lucianus, qui fluctus illi abhorrentes a virtute Musisque: eum quando *Casper Currer*, bonorum studiorum amantissimus iuvenis, Latinum fecit, haud gravatim referam. Iucunda est fabula. Sic enim Venus natum compellat: Quid o Cupido caeteros Deos subegisti omnes, Iovem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, matremque ipsam me, sola vero abstines Pallade, ac adversum istam nulli facularum ignes, vacua telis pharetra, tu denique inermis arcu pilisque cares? *Cup.* Pertimesco ipsam mater, horrenda est enim, ac torva aspectu, admodumque virilis. Itaque quoties intento eam arcu iaculoque peto, concussa me galea excutit, exterret, caduntque manibus continuo sagittae. *Ven.* An non erat hac Mars formidabilior? et hunc tamen armis spoliatum expugnasti. *Cup.* Imo ille lubens me recipit, invitatque. Minerva vero obductis superciliis observat semper. Ad eam si quando advolavi temere, facibus advolutis, ait ista: Per Iovem, si me puer adortus fueris, te transfodiam, aut arreptum pede in tartara coniiciam, vel ipsa te dilanians discerpam. Tum acribus intuetur oculis, et circum pectus gestat imagiunculam quandam viperis capillorum vice comatam. Hanc vehementer equidem formido, perterret enim me, fugioque quoties adspecto. *Ven.* At qui Minervam quidem metuis, atque huius gestamen gorgona, qui Iovis fulmen non expavescas? Dein autem Musae cur nullis queunt abs te vulneribus confici, suntque quod aiunt, extra tela, num galeas et hae incutiunt, aut gorgonas obiiciunt? *Cup.* Ipsas ego revereor mater, castae sunt, et semper aliquid curae molientes, continuo cantu occupatae. Saepe igitur adsum illis suavitate carminis delinitus. *Ven.* Sinito et illas, quod venerandae sint scilicet: Dianam cur non vulneras? *Cup.* In summa nequaquam possibile est adsequi eam, semper per montes fugientem, quin illa suo quodam flagrat cupidine. *Ven.* Quo gnate? *Cup.* Venatu quidem cervorum ac hinnulorum, quos insectatur ut capiat, ac iaculo figat, ac prorsum tota rerum eiusmodi studio tenetur, tametsi fratrem eius iaculo potentem, ac eminus ferire solitum. *Ven.* Scio gnate, saepenumero arma expertum tua. Haec fabula est profutura moribus vestris, si frequentem animo agitaveritis: Sic enim et nugae seria ducent. Dixi.

No. 2. an. 1518.

De corrigendis adol. studiis.

Separatim edita prodiit, ut uberius dictum est in Epp. Vol. I. p. 52 sq., ubi epistolam nuncupatoriam dedimus. Recusa est in operibus Mel. Basil. T. V. p. 1., iterum apud Cratonem Mylium p. 85. in Sel. Declam. Tom. I. p. 504., ed. Serv. I. p. 438., Richard. T. I. p. 15.

Sermo habitus apud iuventutem Academiae Witebergensis, de corrigendis adolescentiae studiis (*d.* 29. *Aug.* 1518.).

Nae ego plane videar impudens, atque mei prorsum oblitus, in hoc coetu Mag. D. Rect. Eximii Principes Academiae dicturus, quem cum alias et ingenium et umbratile studiorum genus ab huiusmodi theatris, et hac plausibili Oratorum quasi curia avocet, absterrere modo cum primis rei quam acturus sum difficultas potuit, ni me cum pietas in recta studia, tum officii mei rationes inhortentur, quo bonas literas ac renascentes Musas, quam quod maxime commendatas vobis universis velim. Illarum enim causam suscepi tutandam, adversus eos, qui vulgo sibi in scholis doctorum titulos ac premia, Barbari barbaris artibus, hoc est, vi et fraude arrogarunt, et hactenus fere maliciosis ingeniis homines retinent. Germanicam iuventutem paulo superioribus annis alicubi conatam in hoc foelix certamen literarum descendere, iam nunc quoque non pauci, velut e medio cursu, commento plusquam Thracio revocant: Difficilius esse studium literarum renascentium, quam utilius: Graeca a quibusdam male feriatis ingeniis arripi, ac ad ostentationem parari: Dubiae fidei Hebraea esse: Interim a genuino literas cultu perire: Philosophiam desertum iri, et id genus reliquis conviciis. Cum isto grege indoctorum congressuro, quis non intelligat vel Herculi non uno Theseo opus esse? Adeo suscepto negocio non parum aequo dicar audacior. Ut interim sileam vix posse hanc a me provinciam administrari, citra modestiae periculum, qua disperearn, si quid unquam rerum humanarum prius duxi. Ardeo enim amore recti, et quum studia vestra vehementer iuvari adulescentes cupiam, fiet ut quaedam liberius quam isti volent, dicam. At quando me huc sive ratio (ita enim videor mihi) sive casus aliquis impulit, volo hanc mecum, Clarissimi viri, causam habere vos communem, quorum industria, consiliis operaque fit, ut passim a situ et squalore adserantur literae, nativumque nitorem ubique recepturae sperentur. Placuit igitur paucis commonere iuventutem illustris Academiae nostrae, ut quantum ad summam praeclari instituti vestri attinet, intelligat, quae sit renascentium studiorum ratio, quae illorum quae Barbari maiores nostri e Scotis in Galliam, e Galliis in Germaniam invexerunt, ut ordine ac ductu generis utriusque cognito, ipsi iudicetis, utrum maiore commodo, periculo minore, liceat amplecti. Adque id hoc omnis oratio mea incumbet, uti spem vobis elegantis literaturae (de Graeca et Latina loquor) faciam. Scio enim in ipso iam vestibulo plerosque novitate rei, si non deterreri, certe angi. Praestabat autem orationis argumentum, et quasi filum, ab ipsis studiorum fontibus, et omnium seculorum literatis institutis ducere: sed ea scenae alterius erunt. Iam quod attinet, brevibus Barbara studia cum synceris committam, docebo quibus auspiciis Latina discenda sint, et Graeca tentanda. Interim quaeso dicentem benigni audite, id quod a vobis vel singulare meum erga vos studium, vel ipsa literarum dignitas impetrabit.

Annis abhinc opinor octingentis, orbe prope universo a Gotthis commoto, et a Longobardis devastata Italia, simul cum Romano imperio Romanae literae sunt intermortuae, quod una belli furor et bibliothecas exciderat, et Musas ocio, ita ut fit, negato extinxerat. Scitis enim quam non conveniat cum sapientiae studiis, atque adeo civilium rerum cultu Marti, quem fingit Homerus noster cum Pallade acerbis odiis conflictantem, *μαινόμενον*, ut ipse ait, *τυκτὸν κακόν*, quo fere tempore Gregorius, quem isti Magnum, ego praesultorem *καὶ δᾳδοῦχον* Theologiae pereuntis voco, caeterum eximia vir pietate, Romanam Ecclesiam administravit, et infoelicissimi seculi casum, quoad potuit, docendo scribendoque sustinuit. Sub id aetatis nemo, ut videtur, nostrorum hominum fuit, qui aliquid insigne scriptum ad posteros dederit. Verum hactenus in Scotis atque Hibernis literas diuturna pax aluerat, clarebantque hi cum aliis quibusdam, tum maxime venerabili *Beda*, Graece et Latine haud vulgariter perito: ad haec in Philosophia, Mathematicis, sacris sic erudito, ut cum vetustis quoque conferri posset. Interim frigebat Italia, frigebat Gallia. Germania ut semper armis quam literis instructior erat, eaque tum potissimum in

Italia saeviebant: nondum enim universa Christum profitebatur. In hunc rerum statum Carolus natus, cum fines Romani imperii pacasset, ad instaurandas literas animum adiecit. Nam et ipse praeter multarum rerum cognitionem, plerasque disciplinas, quae scholis debent, expeditas et compertas habebat. Alcuinum ex Anglia in Gallos duxit, quo authore, Parisii literas profiteri coeperunt, auspicio certe laeto. Nam purae adhuc erant, et accedebat Graecarum rerum mediocris peritia. Ea nobis aetas Hugones, Richardos, et alios non pessimos scriptores edidit. Philosophia, non uti nunc, ex Aristotele petebatur, sed totam sibi adseverant Mathemata, quae magnae curae tum literati omnes habebant, id quod indicant veteres Monachorum divi Benedicti bibliothecae: e quibus nemó clarus extitit, qui non opere Mathematico sit eruditionem suam egregie testatus. Deinde usu res acta est, inciderunțque homines quidam, sive libidine ingeniorum, sive amore litium ducti, in Aristotelem, eumque mancum, et lacerum, et qui alioqui Graecis obscurus, *καὶ τὸ λοξία* similis videtur, Latine sic redditum, ut etiam Sibyllae furentis coniecturas exerceret: Huc tamen incauti homines impegerunt. Sensim neglectae meliores disciplinae, eruditione Graeca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri coepta. Hinc prodiere Thomae, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, et reliqui proles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quod non solum contempti veteres studio novorum, sed omnino si qui in eam supererant aetatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, ut dubites num alia re argutiarum authores plus nocuerint, quam quod vecordes tot millia veterum scriptorum ad internicionem usque aboleri passi sunt. Talibus deinde semel iuris divini ac humani potestas facta est, ex horum decretis iuventus erudiebatur. Proinde in scientiam Iuris ac rem Medicam pariter posthac saevitum est: Oportebat enim similem praeceptoribus discipulum esse, ut aiunt vulgo *κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν*. Haec ratio studiorum annos circiter trecentos in Anglia, in Galliis, in Germania regnavit, ut ne quid interim dicam immodestius. Quam perniciosa, coniicere licet propemodum ex his quae dixi, atque ut plane intelligatis, animum advortite. Primum, desertis veterum disciplinis, quando audax ista commentandi et philosophandi ratio invaluit, simul Graeca contempta Mathematica deserta, Sacra negligentius culta sunt. Quo malo, quae saevior pestis esse potuit? Certe nulla vulgarior unquam fuit. Nam cum ad eam usque aetatem, et Philosophia tota Graeca fuisset, et sacrorum Latinae literae, praeter Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, nullae insignes extarent, et Graecorum usum vernaculum sacra Occidentis magna ex parte eatenus habuissent, fieri non potuit, quin Graecis contemptis, una quidquid commodi studiis humanis Philosophia confert, confert autem longe plurimum, deinde cura sacrorum sensim interiret. Hic casus vere Christianos Ecclesiae ritus ac mores, ille studia literarum labefactavit. Aequius forsan alterius ruina ferri potuit. Nam et lapsantes literas, incorrupti Ecclesiae ritus, facile instaurare poterant, et bonis literis, si quae salvae mansissent, liberum erat, ruinosos Ecclesiae mores corrigere, animos hominum iacentes excitare, confirmare, et in ordinem cogere. At vero sive fato, sive nostro vitio evenit, simul bonae literae non bonis, prisca pietas ceremoniis, hominum traditionibus, constitutionibus, decretis, capitulis, extravagationibus, glossis *δευτερώτων* mutata est. Neque retulit quod Nicena Synodo Patres tam prudenter caverunt, *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω.* Audacius haec videar alicui, quam ex usu vel aetatis vel studiorum meorum: verum, ut sic dicam, res vestrae, ingenui iuvenes, postulant. Nam ut quidam segnius cum bonis artibus in gratiam redeant, nimirum in causa est, quod nondum quisquam eos libere admonuit. Iam igitur cognoscite, quaenam sit illa Barbarorum commentandi ratio, quae e quibus manarit fontibus audistis. Artium genera omnino tria sunt, *λογικὸν, φυσικὸν, προτρεπτικόν.* Logicum vim omnem ac discrimina sermonis tractat, et cum per ipsum in illa superiora sit iter, primum formandae pueritiae rudimentum est, literas docet, proprietatem sermonis aut regulis adstringit, aut collatis autorum figuris, indicat quid observes, id quod fere Grammatica praestat. Deinde cum paulo progressus fueris, indicium animis comparat, quo metas rerum, ortus, fines, ductum, sic agnoscas, ut sicubi quid inciderit exacte tractandum, omnia quae ad institutum pertinent, quasi in numerato habeas, et artis adminiculis ita sensus auditorum capias, ut dissentire temere non queant. Hae partes illius sunt, quam nos Dia-

lecticam, alii Rhetoricam vocant: Nominibus enim variant authores, quum ars eadem sit. Atque hic docendi ordo quondam fuit, quum vigerent adhuc literae, donec in bullatos quosdam Magistros incidimus, qui scitis qua mole commentariorum Grammatica primum oppresserant. Sed quando ea revixerunt, de Dialecticis videamus, quae adhuc ex Tartaretis, Bricot, Perversore, Eckiis, Copulatis bursae montis, Exercitiis taurinis et caninis, et aliis huius farinae petimus. Licet hac parte mihi liberius agere, nam et iisdem ego annos iam sex perpetuos pene detritus sum. Et quum rem probe meditatam habeam, non erit difficile mihi suis eam coloribus pingere, ac declarare, non esse *διαλεκτικὰ*, quae isti amussi, inscitiae Magistri profitentur. Primum Dialectica, ut dixi, methodus quaedam est omnium quaestionum compendiaria, *διωκητικήτε καὶ διακριτική*: qua constat ordo et iudicium cuiusque rei tractandae, ut in quoque videamus, quid, quantum, quale, qur, quomodo: Si simplex sit, sin complexum, verum ne an falsum. Simplicium discrimina, notionesque isti per loca senta situ cogunt, noctemque profundam. Complexorum doctrinae, quas tenebras non offuderunt argutiis? Quales sunt: Genus est species, Nullus et nemo mordent se in sacco, Parisiis et Romae venditur piper. Arcent foro suo quae non assequuntur. Librum *κατηγορίων* aiunt Dialecticae tabulis non censeri, quum inde omne artificium inveniendi, ceu e fonte fluat, et *κατηγορίαι* non sint nisi *μέθοδος* quaedam simplicium. Et hic argutantur: Num singula genera generaliss. realiter (ut vocant) discrepent, atque de eo nondum inter Scotistas ipsos convenit, multo minus cum factionis diversae nominibus. Analytica posteriora, cum sint disponendi series, ac ut Simplicius Peripateticus ait, canon ac amussis artificiosae disputationis inter Metaphysica nostri retulerunt, nempe quo rem per se non admodum difficilem, ac mire utilem studiis honeste tractandis, et difficilem et inutilem redderent. Hoccine est illud docere quod iactant? Haeccine sunt sine quibus pensum arti cuique suum reddi nequit? Haeccine sunt, quae tam splendidis Philosophiae titulis auctionantur? At quanto minoris didicissent recte sapere, quam desipere. Sed cohibeo animum, ne quem vel bonorum nimia libertas offendat. Vos a me adulescentes hoc unum agi putetis, utilius quam quod olim tractabant, studium videri renascentium literarum. Equidem aliquot novi recti iudicii viros, quibus cum saepe rem eandem contuli, prorsum nostrae sententiae, omnibus calculis adstipulantes. Amicus mihi quispiam est non vulgaris, sub quo primum puer praeceptore in Suevis Tubingae, Dialecticis merui annum unum aut alterum, hactenus ut fratre semper familiariss. usus, *Franciscus Stadianus*, eruditione ac vitae genere tali, ut a bonis ac doctis omnibus certatim diligi mereatur: Is Analytica posteriora Suevicae iuventuti anno superiore praelecturus, a nobis Themistii libellos, quos Latine reddidit Hermolaus, accepit. Addidi quaedam e Philopono transcripta, neque enim Graeca omnia satis mihi probantur. Admonui insuper illic ab Aristotele Rhetorica doceri. Legit, relegitque, et quo est iudicio, protinus ad scopum advortit animum, ibi re penitus cognita, et pro foelicitate ingenii sui aucta illustrataque, tot notabilibus, acceptionibus, distinctionibus exauctoratis, causam integram, veluti recuperatorio iudicio restituit, scholae simpliciter ac candide summam rei *τὸ ἄλφα καὶ ω* traditurus. Ad haec male precatus nugis, obnixe a me contendit, Aristoteli purgando socias manus adiicerem: Conaturum omnia sese pro viribus, uti artium elementa vindicta Barbarorum liberarentur. Primi nominis studia, a sordibus recipi non posse, nisi purgatis adulescentiae rudimentis. Id fere quenque in summis posse, quod in infimis assueverit. In summa, omnia sibi de grandioribus polliceri, si exercendae iuventae ratio melior iniretur. Placuit amici consilium, et negocium una literarium suscepimus, Dii reliqua secundent. Nunc quaeso vos quanti facitis huius viri iudicium, cum in aliis disciplinis *οὐ παρέργως*, tum in hoc genere summa cum laude annos opinor decem versati? Hoc egero vobiscum teste, atque eo sane iurato, non esse in his vulgatis stromatis, quod probari cuiquam praeter personatos quosdam professores, *γαλλοὺς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους*, queat. Iratas habeam Musas, ni haec ita damnem, ut pro eis meliora foelicioraque vos amplecti velim. Alio qui liberum per me cuique fuerit, quorsum vel usus vocat, vel ingenium trahit sequi. Sat scio nullum fuisse seculum, neque Graecorum neque Latinorum, quod non sit egregie nugatum philosophando, veteres aliquanto quam novi foelicius. Quare afferas ad ea studia, oportet, animum acrem et curam, deinde Magistrum adhibeas boni

iudicii, qui seligat quaenam et quatenus discenda sint. Dolet enim sanis esse qui persuaserunt sibi, nisi haec nugalia didicerimus, non fore ex usu, quidquid studiorum affectemus. Modestus vir Socrates erat, qui cum opinione sapientiae vulgo coleretur, dicebat, hoc unum se scire, quod nihil sciret: illi contra hoc unum nesciunt, quod nihil sciunt. Atque utinam foeliciter eos aliquando ἑρμῆς ὁ λόγιος virga sua demulceat ut expergefiant, ut desipere se agnoscant. Ut evagarer longius, ipsa me rei indignitas perpulit. Volo enim fidem studiosis factam, aliud quoddam literarum genus utilius esse, quam sit quod Copulata iactant, atque haec in Rhetoricis nostris longius. Quin videamus, et hoc facile ne sit, hac enim se commendatione divendunt: quasi vero angustis adeo finibus contenta virtus esse debeat, ut quod cuique proclive sit aggredi, continuo idem honestum sit. Quantum aetatis homini datum est, nedum adulescentiam, insumunt, ut Euripos omnes, sic enim Nazianzenus vocat, Aristotelicos exhauriant, id quod nescio an unquam alicui contigerit. Subinde enim quod exhauritur influit, foelicius id quidem quam quod de Danaidum doliis ferunt. Adde quod cum se veri scientiam meditari gloriantur, plurimum operae fallaciis nectendisque dolis linguae navant, ut festiviter ludit Isocrates cum ait: *Οἱ προςποιοῦνται μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, εὐθὺς δ' ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων, ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν.* Deinde ex tot factionum diversis opinionibus, vix unam aut alteram, quae sibi constet, reperias. Solent enim, ut ex veteribus Theologis quidam primi nominis dixit, in omni humano dogmate falsis vera, veris falsa misceri, *καὶ τ' ἀληθὲς πολλοῖς ψεύδεσιν ἐγκρύπτεσθαι,* ut Dionysii verbis utar. Ibi vero quanto agas negocio, quibus auditorem perfugiis trahas, dum sententiae Doctoris inter se conveniant, nimirum ut candida nigris: at nil refert, cadat, an recto stet fabula talo, modo clamatum sit fortiter. Quanto satius erat hic vel *τὸ ἐπέχειν* novae Academiae amplecti. Vereor ne molestum sit vobis audire tam inconditas nugas, alioquin exemplis haec comprobarem non paucis. Interim partium studiis disceditur, aluntur odia, friget humanitas, et cum a literis nihil abesse debeat longius rancore, nam communia erant Musis et Gratiis quondam sacra, horum studia, quaecunque sunt, vel sola nutrit invidia. Sic imbuti, quum ad sublimia, Theologiam, Iuris scientiam, aut rem medicam, effoetis iam annis pedem movent, quid aliud defectis ingenii viribus, quam quod in ludo consueverunt, agant? Nugantur ergo bis pueri senes, quanquam si cui paulo foelicior est genius lusisse pudet, sed non incidere ludum. Porro vobis Adulescentibus vestram gratulor foelicitatem, quibus benignitate optimi ac sapientissimi Principis nostri *Friderici*, Ducis Saxoniae, Electoris, contigit longe saluberrimis erudiri: fontes ipsos artium ex optimis authoribus hauritis. Hic nativum ac sincerum Aristotelem, ille Quintilianum Rhetorem, hic Plinium tantum ditissimum paedειae, ac veluti quoddam copiae cornu, ille argutias, sed arte temperatas docet. Accedunt sine quibus nemo potest eruditus censeri, Mathematica, item Poëmata, Oratores, professoribus non proletariis. Haec si cognoveritis quo ordine tractanda sint, certo scio, et facilia, et admirandi profectus videbuntur. Puerilia studia quae appellant *προγυμνάσματα,* Grammatica, Dialectica, Rhetorica eatenus discenda sunt, qua ad dicendum ac iudicandum instructus, fastigia studiorum non temere affectes. Iungendae Graecae literae Latinis, ut Philosophos, Theologos, Historicos, Oratores, Poëtas lecturus, quaqua te vortas, rem ipsam adsequare, non umbram rerum, velut Ixion cum Iunone congressurus, in nubem incidit. Hoc quasi viatico comparato, per compendia *καὶ εὐπετῶς,* ut Plato ait, Philosophiam accede. Nam in ea sum plane sententia, ut qui velit insigne aliquid, vel in sacris, vel foro conari, parum effecturum, ni animum antea humanis disciplinis (sic enim Philosophiam voco) prudenter, et quantum satis est, exercuerit. Nolo autem philosophando quenquam nugari, ita enim fit, ut communis etiam sensus tandem obliviscare. Sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae, tum ad mores formandos attinentia. In primis hic eruditione Graeca opus est, quae naturae scientiam universam complectitur, ut de moribus apposite ac copiose dicere queas. Plurimum valent Aristotelis Moralia, Leges Platonis, Poëtae, atque ii sane, qui et optimi sunt, et in hoc legi possunt, ut animos erudiant. Homerus Graecis fons omnium disciplinarum, Vergilius ac Horatius Latinis. Necessaria est omnino ad hanc rem historia, cui si ausim, me hercle non invitus uni contulero, quidquid emeretur laudum universus artium orbis. Haec quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,

quid non, plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit. Hac nulla vitae pars, neque publica, neque privata vacare potest. Huic administratio rerum urbanarum domesticarumque debet. Ac nescio an minore incommodo mundus hic noster sole, animo videlicet suo cariturus sit, quam historia, civilium negociorum ratio. Consensu maiorum nostrorum celebratum est, Musas ex memoria natas esse. Eo, ni fallor, significatum, ex historia omne artium genus manare. Complector ergo Philosophiae nomine scientiam naturae, morum rationes, et exempla. Quibus qui recte imbutus fuerit, ille viam sibi ad summa muniit. Causas acturus habebit unde divitem rerum ac amplam orationem condat: Civitatem administraturus, unde aequi, boni, iusti formulas petat. Nimirum haec Philosophiae commoda Demostheni clarissimo Oratori visa sunt, cur tam accurate eam adulescenti cuidam commendarit: *νόμιζε δέ.* Reliqua ipsi in Erotico legite. M. Cicero nusquam non dedit Philosophiae primas, et audistis opinor, quid ille in comparatione Servii Sulpicii, et Q. Scevolae Iuriscons. quendam *σοφόν* Romani cognominarunt, admirati uberem in eo Philosophicarum rerum scientiam. Verum quod ad sacra attinet, plurimum refert quomodo animum compares. Nam si quod studiorum genus, sacra profecto potissimum ingenio, usu et cura opus habent. Est enim odor unguentorum domini super humanarum disciplinarum aromata: Duce Spiritu, comite artium nostrarum cultu, ad sacra venire licet. Sicut ad Herculianum Synesius scribit: *ἐῤῥωμένως εὐθυμῶς διαβιώης φιλοσοφίᾳ χρώμενος ἐς τὸ θεῖον πολυγετούσῃ ἀξιαγάστε.* Id si cui non videtur, cogitet praeter caetera et orεichalcum a Tyriis in templi Solymi fabricam collatum esse. Itaque cum Theologia partim Hebraica, partim Graeca sit, nam Latini rivos illorum bibimus, linguae externae discendae sunt, ne veluti *κωφὰ πρόσωπα,* cum Theologis agamus. Ibi se splendor verborum ac proprietas aperiet, et patescet velut intra meridiana cubilia verus ille ac genuinus literae sensus. Proxime cum literam percepimus, sequemur elenchum rerum. Facessent iam tot frigidae glossulae, concordantiae, discordantiae, et si quae sunt aliae ingenii remorae. Atque cum animos ad fontes contulerimus, Christum sapere incipiemus, mandatum eius lucidum nobis fiet, et nectare illo beato divinae sapientiae perfundemur. At cum in vineis Engaddi cyperum legerimus, occurret sponsus saliens super montes, et transsiliens super colles, ductos in Palatia Eden בשמן תורק succo liquido[1]), flagrante, in pios[2]) animos difluente inunget, ac morte osculi dignabitur. Illius membris inserti vivemus, spirabimus, vegetabimur, Sion contemplantes, et silentio *χρυφιομύστῳ* Salem adorantes. Hic coelestis sapientiae fructus est. Eam igitur quam purissime non interpollatam nostris argutiis colamus. Id quod cum aliquoties inculcat Paulus, tum in Epistola ad Titum sedulo a Christiani hominis doctrina exigit, *ἀδιαφθορίαν* integritatem, hoc est, ne lubrica sit fides. Deinde *σεμνότητα* mundiciem, hoc est, ne alienis literis improbe sacra contaminemus. Opinor quod futurum sciebat, si sacris prophana miscerentur, fore, ut simul prophani affectus, odia, studia factionum, schismata, iurgia, confertim succederent. Proinde qui divinis initiari volet, Adam illum veterem exuat oportet, ut incorruptibilem Adam induat, hoc est, humanos affectus, ipsumque callidi serpentis iugum supera virtute frangat, excutiat, ut in gloria Domini transformetur in abyssum abyssus. Hoc sane in causa erat cur dicerem usu literarum destitutam Ecclesiam, veram ac germanam pietatem traditionibus humanis alicubi mutasse. Postquam hominum commenta placere coeperunt, et amore operum nostrorum victi, pro manna Beelphegor gustavimus, homines non *χριστοί* esse coepimus. Haec velim ita dicere videar, ut sentio. Sentio autem omnino aliud nihil, quam quod Evangelicae veritati Ecclesiae decretis probatur, eritque mihi quod Hebraei dicunt צנה וסיחרה אמיתו[3]). Iam ne obscure intelligitis, quantum sit in renascentibus studiis momenti, quantum ad excolendas bonas mentes conducant? Quem non miserescat superioris aetatis, quae tam clara luce studiorum deserta, in orci tenebras, et nescio quas faeces literarum incidit? Quem non tangat ingens nostri seculi calamitas, quod et vetustis authoribus nostratium incuria orbatum est, deinde quod hi quoque lucri fecissent ex bonis, ni periissent illi desiderati. Superest igitur, Iuvenes, ut audiatis, quanquam ita se res habeat, et difficilia sint, quae pulchra sunt, tamen ita vincet industria dif-

1) Sunt verba in Cant. cant. 1, 2.

2) Text. *impios*, mendose; puto scribendum *in pios*.

3) Potius: צנה וסחרה אמתו, sunt enim verba Psal. *91* 4.

ficultatem, ut longe minore impendio bona quam mala vos sperem assecuturos. Deligunt vobis praeceptores vestri quae ex usu est scire, frivola secernunt, atque ii Latina quidem, simul cum Latinis Graeca disci, et debent, et facile possunt. Modo succisivas aliquot horas Graecis date, ego faxo studio ac labore meo, ne opera vos vestra frustretur. Statim enim ab initio difficultatem rei Grammaticae optimorum authorum lectione temperabo, ut quod illic regula, hic exempla doceant. Accedet obiter in authoribus interim quod ad mores, vel rerum secretarum scientiam pertinet: omnia si contuleritis, pulcherrime absolvent orbem studiorum. Erit enim curae mihi, ut pro re quae videntur diligenter admoneam. Homerum habemus in manibus, habemus et Pauli Epistolam ad Titum. Hic spectare vobis licebit, quantum sermonis proprietas, ad intelligenda sacrorum mysteria, conferat: quid item intersit inter interpretes Graece doctos, et indoctos. In aliis nota mala pro bonis ducantur, in hoc negocio diutius citra iacturam ineptire non licet. Capessite ergo sana studia, et quod a Poëta dictum est, animo volvite: Dimidium facti qui coepit, habet. Sapere audete, veteres Latinos colite, Graeca amplexamini, sine quibus Latina tractari recte nequeunt. Ea pro omnium literarum usu, ingenium alent mitius, ac elegantius undequaque reddent. Paucis annis prodiere in lucem, qui vobis et exemplo et stimulo sint: Videor enim videre mihi tacitus aliquot locis reflorescere Germaniam, planeque moribus et communi hominum sensu mitescere, et quasi cicurari, quae Barbaris olim disciplinis effera, nescio quid immane solita est spirare. Proinde locabitis operam, non modo commodo vestro, eoque ad posteros propagando, sed omnino gloriae non intermoriturae Principis omnium consensu optimi, qui nihil adserendis bonis literis habet potius. Equidem quod ad me attinet, nihil non connitar, ne defuisse vel pientissimi Principis voluntati, vel studiis vestris optimi Auditores videar. Atque hoc me nomine vobis Clarissimi viri, Academiae Saxonicae Principes, addico ac devoveo, vestrum erit adulescentiam meam bonis literis consecratam, minime malis artibus imbutam, denique in fidem vestram sedulo commendatam, benigne officioseque tueri ac conservare. Dixi.

No. 3. an. 1519.

De Maximiliano Caes.

Separatim edita, vid. Epp. Vol. I. p. 69., ubi epistolam nuncupatoriam ad Herzbaimerum dedimus. Recusa apud Craton. Myl. p. 431., in sel. Decl. T. II. p. 567. In ed. Servest. II. p. 587 sq. Richard. II. p. 653.

Oratio funebris dicta divo Maximiliano Caesari, Wittenbergae a Phil. Melanchthone, an. 1519.

Si unquam, Illustrissimi Principes, Magistri, Rectores, praestantissimi viri, casus aliquis non modo universae Germaniae, sed omnino toti Europae acerbus accidisse videri potest, hic certe multo maxime, optimi Principis divi Maximiliani interitus publicis omnium lachrymis deflendus est. Nam ereptus est terris unus omnium, qui Germanis imperaverunt Principum, multo sapientissimus et fortissimus, ad hoc eo tempore, quo nondum aliud fuit vel commodius declarandae virtuti Caesarianae, vel magis necessarium, cuius ille ambiguos casus sapientia sua temperaret. Quod enim fuit seculum ab ipso Germaniae regno dedicato, quo vel Ecclesiae opes periculosiore loco fuerint, vel turbidi modus certius exitium universae Europae, nedum Germaniae portenderint? Horret animus dicere: Crudelissimus nominis Christiani hostis Turca imminet Italiae. Roma in mediis fluctibus ἁλιόσκοπος, quae debebat universo orbi, nobis autem maxime, veluti quoddam domicilium, et arx trepidantibus salutari. Galliae quae in armis annos iam fere quinquaginta a Carolo usque octavo agit assidua, nunquam neque maiores animi, nec spes impotentior, neque occasio amplior, neque fortuna indulgentior fuit. Reguli Germaniae passim patriae, veraeque Germanicae virtutis immemores, intestinis bellis sua labefactare coeperunt. Hoc illo tempore sublatus est ex oculis mediaque luce Caesar, orphanis pater, cuius prudentia et incredibili moderatione animi, ut foelicissimo profectu eoque prope supra fidem, in hunc usque diem Germaniae laudes opesque auctae sunt: ita nisi illo ipso arbitro et servatore, stare non temere poterunt. Iure igitur dolendum est amisso Caesare, et bono Principe, et bono viro, quo vivo ut pulcherrime floruerunt Germaniae commoda, ita mortuo, non possunt non illa emarcescere. O miserabilem Reipub. mortem, o acerba Germa-

niae fata: quae si quando unquam sensimus adversa, nunc certe maxime sentimus. Atque ut intelligatis merito lugendum esse et Caesaris interitum, et gravem patriae casum, obiter vitam illius unversam, et eximia decora percurram.

Divus *Maximilianus* Caesar natus est patre Friderico Austrio, Caesare, Leonora Lusitana, utroque parente insigni clementia et pietate: quae quanquam sint Austriis ceu gentiliciae dotes, tamen adeo in patre, ut de Leonora interim taceam, excelluerunt, fulseruntque: ut qui cum ipso hac laude superiorum aetatum principes comparaturus sit, videatur invidere seculo nostro singulare hoc specimen, cuius vix umbram aliquam habent maiores: tantum abest, ut aequasse putentur. Patriis virtutibus adolescens imbutus, per omnia religionis, fidei, sancti, aequi bonique tenax fuit, sed aliquanto gloriae militaris cupiditate patrem vicit, qua factum est, ut cum illum summum virum artibus pacis praedicet Germania, hunc non possit et bellicis et civilibus decoris maximi facere. Tyrocinium egit maximis confectis rebus in Flamingis, Brabantinis, Hollandis, Sucambris, idque tale, ut in eo utramque fortunae vicem sit expertus: sic enim oportebat adulescentem summis natum rebus, summoque imperio gerendo velut in stadio, in cursu rerum humanarum erudiri. Etenim cum in privatis ingeniis ad civilitatem erudiendamque vitam pertinere arbitrentur utriusque fortunae periculum, quod haec atroces fere, illa abiectos faciat animos, vicissitudo cautos et memores humanae sortis, in Rege imbuendo longe primum duci debet ambiguum fortunae rudimentum, quod neminem tam referat res humanas omnes compertas, meditatasque tenere, quam Principem. In hoc Ulyssen sapiens Poëta Homerus πολύτροπον fecit, atque adeo unicum boni Principis exemplar. Atque ut videmus luxuriantes primum segetes raro frugem maturare: ita quibus immodica primum sese fortuna indulsit, fere optima vitae parte solent frustrari. Et nisi me fallit opinio mea, nulla omnino res est adeo efficax ad muniendum tuendumque in exordiis vitae hominis animum, ut iniquae et inconciliatae fortunae praeludium, quum in primo scilicet vitae vestibulo, imperita communium rerum adulescentia, male compos sui, impura et insolens eruditur, agitur, et veluti putata in usum vitae fingitur: statimque humana odisse, libatis id genus adversae fortunae primitiis, incipit: et hoc salutare carmen in imis conditum sedibus pectoris, sic in oculis, sic in ore semper, ut universae vitae transigendae scopum habet: Domino gloria, mihi autem confusio. Scythicos aiunt equos statim ut nati sunt, quia calceari ferro non solent, in salebras duci, et aspero silice fatigari, quo indurescant pullorum adhuc pedes: Ita conducit adulescentem hominem statim fortunae ludibrio βασανίζεσθαι, uti discat, quatenus illa sit fidendum, quam sint omnia in hoc rerum humanarum theatro incerta, varia, et plane, ut paucis dicam, nihil. In hunc videlicet modum adulescenti Maximiliano contigit fortuna, victoriis aliquot interim laeta, interim adverso casu tristis. Etenim occupata Burgundiae opulentissima ditio, cum aliquandiu civilibus flagraret odiis, iuvenem Principem forte intercipit, captivum in vincula coniicit: idque non modo praeter dignitatem regiam, sed omnino contra naturae sensum, contra fas hominum, contra gentium morem ausa: neque his contenta, addit Morionem, qui captivus Regulus quotidie ludus esset. O quantum flagitium, o inauditum nostris hominibus scelus, adulescentem Regem tot imperiis, tot regnis destinatum, tam turpiter haberi. Sed voluntate superum haud multo post proceribus Germaniae deposcentibus redditus, poenam de sceleratissimis Flamingorum populis sumpsit: non quantum tale merebatur facinus, sed quae improbos homines flagitii admoneret: nam et in gratiam postea recepit perfidos, et quae belli impetu perculsa et conturbata iacebant, magnifice erexit, instauravit, auxitque. Possem commemorare, quae in eo bello gesta sunt pleraque incredibili moderatione, ut non tam quod Flamingos vicerit, quam quod ipsum sese superarit, laudari debeat, ni satis eadem perspecta essent vobis, quibus eius belli Dux, fortis quidem vir, et minime barbarus, Princeps Saxoniae Albertus non ignoratur. Iam in ipso Caesare argumentum ingentis et invicti animi perspicuum erat, et immortale clementiae exemplum, qui sibi a tam insolenti, inhumano, et crudeli hoste, adeo humaniter temperavit. Quod praeconium ut cum paucis commune habet (quis est enim qui talem unquam sit perpessus hostem?) ita praedicari, omnibus bonorum vocibus, omnibus celebrari literis debet, ut aliqua saltem ex parte tantae virtuti praemium, gloria in posteris persolvat. Non est ut hoc loco dignemur Antoninos, Traianos, multis alioqui nominibus

laudatos Principes, sed clementiae laude cum Maximiliano non temere conferendos, quae vel hoc amplior est, quod ipsa sit omnium heroicarum virtutum summa, prora et puppis, ut dicunt. Etenim cum sacrae literae Deum Opt. Max. mortalibus potissimum praeconio clementiae et φιλανθρωπίας commendant, non potest esse bonus Princeps, qui non pleno pectore sacrosanctam illam coelestis philanthropiae speciem complexus est. Nam hac una iubetur maxime referre superum ac coeleste numen in terris. Tandem vero sedatis intestinis motibus, Burgundiam Gallus invasit, ubi saepe cum hoste congressus est noster, signa saepe retulit. In summa, Gallum Germania exturbavit, atque hic quidem est adulescentiae Caesarianae cursus, cuius vos tantum admonui, nam ut singula explicentur, neque hoc patitur dicendi spacium, neque ingenium meum. Iam et reliqua percurremus, melioribus inde usque annis cum bello tum pace gesta, quae omnia ingentem et vere horoicum Maximiliani animum arguunt. Itaque is indole tali, usu rerum iam non mediocri, spem sui tantam Germaniae proceribus fecit, ut unum fascibus Romanis, et corona Germanici regni dignum censuerint. Imperator designatus, apud Aquisgranum Regio honore auctus est, idque parente vivo, quae raris foelicitas contigit. Primum omnium Germaniae statum confoederatione Suevica sancita, confirmavit, utili sane consilio, quo Germaniae opes vel potissimum communitae sunt: fuit enim ea confoederatio hactenus in rebus dubiis certissimum Germaniae praesidium: Ostriam deinde ab Hungaris asseruit. Sub idem tempus imperavit Turcis notae ferociae Baiazita rex, qui in Hellespontum grassatus bello, Illyrios afflixit: Dalmatas, deinde quae sunt in viciniis regiones, Carinthiam et Croatas invasit, depraedaturo similis: pessimi fuerat exempli res futura, nisi irrumpentem Maximilianus prohibuisset: aliquot Turcarum manipuli in fuga caesi sunt. Iam tum hoc duce, Germania Turcas vinci posse didicit, ex quibus nos paulo ante, semper alias quoque invictis, gravissimam cladem sub Sigismundo Caesare accepimus: verum nihil fuerat periculi nostris rebus ex Turcis hoc vivo, quem scilicet iam olim agnitum non temere in arma vocaturi erant: caetera Baiazita invictus, huius vim non sustinuit. Regressus deinde in Sicambris bellum gessit, quo essent accolae a latrociniis tuti. Nam ut assiduo in armis fuit, ita non gessit cum aliis bella, nisi cum iis qui publicae saluti infesti erant. Privatam iniuriam videtur tulisse minus aegre, quam soleant vulgo Regum ingenia. Sed quid non privatim ferret is qui non sibi sciebat imperium geri, sed Christiano populo, imo Christo? nec aliud esse Regem, quam bonum patremfamilias? qui tum se demum beatum putat, cum beatam videt sua cura, suis consiliis, sua industria familiam. Ita Regis est, non libidine sua modum statuere imperiis, sed commodo publico. Quo minus bonos agunt Principes, qui sibi quidvis licere putant: peiores, quibus quidvis libet, ita videlicet imbutis, ut nullo discrimine honesta ac turpia, fas nefas misceant: qui se regnare non putant, nisi per omnia libidinis, ac turpitudinis crudelissima exempla, ius, fas, bonum, aequum, pium, sanctum, fidem, religionem, denique omnia publica et privata conturbent. Nolo nunc meminisse Claudiorum, Neronum, Commodi, Heliogabali, Diocletiani, Maxentii, et similium. Ipsi nos in sinu nostro, Germani, qui assuevimus semper esse liberi, tales alimus Regulos; quos si cum maiorum saevissimis et immanissimis flagitiis comparemus, facile crediderim, posse illos hodie in numerum bonorum Principum relatum iri. Quanto satius erat Principes huius aetatis e Maximiliani ingenio, sua temperare, ut quem a superis acceperant patrem, et servatorem, eundem moribus referrent, vel hoc etiam, quo gratitudinem animi sui coelestibus declararent, si illum sic essent complexi, ut eius quam maxime similes se vellent. In hoc cum semper publicae salutis arserit cura, nihil non datum est studio pacis, publicae pietati et religioni. Ipse semper in armis fuit, ne unquam subito motu turbaretur Germania. Ipse semper bella gessit, ut ab omni metu bellorum tuta esset Germania: cum Geldris ideo dimicavit, ne viciniam latrociniis infestarent: cum Helvetiis, ut suos a vi assereret: cum Palatino item, ne in Rhenum plus aequo grassaretur. Quis est enim qui nescit occupatum in Geldris, ad suscipiendum cum Helvetiis bellum gravi rerum suarum periculo a Suevis evocatum esse, qui iam ante bellum gerebant, quam illius signa et aquilas vidissent? et cum Palatinis Principibus ante multa de iure acta sunt, quam arma moverentur, fortasse tum quoque parsurus, nisi Palatinum converti ad vim sensisset. Ipse hoc scio, pars illorum malorum, cum comitiis Augustae ha-

bitis multa utrinque iactata essent, Palatinum nihil respondisse, nisi ut sui cum telo essent, vindicandam armis Bavariam. Videtis qua impulsus necessitate bella Germanica susceperit. Hoc autem memorabile sapientiae suae exemplum dedit, quod ea bella sic gessit, ut sontes tantum punirentur, reliquae nationes quietae essent, interim undique praestans, quod in Regibus volebat Homerus:

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

hoc est, et Rex consilio, et pugnando miles: nam in utroque bello multa prudenter, multa fortiter fecit. Helvetios, gentem alioqui ferocem, bello eo usque fatigavit, ut pacem libenter agnosceret, et per Gallos impetraret. Palatino auxiliaris ex Boemis legio caesa est, idque dimicante Maximiliano ipso fortissime, tamen et ille receptus est in gratiam, quum satis poenarum dedisset. Fallor, nisi singularis est sapientia, sic bella gerere, ut solis sontibus detrimento sint. Et incredibilis est magnitudo animi in eo, qui modum statuit poenae, non quem culpa meretur, sed quem facit victoris mansuetudo. Ea tum erat Germaniae foelicitas, ut cum omnino esset aliquid Marti dandum, ita enim est gentis nostrae ingenium, tamen id fieret circa publica incommoda. Quando enim unquam fuit Germania pacatior, quam sub Maximiliano fuisse vidimus? Quoties sub Carolis universa commota et labefactata est seditionibus intestinis? Dabimus aliquid Othonum foelicitati, et gentilitiae laudi: semper enim Saxonia pacis amans fuit. Certe Francorum Henricos tragica etiam mala afflixerunt, quum aliquandiu pars Germanorum filio, pars patri studeret, ut reliqua praeteream. Ab eo vero tempore quo imperaverunt Suevi, quaeso quid fuit in Sigismundum usque laeti in universa Europa, nedum Germania? Prudenter Fridericus primus, qui belli molem in Italiam, ac deinde Asiam vertit: qui hunc secuti sunt omnia infoeliciter. Regnum pariter vindicarunt Philippus Suevus, Otho Saxo, deinde Adolphus Nassaeusis, et Albertus Austrius: post hos Ludovicus Bavarus, et Fridericus Austrius. In haec, ne quid deesset mali, quot Pontificum urbis Romae dissidia, quot item Germaniae devotiones inciderunt, quibus semper adversa fuit huius regni tranquillitas, ne sua in Italia tyrannis imminueretur: nam praeter id quod aliquoties universa Germania diras Pontificias pertulit, non raro privatim quoque urbes ac ditiones aliquae desecratae sunt. Ita nunquam bellorum semina non ministrabant Pontifices Germanis, quae hoc imperante nulla fuerunt: nunquam Germania universa commota est, nunquam labefactata, hoc imperante, religio: quae nisi admirabilis quaedam sapientia, et plane coelestis, integra et salva conservare non potuit: et hunc Principem ereptum terris non doleat Germania? Dederat Iulius Pontifex materiem intestini quoque belli, sed quae fuit Maximiliani prudentia, cavit ne Italia

Ἔρις, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσα

egrederetur: Nam ultimum operum mortalium gessit bellum Italicum, cuius eventus paulo iniquior fuit, reliqua enim foeliciter contigerunt, perfidia gentis in causa est. Eamque fortunam communem habet cum Carolis, Othonibus, Fridericis, Ludovico Bavaro, et Sigismundo: adeo semper gentis dubia fides, et Pontificum odia, mala conciliarunt nostris Principibus. Id quod Rodolphus Habspurgus, qui primus e familia Austriorum Romanis fascibus auctus est, bello et pace clarus, intelligens, rogatus cur Italiam petere nollet, per apologum Aesopi

Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam, quia me vestigia terrent
Omnia in adversum spectantia, nulla retrorsum.

Bellua multorum est capitum Roma: videlicet significaturus nemini ex Germanis Principibus prospere adventum in Italiam cessisse. Caetera foelix Maximilianus, hunc casum fatis debet, quem tamen communem cum omnibus aliis habuit. Atque haec fere sunt, quorum vos obiter tantum admonui, quae ille memorabilia bella gessit, longe his praestant decora pacis, quibus, ut nondum ullo tempore tam floruit Germania, ita cum eo nemo superiorum Principum conferendus est. Liberalitas in eo summa, cultus pietatis praecipuus, plurimarum artium et linguarum cognitio, omnium civilium rerum tantus amor, quantum hodie illo ipso autore civilis cultus in Germania videmus, quem omnes eo esse loco scitis, ut cum nostris nulla possit comparari extera natio. Literas fovit, decretis in studia stipendiis Viennae, ubi primum Mathematica et Poëtica refloruerunt: cuius exemplo cum alii Principes ad literas animum adiecerunt, tum maxime optimus Saxoniae Princeps Interrex Fridericus, cuius cura restituitur fontibus suis Theologia, hic tanto foelicior, quanto omnibus aliis disciplinis sacrae prae-

stant. Digna est omnino Principe viro cura rei literariae, et quod illa renata sapere incipiat Germania, et quod sine literis nemo imperare recte sciat. Id quod dixisse fertur Sigismundus Caesar ad Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, avum eius qui hodie ditionem gubernat, senemque permovisse, ut iam canus Latinas literas disceret, non aliter quam Cato Graecas. Mechanica vero quaedam a Maximiliano inventa sunt, quaedam aucta: nam ad illa eum miro ingenio fuisse, dignis fide testibus didici. Sed quid ego singula commemoro? ante oculos ponite Reipub. Germanicae statum, ut illius auspiciis erexerit caput nuper, hoc emortuo, o fata, et o necessitas modo rursum demittat. Videor mihi videre ante oculos communem parentem omnium nostrum Germaniam pullatam ac sordidatam, miserabili gemitu, revocare Servatorem suum: stantes, hac proceres militiae nostrae, illac effusum gregem eorum, qui studiis pacis hoc Principe stipendia fecerunt. O nos miseros, quibus hunc tam clarum solem inviderunt superi. O infoelicem patriam amisso parente ipso tuo. O infoelicem pacis alumnam fidem, amisso assertore tuo. O infoelicem rerum publicarum custodem concordiam, amisso eo qui per omnem vitam concordiae iura religiosissime tutatus est. O infoelices Musas, amisso unico pene praesidio vestro. Quaeso vos viri, erigite animos, et Germaniam ipsam lapsantem, oculis contemplamini: Me enim plura dicere non sinit nunc dolor. Omnes interim tanti Principis memoriam contemplatione virtutum sanctam ducamus, quo nondum alius in regno Germaniae, neque privatim, neque publice maioribus ornamentis illustravit Europam. Doleamus casum nostrum, quibus alienissimo tempore, atque adeo eo, cum sapientissimo nobis Principe opus esset, Maximiliano carendum est. Vides autem, Illustrissime Princeps *Friderice*, ut in te iam res universae Imperii Romani inclinatae recumbant. Tu pacis studia, ius, fidemque publicam, quae in humeros iam tuos inciderunt, sustinebis, servabis, ac tueberis. Magnum virtutis tuae documentum hactenus orbi dedisti: Iam nunc tibi connitendum est, ut cum salute nostra sapientiam et virtutem tuam coniunxisse videaris. Hoc superest, ut sacris votis piisque inferiis Maximiliani animam prosequamur, quod illi, vel ut parenti, Principi, vel ut fratri, homini debetis. Tu quoque per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quaeso, da preces te nostrae supplices placent, da ut sentiant Maximiliani manes, profuisse sibi apud te pias Ecclesiae preces, cui tu eum gubernatorem ac Principem fecisti. Per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quaeso, interim plebem tuam assere, serva, protege, quae sanguine tuo imbuta, non aliunde quam ex te sibi salutem sperat. Dixi.

No. 4. an. 1520.

De studio doctrinae Paul.

Separatim prodiit: „Ad Paulinae doctrinae studium adhortatio. Basil. ap. Adam. Petri (1520). 8. 1¼ pl." Vid. quae diximus in Epp. Vol. I. p. 133 sq. ubi dedimus epistolam nuncupat. ad Andr. Camitianum. Recusa apud Crat. Myl. p. 1., in Declamat. T. I. p. 8., in Servest. I. p. 9., Richard. T. III. p. 28.

Adhortatio ad christianae doctrinae, per Paulum proditae, studium.

Equidem agnosco, Paulinae philosophiae studium vobis commendaturus, rem me conari non paulo maiorem viribus. Quae est enim humana eloquentia, nedum mea, quae possit, vel par esse Pauli laudibus explicandis, vel hoc doctrinae genus adserere? quod, quantumvis magno Christianae Reipublicae malo, seculorum aliquot fastidit consensus, quem si usquam alias, certe in literarum studiis, nisi non dolet dediscere quod semel imbibimus, pertinacissime tuemur. Verum cum in pia causa nullus sit non laudandus conatus, non dubitavi audacius fortasse quam prudentius, sed pie tamen, rem, quamvis impar, egregiam tentare. Nihil aetas, nihil tenuitas nostra dehortabatur, quando non alius lusus hanc aetatem perinde decet, atque qualecunque rerum Christianarum rudimentum. Nam quod noluit Christus noster a se pueros arceri, quasi signo sublato adulescentiam ad sui studium invitavit. Proinde, nisi nihil huiusmodi votis proficitur, optarim mihi non inimitabilem Periclis, aut Lysiae eloquentiam: quorum alterius labra Petho insedisse vetus Comoedia testatur: alterum etiam ille iuxta Apollinis oraculum sapiens Socrates admiratus est. Sed illum ipsum vere flexanimum Paulinae linguae spiritum, divinitus suppeditari, et orationem nostram animaturum, et pectora vestra ad

complectendam coelestem sapientiam inflammaturum. Quid enim magis convenit, quam de sacris rebus dicturos, divini numinis opem coelo devocare? Vos item mecum communibus optate votis, ut benignus Dei spiritus radiis suis animos vestros collustret, et ad hoc philosophiae genus praeparet, quod inaditum esse viribus humanis, vel hoc inditio est, quod paucis admodum post Paulum contigisse videmus: recentiores vero Theologos, quos vocant, etiam obscurasse: quod utinam audacius dicerem, quam verius. Equidem, ut velim Paulinam doctrinam non Monachis, aut Theologis tantum istis scenicis, sed vulgo etiam Christiano familiarissimam esse: ita puto ad formandam vitam, nullam sapiendi rationem accommodatiorem, nullum certius ad foelicitatem compendium esse. Primum enim ratione quadam et doctrina opus esse, ad instituendam vitam, vel hoc argumento est, quod nulla privatim domus, nulla civitas publice, citra legum usum administrari posse videtur, ut literas in hoc repertas verisimile sit, quo praescriptis, adeoque duraturis legibus, paulatim gliscenti hominum cupiditati frenum iniiceretur. Extant vivendi formulae, aliae divinitus proditae, aliae ab ingeniosis hominibus conscriptae, quale est Hesiodi, item Homeri poëma, quales Philosophorum commentarii, quales pleraeque nobilium civitatum leges sunt, quarum memoria, historiarum beneficio, ad nostra tempora propagata est. Verum in his divinae leges tanto sanctiores sunt humanis, quanto propius effingunt tum autorem, tum archetypum omnium bonarum rerum, quem non dubium est nusquam certius expressum, quam in iis literis, quas suis ipse digitis, inaestimanda benignitate, lapideis tabulis insculpsit, praecepitque, omnibus postibus, aedium vestibulis, fimbriis item vestium inscribi, et, scopi vice, ob oculos interque manus reponi, unde vitae universae ratio peteretur. Tum et hoc humanae leges divinis scripturis vincuntur, quod legibus Evangelicae literae additae sunt, quae Christum generi mortalium exhibent, qui spiritum impertit, quo humani animi accensi, nihil non coeleste, sua ipsi sponte adfectent: Lex enim recti viam monstrat. Sed honestum animis humanis ille Christi spiritus absolvit. Adeo plane fieri nequit, ut solis legibus adiutus, vitam probe instituas. Neque enim satis est videre quid agas, sed refert vel omnium maxime, quae Evangelii farrago est, scire unde animum petas legibus faventem, et honesti amantem, nempe, quem a recti amore naturae genius avocat. Etenim, si solis legibus humanae mentes ad virtutem incitabantur, non erat, cur aut filius Dei carnem indueret, aut Evangelicae literae proderentur. Quare cum ad componendam vitam, tum legum, tum Evangelii cognitio necessaria sit, cum unicum salutis compendium, sit sacrarum rerum scientia, quin omnes certatim animos divinis literis despondemus? siquidem sua cuique salus esse quam charissima debet. Alia studia, aliis voluptas, aliis quaestus commendat, hoc vero piis omnibus instituendae vitae cura, adeoque plusquam Diomedea necessitas. Porro, qui e ficticiis Philosophorum, aut Theologistarum commentariis vitae formam peti posse censent, quam irreverenter, quam impie de divinis literis sentiant, vestrum esto iudicium. Nam si nostris inventis componi mores humani poterant, quid erat, cur legem ferret? suisque describeret articulis, optimus maximus Deus? cur omnibus postibus, fimbriis etiam vestium insculpi mandaret? idque ne rationis nostrae censuram et consilia sectaremur. Nam hoc diserte additum est, ne nostras cogitationes sequeremur, ubi satis indicavit coelestis legumlator, mendacem, vanum, ac futilem esse hominis captum, planeque regendum, ceu Theseo filo labyrinthum aliquem. Imo, si per sese hominum animi ad virtutem erigi potuere, quid erat, cur carne Filius Dei, adeoque aeternus sermo, vestiretur? cur in universum orbem terrarum evulgari praeciperet Evangelium? cur aeternus Pater tam religiose commendaret orbi terrarum filii doctrinam? inquiens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Cur sacrosanctam philosophiam maximi homines tam studiose literis mandarent? Et doctrinam suam cum tanti velit fieri coelestis Pater, quid homunculi nostra iactamus somnia? quid *ἀλαοσκόπον* philosophiam, nugarum regnum, vitae formam appellamus? Quin videmus, quam insanis Philosophi dogmatis caecitatem suam testati sint, dum in pervestiganda rerum natura nusquam non haerent, nusquam non hallucinantur, dum de bonorum ac malorum finibus disceptant: ubi hic voluptatem, ille indolentiam, hic *εὐθυμίαν*, ille gloriam, Stoicus falso nomine virtutem, Peripateticus multo ineptius virtutis usum adserit. Videbat ipse Socrates, non esse certi quicquam in universo philosophiae genere,

cum sapientiam suam vocaret *ἀμφισβητήσιμον ὄναρ*. At hominum *λογολεσχείας* etiam divinis literis nostrorum temporum Theologi praetulere, quibus debemus, ut nihil hoc tempore sint Christianae literae, nisi maliciae quaedam fallacis loquelae, ut ille apud Ciceronem ait. Adeo, quod doctrinae genus divinitus ad corrigendas, confirmandas, consolandasque hominum mentes proditum est, frivolae, addo etiam indoctae Sophistarum *καὶ βέβηλοι κενοφωνίαι* magna ex parte extinxere. Vel contemni poterat, si quid vulgarium artium interiisset, verum eam disciplinam intercidere, quae una est periclitantium animorum dortus et asylum, adflictae conscientiae solatium, quis non deploret? Et his literis antiquatis, quibus solis muniri Christianae res solebant, quam tyrannidem in omnes hominum ordines Satan exerceat saeviens, etiam dicere horreo. Quondam prudenter in administrandis civitatibus cavebatur, ne publicae leges ignorarentur, nisi quis aeneas decem virorum urbis Romae tabulas, aut ligneas Atheniensium *ἄξονας* nescit. Et sapientissimus Rex Minos, Iovis, ut ferunt, *ὀαριστύς*, quotannis leges suas aeri insculptas ter circumferri per omnem Cretam voluit, ne non essent et vulgo notissimae. Quid memorem, quantum operae Philosophi dogmatis suae quisque factionis ediscendis impendant? Pudeat Christianos, quibus solis et Dei et Patris, et Servatoris sui salutaria placita fere ignorantur. Et qui tot Regis nostri insignibus nobis placemus, lavacro *παλιγγενεσίας*, item sacro pane, illud ipsum negligimus, per quod unum proxime ad ipsum accedi potest. Siquidem sermo maximi Patris Christus est. Non alia ratione Christum certius expresserint animi nostri, quam sacrae doctrinae studio, in qua illius velut in speculo relucet imago. Carnem aeternus Dei sermo induit, ut et nos significaret divini sermonis commercio *ἀποθεοῦσθαι*. Id quod elegans quidam, et pius nascentis Ecclesiae Theologus testatur, inquiens, nos sermone veritatis genitos esse, ut essemus primitiae creaturarum. Quod si Christianarum mentium alvus est Evangelica doctrina, quae vesania, quae impietas est, hominum figmenta praeferre? Et in sacris vel maxime necessarii sunt ad formandum animum, Pauli commentarii. Nam cum alia volumina leges praescribant, alia rerum gestarum historiam narrent, Paulus noster methodica quadam disputatione eos locos persequitur, citra quos non admodum profuerit leges didicisse. Nec Prophetarum vaticinia, nec Evangelicae historiae adiri possunt, nisi huius commentarios, ceu amnem comitem ad mare, methodi vice, sequaris. Nam cum in tractanda hominis natura, tyrannide peccati, legis regno, absolutae virtutis origine, ac propagatione, sacramentis, consistat rerum Theologicarum summa, unicus Paulus hos locos palam ob oculos mortalium posuit. Breviter, redemptionis nostrae gratiam, adeoque Christum ipsum ignoraremus, si Paulum orbi terrarum Deus invidisset. Neque enim Christum novisse, est historiam rerum ab ipso gestarum tenere, sed agnoscere ingentia beneficia, quae per ipsum in orbem terrarum Opt. Max. Deus effudit, Spiritum scilicet, et absolutae virtutis autorem, et arrabonem gratiae, quem antehac nesciebat mortalitas. Frustra divinis legibus animum devoveris, nisi Christum esse, Paulo magistro, scias eum, a quo spiritus petendus sit amans eorum quae lege iubentur: deinde et qui, si quid praeter legem, ut imbecillitas humana, deliqueris, ignoscat. Frustra item Evangelicam historiam didiceris, nisi historiae scopos et usum, illo monstrante, observaveris. Ubi de legis abrogatione, de peccato, de carne, de spiritu, de filiis adoptionis, de libertate, de servitute disserit, quid aliud agit, quam ut, ceu methodo quadam, universae scripturae lumen adferat? Omitto quae mysteria, quam sublimia doceat, ubi coeperis in eum attentius oculos defigere. Satis amplum enim fructum feceris, si vel a limine salutaveris. Nam quod ad confirmandas et consolandas conscientias attinet, nemo Paulo, mea quidem sententia, praeferendus est. Summa cura esto, ut in hoc discas, quo habeas vitae formam ac regulam. Etenim si disceptandi et litigandi gratia didiceris, vide quam facias atrocem sanctissimo viro iniuriam, qui pacis adsertore, praecone Christi, qui solus vera pax est, tam foede abuteris. Nam quod quidem Theologica ad scenam, ad vulgi plausum comparant, deplorandum magis quam insectandum est. Iam et ex Paulo cognoscere licebit, qui fructus longe pulcherrimus est, inter Christianam doctrinam, et Philosophiam proprie quid intersit: quod ut apprime necessarium est cognoscere, quotquot in philosophicis studiis versantur, ita neglectum video a scholicis Doctoribus in universum: qui e Theologia nobis non aliud fecere, quam illam Graeciae hircissantem anum, Philosophiam. De

quo discrimine ipse quidem hoc loco dicerem, nisi dehortaretur argumenti difficultas. Verum, hoc velim omnibus Christianis mentibus persuasum, prorsus aliud esse Christianismum, quam vel Philosophiam, vel nostrorum hominum Theologiam. Alia ad virtutem via est, alius bonorum finis, alia hominis *εὐθυμία*, quam praescribit Paulus, quam quae Philosophorum scholis docetur. Miseram Rempub. Christianam, quae ipsa sui oblita, in alienas scholas detrusa est, imo quae iuxta scripturam, contubernio Moabitidum, alienam linguam, oblita patriae, didicit. Quam calamitatem non video cui debeamus, nisi insanis istis Magistris nostris, qui se imperitae plebeculae, ementito doctrinae titulo, venditant. Praetereo quam adcurate formet Paulus omnes hominum ordines, Principes, Episcopos, iuvenes, senes, matronas: nam haec fortasse communia habet cum aliis sacris scriptoribus. Hanc sibi laudem proprie vindicat, quod gratiae originem ac propagationem, adeoque peccati et legis vim excussit, quos potissimum locos ab eo requires. Atque haec omnia, quam gravi, quam dilucida, quam eleganti oratione persequitur? Breviter quidem, sed ita ut nihil desit, ut nusquam non satisfaciat. Periclis orationem aiunt solitam in auditorum animis tenaces quosdam aculeos relinquere: huius dici non potest, ut flectat, ut verset, ut rapiat, ut inflammet legentis animum. Dolet conscientia, consolatur: sollicitat cupiditas genialis, vocat in viam, retinet ne frena laxes aegrescenti animo, illum ipsum ostentat Christum, qui servet. Denique quicquid morborum animum fatigat, ab hoc pete praesentaneum remedium. Neque ulla tam efficax Panacea est, quam Paulina oratio, nullum adversus veneficia tam salutare Moly, quam adversus animi morbos Pauli doctrina. Platonicum Charmiden morbo, nescio quo, levaturus Socrates, duplex indicat remedium, et radiculam quandam et incantamentum, censetque parum profuturam radiculam citra incantamentum, seu, ut Platonico utar verbo, citra epoden. Porro radiculam interpretatur temperantiam: epoden philosophicam doctrinam, sine qua, quamcunque vitae rationem ineas, incertam et instabilem putat futuram. Quanto amplius precium operae facturus es, si morbis animi medicaturus, Pauli doctrina utare, tanto quibusvis epodis efficaciore, quanto divini spiritus vis, humanis praestat omnibus. Sunt animi morbi, tum carnis cupiditas, tum male consciae mentis pavor, quibus quando nemo, ut Paulus, medetur, non est cur alterius desideres epodas. Nam saevientem cupiditatem alii per leges cohercere student. Hic Christum illum nostrum exhibet, qui in hoc carnem induit, ut expiaret. Neque praecipit modo imperandum animo, sed eum ostendit, qui vires addat periclitanti. Iam vero vel unum profer qui docuerit, quomodo male consciam mentem, id quod plurimum in rebus Christianis refert, consoleris. Non nego esse locos, quibus adflictam conscientiam consoleris et in reliquis scripturae voluminibus, sed subobscuros, et quorum nullus usus futurus erat, nisi a Paulo illustrati essent. In humanis doctrinis nego esse in universum, qui sauciae menti mederi possit. Imo quid agunt aliud scholici doctorculi, quam ut adflictam conscientiam prorsus excarnificent et enecent? id quod est cernere in formulis casuum, summis, quas vocant, in satisfactionum adversariis, et nescio quibus nugis aliis. Sauciant et male sanae Pontificum constitutiones, ut iures verius sanguine scriptas Pontificum, quam Draconis Atheniensis leges. Quod genus doctorum apte vocat Hieremias aspides, quae nullo carmine vinci queant. Quanquam bone Deus, nusquam meliorem navasse operam sibi scholica Theologia videtur, quam in conscientiae censura. Proinde iuvenes Christo inaugurati, Paulinae Philosophiae animos addicite, nisi non est vobis salus vestra curae. Hinc formam Christianae vitae, hinc animorum solatia, hinc rerum omnium tum divinarum, tum humanarum iudicium petite. Etenim iuventutem in primis refert, nihil antiquius, nihil prius ducere Christiana disciplina, e qua ceu viaticum foeliciter transigendae vitae paret. Neque enim fieri potest, ut probe instituas vitam, ut foeliciter transigas, nisi Paulinis literis, adversum insidias pertinacissimorum hostium Satanae et carnis. Reliquas artes omneis vel contemnere licet: Paulina, nisi spem omnem salutis abiecisti, negligi non possunt. Et Episcopos aduiti decebat, ut haec tenerent, non modo qui studiosi vocantur, sed plane universum Christianum vulgus. Decebat Academias nihil maiore cura ac studio docere, quam hoc genus pias literas, quas barbara et confusanea disciplina, Philosophiam isti ementito titulo vocant: forensibus item litibus, et sordida quadam Philosophiae aemula, Theologia, maiores nostri mutarunt, *χαλκία*, si diis placet, *χρυσείων*.

Ipse magno animi dolore, nihil aliud video Academias esse, quam templa Tophet, et funestam filiorum Ennon vallem: nempe, exulantibus Christianis literis. Habuerunt Athenae ex Ariopago, habuit Sparta paedonomos, qui adulescentiam optimis quibusque modis formabant: Et hi quanto foelicius Ethnici iuventutem erudiere, quam nostrorum temporum Academiae? Quin vosipsi, studiosi iuvenes, rem capessite, favebit ita conatibus vestris, ut aetati, coelestis spiritus: et Christum nusquam evidentius expressum, quam Paulinis literis, assiduo contemplamini. Nullus Deo gratior cultus, nullum magis pium exemplum, quam in pias literas velle transformari. Et res ipsa semel tentata, suis vos illecebris ita capiet, ut deserere non libeat. Nam cum per sese bonarum rerum cognitio iucunda sit, Christianarum etiam salutaris est, ut nihil dubitem multis nominibus iucundissimum fore Pauli studium, ubi semel delibaveritis. Fama est, Aegyptios, gentem sine exemplo superstitiosam, novo quotannis vere legum ac literarum suarum autori Mercurio quondam solenne sacrum fecisse, multitudinem undique confluentem publica epulatione, melle ficumque operatum. Sacri vetustatem ritus arguit: nam et aureo illo, quod vocant, seculo, publica fere convivia, sacrificia fuere, et opimae deorum hostiae mel ac ficus, quorum usum deinde et in *πελάνοις* mansisse tradunt. Inter epulandum laetae voces iactari solitae, et quasi paean quidam Mercurio cantari, neutiquam inconditum carmen: *γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.* Qua voce haud obscure declaravit Aegyptus, quam grato pectore Mercurii leges et instituta complexa fuerit. Eodem paeane magna mihi spes est, Pauli doctrinam vos, ubi degustaveritis, celebraturos. Cui enim iustius, quam qui Christiana, eademque optime et gratiosissime docet, decantari queat hic hymnus? *γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.* Dixi.

No. 5. an. 1521.

De studiis theologicis.

Apud Crat. Myl. p. 59., in Declam. T. I. p. 23. In Servest. T. I. p. 21., apud Richardium T. III. p. 1. — Ionas et Til. Plettner doctores creati sunt Witebergae an. 1521.

Oratio Iusti Ionae, doctoris Theologiae, de studiis theologicis.

Si ego aut quadam foelicitate ingenii, aut doctrina atque eloquentia, vel usu et exercitio, aut quacunque mediocritate oratoria essem paulo instructior ad declamandum e publico suggestu, summis viribus hic incumberem, ut Theologica studia (de quorum dignitate hic pro more dicendum est) omnibus redderem quam commendatissima. Nunc cum vobis mea tenuitas non ignota sit, initio rogo, ne, si forsan ubertate, copia illa, et splendore orationis, cui eruditissimae aures vestrae assuetae sunt, quem hic locus illustris et argumentum gravissimum deposcere videntur, destituar, existimationem id sanctissimae professionis Theologicae, quam mirificis laudibus, divino aliquo ore, alicuius vere diserti, omni omnium linguarum sono, in coelum tolli oportuit, apud vos imminuat. Meam, meam scitote esse culpam, si rem coelesti praeconio dignam, frigido encomio celebraro, aut non his, quibus meretur summarum laudum insignibus, ornavero. Theologicam professionem nostis esse eiusmodi doctrinam, qua in Ecclesia docetur et discitur vera cognitio sapientiae et voluntatis Dei. Scriptura enim sancta, quam a Patriarchis, Prophetis et Apostolis accepimus, quam non humana voluntate, sed (ut Petrus ait) Spiritu sancto inspirante, prodiderunt sancti Dei homines, quae totum hoc doctrinae genus (quod Theologiam vocamus) complectitur, tota eo tendit, ad hunc scopum directa est, ut incomprehensibilem illam, et infinitam bonitatem ac misericordiam Dei doceat nos cognoscere, ut in hac vita primum in verbo et promissionibus divinis fide apprehendamus cognitionem sapientiae et voluntatis Dei. Deinde et in omnibus creaturis, coelo, terra, mari, et hac tota mundi machina, adeoque proprii corporis nostri mirabili opificio, infinitam illam et immensam Dei bonitatem, quotidiana miracula, et praesentiam divinam, operumque eius magnitudinem, et, ut Paulus inquit, multipliciter variam sapientiam Dei animadvertamus, quod ipse scilicet non sit Deus a longe, cui non sint curae res humanae, (sicut imbecillitas humanae rationis peccato originis corruptae somniat) quemadmodum et Homerus Poëta, de Iove apud Aethiopas convivante, eam hebetudinem humanarum mentium taxat, sed Deus admodum nobis praesens, sicut Hieremias Propheta

inquit. Et in hunc quidem finem ab initio mundi, verbum suum dedit Deus, in hoc scriptura sancta prodita est, ut quotidie in cognitione Dei crescamus, ut subinde, quod toties inculcat Paulus, magis ac magis proficientes in cognitione voluntatis divinae, laetemur in Deo, praesentiam eius in mirificis operibus adoremus et revereamur, ut per fidem et spiritum, gustum quendam percipiamus vitae aeternae, ut tandem eluctantes ex tot fluctibus et periculis regni, mortis et Diaboli, emergamus ad perfectam cognitionem Dei, utque tandem Deo ipso, quod maius quiddam est, quam humana mente concipi hic potest, vita, gloria, claritate, ac beatitudine aeterna perfruamur. Et hic quidem finis est bonorum, hoc est illud summum bonum, illa vera et omnibus numeris absoluta sapientia quam requirimus, illa sola et perfecta beatitudo, de qua extra verbum Dei inquisierunt Philosophi et sapientes mundi. Sed Deus passus est eos errare longe a Deo in viis suis, ut Paulus in Actis inquit. Vere autem illius religions, et Theologiae, et solidae illius sapientiae inventor et autor, non est Mercurius aliquis, non heros quispiam clarus, non Philosophus excellens, sed ipse creator omnium rerum Deus, vivus et verus, ut Esaias inquit: Qui condidit coelum, et stabilivit terram etc. Et Theologia haec vera, non est eiusmodi cognitio, aut scientia, comparata solum ad vitam hanc momentaneam ἡμερόβιον strepitum rerum, et umbratile σχῆμα huius mundi. Quemadmodum architectura, aut similes artes, tantum ad huius vitae usum comparatae sunt, quas pauci quidam perdiscunt, sed ad hanc cognitionem veram Dei, ad hanc sapientiam percipiendam, omnes homines super terram, totumque genus humanum creatum est, atque illa divina mens hominis, illa elegantissima corporis humani, omnium organorum ac membrorum constructio, non in hoc est condita, ut solum artes illas, quae non nisi huic mortali vitae et corpori serviunt, exerceat, sed ut infinitam illam sapientiam et bonitatem Dei cognoscat, et magnitudinem et varietatem et mirificam illam in omnibus vim atque potentiam operantis Dei contemplans, in Deo et omnibus operibus Dei laetetur, et summa exultatione et alacritate gratias agat, sicut Christus ipse Dominus noster brevi et gravissima sententia dicit: Haec est aeterna vita, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum Christum; id est: haec est vita illa, salus illa, et beatitudo, in hoc tota vis est infinitae, immensae, et aeternae consolationis, et foelicitatis, ad quam homines conditi, et a Deo vocati sumus, ut in hac vita animi nostri erudiantur per verbum, et concepto Spiritu sancto, illuminentur subinde magis magisque vera cognitione Dei, ut hic in Ecclesia incipiat renovatio et restauratio collapsae naturae, regnum coelorum, et iusticia, et vita aeterna: ut tandem in futuro seculo, perfecte laetemur in Deo, laeticia quadam inenarrabili et glorificata, ineffabili torrente omnium bonorum Dei, adeoque perfecta κοινωνίᾳ et communione (quae in hoc tempore super omnem captum est humanarum mentium) divinitatis perfruamur. Sciamus ergo Theologiam non esse eiusmodi quandam cognitiunculam, quae huic mortali vitae tantum ancilletur, cuiuscemodi sunt reliquae artes, quae suam tamen laudem, durante hac vita, habent, sed eiusmodi quandam divinitus proditam sapientiam, ad quam percipiendam, homo initio conditus, propter quam divinae particula aurae (ut Poëta inquit) et illud pectus coelestium rerum capax, illa mens coelo ducens originem, nobis indita est. In quaecunque ergo vitae genera varia tempestas huius vitae coniiciat homines, sive Iuris prudentiae, sive rei Medicae, sive rei militari dent operam, sive in Philosophico ocio, sive Repub. versentur, tamen nisi ea, cum Theologia coniuncta habeant, sciant se a divina et coelesti origine degenerasse. Quantumcunque ergo in tempestuoso mari huius vitae circumerremus, saepe etiam naufragemur, dum hic sollicitudine victus torquetur, hic siti gloriae, tamen in hoc portu acquiescendum est, tamen nisi initium, medium, finis humanarum rerum sit Theologia, iam homines esse desiimus, et vita est non hominis, sed beluarum. Nulla usquam ergo occupatio dignior homine, nulla liberalior, nulla scientia aut cognitio excellentior, quam cognitio vera Dei et religionis. Propter hanc initio Adam conditus est ex gleba et pulvere terrae: propter hanc Eva ipsius Dei creatoris mirifico opere ex costa masculi sculpta et aedificata est in formosam foeminam. Etsi forsan primum auditorem scholasticum, simul et Doctorem Theologiae requirimus, hunc sciamus magnum parentem fuisse Adamum, qui ipsum Deum magistrum habuit, qui ante lapsum perfusus Spiritu sancto, vere illuminatus fuit Theologus, quo viro hic sol nihil aspexit post ipsum Christum praestantius. Si enim Adam non

fuisset lapsus, tunc omnes posteri, et homines ex eo orti, φύσει fuissent Theologi: tum vidisses totum orbem terrarum nihil aliud esse, quam spaciosam quandam ac frequentissimam scholam Theologicam, in ipso paradiso, quasi in horto quodam, aut porticu Philosophica, mirabili amoenitate, passim consedentibus, obambulantibus tot discipulis, quorum συμφιλόσοφοι essent Angeli, quorum dominus et magister esset ipse Deus: vidisses masculum et foeminam in summa castitate, et puritate dulci quadam, et sincera στοργῇ, vera quadam et perfecta suavitate vitae et morum, de Deo et operibus Dei disserere, confabulari: vidisses homines expertes calamitatum, aerumnarum, tristiciae, ignaros funerum et sepulchri, liberos a tot terroribus Diaboli, ab omni tristitia, metu, pavore, et miseria, in perpetuo gaudio Spiritus sancti, admirabundos quotidie de operibus Dei, iucundissimum in modum colloqui. Non fuissent tenebrae hae, tot moestae cogitationes et curae humanarum mentium, quae nunc sunt, sed omnia plena luce, vita, hilaritate, laeticia ineffabili: et eiuscemodi coelestia poëmata ac cantica de Deo et operibus Dei (cuiuscemodi vix summis Patriarchis, Davidi, et similibus canere postea datum est) tum bimuli infantes, et Habel parvulus in cunis, inter ipsa crepundia cecinisset. Nam nisi e coelo generosa illa et nobilis natura hominis, per peccatum originis et horrendum lapsum Adae, cum in corporis, tum animae viribus corrupta esset, et lumen illud humanae mentis hebetatum, tum mira quadam acie mentis et oculorum, motus illos coelestes, solis, lunae, aliorumque siderum ratos immutabilesque cursus tam prope Adam esset intuitus, quam nos currum in terra, aut navim in mari gubernari videmus. Et non solum cognovissent tum primi illi parentes, quod Deus creasset coelum, terram, mare, et omnia quae in eis sunt, sed et mira quadam perspicacia intellexissent, ipsum perpetuo esse praesentem omnibus hominibus simul, et animantibus dare vitam et halitum, atque ita animi et corda eorum iucundissimis affectibus gaudii et ineffabilis laeticiae inarsissent, de Deo, de minimis maximisque operibus Dei, tum quidem tanta certitudo, tam firma πληροφορία de Deo fuisset in mentibus humanis, ut quoties Adam sub aurora orans, aut Eva mane ornans se ad proximi fontis speculum, solem orientem vidisset, summa cum voluptate cogitasset: En iterum nobis sidus illud, quod quasi figulus candelabrum finxit pater et Deus noster. Deinde Cain et Habel parvuli, et adhuc in cunis reptantes, aut alacriter circumvolantes potius, quoties herbam aliquam odoram, quoties violam aut rosam, quoties pomum generosum, botrum aut uvas aspexissent, non sine iucundissimo sensu infinitae et inperscrutabilis bonitatis et sapientiae Dei, cogitassent: haec sunt dona nostri illius Patris, hic odor, hic succus, opera sunt coelestis dextrae: huius botri vel unum pampinum ego non possem fingere. Et tum Adam et Eva coelesti quadam, beata et suavissima conversatione, non aliter atque tenelli filii sub blando parente, in summa fiducia erga Deum, in summa certitudine et dulcedine cordium, illum Deum vivum et verum suum agnovissent conditorem, nutricatorem, parentem, et admodum perspicua cognitione intellexissent, quomodo tot magnifica et praestantia opera, tot excellentes creaturae, mera quotidiana miracula, mera specula essent, in quibus fulgor infinitae bonitatis et potentiae Dei redditur. Nam haec pulcherrima rerum machina in hoc condita est, ut sit aeterna, mirifica et indelebilis pictura, in qua Deus et opera eius cernantur, sicut Paulus ad Rom. 1. dicit. Multa sunt admodum de se signa dantia, et expressa vestigia divinitatis, in hac tota universitate rerum, pulcherrimum hoc et spaciosum, et tot astrorum luminibus distinctum coelum, ingens illa moles terrae, et mirifica eius efficientia, et in omni genere crescentium foecunditas, infinita pene magnitudo maris, et inclusio aquarum eius, ut Psalmus ait, quasi in utre, tot volucres, tot genera animantium et piscium, tot herbae, tot remedia, tanta in succis, odoribus varietas, quos una et eadem terra profert, quae omnia ex uno eodemque subolescunt pulvere, et incomprehensibili ac occultissimo auctu nascuntur. Haec quidem satis magna testimonia sunt, quod hic mundus non casu extiterit, nec ex atomis conflatus sit, ut quidam Philosophi sentiunt, sed aeternam quandam et infinitam esse sapientiam, quae haec omnia mirifice architectata sit, quaeque eodem elegantissimo ordine conservet ac gubernet, ut Paulus quoque in Actis testatur, quod Deus ideo in tota creatura ita vestigia sui, in singulis pene flosculis, singulis pene arborum foliis reliquerit, et sese depinxerit, ut cognoscamus eum non longe abesse ab unoquoque nostrum, et pene in nostro proprio corpore, in pane et vino sic

e terra producto palpabilem esse. Et haec quidem omnia, si peccato natura non vitiata esset, omnes posteri Adam, masculi iuxta ac foeminae, clarissime cognita habuissent, atque ita totum genus humanum ab Oriente usque ad Occidentem fuisset gymnasium quoddam pulcherrimum et frequentissimum scholarium Theologiae: nisi quod discrimen forsan fuisset donorum, sicut stella a stella differt claritate. Verum postquam primi illi parentes nostri decepti *πανουργία* Diaboli, qua non desinit insidiari regno Dei, lapsi sunt, illa divina et excellens natura hominis horribiliter corrupta est, debilitata, et fracta in viribus corporis et animae. Atque illud vitium originis late in omnes posteros Adae propagatum est, ut iam in omnibus mortalibus, antequam inserantur Christo, horribilis sit caecitas, ut neque Deum tam clare cognoscere, neque in ulla creatura Dei praesentiam et divinam operationem ita cernere possint, atque ab eo casu schola Theologica, quae alias per totum fuisset diffusa orbem terrarum, ab Oriente usque ad Occasum, celebratio nominis Domini coacta est in angustum, adeo ut inde ab Adam et Patriarchis, omnibus temporibus vera Ecclesia pusillus grex fuerit. Ante quidem horribilem illum lapsum sic habiturae erant res humanae, quod Deus ipse domestice plane et paterne, sicut Psalmus ait, gubernasset homines, ut tenellos filios tractans. Ibi sincera cognitio Dei, purus cultus, ardentissimus amor verbi et voluntatis Dei, summa et in dies crescens admiratio operum Dei fuisset, ibi dulcissimus affectus erga Deum, purissima Theologia, omnia plena veritate, omnia plena iusticia, summa voluptas, invocare Deum, appellare tantam et coelestem illam maiestatem, Patrem, laudare Deum, rimari, et expendere opera Dei. Verum post lapsum Adae, in illa prima, et aucta etiam, et florenti aetate orbis, prae qua nostri novissimi temporis effoeta senectus, podagra, et senilis tussis est mundi, apud maiorem et potentiorem partem hominum omnia repleta idolatria, errore, et ex illo adflatu Diaboli nihil contemptius, nihil aspernabilius esse coepit vero, sancto et sincero cultu Dei, veraque Theologia. Nam post illud immane et horribile totius generis humani damnum, vera cognitio Dei, et verbi divini, et illa vestigia paradisiaci gymnasii manserunt in paucis. Nam cum Adam post lapsum erigeretur rursus, oraculo vivificae promissionis divinae, de semine illo benedicto Christo transmissum quidem est hoc laetum, et aeternae consolationis verbum, et Evangelium ad posteros. Sed tamen intra parietes in angulis, tantum in familiis Patriarcharum, apud Habel tantum, illud lumen Theologorum, apud Noha parentem alterum generis humani, apud Sem vere magnum, vereque augustum Melchizedeck, quasi margaritum preciosum, custoditum, conservatumque est reliquo toto Cainico et Nimrotico mundo et ante et post diluvium, insaniente rabie infiniti erroris, idolatriae, abominationis, reliqua tota colluvie hominum tumultuante bellis, caedibus, rixis, contentionibus, hominibus inter se flagrantibus viperino plane odio, omni genere acerbitatis et crudelitatis. Sunt ergo reliquae doctrinae omnes, et Philosophia tota, adeoque ipse Decalogus, conscriptio legum et statutorum, medicinae, fomenta, ligamina, et remedia affecti, morbosi et leprosi corporis mundi, et vulnerati generis humani, quibus non opus fuisset in vita hominum, si illius lapsus, et tanti mali haereditaria contagio non corripuisset posteros, aut si post lapsum omnes homines Habelica fide verbum et promissionem Dei audire et retinere potuissent. Verum Theologia illa pura est doctrina, et professio, ad quam integra natura initio condita est, ad quam creati, in cruce precio magno redempti, restaurati, et in aeternum tandem glorificandi sumus. Theologia, inquam, est illa professio, per quam Adam, Habel, Noha, Sem, et similes summi homines sub sole, cum iam totum genus humanum esset potestati Satanae subiectum, aliquatenus in hac etiam vita ex regno mortis eluctati sunt in vitam, et e peccato et tenebris ad originem paradisi et regni coelestis. Proinde cum nulla sit Philosophia excellentior, nulla sapientia sublimior aut praestantior, quam Deum et opera eius cognoscere, omnes homines summo studio adniti, et in hoc incumbere debent, ut quamvis Iuris scientia, Medica arte, et similibus haec vita carere non possit, tamen omnibus his rebus, et hoc toto mundo utantur, quasi non utantur, et totum vitae cursum eo institutum et eo directum habeant, ut per studium verae religionis, exercitium verbi Dei, ad hanc primae creationis et coelestis generositatis redeant originem. Sit sane Theologia, cum aucupio et occasione pecuniarum careat, cum ventos et fumos illos mundanae gloriae non habeat, contemptibilis coram hominibus, at quam ingens et infinitus thesaurus est coram

Deo. Et quamvis verae Theologiae Doctores et discipuli, sive Patriarchas, sive alios sanctos respiciamus, Habelicis perpetuo subiecti sunt periculis (ut Satanae odium nunquam cessat) duris certaminibus, et variis agonibus conflictantes cum diabolo et mundo, et quamvis impii perpetuo teneant titulum Cain, hoc est, possessoris, quod regna possideant, quaerant opes, fruantur voluptatibus, habeant ingentem gloriam, et quidem praetextu iusticiae persequantur Ecclesiam, ut Cain in fratrem Habel saeviebat: tamen omnes honesti et pii homines, praecipue adolescentes, cuiuscunque sint ordinis, quodcunque tandem ingrediantur studiorum iter, sive bonarum artium, sive iuris prudentiae, hunc honorem debent habere Deo, ut sacris literis et Theologiae studiosis (sine qua ad finem, in quem creatus est homo, perveniri non potest) honorem summum habeant. Et nos, quibus mandatur provincia docendi Evangelii, tametsi vocationis, et rei tantae magnitudo merito nos sollicitos detinet, ut in timore Dei res tantas administremus, tamen gratias ex corde Patri coelesti agere debemus, quod relictis in sua caecitate tot Epicureis, tot acerbis hostibus Evangelii et religionis, tot hypocritis, et Pharisaeis superbis, tot admiratoribus obstinatis huius seculi, nobis infirmis et indignis Evangelii lucem, et aliquas tamen scintillas spiritus Christi dederit, has primitias, hunc arrabonem coelestium bonorum et aeternae vitae, omnibus opibus, omnibus mundi regnis pluris aestimemus. Habeant sibi suam praeclaram beatitudinem, et illa gaudia, qui sine Deo, sine religione, carnalium cupiditatum rabie incitati, anhelant toti ad commoda et voluptates huius mundi, et prae illis totam Theologiam, totumque Evangelium non unius assis faciunt, non cassa nuce emptum sibi velint. Quicquid sit, vel experientia ipsius mundi testatur, illos versari in incerto et lubrico, ut Christus ait: Quid prodest tandem, si unus homuncio potiatur rerum, terra marique potens sit, totumque denique mundum unus habeat, si animae iacturam faciat? Ego vero hic hortor omnes pios animos, potissimum adolescentes, propter quos maxime hae pompae in gymnasiis, ad commendandam dignitatem literarum et religionis adornantur, ut inde ab ineunte aetate assuefaciant se ad reverentiam et amorem religionis, utque de hac sanctissima professione (etsi Theologi homines sint) magnifice sentiant et loquantur. Nam et secundum praeceptum Decalogi hoc postulat, ut nomen Dei ab omni creatura maximi pendatur, et adoretur: has vero prophanas voces, tanquam venenata spicula Satanae fugiant, quibus Theologiae, aut Theologorum nomen ironiis acerbis exagitatur, quae animos teneros efferare, et contemptu religionis in omnem reliquam aetatem imbuere, et veneno satanico incautos, ut non facile eluatur postea, inficere solent. Satis enim negocii habent, satisque certaminis hi qui suspiriis et oratione indesinenti contendunt, ut in amore religionis maneant, tantum abest, ut non sit periculum, si quis more Cynico in risum iocumque vertat res tantas, in quarum digna admiratione vix magnis certaminibus se retinent, imo a Deo retinentur, qui vere sunt sancti, vereque pii. Dixi.

No. 6. an. 1523.

Encomium eloquentiae.

Separatim prodiit, ut dictum est in Epp. Vol. I. p. 644 sq., ubi dedimus epistolam nuncupatoriam ad Sim. Grynaeum. Recusa apud Crat. Myl. p. 102., in Declamat. T. I. p. 407., in Servest. I. p. 334., apud Richard. I. p. 252.

Necessarias esse ad omne studiorum genus artes dicendi, Phil. Mel. Declamatio. (Sive: ***Encomium eloquentiae.***)

Quemadmodum Hesiodo dolet, nescire mortales, quantum et Malva et Albucum adferre commodi rebus humanis queant, tametsi viles herbae, ita nos quoque non nunc primum querimur ignorare adulescentes, quantum momenti habeant ad solidam eruditionem parandum dicendi artes, quae in speciem nihil profitentur eiusmodi, cui vulgus adplaudat, caeterum utilitate facile res humanas omnes vicerint. Neque enim usquam quidquam est in tota rerum universitate, unde ad mortales ampliora commoda, quam ex hoc artium genere redeant. Sed cum earum precium inventus ignoret, fit, ut plerisque sordeant, minimeque dignae iudicentur, quibus discendis operam navent. Praeclarum est Philosophum dici: magnificum, Iurisconsultum audire: theologico nomine, nihil hoc tempore ad vulgus plausibilius est: dicendi artium, tanquam Megarensium, nulla ratio habetur. Propterea visum est hoc loco ostendere, quae res maxime nobis earum studium commen-

dare debeant. Atque hic mihi vel Pericleam vim optarim, dum stultam iuventutem in viam revocare contendo, quae elegantiorem literaturam partim errore contemnit, quod ad reliquas disciplinas comparandas inutilem esse censet, partim inertia fugit. Est enim et literarum, perinde atque aliarum bonarum rerum ea natura, ut sine summo labore nemini contingant. Notum enim illud est, difficilia esse, quae pulchra sunt. Quanquam qui rationem subduxerit, quantulo negocio, quantum lucri faciat, qui commodorum magnitudinem ob oculos posuerit, hunc nullae res quantumvis durae, ab harum artium studio deterruerint, quas, nisi cognoris, ne dici quidem potest, quam infoeliciter reliquas disciplinas tractaturus sis. Proinde aequis animis audite, quae me rationes adduxerint, cur elegantiorem literaturam rebus humanis plane necessariam esse iudicem. Primum, nemo tam vecors est, qui non videat nobis certa quadam loquendi ratione opus esse, qua dilucide explicemus animorum nostrorum sensa, quacunque de re vel publice vel privatim agendum est. Fortasse ridiculum fuerit hic disputare, quam necessarius homini sermo sit. Nam qui literas contemnunt, neutiquam videri volunt homini sermonem adimere, sed orationis cultum adspernantur. Proinde quantum referat, certam loquendi rationem teneri, paucis indicabimus. Nam qui recte rem aestimare volet, is intelliget, non ita multum interesse, mutus sis plane, an artem ad dicendum non adhibeas. Neque enim fieri potest, ut quae sentis, sic exponas ut intelligi queant, nisi arte loquendi facultatem et pares et confirmes. Usu enim compererunt prudentes viri, nihil esse difficilius, quam dilucide ac perspicue de re quapiam dicere. Primum enim nisi vim pondusque verborum dicendo tueare, orationem tuam qui adsequetur auditor? Nam cum usu, velut nummi, vocabula probentur, receptis utendum est, quae, quia eloquentes homines, quasi per manus posteris tradidere, obscuritate vacant. Superiore seculo, cum sua quisque verba cuderet, et peregrina Latinis miscerentur, eiusmodi conflata est oratio, quae ne ab illius quidem aetatis hominibus intelligi potuit. Tantum abest, ut posteritas adsequatur. Quis enim Scotum, aut huius farinae alium scriptorem hoc tempore intelligat? Deinde vix exercitatissimi praestiterint, necubi structuram orationis ac phrasin violent: quae si vitiata fuerit, necesse est orationem obscuriorem reddi. At hic quam multa efferunt improprie etiam eruditi? Quoties absurdis ac ineptis metaphoris sermonem obscurant? Quis enim Apuleium, et huius simias ferat? Sed recte Apuleius, qui cum asinum repraesentaret, rudere quam loqui maluit. Postremo, ut verba phrasinque satis noris, difficilimum tamen est, suo quaeque loco distribuere, alia deprimere, alia attollere, quaedam breviter adstringere, alias evagari liberius, quaedam dissimulare ac tegere, alia promere, ut tanquam inter umbras lumina extent ac emineant. Est enim eloquentia omnino amplius quiddam, quam tumultuaria verborum congeries. Verum video errore labi iuventutem, quae cum nesciat eloquentiae cum vim tum naturam, non arbitratur precium aliquod operae fore, cur eam sibi maiore studio contentioneque paret, et laudari a nobis professorculis putat vulgari more, quemadmodum sua ungenta solent Pharmacopolae: nec optimorum prudentissimorumque hominum authoritate commonetur, qui ad illius studium una voce adulescentes et communi classico invitant. Miseram hominum conditionem, quando, ut quaeque res optima est, ita longissime a conspectu nostro recessit, minimeque agnoscitur. Nec dubitarim ego, quin si oculis cerni posset eloquentiae dignitas, mirabiles, ut ille ait, amores sui excitaret. Sed cum casu iuventus, non ratione vivat, temerario quodam impetu ad ea delabitur, quae vulgo maxime celebrantur. Quare si quis est non imprudens rerum aestimator, is apud se expendat, primum nihil esse, cuius usus latius pateat, quam sermonis commoda. Omnis hominum societas, ratio vitae instituendae publice ac privatim, conquirendorumque omnium quibus vitam tuemur, denique commercia omnia sermone continentur. Deinde persuadeat sibi neminem adposite ac dilucide de ulla re dicturum esse, nisi qui arte quadam, imitationeque optimorum et magna cura orationem ea lingua qua publice utimur, formarit. Quod ubi animadverterit, haud dubie nihil prius, nihil antiquius habebit discendis loquendi artibus. Sive enim consilio alii iuvandi sunt, sive docendi, sive tuendum est dogma aliquod, sive de iure, aequo ac bono disserendum est, nihilo plus efficias, quam in scenis mutae personae solent, nisi arte elaboratam orationem attuleris, quae res obscuras tanquam in lumine collocet. Non ignoro esse, qui elegantiam a recte loquendi ratione separant, nec referre putant, modo rem indicent, qualicunque

oratione utantur. Qui si rem propius inspexissent, neutiquam adsciticium et supervacaneum ab eloquentiae professoribus fucum requiri indicarent. Ipsa orationis puritas, nativaque facies elegantia est, quam nisi tueare, non modo non venuste aut inquinate, sed improprie, obscure, ac inepte dixeris. Et quemadmodum in fingendis corporibus ea demum elegantia est, ubi iusta proportione membra omnia inter se consentiunt, si quid secus facias, monstrosum erit, ita cum germanam orationis speciem nova compositione deformaveris, monstrosam plane ac ineptam facies. Picus in epistola qua barbaris Philosophiae scriptoribus patrocinatur, ludens, credo in ἀδόξῳ argumento, et elegantiam a recte dicendi ratione separat, et explicari res qualicunque oratione posse censet. Huic equidem nihil succenseo, qui barbariem non magis ex animi sententia tuetur, quam febrim Favorinus laudabat. Hoc miror, esse quibus tam frivolae argutiae serio persuaserint, nihil referre, quomodo loquamur. An vero recte corpus imitabitur pictor, si nulla ratione penicillum regat, si temere feratur manus, nec ducantur arte lineae? Ad eum modum nec animi tui sententiam aliis ob oculos posueris, ni propriis et illustribus verbis apta vocum compositione, iusto sententiarum ordine utare. Nam perinde atque corpora coloribus, animi sententiam oratione repraesentamus. Quare necesse est dicendo certam aliquam imaginem arte concipi, quae discernat inter se tanquam vultus sententiarum. Flagitium est, si quis viae ignaro deviam semitam monstret: at qui recte dicendi cura vacant, quoties lectorem a via abducunt? quoties unius verbi abusu ludificantur? Non semel imposuere in Philosophia, in sacris literis soloecismi nostris interpretibus. Quis enim omnium Pauli sententiam in Corinthiis adsecutus est, ubi Grilli isti elegantiae contemptores, verterunt: Ex multis facierum personis etc. Quae Augustinum tempestas aufert, quo minus propositum teneat, in enarrando eo quod est apud Ioannem τὴν ἀρχὴν ὅ καὶ λαλῶ ὑμῖν? Hoc genus extant innumera passim, ubi mediocriter etiam eruditos barbarismi fefellerunt. Adeo non quovis orationis genere lectori satisfeceris, sed cura studioque paranda facultas est, qua animi tui sententiam perspicue aliorum oculis subiicere possis, omniaque commode quae res poscit, eloqui: id est enim eleganter dicere. Quin igitur helleborum propinamus iis, qui venustatem orationis fastidiunt, adeo a communi hominum sensu alienis, ut ne quidem, quid loqui sit, intelligant. Peperit elegantiam necessitas, quod et barbara omnia incerta sunt, et quae oratoriis ornamentis illustrata sunt, clarius percipiuntur. Nam in hunc usum adhiberi schemata Fabius scripsit, neque unquam veram speciem ab utilitate recte dividi sentit. In sacris libris, ut interim prophanos omittam, quid quaeso desideras rhetoricorum schematum? At his opinor non usuri erant Prophetae, si nihil ad rem facere indicassent. Videtis qua ratione vobis eloquentiae studia commendem, quod nec exponere, quae volumus ipsi, nec quae a maioribus recte scripta extant, intelligere possimus, nisi certam dicendi normam perdidicerimus. Equidem non video quomodo aliis hominum vice futuri sint, qui nec quae sentiunt, explicare, nec quod recte dicitur, adsequi queunt. Quare ut nulla sit eloquentiae dignitas, nulla gratia, tamen ea vis est, ut non igni, non aere, ut aiunt, non aqua pluribus in locis utamur. Quomodo enim consistant res humanae, si legum sacrarum et prophanarum patrocinium eloquentia deserat, si nec publicis, nec privatis consiliis oratio quae intelligi possit, adhibeatur, si res gestae nullis literis ad posteros transmitti queant? Ecquod vestigium humanitatis in tali Republica reliquum fuerit? Porro ab hac quantulum distabat aetas superior? quum sacrorum librorum sermonem prope nemo iam intelligeret, quotidieque stultorum Sophistarum arbitrio fingerentur, ac refingerentur sacrae leges. Res gestae illorum temporum aeternis obrutae tenebris iacent, nemo enim erat, qui eis literarum lumen adhibere posset. Disciplinae omnes dicendi genere sic obscuratae sunt, ut ne Doctores quidem ipsi, quid profiterentur satis compertum haberent. Digladiabantur inter se de figuris sermonis Philosophi, tanquam in tenebris Andabatae, nec quisquam a domesticis suis plane intelligebatur. Recte ille ἀνάχαρσιν παρ' ἀθηναίοις σολοικίζειν, ἀθηναίους δὲ παρὰ σκύθαις. At isti domi suae ἐσολοίκιζον, suamque singuli dialecton mira libertate comminiscebantur. Iures eis voluptati fuisse, non aliter atque Heraclito illi, caeteris mortalibus tenebras offundere. Iam cum minime obscurum sit, quanti nobis eloquentiae contemptus constiterit, cur barbariem non abominamur tanquam nocentissimam pestem? cur non magno consensu e scholis exibilamus? cur ipsi nobis tantisper invidemus eloquentiam, qua nihil melius, nihil amplius in

terris hic sol vidit? Hactenus docuimus, quae cogat necessitas certam dicendi rationem sectari ac tueri, quae si quem parum movet, ei vero multo iustius asini auriculas Dii addiderint, quam Midae. Accedit huc non contemnendus studiorum eloquentiae fructus, quod earum artium usu, quibus eloquentia continetur, excitantur, erudiunturque ingenia, ut res humanas omnes prudentius dispiciant, neque propius umbra corpus adsectatur, quam eloquentiam comitatur prudentia. De rebus humanis adhuc loquor, de sacris postea. Videbant inter se maiores nostri haec duo: bene dicendi scientiam, et animi iudicium natura cohaerere: quare et non inepti quidam orationem esse dixerunt, explicatam animi rationem. Et Homerus Poëta iisdem eloquentiam ac prudentiam tribuit. Mitto iam alios, Ulyssi, cuius orationem hybernis nivibus comparat, utrunque uno versiculo adscribit, cum inquit:

σοὶ δ' ἔπι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Nec tempero mihi, quo minus recenseam et Latine ab erudito quodam expressum:

Mente vales, iuncta est facundis gratia dictis.

O divinam sententiam, multoque digniorem, quae iuvenilibus pectoribus solicite inseratur, quam delphica aliquot scita. Quid enim spectabat aliud optimus senex, quam sic inter se copulatas esse prudentiam ac eloquentiam, ut divelli nulla ratione possint. Atque utinam sibi omnes adulescentes hunc versiculum propositum putent, quorsum tanquam ad scopum omnia studia sua, rationesque dirigant, sentiantque sibi omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in his artibus parandis figendam esse: quarum Homerus haud dubie ob eam causam mentionem fecit, quod videri omnium rerum humanarum, ut sunt, et pulcherrimas et maxime utiles voluit. Quid in consilio fuisse censetis veteribus Latinis, cur dicendi artes humanitatem adpellarint? Iudicabant illi nimirum harum disciplinarum studio non linguam tantum expoliri, sed et feritatem, barbariemque ingeniorum corrigi. Nam cultu perinde ac plerique sylvestrem indolem exuunt, mansuescunt ingenia, cicuranturque.

Duae sunt autem causae, cur recte dicendi studio animi iudicium acuatur. Prior est, quod qui iis artibus operam dant, ad eiusmodi scriptorum exempla se comparent, necesse est, qui in maximis rebus gerendis ac tractandis versati, summam prudentiam usu consecuti sunt, quorum commercio fit, ut nonnihil iudicii contrahant lectores, et tanquam qui in sole ambulant, colorentur. Solet enim iuvenilibus ingeniis exemplar aliquod recte dicendi, sentiendique proponi, unde et verborum vim, et orationis structuram, et explicandi figuras discant. Nam et dicendi rationem, perinde ac caeteras artes imitatio adiuvat. Neque enim verisimile est pingendi arti tantum ab Apelle venustatis, gratiaeque adiici potuisse, nisi fingendorum lineamentorum rationem multo ante ostendissent ii, qui primum *μονοχρώματα,* deinde *κατάγραφα* pinxerunt. Sic et ex optimis scriptoribus concipienda est certa quaedam et dicendi et iudicandi ratio *καὶ ἰδέα,* quam sequaris, quacunque de re disserendum fuerit. Proinde qui disertos scriptores in manibus habent, secum expendant, quid in quovis potissimum mirari, laudare, imitarique deceat. Primi omnium sunt, ad quos cognoscendos invitatur iuventus, Poëtae ac Historici: quos qui voluptatis tantum causa, perinde atque in conviviis citharistrias, accersunt, nae illi summorum hominum aestimationem graviter laedunt. Nam et prodesse illi voluere, et bonas mentes optima potissimum delectant. Est ita ab illis et dicendi forma petenda, et observandum quid de communibus rebus fere iudicaverint. Saepe ridere soleo Graecorum Grammaticorum vulgus, qui ad Physiologiam totum Homeri carmen referunt, mireque sibi placent, cum nova metamorphosi belli nugatores ex Iove aethera, ex Iunone aerem faciunt, quae ne per febrim quidem, unquam somniaturus erat Homerus. Quanto satius fuerat ea ostendi, quae ille lectoribus proprie admirationi esse voluit? proprietatem ac lucem in explicando, carminis *οἰκονομίαν,* cum varia consilia, varios casus miro ordine recenset, cum aptas occasiones novis eventibus accommodat, quanta decori servandi cura, quanta sit item verborum ac figurarum copia, varietasque iis locis, in quibus detineri lectorem volebat. Vides quam minime frigida sit aut ieiuna seditionis descriptio, in secundo Iliados. Nam et motus eius occasionem, et ipsum vulgi furorem, seditiosas quorundam conciones, qui multitudini frigidam, quod aiunt, suffundebant, et Thersitae mores, morumque argumentum, formam, duas item gravissimas eorum orationes, qui multitudinis animos sedabant, in quibus vehementior est Ulyssea, lenior Nestorea. Bone Deus, quam perspicue, quam graviter tractat:

nec recte dicendi archetypum facile usquam reperias hoc loco absolutiorem, cuius elegantiam virtutesque omnes is demum propius cernet, qui imitari et exprimere stylo conabitur. Cave enim putes Homerum temere a M. Cicerone plane Oratorem vocari, aut inconsulte scripsisse Fabium, excellere hunc Poëtam oratoriis omnibus virtutibus. Iam quae scena res humanas verius repraesentavit, quam Homeri carmen, ut fieri nequeat, quin obiter et rerum admiratione tangamur, quum dictionem consideramus. Offerunt sese ultro spectanda morum exempla, Principum vulgique adfectus, varia rerum gestarum consilia: quibus nisi erudiri animos Arcesilaus sensisset, nunquam amasium suum Homerum vocasset. Mihi quidem omnium quae hominum ingenia peperere, nullum prudentius Homerico scriptum extare videtur. Nec dubitarim adfirmare, quod Horatius censuit, Homerum, quid rectum, quid utile sit, melius Chrysippo et Crantore docere. Quaeso qui potuit Regum temeritas festivius notari, quam cum fingit somnio commotum Agamemnonem, universum exercitum Graecum in discrimen adducere? Constat enim quam ob frivolas causas nonnunquam omnia misceant Principes. Quid in Achillis clypeo? nonne rerum elementa, et clarissima sidera, praeterea horum positus etiam ac meatus graphice descripsit, unde postea et Philosophi dimetiendi coeli rationem accepere? Nam et eodem loco circumagi Arcton inquit, nec unquam occidere, et e regione illi oppositum esse Oriona: qua sententia bonam Astronomiae partem complexus est. Quid, quod ibidem et pacis commoda et belli aerumnas inter se confert, cum duas urbes, alteram pace florentem, alteram bello vastatam depingit? quo magis invisum, opinor, bellum rem perniciosissimam, optimo cuique faceret. In pacata urbe nuptiis locus est, exercentur iudicia, aguntur causae, admirationi sunt Oratores. In altera iugulantur liberi, silent leges, mutum est forum, postremo miseranda est omnium civilium rerum vastitas. Quid cedo potuit hoc commento excogitari prudentius? Neque enim plures Homeri locos hic attingere visum est. Tantum hos indicavi, ut studiosis adulescentibus fidem facerem, bonorum scriptorum cognitione non os tantum ac linguam, sed pectus etiam formari. Id opinor in consilio quondam Graecis fuit, cur Homerum familiariss. notum esse suis hominibus voluerint. Solon enim et Pisistratus lege constituerunt, ut illius carmen ordine digereretur. Nam aureo illo seculo adhuc suarum partium Principes esse sentiebant, praestare, ne quod utile scriptum intercideret. Nunc regium nihil est, nisi idem sit *ἄμουσον*. Mox institutum est, ut a Rhapsodis seu Homeristis, publice in theatris decantaretur Homericum poëma, ut divino carmine iuvenum aures adsiduo personarent, essetque semper in promptu recte dicendi, iudicandique regula. Foelicissime cum Homero certavit ex Latinis Vergilius, planeque par, nisi fallor, utrique laus, sive dictionem spectes, sive sententiarum gravitatem, debetur. Quid Tragici, quam multis exemplis tyrannorum mores et fata proposuere? Quid comoedia, nisi privatae vitae speculum? In universum quid praestare studiosis poëtica possit, indicavit Fabius. Ego figurarum copiam praecipue nostrae orationi suppeditare video, varietateque rerum animos tum erudire, tum delectare.

Historia iudicium formari, dicendique facultatem augeri Demosthenes censuit, cum Thucydidem adeo familiarem sibi fecit, ut octies etiam descripserit. Amavit et Xenophontem Cicero. Et cum universa historia *πολιτεία* quaedam sit, varias constituendarum rerum publicarum formas adumbrat. Nam ut hic nihil aliud dicam, quid admirabilius est *τῶν πολιτειῶν* collatione apud Herodotum, ubi Persarum Satrapae alii *δημαρχίαν*, alii *ὀλιγαρχίαν*, alii *μοναρχίαν* probant? Quo loco vides gravissimum scriptorem morbos omnes, vitiaque civitatum, velut in tabula depinxisse. Verum nemo tam imprudens est, qui non hoc consilio animadverterit conscriptas esse historias, ut omnium humanorum officiorum exempla tanquam in illustri posita loco cernerentur. Quae si nihil ad erudiendos excitandosque mortalium animos conducunt, quid fuit, cur Scipio senserit se clarorum virorum imagines intuentem, ad virtutem accendi? Oratores cum Respublicas administrarint, et in iudiciis versati, de iure, aequo ac bono tam multa disseruerint, consentaneum est, pleraque utiliter monere. Quis enim Philosophiae moralis locus est, quem non attigerint Demosthenes ac Cicero? Optimam *πολιτείαν*, nemo Philosophorum sic *ἐζωγράφησε*, ac illi in actionibus suis, cum in improbos ac seditiosos cives, tanquam ferrum, stylum stringunt, cum adversus hostilem vim Respublicas consilio muniunt. Quid de pace popularius veriusque excogitari potuit, quam quod in ea oratione qua legem agrariam dissuadet, Ci-

cero dixit? Quid civilius ea legum praedicatione, quam ex Demosthenica oratione *κατὰ ἀριστογείτονος* Iurisconsulti in suos commentarios transtulere? Sed quorsum attinet hic prolixius scriptorum *ἐγκώμιον* texere? Quin ipsi periculum facite, quid ex classicis quisque praestet, quanta perspicuitate gratiaque omnia explicet, quam prudenter omnia colligat, quae ad institutum pertinent. Nisi enim ad horum imitationem te componas, prorsus desperanda est recte dicendi iudicandique facultas. Superest, ut iudicemus et alteram causam, cur eloquentiae studiis iudicium acui statuerimus. Id vero fit, quod bene dicendi cura per sese vegetiorem animum reddit, ut quid in quaque re maxime conveniat, aut prosit, rectius perspiciat. Nam ut corporum robur exercitio confirmari videmus, ita fieri nequit, quin hebescant eorum animi, qui nullo ingenioso labore excitantur. Nemini dubium est, quin multum conducat bonorum scriptorum lectio: Verum nisi ad illam scribendi dicendique consuetudo accesserit, neque perspicere satis acute poteris illorum sententias ac virtutes, neque animo certam iudicandi commentandique regulam concipere. Propterea ad comparandam tum loquendi, tum iudicandi facultatem, nihil perinde necessarium est, atque styli exercitium. Quid enim aliud volebat Afranius, cum fingeret usu patre sapientiam prognatam esse, quam assiduo dicendi commentandique studio animum expergefieri ac erudiri? Reliquit in eam sententiam, dignam memoriam posteritatis vocem Anaxagoras, *τὴν χεῖρα, σοφίας αἰτίαν εἶναι,* quod videbat artes omnes usu comparari, ocioque ingenia fere sterilescere. Nam ut mechanicas artes experiundo discimus, neque quisquam tam demens est, qui se mox Apellen fore confidat, ubi penicillum primum in manus acceperit, ita multo usu assuefacienda mens est, ut sese acrius in omnia intendat. Itaque tantum stylo tribuit Marcus Cicero, ut optimum et praestantissimum dicendi effectorem ac magistrum esse scripserit, solitusque sit per ocium, alias e Graecis Latina facere, alias nova cudere, alias declamare, qua industria et ingenii vim ac vigorem tuebatur et locupletabat facundiam. Sic enim de se ipse in Bruto, ne quid temere comminisci videar: nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime stylo, nostrum illud quod erat, augere quantumcunque erat. Demosthenes aliquandiu meditandae orationis causa se in specum quendam abdidit, feruntque pertinacissime fraudato genio lucubrare solitum. Estque Plutarchus author, lucernis noctu usum esse adsiduis, donec quinquagesimum annum attigit. Didicerunt enim usu prudentissimi homines, quam non vulgaris artificis sit, dilucide apteque dicere. At ex nostris iuvenibus quotusquisque vel perpetuo decennio unum aliquem versiculum scribere instituit? Plerique compendiariam viam ad consequendam eruditionem esse censent, si quam plurima audierint aut legerint. Itaque alii totos dies sursum ac deorsum currunt, scholas omnes perreptant, praeceptores passim audiunt, miranturque non intellectos, dictata excipiunt, uncialibus literis elenchos commentariorum notant, minio illustrant. In precio sunt interpretes, qui quam plurima dictando tempus extrahunt, nec quisquam semisse praeceptorem emerit, qui ab hac consuetudine vel transversum unguem discesserit. Rursum alii domo nusquam pedem proferunt, librisque se tanquam pistrino cuidam addicunt, chartas volvunt ac revolvunt, beatos se putant, ubi quotidie magnum numerum chartarum percurrerint. An non utrique miseri videntur, cum tanto labore, tantaque valetudinis iactura desipere tantum discant. Primum enim nisi stylo excitetur animus, per sese hebescit: deinde cum immodica se vel auscultatione, vel lectione obruunt, ingeniorum aciem, si qua contigit, obtundunt. Iam et iudicii inopia fit, ut fere pessima quaeque cupidissime audiant ac legant, ne non multa pervagentur. Quos si quis ceu domum revocatos interroget, quid hac discendi ratione sequantur, quis finis, quae meta animo proposita sit, intelliget non aliter ac mente captos, quid agant nescire. Nec enim vel sententias, vel sermonem scriptorum observant, cum imitandi cura vacent. Tantum oculis auribusque negocium faciunt, animus interim Epimenideum quendam somnum dormit: et cum nullum certum exemplar exprimere studeant, fit, ut et dicendi et iudicandi ratio depravetur. Gratulatur sibi Demosthenes apud Athenienses dicturus, quod ipsi per sese quae optima sint cernant. At nos styli exercitium praedicamus his, qui nunquam periculum rei fecerunt, nec commodorum, quae secum haec exercitatio adfert, vim amplitudinemque vel per transennam viderunt, quo magis metuo, ne parum fidei habeat oratio nostra, cum stylo tantum tribuimus. Verum si quis est non plane iniquus Musis, is apud se expendat,

quae veteribus docendi, discendique ratio fuerit, qua disciplinae omnes non tantum illustratae, sed etiam auctae sunt. Pauci in ludis literariis authores, sed hi optimi proponebantur, quos imitaretur iuventus. Et quemadmodum de re rustica praeceptum est, ne maior fundus sit, quam qui coli probe possit, ait enim Vergilius:

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Sic illi cum viderent nec perdisci, nec exprimi posse multos foeliciter, turbaque scriptorum confundi potius, quam erudiri iuvenilia ingenia, pauciores admittebant, quos sibi studiosi quam familiarissimos facerent. Declamabatur item adsidue, scribebant alii versus, alii solutam orationem. Et quia inter se bene dicendi studio certabant, cura solicitudoque iudicium acuebat. Quo instituto, cum nullum iucundius erat spectaculum, tum nihil privatim aut publice utilius fieri potuit. Nam ex huiusmodi ludis prodiere clarissimi superioribus seculis homines, Graeci ac Latini, plerique etiam Christiani: quos si imitari studerent nostri, bone Deus, quanto res humanae magis florerent, et sacrae literae foelicius tractarentur. Porro cum veteres tantum operae in exercendo stylo posuerint, cum nec eruditio, nec eloquentia mediocris citra hoc studium parari queat, cum intelligi non possint, quae ab aliis prudenter scripta sunt, nisi ipsi styli usu ingenia excitemus: sinite quaeso a vobis impetrari, ut stylo nonnunquam vestras vires experiamini. Rem postulo non perinde difficilem, atque salutarem, neque enim aliunde studiis vestris amplior accessio fiet. Cudes autem et versiculos et solutam orationem: video enim putidiuscule dicere, quotquot poëticen non attigerunt, planeque humi repere, nec verborum pondus, aut ullam figurarum vim tenere. Iam cum asperas confragosasque compositiones multo sit facilimum in versibus deprehendere, fit, ut qui carmen condunt, de solutae orationis numeris rectius iudicent. Et haud scio an de literis omnibus actum sit, ubi poëtice fastidiri coeperit. Fit enim ut ornatus splendorque verborum nullo in precio sit, minore cura scribatur, oscitantius legantur omnia, rerum inquirendarum studium frigeat. Quare et Romanis temporibus poëticae contemptum incredibilis inscitia rerum omnium, infantiaque secuta est. Et nuper adeo cum nostri homines versiculos facere coepissent, cum literis melioribus in gratiam rediere. Nec video ego conservari posse quicquid illud est elegantiae, quod hoc seculo refloruit, nisi exercendo stylo carmen iuventus meditetur. Sensit et M. Cicero facundiam versibus scribendis ali, eamque ob causam et saepe scripsisse carmen, et Poëtarum perstudiosum fuisse constat. Vidit posteritas pleraque eius epigrammata, extantque hodie loci aliquot illustrium Poëtarum ab ipso latinis versibus luculentissime expositi. Plinius Orator editis etiam poëmatis testatur hoc studio, dicendi vim adiuvari. Proinde qui discendo bonas horas bene collocare volent, veterum exemplum imitentur, styloque, ut Quintilianus ait, fideli et facundiam parent, et iudicium acuant. Vehementer enim falluntur, si quid sine hac exercitatione promoturos se in literis sperant. Mare vitem citius ferat, quam eruditionem, aut dicendi facultatem consequatur is, qui tanquam Mandragora sopitus, nunquam incalescit ut ingenium commentando expergefaciat. Exposui quae me rationes ad artium dicendi studium invitent, nempe, quod et certa dicendi ratio observanda sit, et harum artium usu studiosis nonnihil iudicii accedat. Quae si quis ad se nihil pertinere sentit, is haud dubie ab omni humanitate longissime abest. Contra boni, ubi commodorum vim, quae ad nos a sermone redeunt, contemplati fuerint, animadverterintque et certa ratione dicendi opus esse, et his artibus ingenia cultiora reddi, velis, ut aiunt, ac remis ad haec studia properabunt. Verum sunt non parum multi praesertim hoc tempore, qui bonorum cursum morantur, hi ad Theologicarum literarum tractationem negant dicendi artium scientiam conducere: coepitque hic error, ceu contagione quadam late vagatus, plurimos, qui ne non valde theologicari videantur, humaniores disciplinas omnes contemnunt. Ego vero serio illos theologicari optarim, eaque praestare, quae Christianam mentem decent. Nunc video theologicum nomen ignaviae tantum praetexi, caeterum nihil minus esse, quam quod profitentur. Nam dum piget elegantiam discere, seque difficilimis scriptoribus evolvendis, exercendoque stylo macerare, neque enim ullarum literarum cognitio sine acri studio contingit, si quando domum bene poti redière, concinnculam aliquam legunt, inde ubi decerpserint, quae ad stomachum faciunt, passim in conviviis, nam ibi potissimum sapiunt, declamant: et quia vulgus adplaudit, iam vero sibi tan-

tum non absolute *) Theologi videntur, cum de gravissimis rebus obscoeni homines, impuro ore, nulla religione disputent. Et cum vetet Paulus καπηλεύειν λόγον θεοῦ, nemo impudentius cauponatur verbum Dei, quam hi, qui cum nec moribus, nec eruditione bonis se probare possint, vulgi favorem, impia sacrarum literarum tractatione emerentur. Quid multa? videas eos adspernari literas nostras, quibus res bonae honestaeque omnes, quibus pietas, quibus mores publici, imo quibus Christus ipse fabula est. In quos, si bene constitutam haberemus Rempublicam, non nos oratione, sed vi Magistratus animadverteret. Quam enim crucem non merentur hi, qui ut praeterea nihil peccent, exemplo suo iuventutem a literis avocant? Quae nisi discantur, posteritatem sumus habituri nihilo saniorem superioribus seculis, cum literarum imperitia res omnes humanas ac divinas labefactasset. Quin igitur sic cogitamus, olim cum gravissime succenseret Ecclesiae Deus, ereptas esse literas, secuta est et sacrarum inscitia. Nam cum nostris verbis loqui Deus voluerit, de sermone divino inepte iudicaverint imperiti artium dicendi. Porro quae illis temporibus caecitas mentes hominum tenebat? Christum quotusquisque norat? Imo chartae iam obsoleverant, quibus continebantur sacra. Articulos Parisii condebant, quos interim mundus, tanquam divinas leges adorabat: pium nihil erat, nisi quod illi somniassent. Et belli homines, cum literas nullas tenerent unde sapere discerent, fatuam illam sophisticen pepererunt, coeperuntque rixari de commenticiis verborum compositionibus, ne non rhetoricarentur, quid intersit inter haec, Papam vidi, et vidi Papam. Extatque hodie articulus Parisiensis, Ego currit, male Latine dici, haereticum esse, quisquis dissenserit. Satin' videntur ultae contumeliam literae neglectae? Quis enim credat cerebrum fuisse talium nugarum auctoribus? Haec vero calamitas magna ex parte literarum inscitiae imputanda est, non enim patebant sacra, tanquam interclusa virgultis ac frondibus, unde mentis recte erudiendae ratio peteretur, negligebantur et diserti scriptores, qui monerent humana. Quanto tolerabilius fuerat pestilitate aut annonae caritate plecti Ecclesiam, quam tanta amentia? Planeque mihi persuadeo, certum esse divinae irae exemplum, si quando mundo literae eripiuntur. Nam reliquis poenis pii quoque non raro mulctantur. At literarum inscitiam publica comitatur impietas. Nuper vero cum respicere afflictos iterum coepisset optimus Pater, essetque redditurus nobis Evangelium, pro sua liberalitate et literas restituit, quibus Evangelii tractatio adiuvaretur. Nec magis novum videri debet donum linguarum Apostolis collatum, quam quod hae a tanto squalore receptae, ex tenebris plus quam tartareis in lucem revocatae sunt. Nec in obscuro est, bonis quibusdam viris auxilio fuisse literarum scientiam, in Theologia restituenda. Primum itaque ingratitudo fuerit, coeleste donum adspernari, deinde cum beneficio literarum restituta sint sacra, impii simus, si nullam harum rationem habeamus, sine quibus stare res theologica non potest. Et ut paucis exponam, quid iudicem ad sacrarum literarum tractationem conferre linguarum scientiam, non sum in eo errore, ut humani ingenii industria sacra penetrari statuam. Sunt in sacris, quae nisi monstrante Deo nemo unquam cernat: nec innotescit nobis Christus, nisi doceat Spiritus sanctus. Sic enim Christus ipse inquit, a spiritu se δοξασθῆναι. Verum praeter prophetiam, vis verborum cognoscenda est, in quibus tanquam in sacrario quodam, divina mysteria recondita sunt. Quid enim si non intellecta verba magico more pronuncies? nonne surdo fabulam? At de sermone iudicare nemo recte poterit, nisi qui recte discendi rationem perdidicerit. Quid enim magis proclive est, quam verbo aliquo aut schemate falli? Nuper quidam ex Magistris nostris, cum enarraret ea quae de Melchisedec in Genesi prodita sunt: Rex Salem panem ac vinum obtulit, non animadvertens, Salem loci nomen esse, multa de condimenti vi ac natura disseruit: imposuit enim bono viro vocum affinitas. Nam oscitantius omnia legunt, qui ingenium dicendi artibus non exercuere. Deceperunt et eruditos figurae, adeo nulla exercitatio dicendi ac scribendi satis cautos facit. Interrogabat me pridem doctus quispiam homo, ecquid sibi vellet Paulus cum inquit in epistola ad Timotheum: Salvatur mulier per filiorum generationem, si in fide permanserint (nam Graeci plurali numero verbum extulere). Ego cum non haberem quod apte responderi videretur, commentarios consulo. Ecce vobis Chrysostomum quam belle nugatur cum verbum μείνωσι ad sobolem refert. Quod quam non conveniat sententiae Paulinae,

*) absoluti?

facile est indicare. Nec videt senex ille synthesin esse grammaticam, cum universum sexum plurali verbo complectitur. Similia horum exempla non rara suppeditabit quotidianus scriptorum usus. Postremo quam aliam ob causam Sophistae sacris libris ablegatis, novum Theologiae genus reperere, quam quod illorum sermonem, et disserendi rationem non adsequebantur? Quorum exemplum, si quem a barbarie non deterret, is fustuario, non oratione castigandus est: nam si perrexerit iuventus bonas literas contemnere, haud dubie futurum est, optimis neglectis, ut rursus sacrae bonaeque res omnes pessum eant. Fallitur enim quisquis verbis tantum, non etiam mente barbaros fuisse Theologastros istos censet. Iam si quando Ecclesiasticum dogma tuendum fuerit, quid quaeso praestabit is, qui quid sentiat, explicare non potest? An confusaneam aliquam ac stoicam orationem adferet, in qua de verborum interpunctione rixetur? Ab hoc auditor cum expectarit perspicuam sacri dogmatis tractationem, perinde ac hians corvus discedet, diu frustra molestis distinctionibus fatigatus. Itaque quos pietatis tenet studium, ii vel Christo, vel publicae necessitati Ecclesiae hoc praestent officii, ut recte loqui discant. Vocat huc etiam Paulus, cum in Corinthiis linguarum studium probat, cuius autoritas merito apud vos valere debet, quibus in ore tam multus est. Indicavi paucis quid ad literarum prophanarum ac sacrarum tractationem conducat recte dicendi scientia. Nunc vestrum est cum elegantiore literatura in gratiam redire, eamque cupide amplecti. Video plerosque intempestive properare ad graviores, ut vocant, disciplinas, quosdam ad Iura discenda, ad Medicinam spes quaestus rapit, alii ad Theologiam contendunt, priusquam robur aliquod fecerint in studio artium dicendi. Qui si suo quaeque ordine adgrederentur, bone Deus, quanto rem foelicius gererent? Nunc male tentato compendio ipsi sese morantur.

Fuit apud nos Morio quispiam, qui in heri culinam ex more ligna ferebat: is solitus est ex infima strue, ea revellere, quae moveri sine magno negocio non poterant. Interrogatusque cur id fieret, respondit, se difficilimam laboris partem primum confecturum, summa illa facilius moveri: nec vidit quantum referret, singula ordine tollere. Huius mihi persimiles videntur, qui fastiditis his artibus ad sublimia provolant. Nam et augetur discendi labor, et incommodius omnia tractantur, cum nondum sint perpoliti primis rudimentis. Deum immortalem, quam infoeliciter cessit maioribus nostris haec praecipitantia. Nullum genus artium superioribus seculis non foede conspurcatum est ab his, qui cum elegantiores literas non attigissent, in optimas quasque et gravissimas disciplinas tanquam in rosas porci irruerunt. Theologia stultis et impiis quaestionibus prorsus obruta est. Qui Philosophiam professi sunt, ne nomen quidem artis satis intellexerunt. De iure, aequo ac bono fieri non potuit, ut quidquam sani comminiscerentur hi, qui elegantioris literaturae rudes erant: quod et ipsum disciplinae genus ex mediis humanitatis artibus derivatum sit, et veterum Iurisconsultorum literae plenae sint priscae, veraeque eruditionis. Neque nunc ego sermonis spurciciem tantum in artium professoribus accuso, sed imprudentiam, a quo se vitio adserere non possunt, quorum ingenia dicendi artibus non sunt exculta. Quare non cesso vos adhortari, ad elegantiae earumque artium studium, sine quibus disciplinae reliquae non possunt non infoelicissime tractari, quod a vobis par est, ut vel publica necessitas impetret. Nam ubi disciplinas graviores vitiarit barbaries, periclitari solent et hominum mores. Est enim multo verius hoc, comparari mores ex doctrina, quam quod Plato scripsit, ex Musicorum cantibus. Dixi.

No. 7. an. 1525.

De legibus.

Apud Crat. Myl. p. 185 sqq., in Declamat. T. I. p. 204., in Servest. T. I. p. 175. et in Richard. T. II. p. 481. — Melanthon in ep. ad Baumgartn. Vol. I. p. 737. scribit: „Hoc tempore in manibus habeo μελέτην, qua de legibus dicam ex publico instituto. Nam legem tulimus, ut singulis mensibus declametur."

De legibus oratio Phil. Mel.

Desiderant in me plusculum fortasse pudoris aliqui, cum assiduis declamationibus, et infantiam meam vulgo traduco, et humanissimis in hac schola, patientissimisque auditoribus toties odiose obstrepo. Ego vero agnosco mearum virium imbecillitatem, meoque me pede metior: et cum de meipso censuram ago, sentio quam non satisfaciam politissimis quorundam auribus. Verum cum provehendae rei literariae causa, hoc, quic-

quid est operae, a me sumatur, studium meum quaeso boni consulite. Nam cum pars quaedam publici muneris in hac schola mihi delegata sit, parum meminisse viderer, quam sustineam personam, nisi de adulescentium officio nonnunquam dicerem. Quod cum pro virili faciam, easque disciplinas iuventuti commendem, quibus neglectis, cum religionem, tum res bonas alias labefieri necesse est, facile, ut spero, impetrabo, ne mea mihi sedulitas fraudi sit. Sunt enim favore, studiisque omnium, iuvandi eorum conatus, qui literis non pessime consultum volunt. Neque aliam ob causam modo dicere instituimus, quam ut iis qui hic ex more declamare solent, si qui forsan imbecilliores sunt, meo exemplo non nihil animi addam, et tanquam classicum canam: Deinde, ut eruditos omnes publica voce rogitem, ut in hanc arenam et ipsi aliquando descendant, cum pueris collusuri. Socratem nihil puduit natu grandem, cum parvis filiolis equitare, ut ille ait, in arundine longa: quanto minus vobis vitio poterit verti honestissimus conatus, si cum hoc grege de literis nonnunquam commentemini, quarum causa quicquid susceperis, quando mortalia nihil divinius habent, laudem meretur. Quaeso itaque, ut scholae operam suam ea in re candide impertiantur, quicunque literis bene cupiunt. Sic enim statuo, praeclare de rebus humanis mereri, qui puerilia studia honestis exemplis accendunt. Iam et meam facilitatem ita demum probari vobis indicabo, si imitari coeperitis, quae si silentio vestro damnata fuerit, bone Deus, quam ipsi nobis displicebimus.

Sumus autem de legibus dicturi, deque eo iure, quod in scholis hoc tempore, et in iudiciis, in bona Europae parte regnat. Nam eae literae non nuper male audire coeperunt, cum aliis prophanarum legum parum pia professio, indignaque Christianis videtur, alii satius ducunt, ut iudicia non improbent prorsus: nam id nec Scythae solent, res ex aequo et bono sine scriptis legibus iudicare. Horum calumnias pro nostri ingenii mediocritate, refellere conabimur, ut eos qui ad gerendam Rempub. olim accessuri sunt, ad huius disciplinae studium invitemus. Praegravant autem hanc causam mirifice hoc tempore Doctorculi quidam, qui cum fere sint ἄθεοι, tamen Evangelii praetextu tyrannidem gerunt, et pro libidine cum humanas, tum divinas leges figunt ac refigunt. A quibus si impetrari poterit, ut nobis dicendi potestatem faciant, sunt enim perquam morosi, docebo breviter, sacris literis, non modo non improbari civiles leges, sed praecipi etiam, ut religiose sancteque colantur, qua laude nulla potest amplior legibus tribui. Ubi fidem fecero, civilem urbium statum nihil pugnare cum religione exponam quam prudenter a maioribus factum sit, quod Romanas leges potissimum delegerunt, quas in constituendis civitatibus tanquam filum sequerentur, easque summa cura a nobis studioque conservandas esse ostendam.

Quae malum dementia tandem est, quis furor, falso Christiani nominis praetextu, civilium rerum statum labefacere et convellere? Quae barbaries, qui Scythae iudicia, aequi et iniqui discrimen e medio tollunt? Et audent hoc Christo quidam, si superis placet, Christiani Doctores tribuere? Quid est, si haec non est contumelia? Qui ex gentilibus Philosophis in Christum stylo debacchati sunt? Unum hoc fere causificantur, quod quaedam leges parum videantur aptae ad civilem consuetudinem, societatemque hominum tuendam: neque censent ullo probro Christi dignitatem gravius laedi posse. Horum vincunt amentiam nostri, qui in ipso contemptu publicorum morum, et in evertendo universo civili statu, pietatem collocant. Adeo de Christi nomine superstitio, peius, quam qui ex professo insectantur, meretur. Nam cum vim pietatis ignoret, et pro suo arbitrio sibi Deos somniet, non modo nihilo rectius de Christo sentit, quam Ethnici, sed pietatis etiam titulum fere privatis vitiis praetexit, quo sacrilegio nihil abominabilius fingi potest. Et quia vetuit Deus humano artificio imaginem sui fingi, seque e suo sermone cognosci voluit, ubi se nobis velut in tabula deliniavit, petemus et nos e sacris literis, quid de civilibus legibus divinus Spiritus decreverit: quas cum coelesti voce probari audietis, par fuerit, et cognoscere diligentius, et observare sanctius. Sese enim contemni Deus iudicabit, si civiles leges tantopere nobis commendatas violaverimus. Sed recenseo locos qui legibus patrocinantur, docentque in rebus publicis iudicia esse constituenda, legesque rationi consentaneas de rebus herciscundis, de sontium poenis, et aliis hoc genus ferri posse.

Primum ius faciunt nobis sacrae literae, vel gentilibus vel mosaicis legibus in prophanis rebus iudicandis uti. Et cum iudicia amplissimo testimonio ornant, tum πολιτείας mosaicam et gentilem iuxta probant. Cum Baptistam milites,

haud dubie de genere vitae consulturi, rogarent, quid a se fieri vellet, nihil hic exegit, nisi ut suis contenti stipendiis, neminem calumniarentur, aut concuterent. Porro cum stipendiis iubet esse contentos, publicum munus, quod illis mandatum erat, plane adprobat. Quis nescit autem Magistratuum arma, leges et iudicia esse, quae domi vim ac iniuriam a civibus prohibent? Quare non dubium est, quin tanti leges faciendae sint, quanti Magistratum Baptista facit. Paulus Magistratuum autoritatem praedicat, cum gladii usum ordinationem Dei vocat, et Magistratum Dei ministrum. A quo oraculo ex diametro dissident hi, qui leges impietatis accusant: Est enim hostis Dei, non minister, quisquis ea suscipit, quae divinae leges vetant. Qui alterius uxori vitium offert, qui res aliorum fraude intervertit, qui periurio fallit, qui bellum cum superis gerit, non minister est, denique hostis est, cuiuscunque functio proprie impia est. Quare cum Paulus Magistratum, Dei ministrum vocat, non hostem, negat eius provinciam cum religione pugnare. Contra, qui Magistratus damnant, semel uno nomine omnes latrones et Dei hostes esse pronunciant: quod quam non quadret ad Paulinam sententiam, perspicuum est. Quid enim tam dissimile voluit ille esse latrocinio, quam Magistratum? Hunc tranquillitatis publicae custodem, nuncupat Paulus, cum gerere gladium scribit, ut bonos honores adficiat. Quod si latrocinium Magistratus est, custodem bonorum qui cedo adpellabit? Iubet item Paulus piorum votis Magistratus Deo commendari, ut salvi publicam tranquillitatem tueantur. Idemque exulaturis Iudaeis Hieremias praecipit. At incolumitatem latrocinio precari, nihilo magis fas est, quam bene precari lupanaribus. Tam clare discernit a latrocinio Magistratum scriptura: inter quae si nihil interest, sceleratus erat Ioseph, cum in Aegypto imperaret, scelerati Cornelius et centurio, cuius fidem Christus unice praedicat, plerique item alii qui Respublicas et gentilium legibus administrarunt. De iudaicis Regibus nondum dico, quos putant minus posse ad nostra comparari, sed hos quos recensui, quaeso patiamini melioris notae Christianos fuisse, quam hi sunt, de quorum moribus posteaquam publicas leges contemnere coeperunt, passim male audit Evangelium. Sed unde tandem honorifica appellatio? Ecquid praecepit Deus de gladio? Primum minister Dei is est, qui eius iussum facit, quique ex eius se mandato comparat, cui qui auscultat, is non modo nihil peccat, sed, quemadmodum sacrae literae docent, sanctum etiam officium facit. Praecipit autem Deus morte mulctari eum qui hominem occiderit, quae lex citra controversiam totam *πολιτείαν* complectitur. Etenim ut publicae tranquillitatis causa fas est de capite hominis iudicare, ita et ad rerum divisionem, ad leviora negotia transigenda, quando aliter publicae paci consuli non potest, constituere iudicia licuit. Extat lex in Genesi ad Noë, universo mortalium generi lata, estque confirmata mosaicis edictis, quae tametsi solis Hebraeis proposita sunt, tamen arguunt Deum probare morem, cum iudicandi res, tum plectendorum sontium. Nota enim Pauli vox est: Legem iniustis latam esse, quae monet, ut qui spiritu Christi non frenantur, cum Hebraei, tum reliqui mortales, legibus coherceantur, et tanquam carcere septi teneantur, ne quem laedant, ne cuius rebus damnum dent. Eodem impios omnes numero cum Gentes tum Iudaeos habet, gladioque seu legi ad unum omnes subdit. Suum autem quoddam Christi regnum est, qui cum non in hoc se nobis ostenderit, ut humanam *πολιτείαν* conderet, mundi regnum non labefacit, immo in id extrudit eos, quos a turpitudine non dehortatur pietas, ut vis remoretur. Prodiit Christus, ut coelestibus muneribus, ut immortalitate pauculos quosdam, tanquam in alium eductos mundum, donaret, non ut civitates constitueret. Regibus hanc provinciam reliquit, tenendam conservandamque ocii tuendi causa. Ipse in piorum pectora spiritum suum transfundit, ut divinitatem cum iis communicet. Ipse verbo renovat piorum mentes *καὶ μετασχηματίζει*. Nihil haec ad mundi regnum, quod in componendis tantum moribus, in arcenda violentia versatur. Id quod non facile tantum fert Christus, sed probat etiam, cum et suos parere iubet, et ministerium Dei esse fatetur. Quare qui ad Respub. accessuri sunt, hos non modo non retrahit religio, sed monet etiam pium officium facturos, si publica munera recte gesserint, si ius candide dixerint. Qui secus docent, cum de prophanis legibus, tum de Christi nomine male merentur.

At litigare vetat Christus. Quis negat? Iudicare vero non vetat. Quantum autem intersit inter iudicare et litigare, nemo non videt. Nam ut viatorem pulsare Deus vetat, non vetat obligare vulnus, si quod is forte acceperit, ita quanquam

odia mortalium inter se execretur, mederi tamen tam perniciosis morbis patitur. Quare vitia damnari patiar, remedium par est, ut grato animo complectamur. Furit hic vindictae cupiditate: ille res alterius fraude occupat. Quos cum in viam non revocet pietas, iudicum auctoritate furor comprimitur. Nihil David, Moses, Solomo peccarunt, quantumvis improbis nebulonibus alicubi ius dixerint. Proinde Christus, ut litigantem ac vindictae amore ardentem damnet, tamen suas iudicibus partes reliquit, sive ex gentilibus legibus, sive ex mosaicis ius dicant. Gentium respublicas administrarunt, Ioseph, Daniel, Naaman, Centurio, qui, si flagitium est Rempub. gerere, vel gentilibus legibus uti, ordine movendi sunt. Verum nolo hic longius immorari. Nam et alias accurate haec excussimus, et piis mentibus ii loci quos produximus satisfecerint. Tantum reclamant hi, qui nec sacras nec prophanas leges pensi habent. Christus optima fide censum Magistratui numerat, ut exemplum colendarum publicarum legum proderet. Id adeo imitari oportebat eos, qui Christianam libertatem ubique fortiter iactant. Et cum divino suffragio ius publicum comprobatum sit, pietas exigit, ut et diligenter cognoscatur, et religiose colatur et tractetur. Legumlatores veteres omnes, quo plus auctoritatis suis legibus adderent, Deorum oraculis probatas adseverabant. Minos fingebatur novem annorum spacio Iovis usus familiari consuetudine, ab eo constituendae Reip. rationem didicisse. Lycurgum fecunt et ab Apolline Deum appellatum esse, et sua edicta ῥήτρας vocasse, quod oracula videri vellet. Numam aiunt simulasse nocturnos cum Egeria congressus. Fingebantur haec, ut cum divino iudicio adprobatae leges viderentur, pluris fierent. Quanto sanctius a nobis ius publicum coli debet, cum id non commenticia oracula, sed certissimae voces divinae nobis gravissime commendarint?

Porro cum constet, nihil pugnare cum civilibus legibus religionem, et in rebus prophanis iudicandis fas esse, vel gentilibus vel mosaicis legibus uti, expostulabimus aliquanto liberius cum iis qui publico iuri praeter meritum iniquiores sunt. Non satis, ita me bene ament Musae, constituere possum, morosi hi mihi videantur tantum, an prorsus furere: nam ut illiberalem convivam esse censemus, qui apud amicum praesentem copiam nauseat, ita qui praesentes mores, instituta ac leges temere fastidit, opicus mihi et parum urbanus videtur. Et cum in omni vita sapientissimi homines praeceperint, communibus moribus tanquam scenae obsecundandum esse, valde iniusti sunt, qui tanquam cum rebus humanis bellum gesturi, praeter sua, nihil probant. Sordidos ac plebeios animos fere praesentium poenitet, qui, cum libidine sua, non ratione omnia metiantur, miro quodam novandi studio tenentur. Neque ullus Euripus, ullum fretum tam varios habet aestus ac fluctus, quam varii vulgi motus sunt. Quaecunque commoverit tempestas, subito furit, miscetque omnia. Contra, generosae mentes communibus se moribus attemperant, solentque utcunque et ubicunque opus fuerit, obsequi, quemadmodum ille Terentianus pater monet. Iam non simplex rusticitas, sed furor est plane, patrios mores ac patria instituta odisse. Etenim cum patriae sanctum quendam amorem omnibus indiderit natura, prorsus obliti sui videntur, qui patrias leges tantopere aversantur. Sapientissimus Poëta fingit Ulyssem optare, ut vel fumum de patriis exorientem focis videat: hi leges contemnunt, ornamentum patriae pulcherrimum, quarum beneficio ipsi et aluntur, et servantur, ut ne naturae quidem plus quam his debeant. Mirum ni Vulturio plus est humani, quam huic generi. Ego profecto, quoties defatigatum animum remittere recreareque libet, nulla in re suavius, atque in patriae recordatione acquiesco. Id quod fieri non posset, nisi mirum quendam eius amorem insevisset natura. Videor mihi iam agros pervagari, iam in hortis reptare, iam ad flumen deambulare. Hic naturae opes, industriam colonorum meorum civium tacitus contemplor, admiror maiorum prudentiam, qui agros, qui oppidum ipsum diligentissime ornarunt et munierunt. Haec cum animo considero, et propemodum intueor, mediocri ne me voluptate perfrui censetis? Me vero cum loci amoenitas per sese delectat, tum quia patriae nomen accedit, valde adficior. Nec minus tali patria capior, quam ille Ithaca, qui quamvis sterilem, et in asperrimis saxis tanquam nidulum adfixam, pluris immortalitate fecit. Et cum tantopere solum ipsum ametur, non possum non favere et legibus, quibus civium inter se studia voluntatesque conciliantur et devinciuntur, quae domesticam disciplinam, bonos mores, popularium libertatem tuentur, quae profecto non minus nos quam lares nostri, delectant. Proinde cum in-

flammet nos natura, et adsuefecerit consuetudo ad amandam colendamque patriam, et ingrati erga benemerentem, et in penates suos impii, et alieni prorsus ab humanitate sunt, quibus domesticae leges sordent. Capitale est Magistratum pulsare, hi cum prorsus ex Repub. Magistratus, iura omnia exterminent, quod non supplicium merentur? Nolo hic causari, frustra eos niti, recepta non posse fere privato cuiusquam arbitrio convelli. Finge rem succedere. Quid erit civitatibus nostris calamitosius? Quas, Deum immortalem, haec novitas dabit turbas? Nam ut sine valetudinis iactura nemo victus rationem mutat, ita nec leges sine publica perturbatione mutantur. Nec ad civitatum ocium, et ad concordiam stabiliendam quidquam perinde conducit, atque veterum legum morumque conservatio: quod cum urbium exempla passim testantur, tum monet aureus veteris Poëtae versiculus:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Valeant igitur, qui vel adeo inciviles sunt, ut attemperare se communibus moribus nolint, vel adeo arrogantes, ut rectius se rebus publicis consulturos confidant, quam maiores, vel adeo ferrei, ut nullus rerum patriarum amor tangat. Etsi ita videtur in *νεφελοκοκκυγίαν* commigrent, Senatui populoque cuculorum imperaturi. Quanquam autem haec abunde magna ratio bono viro sit, cur praesentes leges amplectatur, quod usu receptae sint, et in mores peneque in naturam nostram verterint. Stultum est enim cum publicis moribus dimicare, tamen excutiamus rem paulo accuratius, temere ne an consulto maiores nostri ex scriptis legibus iudicari res maluerint. Non nuper in scholis hac de re altercantur, utrum satius sit ex scripto iure, an ex Magistratuum arbitrio res iudicare. Verum nos non quod ociosi in scholis literatores somniant, sed quod prudentissimi quique probarunt, qui Respub. tenuerunt, sequemur. Nam cum humanae prudentiae civilia officia religio commiserit, et prudentum exemplis et communi sensu hanc causam metiemur. Quae fuit autem usquam Respub. mediocris sine certis legibus constituta? Scripto iure usi sunt Aegyptii, Cretenses, Athenienses, Romani, addam etiam Iudaeos. Et Lycurgus, tametsi nullas scripserit leges, certas tamen quasdam prodidit, non tabulis, sed ut vulgo notiores essent, memoriae civium insculpendas. Quare ut nihil iis patrocinetur, qui hoc tempore scriptum ius tuentur, defendere eos tot gentium iudicia facile queant, quibus quo ore cedo, qua fronte reclamare audebitis? Et haud scio an haec veteribus illis legumlatoribus consilii ratio. Quum libertatis ac tranquillitatis publicae causa conditae sint civitates, et constituta iudicia, ut in tuto sint suae cuique res et vita, et sub iuris autoritate, tanquam sub umbra lateant. Idque praesidium non maiorum industria, non hominum conspiratio compararit, sed Deus ostenderit, praestandum est, ne ius sit obscurum, incertum, aut ambiguum. Quae est enim iuris vis aut autoritas futura, si subinde Vertumni in morem variet? Nemo formas suas vitamque non satis exploratis aut infidis custodibus tuto committi putat. Porro ubi Magistratuum arbitrio sine certis legibus res iudicantur, cum in imperitorum, saepe etiam improborum potestate ius sit, fit ut per imperitiam saepe Magistratus aequi et iniqui discrimen non perspiciat. Quoties recti species decipit? quoties iudicio gratia aut malevolentia officit? Neque enim obscurum est, quam levi momento ab aequitate mediocrium hominum animi saepe abstrahantur. Quid quod ea imperitorum pertinacia est, ut ad aequitatem flecti non possint, ubi non cogunt leges. Cedo quid arbitrare sumpturos sibi germanicos regulos, nisi leges prohiberent? Qui, si quando iuris species suffragaretur, citius omnia miscerent quam de sententia, de possessione decederent. Nunc cum reclament leges, deterret a flagitio nonnunquam pudor. Quotus enim quisque tam corneae fibrae est, ut publicam legum vocem, omnium de se iudicium prorsus contemnat? At si nullae obstrepant leges, cum licentia fere deteriores reddat, videas aperta tyrannide grassaturos, non aliter atque solebant Athenis triginta illi, qui cum pessimo exemplo iudicia sustulissent, perinde quasi publicam carnificinam exercerent, optimum quenque iugulabant. Itaque quemadmodum in periculosis tempestatibus non solet ventis temere committi navis, sed gubernator praeficitur, qui arte regat, ita fluctuantes Principum animi certa lege frenandi, regendique sunt, ne privatae cupiditates a iure, velut a portu reiiciant. Et cum in cognoscendis causis saepe non pessimis Magistratibus iuris species imponat, saepe transversos rapiat ambitio, ne periclitaretur libertas, aequi et iniqui formulas praescribi oportuit, quas in consilium adhiberent ius dicturi. Nam si Magistratui potestatem feceris quidquid libet statuendi, vide in quam nos servitutem coniicias? Iure pos-

sessiones adsignavit, si aliud videbitur, ius erit eripere, quod dictum est, indictum fuerit, quod modo erat ratum, irritum fuerit. Quidquid decreverit, in vento et rapida scribere oportet aqua, usque adeo non constabit sibi, et iure subinde mutato in aliam se formam πρότεως more vertet. Non domus, non liberi, non coniunx, quibus ne nostra quidem vita nobis carior est, in tuto erunt. Res bonae omnes, pietas, humanitas, doctrina, artesque universae, quae ocium pacemque amant, exulabunt. At cum his vitiis leges medeantur, nec libertatis ullus praeterea fidelior sit custos, quid vetat legum beneficio uti? Quae Magistratibus fiduciariam tantum nostri potestatem faciunt, ut ius nostrum, quoties periclitamur repetere liceat. Aristoteles in ea demum Repub. quae scripto iure regitur, Deos imperare adfirmat, quod libertatem leges tueantur, qua haud scio an haec vita nihil dulcius habeat. Quid enim foelicius, quam iniuriae metu vacare, societateque hominum tuto frui? Proinde ille ne bono quidem viro sine legibus Rempub. mandari patitur: Sed recita verba.

Verum dicet aliquis maligne me de hominum ingeniis sentire, cum nullius adeo exploratam fidem, ac virtutem esse duco, cui tuto civitas committi possit. Ego vero optarim passim imperare Nestoras, verum videmus quanta sit optimorum Principum paucitas. Nec obscurum est vetus illud dictum: Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse. Quare facile patior, in mediocribus, ut sunt fere, certo iure vim regi, et officii sui, si qui sunt imprudentes Magistratus, admoneri. Haec mea est ratio: nec foeliciorem mihi Rempub. somnio, quam qualem existere res humanae sinunt. Finge autem rerum summam ad Stoicos delatam esse, qui nec gratia, nec odio adficiantur, qui falli nequeant, quid iis facies, qui, ut est vulgi improbitas, malunt legibus, quam vel sanctissimis Magistratibus credere? Est enim quorundam tanta rabies, tantaque pertinacia, ut aequitate fideque iudicum satisfieri sibi non patiantur, sed cum summo iure contendant, extremaque omnia experiantur, saepe infensius cum iudicibus, quam cum adversario concertent. Hic vero Magistratuum auctoritas periclitabitur, nisi publice receptae leges defendant. Adeo non modo adversus tyrannidem, in legibus innocentiae praesidium est, sed et Magistratibus adversus vulgi importunitatem. Hic tanquam aheneus quidam murus est, denique commune vinculum inter se Principum ac multitudinis est, ius scriptum, ad pacem tuendam comparatum. Iam et improbi cives facilius in fortunas aliorum impetum facient, cum vel nullae poenae certae absterrebunt, vel ius erit incertum. Contra, ut ii qui iter faciunt, cum viam indicant Mercuriales statuae, nihil metuunt, necubi errent, ita boni cives cum certum ius propositum est, securi degunt, cum docent leges, et quid pro se quisque praestare debeat, et quid cuiusque sit proprium, et improbis certum exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane vocabulum sit, si bonis securitatem demas, crudele fuerit ius scriptum e medio tollere, si quid ad securitatem in bonorum animis alendam confert.

Accedit huc, quod ut modestissimi homines imperent, tamen futurum sit, ut de iure saepe dissentiant, nisi ex certis legibus res iudicentur. Quae est autem pestis civitatibus perniciosior intestina discordia? Quas haec urbes non funditus evertit? Quare nulla tam parva res est, quae modo ad concordiam conservandam conducere videatur, quae negligenda sit. Saepe autem ex levissimis iniuriis, non secus atque ex minutissima scintilla, gravissimum incendium oritur. Non raro et res gravissimae, in disceptationem veniunt, ubi si Magistratibus de iure male convenerit, studiis factionibusque publica tranquillitas turbabitur, dum suae quaeque pars sententiae suffragatores, addo etiam vires, publicae salutis oblita, comparat. Quam autem non solitudinem malis, quam intestinis flagrantem odiis urbem colere? Proinde, cum Hebraeos Deus inter se quam coniunctissimos esse, rectissimeque consentire vellet, certas leges tulit, ut ex praescripto res iudicarent, ne quando ius controversum dissidium pareret. Plerisque item aliis civitatibus vel principum tyrannis, vel civiles discordiae imposuere legum condendarum necessitatem. Nam cum inter se Athenis, de iure publico, perpetuo conflictarentur, tres per id tempus factiones, homines, opinor, non pessimi, sed male inter se, ut fit, in imperio cohaerentes, eaque dissensio, morbo civitatis ingravescente, et gliscentibus odiis universis exitium minaretur, Respub. Soloni mandata est: is leges tulit, quibus libertatem, et otium urbi restituit. Et cum cerneret has unicum esse concordiae vallum, constituit, ut qui ius dicerent, conceptis verbis iusiurandum darent, se ex legibus res iudicaturos esse. Qui Magistratuum arbitrio simpliciter omnia

committunt, cum Solone, si libet, expostulent, non mecum, qui ad consociandos inter se civium animos tantum facere momentum scriptas leges existimavit, ut ex suo arbitrio Magistratus ius dicere vetuerit. Sed recita iusiurandum ἡλιαστικὸν, sic enim Demosthenes vocat. Fuerunt et hae fere causae cur Romani scripto iure uti maluerint. Nimium sibi principes sumebant. Plebs non satis tuto creditam optimatibus libertatem existimans, saepe imperium auctoritatemque detrectabat, de iure saepe dissentiebant inter se etiam boni viri. Haec coëgerunt tum plebis temeritatem, tum Magistratuum vim certis legibus moderari: suntque duodecim illae tabulae, fons iuris nostri, prudentissimorum hominum iudicio propositae. Id iugum cupide universa civitas accepit, cum sentiret urbem non diu futuram incolumem, nisi legibus muniretur.

Porro cum civitates orbis terrarum Principes, coëgerit necessitas pene Diomedea leges condere, quis furor est, apud nos iam usu receptas velle abrogare ac inducere? Magna consuetudinis vis est, quae mores omnes, quibus assuefacti sumus, sine perturbatione publica mutari non sinit. Quare leges vel hoc nomine, quod consuetudini mos gerendus est, oportuit conservari. At cum de rebus humanis etiam bene mereantur, publicam tranquillitatem et libertatem tuentur, obsecro non insaniunt, qui refigere iubent? Actum fuerit de religione, de humanitate, de rebus bonis omnibus, nisi coetus hominum iure cogantur ac defendantur. Neque vero inter caetera legum beneficia hoc praetereundum est, quod de expetendis, fugiendisque rebus, rectas civibus opiniones inserunt. Id adeo ad formandos mores, magnum habet momentum. Errant enim mortalium ingenia, nisi certis praeceptis regantur, et ut quidque maxime commodum in praesentia videtur, ita maxime licere putant, oculos mentemque libido praestringit, ut quod maxime cupimus, saepe, nisi dehortetur legum auctoritas, optimum esse ducamus. Avarus nihil esse vitii in foenore faciendo existimat, at si valerent leges, quae foeneratoribus maiorem mulctam constituerunt, quam furibus, quis non execraretur foenus? Sunt quos parum pudet mentiri, at cum ex lege duodecim tabularum e saxo Tarpeio deiiciebatur, qui falsum testimonium dixisse convictus erat, cane peius et angue mendacium oderat multitudo. Perpetuum ocium nunc in lauta vitae parte ponunt, at cum Atticis legibus capitalis esset desidia, graviter audiebat. Furem abominamur, quod in eum gravissime animadvertatur, augetque crimen poenae atrocitas. Praedonis loco habes eum, qui debitoris rem aut pecuniam usurpat, nisi sponte datam. Peperit hanc opinionem lex, quae pronunciat, vim esse, quoties quis id quod deberi existimat, per iudicem reposcit. Nihil autem cum opinionibus, tum moribus nostris instabilius esset, nisi ex certis legibus compararentur. Nam ut nautae cursum ad ea sidera, quae eodem semper loco circumaguntur, dirigunt, ita par est, ut ad leges, quae a sapientissimis hominibus latae, et virtutis viam rectissime indicant, et sui nunquam dissimiles sunt, opiniones nostras exigamus. Sed ut nulla ratio sit, cur scripto iure utamur, certe Romanae leges merebantur, quas huc importaremus. Quare maiorum nostrorum prudentiam laudo, quod Romanas potissimum leges delegerunt, quas in iure dicendo sequerentur. Et quando hactenus benigne mihi audiendo, operam navastis, favete quaeso et reliquae orationi: Exponam enim breviter, cur tantopere iuvet, a Romanis leges mutuari. Vetus hic mos est, ab optime constitutis urbibus, exempla petere. Nihil puduit Atticos, Aegyptias quasdam leges usu capere, ut Herodotus testatur. Nemo Romanis vitio vertit, quod cum cogeret publica necessitas leges conscribere, in Graeciam legatos misere, qui inde legum formulas adferrent, et de Repub. instituenda summos in Graecia homines consulerent. Id et cum maiores nostri fecerint, cum Romanae Reip. instituta ad nos attulerint, quid quaeso peccarunt? Quae tandem ars ex liberalioribus illis domi nobis nata est? Literas, temporum discrimina, siderum ortus et occasus, architectonicam, Musicam exteri docuere, sine quarum cognitione vita plane manca est: in quibus si nihil offendit peregrinitas, quid vetat externis legibus uti? Quis dubitat nostra cultiora esse, et literis et legibus Romanis advectis, quam fuere prisco illo barbaro seculo, cum nec ingenuis artibus animi nostrorum privatim fingerentur, nec publico iure, aut certa disciplina mansuefierent. Adeo ne praesentium poenitet, ut mutare cum veterum barbarie libeat? quae cuiusmodi fuerit, vel ex eo potest aestimari, quod humanis hostiis apud hos litatum est. Eant quos tantopere vetustas delectat, et glandibus etiam vescantur. Iam cum Romani literas nos artes aliasque docuerint, quid fuit cur non illorum leges etiam imitaremur, cum

nulla fuerit Respub. quae aut plura nobis, aut illustriora virtutis humanitatisque exempla, aut humaniores leges proponere potuerit? Fuit illud omnino unicum virtutis atque humanitatis in terris domicilium. Longum fuerit recensere, qui ibi iuxta et in toga et foris, omnium belli pacisque artium periti, clari fuere. Noti sunt Camilli, Curii, Fabricii, Fabii, Claudii, Scipiones, Crassi, Iulii, Cicerones, Scevolae. Didicerant hi Respub. regere, non in umbra, et in ocio, ut Graeci, sed in sole ac pulvere, usum magistro, vim, inconstantiam, variasque voluntates vulgi, domi forisque toties experti, norant quibus artibus in officio retinenda tractandaque sit multitudo, norant quae pharmaca civitatum morbis convenirent. Itaque Vergilius cum alias artes aliis gentibus concedat, Romanis scientiam gerendae Reipub. tribuit:

> Tu regere imperio populos Romane memento
> Parcere subiectis, et debellare superbos.

Porro cum hi qui Musicae operam daturi sunt, ad nobilissimos se magistros conferant, cum pictores optima sibi exempla proponant, cur non et in gerenda Repub. optime constitutae urbis tum exempla, tum leges usurparemus? Milesias credo aut Sibariticas leges isti, ut sunt impuri, nobis ferent, qui Romanas tantopere oderunt. M. Cicero, cum de optimo civitatis statu disputat, non alias nisi Romanas leges fert, easque naturae maxime omnium consentaneas esse censet: cui si quid credimus, a natura discedunt, qui a Romanis legibus dissident. Vernaculo quodam iuri Saxones adhuc alicubi utuntur, in quo quam multa ex Romanis legibus emendata sunt? Quid fuit minus humanum, quam quod vetuere Saxones, ne nepotibus amisso patre, avita haereditas veniret? Correcta lex est in comitiis populorum Germaniae, latumque, ut deinceps Romanum ius ea parte Saxones sequerentur. Et municipalia passim statuta, quoties aequitas poscit, sunt enim fere barbara, Romanis legibus emendantur. Adeoque magno consensu ius Romanum tanquam oraculum, nationes omnes de aequitate consulunt, sentiuntque leges et placita omnia ad hanc regulam exigi debere, et in hoc extare volunt, ut in diiudicandis pensitandisque omnibus quae in publicis consiliis decernuntur, gnomonis vice sit. Tam sanctam plurimorum gentium conspirationem reprehendere, quid aliud est nisi insanire? Et meo iudicio sane quam multum interfuerit Reipub. ut maxime in foro apud nos non versarentur Romanae leges, in bibliothecis eas adservari, ut inde gerendae Reipub. rationem aequi et iniqui iustum discrimen peterent, quicunque ad publica munera tractanda animum adiecerunt. Quid enim furiosius est, quam, quod fere evenit, accedere ad Rempub. nullis instructos literis, nulla praeditos, neque humanitatis, neque aequitatis scientia? In scenam nemo prodit, nisi histrionicam probe meditatus: nemo fidibus ludit, nisi Musicam teneat. Quanto magis oportet eos, qui Respub. capessunt, qui consilium, qui opem innocentibus pollicentur, honestis artibus dedolari antea, et in schola bonarum rerum studio, gravioribus negociis praeludere? Sunt enim hebetiores fere in discernendis rebus communibus, quorum iudicium nullae literae acuerunt, aut confirmarunt, et feri magis impotentioresque, quorum pectora mansuetior disciplina non molliit. Belluam aliquam immani saevitia ex cavea in mediam multitudinem iures emissam esse, non imperare hominem, sicubi in inculti imperitique Magistratus potestate Rempub. esse videris. Quare a doctissimis hominibus de regendis civitatibus, de iure, aequo ac bono multa conscripta sunt, ut vim virtutis et insticiae Principum oculis subiicerent. Extant Platonis politici libri non pauci, extant eodem argumento et Aristotelici, depinxit graphice Principem Xenophon, quem Scipio sic amasse fertur, ut nunquam de manu poneret. Fateor de rebus humanis istos benemeritos esse, et multa utiliter monuisse, dignosque duco esse, qui in manibus, in sinu gestentur ab omnibus, apud quos in precio virtus est: verum nescio quo modo mihi adumbrasse magis, quam vivis coloribus expressisse Respub. videntur, dum a communi consuetudine et civilibus moribus longius recedunt, et pro suo quisque stomacho civitatem sibi somniat. Plato, ut caetera omittam, mulieres etiam militare iubet. Aristoteles dubitat, an oppida moenibus cingenda sint. Ad haec frigidis argutiis fere immodice delectantur. Socrates apud Platonem ex insticia *κλεπτικὴν* facit. Aristoteles partim in geometricis proportionibus, partim in arithmeticis consistere insticiam scribit. Laus ingenii petitur his parergis, ad rem non ita multum faciunt. Absolutam vero civitatis effigiem est cernere in his legibus, quae non in scholis natae sunt, sed in curia, in foro, ut bonis profugium, et portus, et adversum improbos teli vice essent. Ut offendunt Mimi

nisi proxime repraesentent quos imitari instituere, ita et leges parum probamus, a communi captu remotiores. Quare hoc mihi plane persuasi, utiliorem esse Romanarum legum cognitionem iis qui Respub. gerunt, quam Philosophicarum in hoc genere disputationum. Graviter, civiliter et humanitus omnia constituta sunt a legum auctoribus, idque res cogebat. Erant enim ad civilem hominum consuetudinem leges accommodandae, non aliter atque pharmacum attemperari oportet aegri corporis naturae ac viribus. Philosophi sibi in scholis quaedam libere permisere, quae in gerendis rebus publicis non fuerit consultum sequi. Sunt quaedam in Europa gentes, quae non iudicant res ex Romanis legibus, sed vernaculis. Et tamen qui ibi Respub. gesturi sunt, fere Romanas leges apud exteros discunt, qui, ut accipio, interrogati, quid, cum nostrarum legum non sit apud eos usus, in eis cognoscendis tantum operae ponant, respondere solent: Animam se spiritumque legum, sic enim loquuntur, excipere, hoc est, aequitatis vim ac naturam hinc decerpere, ut de patriis legibus rectius iudicent. Laudo prudentissimam vocem, qua significant omnia rectius perspexisse summos illos viros nostri iuris auctores, et neminem satis instructum esse ad civitatem regendam, qui non in his cognoscendis tyrocinium fecerit. Quid quod in his iureconsultorum literis bona pars antiquitatis reliqua est? Veteres mores, sermonis Romani pleraeque figurae, quas nisi hi explicarent, in aliis scriptoribus nonnunquam non aliter atque in luto haereremus, nec intelligi optimorum auctorum plerique insignes loci possent. Quod si historia, si aliae veterum literae nobis, ut debent, curae sunt, cum his passim lucem adferant Iureconsulti, vel a Grammaticis et Rhetoribus eorum commentarios adservari oporteret. Itaque nisi simul omnibus literis bellum indicemus, et plane in beluas degenerare iuvabit, non permittendum est, ut situ ac senio Romanae leges emoriantur. Quosdam nobilium urbium picturae, quosdam marmora, quosdam statuae delectant, eaque summa cura conservant. Quae, malum, barbaries est, leges, plusquam aureum pulcherrimae urbis monumentum, et germanam *εἰκόνα* obliterare? Quidam clarorum hominum sententiis unice capiuntur, parietibus inscribunt, annulis insculpunt, illinunt omnibus chartis, siqua insigniter placuit. In his voluminibus tot extant gnomae, quot leges erutae ex intimis sapientiae penetralibus, ex doctissimorum Poëtarum, Oratorum et Philosophorum monumentis, et recitant doctissimos rerum humanarum omnium imperatores et Iurisconsultos nostrorum rabularum dissimiliores, quam sunt Chiorum in talis Coi, sed instructi literis, usu Reipub. domi forisque gerendae exercitati: vel tantorum virorum memoriae hic honos debetur, ut tanquam exuvias, eorum scripta conservemus. Quod cum summa cura Maiores nostri praestiterint, aequius est illorum nos exemplum imitari, quam iis obsequi, qui non modo legibus male propitii sunt, sed prorsus neque ius, neque bonum atque aequum sciunt, melius peius, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod libet.

Poscit hic locus, posteaquam sententiam de legibus nostram exposuimus, adversariorum calumnias refutare: quae quia leviusculae et pene ridiculae sunt, paucis a me perstringentur. Mutilae, inquiunt, legum Rhapsodiae sunt. Publica ea calamitas est, quam insectari minime convenit, miserescere erat humanius. Optarent autem boni omnes, si quid votis proficitur, integra veterum Iureconsultorum volumina extare. Verum cum haec tantum fragmenta, fortuna nobis reliqua fecerit, impium fuerit, velut ex naufragio receptis hospitibus, vitam invidere, praesertim non malis. Nam qui haec consarcinarunt, integras tamen sententias nobis, et legum capita, quantum satis erat, tradiderunt. De singulis casibus anxie superstitioseque constituere nihil refert, satis est genera rerum et communes quasdam formulas, quemadmodum in aliis fit artibus, concipere, quibus similia inter se facta metiamur, ne, si res in immensum crescat, nemo consequi possit. Deinde in legibus omnibus res cogit brevitatem adfectare, ut animis facilius infigi possint tanquam brevia *ἀποφθέγματα*.

Sed oggauniunt adversarii, obruta esse omnia et conspurcata sordidis interpretum commentariis. Ego vero Romanis legibus patrocinor, non neotericis interpretibus: quorum, si prodesse voluere, laudandus est conatus, et tamen quicquid istic vitii est, id universum semel imputo inscitiae humanitatis et elegantium literarum: quibus qui non sunt perpoliti, hi nihilo ad tractandas graviores disciplinas, magis adpositi sunt quam ad lyram asinus. Primum enim cum Romano sermone conscriptae sint leges, quomodo in eis versabitur, qui linguae figuras ac vim non tenet? Iam, etiamsi

Scythicus legum sermo esset, tamen pinguius iudicant, docent obscurius et imprudentius, quacunque de re dicere instituunt, dant sine mente sonum, quotquot dicendi artes non attigere. Magna vis est in humaniorum literarum studio, quam animo rectius cernere, quam oratione depingere possumus. Et exempla superioris aetatis commonent, quid sapiant, quotam mentis unciam reliquam habeant, ii qui ab istis artibus alieni sunt. Vides quam inepte tradiderint suas artes Philosophi, quanto conatu, quantas nugas docuerint. Nihilo saniores Iureconsulti fuere qui disputarunt de Lazaro, valuerit ne testamentum, posteaquam is revixit, et hoc genus innumera. Solebat apud nos doctus quispiam homo, istorum ineptias festivo commento ridere. Non procul oppido quodam, aiebat, ad flumen pistrinum, ex quo cum non ita multo ante aquatum asinus descendisset, cum in extrema ripa seu lutulenta seu tenuior aqua flueret, quam ut os imbuere posset, in proximam cybam forte pergit, unde uberiorem iusti amnis aquam hauriret. Porro cum inscendisset naviculam, impetu detorquet a ripa in medium flumen, quo cum esset excepta, secundis ventis in scopulum defertur. Hic postquam impegit, fracta est, et imperitus ille Nauclerus in undis periit. Doluit molitori, ubi rem rescivit, iactura, et piscatorem in ius vocat, damnum dedisse accusat, quod eius navigio iumentum avectum sit. Contra ille factam ab asino pauperiem, seque damnum accepisse exclamat, quod navigium amiserit, in flumen ab asino impulsum. Utrinque acerrime a conductitiis rabulis certatum est. Iudici causa visa est intricatior, quam ut liceret, non consultis iuris professoribus, pronunciare. Deferunt ad leguleios. His vero negotium mirum factum est, dum pro se quisque vindicare asinum contendit, disputationes varias instruunt, rixantur de asino in scholis et conciliabulis pertinacius, opinor, quam Graecus ille de asini umbra, et haud scio, an nondum etiam de summa rei decreverint. Obsecro non insanire tibi videantur, si qui se in tam ridicula causa diu torqueant? Verum, mihi crede, istorum disputationes futiliores sunt hac molitoris contentione. Quotus enim quisque de communibus rebus civiliter, et ex communi sensu iudicat? Ingenia in stultis formulariorum literis obbraturunt, hasque in scholis et foro non aliter atque suas epodas Magi non intellectas recensent. Nihil hic de Grammaticis et puerilibus erratis, de barbarie sermonis queror, quam praescriptione tuentur, iudicii inopiam accuso, qua fit, ut nec ius nec fas in plerisque causis cernant. Adversus eam pestem, dicendi artium studio mens praemunienda est, perinde atque adversus Circes venena, Ulyssem moly herba Mercurius praemuniit. Si quid iuris interpretes inscitia literarum peccarunt, vestrum est, vestrum, inquam, honestissimam provinciam repurgare, et explosis indoctis commentariis a situ et squalore leges adserere, et germano nitori restituere. Id humanius est, quam leges ipsas neutiquam male meritas de nobis, obliterare.

Sed audio etiam de professorum moribus nonnullos queri. Primum optarim hos censores in suis vitiis emendandis, nolo enim nunc quidquam acerbius dicere, tam esse acres, quam sunt in reprehendendis alienis oculati. Deinde cum sint in hoc ordine plerique boni viri, iniquum est legibus imputare, si quid adferunt vitii professores. Iam ego ob hanc causam doctissimos et optimos quosque cupio legibus discendis operam dare, ut extrusis veteratoribus et sycophantis illis, iudicia, forumque redeant aliquando in bonorum ac doctorum virorum potestatem. Modo res iudicant indocti fere, qui ne nihil sapiant, unum aliquem ex vulgaribus pragmaticis in consilium adhibent, in quibus ut quisque est indoctissimus, ita est audacissimus et nequissimus. Huius vident oculis, huius audiunt auribus reliqui omnes, quod hic somniarit, reliqui decernunt: Ait, aiunt: Negat, negant. Capita sunt sine linguis, ius ipsi et vim aequitatis ignorant. Leguleius illa naribus omnes tanquam bubulos trahit. In tanto iudicum veterno, irrepunt in forum et vanissimae rabulae causas acturi, qui, quando is quaestus est uberrimus, ex litibus lites serunt, clientes deglubunt, Respub. depeculantur, indoctum iudicem novis subinde technis ludificantur. Non possum adduci ut credam, Athenis unquam sycophantas, qui sic dicebantur, ullos nostris impudentiores, nequioresve fuisse. Ausim et haec vitia inscitiae elegantium literarum imputare, quarum qui sunt imperiti, nescio quibus artibus ad honestatem flecti possint, quando vim virtutis, nullae aliae literae perinde oculis nostris subiicere, atque hae, quae humaniores rectissime vocantur. Et cum ne leges quidem ipsas attingant isti, tantum ex versutorum quorundam formulis sapiant, ne possunt

quidem contagione pestilentissimarum literarum non infici.

Proinde cum nulla meliore disciplina animi ad virtutem assuefacti sint, nihil pudet in quaestu ius habere, vitiare leges, detorquere malitiosis interpretationibus, in quam volunt partem. Solonem refert Demosthenes, cum reum ageret quendam perniciosae legis autorem, dixisse: Cum capitale sit nomisma adulterare, morte mulctandos esse etiam eos, qui leges vitiant: Propterea quod ut in privatis commerciis ac contractibus nomismate utimur, ita publicis commerciis et negociis leges esse nomismatis vice. Recte Solon. Atque utinam eo redeat res, ut et in nostris iudiciis petulantia, impudentiaque rabularum coherceatur, mulctetur dolus. Id adeo fiet, ubi ad Rempub. boni viri adcedent, literis et cognitione iuris instructi, quibus isti imponere nec ausint, nec possint. Itaque Reipub. interest, ut optimi quique et virtutis amantissimi ius perdiscant, ut si quando publicum munus tractandum est, recte gerendae provinciae artes teneant. Videmus enim quos ludos Rebuspub. ubique Magistratus imperiti et indocti reddant, quos, ut boni sint, necesse est multa incautos peccare, et tamen fere ita fit, ut deteriores sint, quo sunt indoctiores.

Dixi de legibus, longius fortasse, quam ferebat tempus, sed omnino parcius, quam et res poscit, et ego volebam. Reliquum est, ut eos qui in legibus versantur, adhorter, ut strenue pergant, nec e medio cursu revocari se indoctorum vocibus patiantur. Nam cum iudicia adprobet religio, non modo non impium, sed sanctum etiam officium faciunt, qui rite de iure respondent, aut res iudicant. Plerique posteaquam hanc induere persuasionem, versari se in re prophana, et quam Deus nihil moretur, minore fide curaque munus suum obeunt. Hos meminisse volo, Deum et iuris autorem esse, et vindicem futurum. Libra et pondus, inquit Salomon, iudicia Dei sunt. Quare si quid iniquum statueris, non hominum tantum mores violari credas, sed Deum, a quo iudicia constituta sunt, offendi sentias. Non hominis, ait optimus Princeps Iosaphat, exercetis iudicium, sed Dei: adest spectator et arbiter consiliorum vestrorum Deus: Sit timor Domini vobiscum, accurate rem gerite. Hoc vero divinus spiritus oraculum non illi tantum seculo, sed omnibus qui ubique ius dicunt, prodidit. Nulla sanctior in terris functio est, quam *οἰκονομία* Ecclesiastica. Huic proxima est, ius dicere, quam si recte gesseris, nemo Monachus, nemo Heremita superiore est apud Deum loco. Prophanum munus est, sed quod non minus religiose tractari oportet, quam ad aram accedendum est sacrum facturis: Imo hic vere sacrum facis, cum publicae tranquillitati ac paci operam navas. Quo pluris autem hoc officii Deus facit, eo sunt execrabiliores, qui publicam in foro sycophanticam exercent, bonorum extortores, legum contortores, qui vel ob hanc causam ferendi non erant, quod a civitatibus horum flagitia Deum non raro abalienent, graviter succensentem constupratis iudiciis. Porro cum non dissideant cum pietate leges, et usu receptae sint, nihil moremur eos, qui se insectandis civilibus moribus ad vulgus venditant. Nam sine publica calamitate receptas leges mutari non posse, et res docet, et sapientissimi quique monuerunt. Extabat apud Locros in bene constituta civitate, ea de re lex, ut quisquis adversus receptas leges rogationem ferret, is eam inserto in laqueum collo suaderet: quae si videbatur e Repub. esse, salvus evadebat autor: strangulabatur autem constricto laqueo, ubi oratio displicuisset. Neque dubium est, quin id ita constitutum sit, ne temere inducerentur usu confirmatae, probataeque maiorum iudicio leges. Et Athenis *νομοφύλακες* erant, qui apud praefectos in omnibus publicis conciliis, candidis fasciis coronati adsidebant, ut prohiberent, ne quid contra receptas leges decerneretur: Denique ut quaeque civitas optime constituta fuit, ita minime passa est leges antiquari. Proinde nos quoque publicum ius diligenter tueamur, praesertim cum Romae natum sit, in principe orbis terrarum Repub. in prudentissimorum et doctissimorum hominum conciliis, quorum non modo literae nos aequi et iniqui discrimen docent, sed exempla etiam et res praeclare gestae, ad virtutis studium adhortantur. Dixi.

Nr. 8. an. 1525.

Praef. in Officia Ciceronis.

Apud Crat. Myl. p. 712 sqq., in Declamat. T. II. p. 161., Richard. II. p. 263. et in Servest. II. p. 159. — Mylius in chronolog. scriptorum Mel. hanc praefationem retulit ad ann. 1525.

In Officia Ciceronis praefatio Phil. Mel.

Quid conferat lectio librorum de Officiis.

Quemadmodum vetant in exercendo sterili solo aut sumptus facere, aut sumere laborem, ita lecturis scriptorem aliquem in primis videndum est, quid doceat, et quam inde accessionem ad studia nostra facere possimus. Porro vix pauci in relegendis scriptoribus secum ipsi deliberant, ecquod operae pretium facturi sint. Et bona pars discentium in universum nescit, ad quem scopum studia omnia dirigenda sint. Proinde initio huius libelli et argumentum operis indicandum est, et quid conferat studiis nostris. Ea demum est solida eruditio de rebus moribusque recte iudicare posse, deinde quae animo comprehenderis perspicue et commode explicare, atque eloqui. Rerum cognitio ad iudicandum et ad parandam prudentiam est necessaria. Magna in primis optimorum verborum copia requiritur ad dicendum: Voco autem rerum scientiam, Physiologiam, Mathemata, praecepta de civilibus moribus: nam de religione hic nihil dicimus. Estque ad communem vitam in primis utile, ea tenere, quae de moribus deque civili vitae consuetudine tradita sunt. Beluam dicas, non hominem, quisquis non est excultus hoc doctrinae genere, et ad humanitatem et civilia officia assuefactus. Nam virtutis incunabula atque rudimenta sunt, hae literae, quibus ad honestatem teneri animi aluntur et incitantur. Porro non alius extat libellus de moribus absolutior Officiis Ciceronis. Diligentissime enim praecepit de omnibus vitae partibus, quid deceat quamlibet aetatem. Accedit etiam hoc, quod iusto ordine formas virtutum proposuit, ut extarent ob oculos lectoribus, tanquam regulae omnium consiliorum et factorum: fecit enim quatuor virtutis membra, prudentiam, iusticiam, fortitudinem, modestiam. Quae tanquam locos communes proponant sibi adolescentes, ut eo referant omnia de moribus consilia, et quos indicaturi, quid deceat, ceu Theseum filum sequantur. Nam ut Zeusis, cum Helenam Crotoniatis pingeret, inclusam habebat in animo pulcherrimam quandam mulieris speciem, seu, ut Graeci dicunt, ἰδέαν collectam ex optimis exemplis: ita iudicaturos de moribus, oportet animo tenere tanquam formas quasdam virtutum descriptiones, quas consulant, quas intueantur, in quas defigant oculos, quoties de honestate deliberant. Neque ego hic de religione dico, quae ex sacris libris petenda est. Civilis vitae consuetudo a Cicerone describitur, cum qua religio nihil pugnat. Scripsit de Officiis etiam divus Ambrosius, credo ut pueris inculcaret religionem, de qua videbat in Ciceronianis nihil praecipi. Verum ego religionem ex divinis literis censeo hauriendam esse. De civilibus moribus malim audire Ciceronem, qui maximis rebus gestis versatus in Repub. principe orbis terrarum, usu pleraque comperit, pleraque ex Graecorum scriptis, qui maximas civitates gubernarunt, vertit. Habes itaque quid hic libellus ad iudicandum conferat: Est enim vel prima prudentiae pars, tenere praecepta de moribus. Est autem Cicero res partitus in honesta et utilia. Honestatis partes in primo libro tractat, ubi primum virtutes definit Dialectica quadam consuetudine. Deinde congerit multa praecepta de moribus velut in acervum. In secundo libro res omnes enumerat, quas natura ad utilitatem seu usum hominum condidit, docetque quem ex quaque re usum percipere debeamus. In tertio confert cum honestate utilitatem.

Quid ad dicendum conferat libellus de Officiis.

Praeterquam quod, ut caetera Ciceronis omnia, magnum numerum lectissimorum verborum et figurarum suppeditabit hic libellus, ideo etiam ad dicendum plus aliquanto, quam pleraque alia scripta confert, quia locorum aliquot communium formulas, et propemodum simulachra continet. Porro cum hi loci virtutum ac vitiorum regulae sint, ad quas omnium mores et facta exigimus in iudicando, oratio etiam omnis referri ad eos debet, inde argumenta, amplificationesque petuntur, ut si quis ingratum dicat, multa illi non de persona tantum, sed de ipso vitii genere erunt dicenda, eritque danda opera, ut intelligant auditores, quanta sit in eo vitio turpitudo: Verum id nemo praestare poterit, nisi locorum illorum formulas bene meditatas habeat, et exempla veterum teneat, unde verba, sententias et ornamenta mutuetur. Erit itaque hic libellus velut penu, et sicut inquit Thucydides, κτῆμα, unde depromant orationem studiosi, de quacunque re dicendum fuerit, hinc argumenta, hinc sententias, hinc figuras, hinc apta verba excerpant. M. Cicero magnum instrumentum eloquentiae id esse putavit, habere locos in numerato

paratos atque expeditos, in quibus procudendis, multum profecto Ciceronis exemplis adiuvabimur. Quae enim potest de dolo malo, deque aequitate uberior graviorve disputatio excogitari? Ea de re in tertio Officiorum.

Plurimum etiam ad dicendum conducunt narratiunculae, quae sunt in hoc opere et multae et variae. Quondam in Rhetorica progymnasmata erant διηγμάτια, sic enim vocarunt, in quo genere, qui se volent exercere, magnam hic exemplorum copiam invenient. Et cum nihil sit difficilius quam commode narrare, non est alia exercitatio fructuosior quam haec. Quanta Deum immortalem elegantia, quantus lepos est in narratione gestorum Arati Sicyonii in secundo libro? Non minorem laudem meretur Gygis Lydi historia versa ex Platone in libro tertio. Similes autem multae sunt in hoc commentariolo, quas sibi studiosi omnes ad imitandum proponant. Eaque exercitatio non tantum augebit verborum supellectilem, sed quae mihi in dicendo pene maxima virtus videtur, bene disponendi scientiam. Nam indocti non tantum adulterinae monetae verbis orationem obscurant, sed ita etiam confundunt ac miscent omnia, ut intelligi nihil possit. Scholia alicubi brevissima adscripsimus, quae indicarent lectori orationis ordinem et dispositionem, quam qui deprehenderint, facile sententiam scripti adsequentur: nam de consilio autoris pronunciare aut iudicare nemo potest, nisi serie orationis animadversa. Ubi sententiam collegeris hic immorandum erit in singulis membris orationis, videndumque quo genere verborum, quibus schematis orationis usus sit Cicero. Estque cum illius oratione certandum et nostris verbis exponendum argumentum, ita fiet, ut et sententiam propius adspicias, et clarius adpareant lumina Ciceronianae orationis, ubi cum tua παραφράσει contuleris. Interea et verba et sententiae autoris obiter firmius adhaerescent animo. Sed faciamus in exordio periculum. Initio proponit se de Philosophia dicturum: Verum est addita occupatio, cur in tanta copia Graecorum scriptorum ipse Latine scribat, iisdem de rebus, quas Graeci copiosissime splendidissimeque tractaverunt. Et facta praeceptoris mentio, et urbis, et ut in distributione, sua cuique subiecta ratio. Estque περιοδικῶς cum occupatione coniuncta propositio. Quanquam extent de moribus sapientissime scripta multa a Graecis, et cum Cratippus doctrina, tum Athenae ipse exemplis te erudiri queant, tamen quia meus mos est Latina cum Graecis coniungere, volebam Latine ad te Philosophica quaedam scribere. Ad eundem modum in omnibus partibus orationis Ciceronianae, sententiae earumque figurae excutiendae sunt.

No. 9. an. 1525.

De Friderico Elect.

Prodiit: „Oratio dicta in funere Friderici Sax. Duc. Oratio de legibus. Oratio de gradibus. Praefat. in Aeschinis et Demosthenis orationes. Oratio Critiae contra Theramenem ex Xenophonte. Phil. Mel. auctore. Hagan. apud Io. Secer. 1525. 8." — Recusa apud Craton. Myl. p. 443 sq., in Decl. T. II. p. 584. et in Servest. II. p. 513., apud Richard. II. p. 663. Mortuus est Fridericus Dux. Sax. Elect. d. 5. Maii an. 1525.

Oratio dicta in funere Friderici Saxoniae Ducis.

Ego in hoc publico luctu acerbissimoque omnium dolore, cum erat vel interitus Sapientissimi Principis deplorandus, vel iactura Reipub. quam illo amisso fecimus maximam, deflenda, vel oratione levandae mentes procerum, aut etiam popularium, non modo non satis praesentem animum ad dicendum adferre me sentio, sed haec vox etiam testis officii pietatisque nostrae, moerore lachrymisque impeditur. Et cum praeclarae virtutes huius Principis hunc honorem, quo semper optime constitutae civitates summis viris parentarunt, in primis mereantur, graviter crucior, quod pulcherrima eius merita, praesertim in recenti luctu, a nobis ornari nequeunt. Nam cum Reipub. orbitate, quae in hoc motu, et his tenebris sapientiam huius hoc tempore tanquam lumen requirebat, vehementer perturbor, tum auget dolorem privatus luctus. Etenim cum vivum non modo propter beneficia quae extant erga me ab illo profecta innumera, coluerim, sed etiam propter insignem virtutem unice admiratus sim et amarim, non potuit fieri, quin tanti viri interitu valde consternarer. Nos igitur et ingenii inopia, et dolore impediti, non instituimus encomium laudum illius, tantum hac misera voce, et his lachrymis gratitudinem animi nostri declaramus, ut intelligi possit iucundam nobis illius virtutem, grata officia fuisse.

Sed ut intelligat rectius haec turba, quantam gratiam manibus huius Principis debeat, attingam obiter quasdam eius laudes, et tanquam procul ostendam. Et quamvis non sumo mihi tantum, ut oratione mea levari moerorem illorum posse sperem, qui iacturae magnitudinem intelligunt, quam hoc casu Respub. fecit, tamen spero fore, ut illa ipsa memoria virtutum, illius leniat acerbitatem luctus. Cum divinae literae doceant divinitus praefici Magistratus Rebuspub. et fato Principes dari, plurimum profecto superis haec debet natio, postquam talis contigit Princeps, qui cum esset primum natura factus ad omnes artes pacis, et ad humanitatem et mansuetudinem, nihil antiquius, aut prius populi salute habuit. Praedicent alii maiorum imagines et vetera stemmata, qua laude quanquam abundent Saxoniae Principes, tamen erant alia in Friderico maiora, scientia gerendi imperii, et animi magnitudo summa. Fallitur autem, siquis putat armis tantum et vi teneri Respub. plus ad eam rem momenti adferunt pacis artes, iusticia, moderatio animi, constantia, tangi cura publicae salutis, diligentia in dicendo iure, in dirimendis civium dissensionibus, tolerantia in perpetiendis vulgi erratis, severitas in cohercendis improbis, clementia in servandis his qui corrigi possunt. Ad vulgus in maiore admiratione sunt, clariusque cernuntur bellicae virtutes, et pluris fit miles aliquis athletico robore, quam moderatus et placidus civis. Togatae virtutes et urbanae, ut aliae res bonae latent, nec satis notae sunt imperitis. Itaque leviter laudari eos putant, quibus pacis studia artesque tribuuntur. Ego vero ita sentio longe praestare, sive quis utilitatem spectet, sive hominis naturam, castrensi usui pacis studia, nec patiar praeponi Augusto Principi quietis ociique amanti, Antonium Imperatorem magnum illum quidem, sed perniciosum Reipub. Nec Graecis plus contulit Alcibiades, quam Solon: Quorum alter bellum ex bello serens evertit patriam, alter legibus latis et civitate iure constituta non semel tantum servavit. Finxerat itaque Deus ad has utiliores et meliores virtutes Fridericum. Quapropter primum turbulentis Germaniae temporibus, tamen semper cavit, ne quo bello suae gentes vexarentur.

Quam mihi victoriam audet aliquis ad haec conferre, cum tam varii motus annis iam plus triginta in tota Germania fuerint, cum toties vis pararetur, multi, ut fit in regno, inviderent ei ocium, multi instigarent ad movenda arma. Crede mihi, non mediocris illa tum prudentia erat, tum fortitudo, animum atque iracundiam vincere, parcere populi vitae, et pecuniis, ratione, consilioque vim hostilem discutere. Periclem ferunt animam iam pene agentem, cum circumstantes amici praedicarent eius trophaea et victorias, dixisse illam laudem non tam suam esse, quam militum aut fortunae: hanc esse proprie suam, quod nemo civis sua causa unquam nigram vestem induisset, volebat enim docere, privatae dignitatis tuendae causa neminem unquam civem interfectum a se esse. At hic noster non modo privatas iniurias nunquam cum periculo ultus est, sed bella etiam et vim publicam ratione, sine civium caede oppressit. Verius hic de se praedicare possit: Cedant arma togae, quam Cicero, qui motum in Repub. civilem armis crudelius etiam quam res poscebat, vindicavit. Porro quemadmodum periculosis tempestatibus sine summa vigilantia, summoque labore navem servare incolumem gubernator non potest, ita tam duro tempore pacatam tenere provinciam tot annos, non est vulgaris ingenii opus. Et si victoriae sanguine partae trophaeis ac triumphis ornantur, quam grata nobis esse debet harum victoriarum memoria, ubi solius Principis consilio diligentiaque bella profligata sunt. Quod si intelligeret vulgus, quantam perniciem ac vastitatem foelicissimum etiam bellum adferat, et videret propius pacis commoda, profecto statueret nihil a Deo melius, nihil utilius, nihil divinius his regionibus dari potuisse, quam talem Principem tam pertinaciter fugitantem bella. Porro non caruerunt honore hae virtutes eius, dum enim vident publicis commodis tanta fide eum servire populares, tanquam patrem fere amarunt, nulla crudelitatis aut iniuriae suspicio haesit in ullius animo. Eratque id consecutus quod scribit Xenophon: Esse difficillimum et plane divinum, ut volentibus imperaret. Neque vero Principi quidquam contingere potest honorificentius, quam ut prudentiae et institiae laudem illi ultro concedant subditi, ut salutem suam tuto illi commissam putent. Sic ille aequitate diligentiaque domi forisque Rempub. pacatam annos plus triginta tenuit, legibus, moribus, aedificiis, ditionem undique exornavit, Id magis putavit regium esse, excolere, ornareque bono publico provinciam, quam maiores tradidissent, quam

cum multorum iniuria fines regni proferre amplificareque. Et ut Graeci proverbio monuerunt, Spartam nacto ornandam eam esse. Ita hic summa vi animi incubuit in hoc, ut tanquam domum paterfamilias redderet ditionem omnibus bonis rebus florentiorem. Possem hic etiam commemorare, quam periculosa dissidia exterorum Principum, quam multa bello autoritate sua diremerit: sed neque tempus longiorem orationem, neque vires meae ferunt, et plerasque res gestas notas esse vobis arbitror, quas si animo reputabitis, intelligetis summa prudentia, summoque consilio in Rep. versatum esse, et vere salutarem Principem et patriae et exteris fuisse. Ego profecto summam hanc verissimamque laudem eius esse duco, quod ita pacem tutatus est, ut tamen a bello provocatus etiam, abstinuerit: qua laude nihil excogitari Principe illustrius potest. Divina enim praeconia etiam meretur, nam cum mundus imperii possessionem vi atque armis defendi debere existimet, Christus contra, pronunciat beatos esse mites, et a saevitia alienos, eisque possessionem terrae pollicetur. Et paulo post, pacificos etiam filios Dei adpellat. Erant tamen in eo privatae etiam virtutes magnae, praecipuum religionis Christianae studium: nam sacra per omnem vitam religiose tractavit, et cum magna varietas opinionum de religione his temporibus fuerit, tamen optima certissimaque semper delegit. Et cum antehac Pontificum constitutiones, et quidam humani ritus pro religione soli docerentur in templis, praestitit ea quae in moribus erant diligenter, id quod ego specimen bonae mentis interpretor: et quia putabat illos ritus conducere ad assuefaciendos animos vulgi, invitandosque ad studium cognoscendae religionis, templa condidit, ceremonias invexit, accersivit undecunque qui sacra docerent. Et tamen accipio tum quum animo requireret sinceriorem tractationem Christianae doctrinae, saepe cum doctis viris confabulatum esse de vi naturaque religionis. O altam generosamque mentem, neque enim plebeios animos incessit haec cura contemplandae, pervestigandaeque religionis. Magnam quandam ingenii vim, et heroicam indolem animadverto in eo fuisse, cum tantopere arsisse studio perdiscendorum sacrorum video. Est autem profecto haec cura inprimis digna Principe. Saepe detestatum ferunt, siquis humanas rationes in causa religionis adferret, propterea inquit, quod nihil tam acute colligi posset, quin idem everti etiam queat argutando. Dicebatque optare se ut de sacris ex solo Dei verbo iudicaretur. Haec tum agitabat animus eius, cum religio tota esset obruta Monachorum somniis. Postea vero quam perpurgari coepit, et tanquam reviviscere Christiana doctrina, adplicuit animum ad eam penitus cognoscendam, ne quid temere aut probaret, aut damnaret. Ubi perspexit vim religionis, toto pectore amplexus est ea, quae ad suam mentem conformandam facerent, et pietatem alerent, ociosis disputationibus, quae ad aedificationem nihil conducunt, longum valere dixit, et in ritibus publicis, quia videbat prophanos quosdam homines contemptis publicis moribus, praetextu libertatis Evangelicae propemodum in belluas mutari, diligentissime cavit, ne quid mutaret temere, ne suo exemplo imperiti peccarent. Et sentiebat, id quod res est, publicam morum mutationem periculosam esse. Cumque de religione hoc modo, ut dixi, sentiret, et regionibus suis pure doceri sacra pateretur, quanta Deum immortalem constantia, quanto robore animi sustinuit invidiam, qua in Pontificio regno flagravit, vicit Pontificum fulmina, et minas summorum Regum, contempsit convitia vulgi, sacrificulorum sacra in quaestu habentium. Qua in re satis declaravit se ex animo vereque favere Christo, cum illius notam sibi inuri pateretur, cum in corpore suo illius stemmata gestaret, hoc est, cum ad Christi exemplum, ipse etiam laceraretur. Quid enim nisi perpetua carnificina animi fuit ille hostium impetus? Cuius mihi Eremitae ieiunia et vigilias, cum his afflictionibus audet quisquam conferre? Non profecto gravius oppugnatus est Ezechias, quanquam moenia Solymorum cinxisset hostis. Vidit hic quoque non semel expediri adversus se arma, et propemodum iugulo gladium intentari. Sed quia religionis causam sciebat humanis viribus sustineri aut defendi non posse, nihil ipse contra molitus, salutem suam et suarum gentium Deo committebat, et quemadmodum vir fortissimus apud Poëtam ait:

Quidquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

Ita patientia, moderationeque animi inimicorum saevitiam, quantum fieri potuit, mitigavit. Non vacat hanc laudem tractare pluribus. Praetereo iam quod schola constituta sensit, quantum adferat Rebusp. scientia literarum, quas vulgus Principum odit cane peius et angue. Omitto qua diligentia fideque amicos adiunxerit, colue-

rit, et quod in regno difficilimum est, retinuerit. Praetereo quae in adeundis periculis contatio fuerit, quae constantia in perferendis fuerit. Non dico quanta suavitas in familiari congressu fuerit, quanta in sermone urbanitas, quanta ingenii argutia fuerit. Non commemoro scientiam rei familiaris gubernandae, quae fuit in illo mira, et qua nuper annonam ingravescentem laxavit. Haec omnia animo repetenda sunt vobis, et memoria omnium illius virtutum ac meritorum revocanda, ut expendatis primum, quantam Deo pro tali Principe gratiam, deinde quantam ipsius manibus debeamus, nulla aetas ex animis nostris memoriam tantae virtutis ac beneficiorum delere debet. Amisit enim, miseros nos, patria non tantum Principem utilem ac salutarem, et diuturnae pacis custodem, sed patrem etiam a quo bonis omnibus rebus exornata est. Divinos honores meruerunt alicubi, qui culturam agrorum ostenderunt: Hic agrorum culturam, educationem sobolis, atque institutionem, negociationem constantissime tutatus est, pace per tot annos conservata. Amiserunt et studia nostra Maecenatem, nemo enim Principum, ingenia aut norat melius aut aluit benignius. Amisit universa Germania Senatus imperii Principem. In hoc plurimum bonis omnibus praesidii erat, ad hunc proxime in magno Germaniae discrimine detulerant rerum summam omnes ordines, huius sapientiam et autoritatem iudicabant parem esse gerendo imperio, hunc tanquam oraculum aliquod in ambiguis rebus consulebant. Et amissus est hoc tempore, cum tota Germania civili bello ardet, et ut ille dixit:

Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, saevit toto Mars impius orbe.

Cumque ad restituendam pacem, ad legum religionisque emendationem, huius autoritate, prudentia et animi magnitudine maxime opus erat. Nolim patriae male ominari, at metuo tamen, ne Deus iratus terris hunc eripuerit, ne quem haberemus idoneum publicae pacis autorem. Multis iam prodigiis iram suam significavit Deus, nata monstra, Soles complures visi, noctu irides conspectae, sonitus in aere tympanorum auditus, ut aut rerum omnium finis videretur impendere, aut singularis Germaniae clades. Accessit ad haec Friderici mors, quem unum habuimus Principem, cuius consilio publica mala sanari poterant. Et mortem tuam Friderice non defleremus? non doleremus vicem nostram orbati, non Domino, sed patre, alienissimo tempore. Coniecit oculos patria in fratrem tuum, illius se fidei tuto quidem committi sentit, sed ipse etiam putat se sui aliquam partem perdidisse, te extincto, animi tui praesentiam et robur in asperis omnibus rebus desiderat. Hic Senatus etiam ditionis dolore moestitiaque exanimatus, caput publici consilii, tanquam in Imperatorem exercitus in dubia pugna requirit, tua signa, tuam vocem sequi adsuetus. Sed nimium indulgeo dolori, quin recreo me, et colligo, quae luctum aliqua ex parte minuant. Sunt autem a sapientibus viris de brevitate vitae mortalium deque communi nascentium conditione disputata ad assuefaciendos animos, ut communia mala aequius ferrent. Quae nos hoc tempore non attingemus. Nam ego Friderico ipsi, quanquam et ratio et multarum rerum usus addiderat magnum quoddam robur ad ferendas res duras, tamen aliam puto maiorem, efficacioremque causam, firmo animo adeundae mortis. Norat enim ex Christiana doctrina, mortem esse generi hominum divinitus impositam, non modo, ut pro peccato poenam lueremus, quod erat sane miserum, sed, quod piis esse pergratum solet, ut morte deponatur peccatum, et ingrediamur immortalitatis iter. Porro et ante acta vita, et illa demum animi praesentia, cum iam pene animam ageret, argumento sunt sensisse suam Deo salutem curae esse. Nam praeterquam quod religiose muniit sese Eucharistia, et Christianis precibus, sic accipio respondisse sub ipsum vitae finem, cum consolaretur quispiam: Deus dedit, Deus abstulit, sit nomen Domini benedictum. O praeclaram vocem, et testem bene sentientis animi de Deo. Nam mihi crede, quisquis ita adfectus est, ut sentiat huius lucis usuram divinitus nobis concessam esse, deinde nos non temere occumbere, sed Dei arbitrio exuere hoc corpus, praeterea non tantum deponi vitam, sed Deo iam committi, postremo etiam Dei nomen in extremo discrimine praedicat. Is procul dubio animadvertit praesto adesse Deum portum et profugium periclitanti. Nam impia mens nescit se divinitus accepisse vitam, temere existimat se occumbere, nihil in tanta calamitate praesidii habet. Postremo execratur etiam divina omnia cum deseri se sentit. Hic vero implorans opem a Deo ipso, et postulans, ut aliorum precibus iuvaretur, non semel professus est, quid speraret, ut se reiecisset totum in Christum, interim etiam verissimo suavissimoque prae-

conio ornans Deum. Etenim cum quidam admoneret favere Deum afflictis, ipse subiecit clara voce atque alacri: Id vero mihi constanter de optimo Deo meo promitto. Multa insuper precatus, condonari sibi si quem laesisset: mentio etiam facta eorum, quibus videbatur subiratus, ut sentirent depositum odium fuisse. Multa constituit de Repub. deque privatis rebus, eodem vigore animi, quo in optima valetudine fuerat, quaedam ipse legit, multa dictavit, verbis et sententiis ita collocatis, ut pristinam mentis acrimoniam agnosceres, postremo ex sententia constitutis omnibus, lenissimo genere mortis extinctus est, ut satis adpareret, et morbis corporis vires diu iam fractas fuisse, et animum satis obsequentem, facilemque ad hunc extremum actum fabulae suae accessisse. Magnus quidam vir inter Graecos scripsit, Philosophiam mortis commentationem esse, putatque in eo summam esse sapientiam, si ad mortem obeundam bene comparatus assuefactusque fuerit. Sed eum puta recte assuefactum, qui ad Christi exemplum, Evangelii causa multa tulerit. Hic vero noster quam varie quassatus ac vexatus est annos iam aliquot religionis causa? Quae mortis et exitii simulachra interea animo obversata sunt? ut sperem venisse ad extremam hanc pugnam paratissimum. Quod cum ita sit, et cum ille commode hanc calamitosam vitam deposuerit, gratulemur ei potius talem vitae exitum, in quo tam multa signa extant, ut immortalitatem adeptus, non amisisse vitam, merito credi debeat. Et cum ipse aequo animo discesserit e vita, feramus ipsi etiam patienter voluntatem Dei, atque optemus potius, ut simili mortis genere, cum hinc evocabimur, defungamur. Foelicem existimemus Fridericum fuisse, in cuius vita tanta fuerit aequabilitas fortunae, quique illam animi sui lenitatem moderationemque ad extremum usque spiritum retinuerit. Pacem dedere superi per omnem vitam, mens contigit quae et in gerenda Repub. quia tuta semper consilia bello praeferebat, nusquam a fortuna destituta est, et in privatis rebus siquid adversi fuit, ut sunt humana, moderatione animi constantiaque vicit. Hic illi vitae cursus fuit securus, et foelix, qualem optare sibi alii Principes merito debeant. Agamus itaque gratias Deo, qui illi autor tantae foelicitatis fuit, quique regionibus nostris tam salutarem, tamque foelicem Principem donavit. Non debeo prohibere, ne iacturam publicam hoc amisso factam deploretis: Verum interea postulo tamen in his querelis, ut officii etiam vestri recordemini, ac gratias referatis Deo pro illo cumulo beneficiorum, qui tali Principe vobis contigit, et memoriam virtutum Principis animis vestris infigatis, cogitetisque quid illius etiam manibus pro summo labore et magnis aerumnis, vestra causa susceptis, debeatis.

Debetis autem hoc primum, ut salutem animae illius piis precibus Deo commendetis, deinde ut religiose pareatis optimis Principibus, qui huius vicem subeunt, et publicae salutis tranquillitatisque tuendae, turbulentissimo statu totius Europae provinciam suscipiunt. Hanc pro pulcherrimis meritis Friderici manes gratiam debitam reposcunt, quam nisi large praestiteritis, suscipietis non simplicem culpam. Non enim ingrati tantum adversus benemerentem Fridericum eritis, sed impii etiam in Deum et autorem beneficiorum, quae illius imperio accepistis et auspicem novi imperii. Nec erit impune ingratitudine Deum offendere. Precor autem Deum, ut Friderici animam pro sua misericordia servet ac tueatur, deinde, ut novum hoc imperium fratris fortunet, et his miseris temporibus has regiones protegat, et vobis mentem det, publicae tranquillitatis amantem, ut Principes vestros, quemadmodum divinitus praeceptum, summa fide religioneque colatis. Dixi.

No. 10. an. 1525.

De gradibus discentium.

Prodiit una cum antecedente (quam vide); recusa apud Crat. Myl. p. 483., in Declamat. T. I. p. 480., in Serv. T. I. p. 417., Richard. T. I. p. 130.

De gradibus discentium oratio Phil. Mel.

Notus est Ennii versiculus de veteribus moribus conservandis:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Idem profecto in re literaria praestiterit servari in faciendis gradibus discentium, qui non mediocri prudentia a maioribus instituti, nunc errore quodam hominum, qui videntur conspirasse ad abolendos semel omnes veteres mores, delendamque universam civilem disciplinam, antiquantur. Neque ego nunc suggestum conscendi digla-

diaturus cum eo genere, tantum adolescentes commonefacere decrevi, quo consilio et olim gradus instituti sint, et quantum ad communia studia literarum momenti adferret illorum conservatio. Est autem ad eam causam opus mihi aequitate vestra auditores, plerosque enim tantum fastidium cepit istius moris, ut tantum non totam Anticyram putent destinandam esse his, qui titulos istos graduum decerni sibi postulant. Ab his pro meo iure peto, ne nos ex hac schola exibilent, ne explodant, prinsquam orationem nostram cognoverint. Nam pronunciare, cum nondum cognoveris causam, id vero est iniusti et barbari iudicis. Et ego me sanis omnibus satis facturum esse in hoc negocio recipio.

Est quaedam in puerilibus ingeniis infantia et imbecillitas, quae non sufficit pluribus artibus simul discendis, sed sensim per gradus quosdam, ad graviores artes traducendi sunt pueri, dum ad fastigium artium pervenerint, hoc est, dum paraverint sibi scientiam non stulte de rebus humanis iudicandi, et mediocrem quandam sermonis copiam, ad docendos alios, demonstrandamque vim naturamque virtutis. Et quemadmodum non statim cibis durioribus ora infantium satis firma sunt, sed lacte diu aluntur, postea praemanso cibo, donec grandescant: ita pinguissima quaeque facillimaque deliguntur, quae infirmae primum aetati tradantur, deinde ordine disciplinae reliquae. Itaque prudentes viri in scholis descripserunt classes quasdam puerorum, ut secundum ingenii vires alii aliis disciplinis adhiberentur. Et in sua quisque classe, tanquam intra septa detineretur, ne imparatus, et tanquam sus in rosas irrueret ad obscuriores artes. In hunc modum gradus quidam facti sunt adolescentium, ut primum Grammatica Dialecticaque traderentur, quae primae artes planissimaeque sunt. Ubi videbantur has perdidicisse, non temere ipsi ad Physicen, aut alias artes irrumpebant. Sed praeceptores explorabant vires adolescentium, qui si probarentur, admittebant ad reliquas disciplinas. Nuper adhuc hoc servabatur in scholis, ne quis attingeret Physicen, aut Mathemata, nisi antea in Grammaticis et Dialecticis diu multumque versatus. Postea praeceptorum iudicio tradebatur ulterius, et primus ille gradus a Lauri bacca nomen habuit: Erant enim honesto titulo pueri ornandi. Postea Physicen, Mathemata, Ethica percipiebant, nec salutabantur hacc a limine tantum, diu immorabatur iuventus, dum penitus cognosceret, dum longo usu iudicium confirmaretur. In his tanquam praeludiis graviorum disciplinarum cum iam satis viderentur exercitati, praeceptores permittebant, ut sacra, aut Medicinam, aut Ius publicum attingerent, ad quas disciplinas usum puerilium literarum magnum et acerrimum iudicium volebant adferre. Itaque prius explorabantur hic etiam vires adulescentium, Magisterium fecerunt classi titulum. Profecto plurimum refert, quomodo instruantur praeparenturque ad severiores disciplinas adulescentes. Non sunt longe petenda exempla, nostri seculi morem videamus. Statim ubi in publicam scholam missi fuerint adulescentes, putant sordidi ingenii esse, diu haerere in Grammaticis, aut similibus nugis, properant alii ad sacra, nulla linguarum, nulla dicendi scientia antea parta, nulla humaniorum ac civilium morum cognitione, discunt inepte rixari de sacris rebus, nec ad vitae usum comparant. Volo ego quidem omnium aetatum, omnium vitae partium esse religionis studium, sed ea proponantur pueris, quae assequi possint, quae pietatem alant, quae mores forment, non unde petant rixandi materiam.

Quid de aliis professionibus dicam? In iure discendo videas versari, qui nullum prorsus usum aliarum literarum habent, cum tamen illud ipsum ius ex Philosophorum ac Rhetorum literis, tanquam ex fonte ortum sit. Iatricae vero manus admovere, nisi Physicen didiceris, est sine pennis volare. Nam clinica illa medicina tota ex ea Philosophiae parte nata est, quae elementorum cognitionem, motus varietatem, corporum naturam tradit. Porro dum hoc modo non perpoliti puerili doctrina irruunt ad severiores artes, infirmo iudicio literae omnes, artesque foede conspurcantur. Et quia ex literis rerum publicarum status comparantur, fit, cum parum sani pro concionibus et in iudiciis regnum gerant, ut varie quassentur Respub. Profecto satius erat nullas literas attingere, quam hoc modo tractare. Diu erant pueri Grammaticis, Dialecticis ac Rhetoricis alligandi. Multum temporis postea collocandum erat in Mathemata, et reliquam Philosophiam. Ubi maturuisset iudicium, tum erant adhibendi ad eas artes, quibus Resp. gubernantur.

Graeci agricolae, cum viderent maturescere segetes certo tantum temporis spacio, non colonorum opere, aut soli natura, dixerunt: Annus

producit, non ager. Cunque animadvertissent saepe immaturas segetes demeti magno damno, et fructum laboris superioris perire, proventum universum soli tempori tribuere, et patienter expectari voluerunt iustum messis tempus. Ita mihi in singulis partibus literarum, temporis habenda ratio videtur, ut et admoveantur ad eas artes adolescentes, quibus ingenii infirmitas adsequendis par est, et tantisper detineantur in his, donec maturuerit iudicium, nec messem properent facere ante tempus. Et quia facile iuvenilibus animis obrepit satietas praesentis studii, ut in eo detineri diu sine magno negocio non possint, ideo gradibus tanquam caveae includendi videntur. Ubi omnibus animi viribus cogantur in unum aliquod, ac certum negocium, quantum satis est, incumbere. Est omnino, ut de aliis omnibus rebus, utiliter praeceptum, *βραδέως σπεύδειν*. Ita in studiis non aliud perinde refert, quam ne intempestive properemus. Nunc fit, ut cum varias disciplinas pervagentur sine ordine sineque ratione, nullam penitus cognoscant nullaque de re prudenter iudicare queant. Et ut errones nullos certos lares habent, nusquam domi sunt, et ut inquit Martialis: Quisquis ubique habitat, maxime nusquam habitat, ita illi, cum tamen omnibus disciplinis sint hospites, nullam habent familiariter notam. Neque enim fieri potest, quemadmodum reliquit scriptum Xenophon, ut qui multa simul facit, omnia rite faciat, nec sufficit animus iuvenilis variis ac diversis studiis. Hoc in consilio fuit autoribus graduum in scholis. Neque ego nunc quenquam esse puto tam impudentem, qui hanc rationem damnare ausit. Quid enim in studiis conducibilius est ordine? hunc classibus gradibusque factis conservare conabantur. Vos etiam adolescentes, ut quanta fide potest fieri ac religione, detis operam, ut in discendo, iusto quodam ordine utamini. Nam hac confusanea discendi ratione, nisi Deus aliquis opem tulerit accisis rebus, vereor ne res humanae funditus evertantur. Dixi.

No. 11. an. 1525.

Praef. in Aesch. et Dem.

Prodiit primum simul cum oratione de Friderico, quam vide. Recusa apud Crat. Myl. p. 635., in Declamat. T. II. p. 59., in Serv. II. p. 59. et apud Richard. I. p. 376.

Praefatio in Aeschinis et Demosthenis orationes.

Non ignoro equidem, quantum onus subeam, quamque ancipitem ac difficilem rem suscipiam, cum interpretationem harum orationum Aeschinis ac Demosthenis polliceor. Neque enim mediocris est ingenii prudentissimorum Oratorum consilia, virtutesque in oratione perspicere, nec vulgaris artificis, divinas illorum sententias, latinis verbis repraesentare, et tanquam imaginem aliquam graecae orationis exhibere. Quid quod causam ipsam sine graecarum historiarum cognitione, sine scientia legum et morum Atticorum, ne adsequi quidem possis. Nos vero praeter caeteras difficultates mira inopia commentariorum etiam laboramus. Accedit huc, quod in aliis artibus ac literis, tractatione et studiis hominum, multa e tenebris eruta lucem accepere. Graeca qui excolerent et illustrarent, defuerunt hactenus in hac natione. Quae cum apud me cogito, sentio equidem, in quod me discrimen coniiciam, cum summorum Oratorum laudatissimas conciones propono. Nolo autem longiore oratione temeritatem excusare, aut de mearum virium imbecillitate ambitiosius dicere. De animo ac voluntate vere praedicare possum, me semper hoc spectasse, ut in hac schola studia honestarum artium excitarem. Neque nunc ob aliam causam has orationes proposui, quam ut iuventutem ad optimos autores et magistros, tum intelligendi, tum dicendi cognoscendos invitarem. Neque vero alienum videbatur, tanquam gustum illorum facturis proponere eas orationes, quae doctorum omnium consensu, omnibus in hoc genere scriptis praeferuntur, e quibus, tametsi pleraque nos fugiant, tamen possimus plurima decerpere, quibus studia nostra locupletentur. Notus est versiculus:

Est quodam prodire tenus si non datur ultra.

Proinde spero me non difficulter a bonis viris veniam impetraturum esse, quod maius aliquanto negocium suscipio, quam hae nostrae viriculae videantur laturae: Neque enim infirmitatem meam dissimulo. Et tamen operam dabo, ut hanc cura, diligentia, et fide, quae in primis in interprete requiritur, sarciam. Sed de meo consilio dicendum est parcius, quod de eo postea ex eventu iudicaturi sitis. Nunc officii sui commonendi sunt auditores, nam ut prudentes agricolae non sumunt operam in exercendo sterili solo, ita in

tractatione literarum insania est, attingere autorem, qui nostris studiis nihil foeneret. Primum itaque constituendum est, quaecunque ratio studiorum suscepta fuerit, quem fructum nobis polliceantur literae. Ego vero saepe alias monui, ita instituendum esse animum, ut duas has virtutes, scientiam iudicandi de rebus humanis, et facultatem dicendi, meminerit sibi omnibus nervis parandas esse. Et ad has, tanquam ad scopum, oportet referre vigilias, lucubrationes, denique studia omnia. Nam qui aut non formarunt iudicium literis, ut intelligant rerum ac morum discrimina, quaeque in bonis, quae in malis ducenda sint, aut non possunt ea quae sentiunt, perspicuo sermone docere, hi mihi praeter corporis speciem, nihil humani habere videntur. Deinde ita inter se coniurarunt Eruditio et Eloquentia, ut divellere nullo modo possis. Nam et orationem rerum scientia ex se veluti genuit, et oratio vicissim res ostendit. Iam caecutire in rebus iudicandis necesse est eos, qui recte dicendi cura vacant, propterea quod nihil perinde mentem acuit, et excitat, atque contentio illa et studium recte dicendi. Non est quod procul exempla petas. Nuper adeo qui Philosophiam profitebantur, non satis perspexerunt vim earum artium quas docebant, quia exponere perspicua oratione ea quae profitebantur, nemo conabatur. Proinde qui se ad literas discendas contulerunt, hi sibi persuadeant, et oleum, quod aiunt, et operam sibi perituram esse, nisi cum rerum scientia studium dicendi coniunxerint. Atque hac de re alias diximus. Porro harum orationum cognitio ad utrunque multum conducit. Nam ut Philosophi praecepta de moribus tradidere, ita hae orationes bonorum ac malorum civium exempla proponunt, quae multo efficacius virtutis studium nobis commendant, quam frigidae illae praeceptiunculae. Scipionem et plerosque alios illustres viros ait Salustius dicere solitos, cum imagines maiorum intuerentur, vehementissime animum sibi ad virtutem accendi. Quae autem bone Deus marmora, quae statuae conferri cum his orationibus merentur? quae alias improborum civium perniciosa consilia, alias honestas voluntates bonorum civium ita depingunt exprimuntque, ut nullius faciem imitari propius Apelles potuerit. Quare ita statuetis de his duabus orationibus, absolutissima quaedam exempla, in illustri sita loco, nobis ostendi, quae commonefaciant, quid in communibus moribus mereatur laudem, aut reprehensionem. Nam in insectando Demosthene, veram quandam imaginem sceleratae mentis fingit Aeschines. Contra ille, cum voluntatem optimi civis negat sibi defuisse unquam, boni viri simulachrum sculpere videtur. Explicantur praeterea multa maiorum instituta, leges ac mores, multa exempla, quae sunt obiter causae aspersa, in his orationibus invenies. Est enim sonus forensis huius dictionis, classico similis, et plenior aliquanto, quam historiae. Denique mihi videntur omnes Reipub. gerendae rationes melius hic tradi, quam in ullis Philosophorum disputationibus. Et cum historiam nemo non hoc nomine plurimi faciat, quod omnium civilium officiorum exempla tradat, quid huic orationum generi tribuemus, in quo exempla illa et consilia rerum gerendarum accuratius et copiosius? Nam cum ad pugnam hic instruatur oratio, fit, ut maiore negocio illustrentur omnia recte aut secus facta. Neque vero praesentes tantum auditores spectabant, sed ad posteros extare has orationes voluere testes suorum consiliorum, reliqueruntque haec, ut haberent posteri non modo, ut ait Thucydides, *ἀγωνίσματα,* sed *κτήματα,* hoc est, thesaurum exemplorum. Quid autem de eloquentia horum dicam? Nam haec praecipua laus est harum orationum. Equidem insaniam, si meo testimonio, meaque voce, accedere aliquid illorum laudibus existimem. Quare praeconio Ciceronis contenti erimus, qui cum Aeschinem amplissimis laudibus ornat, tamen in Demosthenica oratione, tantam eloquentiam esse iudicat, quanta includi in animis hominum possit. Locos nonnulli decerpsere, unde specimen aliquod eloquentiae istorum caperetur, sed velut, si praeclaram statuam dissolvas, quanquam insit in singulis membris suus decor, tamen minus clare percipi ac sentiri venustas videtur, quam si integra statua, videas suo quaeque loco collocata. Ita malim vos integras orationes oculis atque animo contemplari, quam sententiolas quasdam excerpere, e quibus reliqua oratio aestimetur, ut ex unguibus leonem aiunt. Nam si universam tibi proposueris, ibi vero senties, non modo quibus verborum aut sententiarum figuris, sed quo consilio etiam, et qua solicitudine dixerint, quam callide in populi aures irrepant, quam diligenter sese communiant, ubi alacrius procurrant in adversarium, ubi referant pedem, ubi ludificentur hostem, quae proprie

causae sint argumenta, quae ornamenta obiter accedant, quomodo in locos communes a causa expatientur, quo genere affectuum ac sermonis in singulis causae partibus utantur. Quae omnia qui diligenter spectarit, nae ille omnium humanorum operum nihil admirabilius oratione esse statuet. Quare vos adhortor optimi Auditores, ut diligenter has orationes cognoscatis, atque intueamini, faciet ea res et ad animi iudicium formandum, et ad locupletandam facultatem dicendi.

Toto coelo errant, qui hos Oratores, nihil nisi nugaces rabulas fuisse sentiunt: summis ingeniis praediti, maximo rerum usu, in gravissimis causis versati perdidicerant, naturas multarum rerum, et varias gerendae Reip. rationes tenebant. Hoc illi instrumentum, hanc scientiam plurimarum rerum adferebant ad perpoliendam orationem. Nam quae de fortuna Demosthenis dicit Aeschines, non sunt a plebeio ingenio profecta. Postquam enim omnem virtutis laudem illi detraxit, vere ne, nihil ad nos, pergit fortunam insectari, et vetat Rempub. illi committere, ne privata eius fortuna exitio sit urbi: vidit enim profecto vidit, non esse communem, ut vulgo putant, fortunam, nec ratione aut prudentia, quemadmodum Philosophi docuere, regi posse. Quam crudeliter autem saevit in adversarium cum industriae laude spoliat, fortunam etiam in omen vertit, ut ab eo tanquam a portento aliquo voluntates hominum alienet. Quid Demosthenes, cum Cyrsili exemplum commemorat? non vidisse putatis, quanta vis esset honestatis, quantumque pulcherrimi facti mentio, multitudinis animos, etiam in adversa fortuna delectaret? Itaque cum altissime introspexerint, et naturam rerum, et vim virtutis, et praeviderint omnia dicturi sapientissime, dubitari non debet, quin ad erudiendos animos, eorum tractatio plurimum conducat. Verum sunt, quibus parum religiose videor facere, quod tantum tribuo ethnicis, sed cum his non libet hoc tempore rixari, Tantum opto, ut pietatem, cuius se praetextu venditant, et ad religionis nomen confugiunt, tanquam in templa capitis rei, re praestare aliquando incipiant. Ego religioni non modo non officere has artes existimo, sed etiam ornamenta esse. Nam religio πολιτικὴν disciplinam, et civilia officia, quae scientia humanarum literarum continentur, adprobat, et religiose coli iubet. Impietas est in solo contemptu civilium morum collocare. Quid quod sine scientia linguarum, atque dicendi artium, non possunt commode religionis dogmata tractari. Quanto rectius erat beneficiis coelestibus religiose uti, atque diligenter excolere.

Neque enim dubium est, quin divinitus hoc tempore restitutae sint literae, ut in repurganda ecclesiastica doctrina recte pios adiuvarent. Itaque haud scio, an ulli religionem gravius laedant, quam qui in literas passim inter imperitos, non aliam ob culpam, quam quia non didicerunt, debacchantur. Idque hoc molestius est bonis viris, quia sanctissimum nomen Christi suo furori praetexunt. Valeant isti, quando morosiores sunt, quam ut patiantur se reprehendi. Vos interea officium vestrum facite, et pergite bonas literas sedulo discere, quae cum ad religionem conservandam, nonnihil momenti habeant, Christo gratissimum officium facietis, si strennue eas propugnaveritis. Dixi.

No. 12. an. 1526.

In laudem novae scholae.

In sel. Declamat. T. I. p. 457., in ed. Serv. T. I. p. 397. ed. Richard. T. I. p. 100. De itinere Melanthonis Norinbergam facto ad novam ibi conditam scholam inaugurandam, vid. Epp. ad an. 1526. pertinentes.

Oratio Phil. Mel. in laudem novae scholae, habita Noribergae in corona doctiss. virorum, et totius ferme Senatus. M. D. XXVI.

Quod vobis et liberis vestris, et universae Reipub. faustum foelixque sit! Amplissimi viri, quemadmodum optabatis, ludum literarium aperiunt hi, quos huc publico consilio ad docendas honestas disciplinas, accersistis, idque vobis mea voce publice denunciare voluerunt. Nam cum in scena hoc servetur, ut ante actionem de Poëtae voluntate, seu de fabulae argumento dicat prologus, postulaverunt a me isti, pro iure amicitiae, quae mihi cum ipsis pervetus est, ut ego velut fabulae ab ipsis agendae, prologus fierem. Neque mihi fuit integrum eorum voluntati deesse, tametsi impudentia erat committere, ut primas in dicendo partes facundissimis propemodum hominibus praeripere viderer. Sed vel cum aliquo meo periculo coniunctissimis hominibus fuit obsecun-

dandum, et suscipiendae partes, quas non ipse mihi ultro sumpsi, sed illi suo iure imposuerunt.

Quoniam autem hic locus postulat, ut consilium vestrum, quod de constituenda schola coepistis, ornemus, optarim hanc causam a facundioribus agi, qui pro dignitate praedicare, et magnitudinem rei oratione aequare possent. Nam mihi in hac infantia mea verendum est, ne culpa ingenii, laudes vestras deteram *) minime vulgaris sapientiae, et propemodum divinae. Etenim quod perspexistis vim et utilitatem literarum ignotam vulgo, longissimeque a conspectu multitudinis positam, conservandas esse, et asserendas ab interitu iudicastis, praesertim hoc tempore, cum ubique periclitamur, id profecto divinae cuiusdam sapientiae est. Quae enim alia res maiores utilitates toti generi humano adfert, quam literae? Nulla arte, nullo opificio, non hercule frugibus ipsis terra natis, non denique hoc sole, quem vitae authorem multi crediderunt, tantopere opus est, atque scientia literarum. Nam cum sine legibus ac iudiciis, et sine religionibus, nec teneri Respub. nec congregari coetus hominum, gubernarique possint, hominum genus ferarum ritu vagabitur, si hae occiderint, unde bonae leges procreatae sunt, nati boni mores et humanitas, per quas propagata religio ad nostram memoriam durat. Si quis parum fidei huic meae orationi habet, is earum nationum mores et vitae genus consideret, quae nullas norunt literas, quod ferunt de Scythis. Hi primum nullas habent civitates legibus constitutas, iudicia nulla, ius est quicquid fecerunt hi, qui aut viribus aut factionibus plurimum pollent, foris nulla commercia cum vicinis, nulla rerum commutatio, unum adversus famem praesidium est latrocinari multos, etiam hospitium carnibus victitare fama est, domi vero, non modo disciplina nulla, sed etiam affectus illi quos natura communiter generavit in animis hominum, fides coniugalis, amor sobolis, charitas propinquorum et familiarium, barbaris moribus extincti sunt. Nulla est scientia educandorum liberorum, sine qua boni viri nulli fiunt, nulla virtutis admiratio, nullus intellectus honesti, nullae honestis officiis copulatae amicitiae, non humanitatis ullus sensus. Postremo, nullae de religione deque voluntate Dei erga mortales rectae opiniones. Sic in genere sunt barbari alii plus, alii minus immanes, cyclopicam quandam vitam agentes. Nam cum in huiusmodi barbariem harum gentium mores degenerare necesse sit, nisi literis ad virtutem, ad humanitatem, ad pietatem excitentur ac formentur: praeclare sapienterque a vobis factum est, qui in urbem vestram honestas disciplinas, alumnas omnium virtutum, accersistis, quique pro viribus illas tueri, et conservare studetis. Porro his duris temporibus, in primis meretur laudari vestrum consilium, cum periculum est ne naufragium literae, in hoc fatali motu Rerumpub. faciant. Nam errore quodam vulgi scholae deseruntur. Quidam enim stulti concionatores a literis abstrahunt, magna pars ventri metuens, ad quaestuosas artes se recipit, postquam spes abiecta est, sacerdotum redditibus victitandi, quos solos, laboris sui praemia esse putabant. Quotus quisque enim tantopere virtutem miratur, ut gratis eam colendam esse ducat. Cum in hoc discrimine sit res literaria, decuit omnes Reges, ac Principes Rerumpub. periclitantibus disciplinis opem adferre. Sed nostri Reguli partim ita crassi sunt, ut precium literarum non intelligant, partim ita mali, ut tyrannidi suae expediri credant, leges omnes, religionem, et civilem disciplinam semel aboleri. Quid de Episcopis dicam, quos et sacris et studiis literarum nostri Imperatores praeesse voluerunt. Nec aliud fuerunt olim collegia sacerdotum, nisi scholae, et ut otium, ac sumptus discentibus abunde essent, amplissimi redditus collegiis constituti sunt. Nec omnino infoeliciter apparet olim ab eo genere hominum tractatas esse cum alias literas, tum sacras. Nunc videmus nusquam esse infestiores hostes bonarum artium, quam in illis sacerdotum sodalitiis. Proinde necessario tempore vobis in mentem venit, exulantes suis sedibus literas hospitio excipere, et tanquam domum deducere. Non pigeat adiecisse hoc decus reliquis ornamentis urbis vestrae, quae iam ante opibus, aedificiis, opificum ingeniis, ita floruit, ut conferri cum quavis laudatissimarum urbium apud veteres recte possit. Neque alia urbs in Germania doctiores hactenus cives habuit, qui quia ad gubernandam Rempub. scientiam optimarum artium adhibuerunt, effecerunt ut reliquis Germaniae urbibus haec longe praestaret omnibus. Nunc autem cum hic domicilium honestis disciplinis constituitis, ad illum cumulum laudum vestrarum, incredibile est quanta fiat accessio. Nam si pergitis excitare

*) *deteram*] detergam?

hominum studia ad discendum, praeclare merebimini primum de patria, et de exteris. Cum vobis authoribus recte fuerit instituta iuventus, praesidio patriae erit: non enim ulla propugnacula, aut moenia firmiora urbium monumenta sunt, quam eruditione, prudentia et aliis virtutibus praediti cives. Spartanus dixit, muros debere ferreos esse, non saxeos. Ego vero non tam armis, quam prudentia, moderatione et pietate defendi existimo. Deinde pertinebit hoc beneficium vestrum ad reliquam Germaniam, quae huc, modo faveat Deus incepto, excolendam erudiendamque iuventutem, missura videtur, et eos in primis idoneos ad moderandas Respublicas iudicabit, qui in hac urbe tanquam in ludo ad virtutem instituti, et assuefacti fuerint. Vehitur huius urbis nomen summis laudibus, ab hospitibus apud exteros, et vestro beneficio devinctos animos hominum tenebitis, quae vos hominum iudicia, nisi fallor, magis quam ulla imperia delectabunt.

Quanquam autem haec urbs plerisque dotibus, vel cum Massilia aliisque quibusdam urbibus veteribus certare possit, tamen malo iam earum urbium exempla vobis proponere, quae nostris temporibus florere praedicantur. Maximum beneficium paulo ante haec tempora in universam Europam urbs Florentia contulit, cum primum graecarum literarum professores patria pulsos iussit ad se diverti, et non modo hospitio iuvit, sed etiam reddidit illis sua studia, postquam amplissimis stipendiis ad docendum invitavit. In reliqua Italia professores artium e Graecia profugos, nemo aspiciebat, et una cum Graecia linguam, et literas graecas amisissemus propemodum, ni Florentia doctissimos homines calamitate levasset, quod absque Florentinis fuisset, futurum fuit, ut prorsus obsolesceret latina lingua, sic vitiata barbarie conspurcataque: et graecae linguae ne quidem ulla iam vestigia extarent, et occidissent una monumenta religionis nostrae, nec iam sacrorum librorum titulos, amissa graeca lingua, quisquam intelligerit. Nam Romae misere esuriebant exules illi, cum pontificiae opes, praecipue collocari deberent vel in calamitosos, vel in eos, qui tractatione literarum religioni operam navarent.

Theodorum Gazam, bone Deus, quantum virum aiunt, cum illos Aristotelis et Theophrasti libros in latinam linguam versos Pontifici offerret, codicem exhibuisse sumptuosius ornatum, ubi Pontifex interrogans, quanti ornasset librum, nihil praeter eos sumptus rependit, nulla authori pro laboribus, quos in difficilimo opere vertendo exhauserat, reddita merces. Porro ad exemplum pertinebat ampliora praemia dari, vel pro libro non perinde utili ut ille erat. Sed nec utilitas operis permovit Pontificem ad remetiendam gratiam uberiorem. Sed postquam Florentinorum beneficio honestae artes reviviscere coepere, magna utilitas inde ad omnes gentes derivata est, multorum ubique excitata sunt ingenia, ad optimarum rerum studium. Nam et Latinos homines Graecorum aemulatio ad patriam linguam instaurandam, quae pene funditus collapsa erat, extimulavit. In urbibus leges publicae emendatae sunt, denique expurgata religio, quae iacebat ante monachorum somniis obruta et oppressa. Qua de re quanquam variant hominum iudicia, tamen ego sic existimo, bonos viros rectius pervidere vim naturamque religionis, hoc tempore firmiora solatia conscientiae tenere, quam fuerunt illa, quae paulo ante monachi tradiderunt. Non dubium est igitur quin praeclare Florentia de omnibus gentibus merita sit, quae literas velut e naufragio in portum recepit, conservavitque.

Huius urbis exemplo, vos his miseris temporibus bonas artes defendite, cum Episcopi pro literis arma tractant, et reliqui principes hanc curam se indignam ducunt, passim tumultuatur Germania, et ad arma conclamat, et quemadmodum est in veteri versiculo:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.

Id his studiis maxime officit. Nam si inter arma silere leges, recte dixit Cicero, quanto magis hae nostrae artes obmutescunt, in otio natae atque alitae. In his motibus ruinam omnes bonae artes minantur, nisi Deus fulciat, ac his qui rerum potiuntur mentem det instaurandi literarum studia. Vos vero ne desistite urgere honestissimum et sanctissimum propositum. Etenim neque Deo gratius a vobis officium ullum, neque utilius civitati vestrae praestari potest.

Porro cum recte facta plerunque sequatur invidia, non dubito quin cum iniquis quorundam iudiciis vobis certandum sit. Sed est fortis viri invidiam in recte factis contemnere, fortasse certandum est vobis et cum aliis difficultatibus, quae consilia vestra in provehenda Schola, remoraturae videntur, quas ita vincetis, si cogitabitis, Deo vos in hac re morem gerere. Nam nisi literis

conservatis, durare religio et bonae leges non possunt: praeterea exigit Deus, ut liberos vestros ad virtutem ac religionem instituatis. Est autem non modo in superos impius, sed plane humana specie beluinam mentem tegit, quisquis non dat operam, ut sui liberi rectissime instituantur, hoc inter hominem ac beluam discrimen natura fecit, quod beluae deponunt curam sobolis, cum adolevit, homini iniunxit, ut ex se procreatos non modo in prima infantia alat, sed multo magis, ut mores eorum, cum adoleverint, ad honestatem formet.

Quare in primis in bene constituta civitate, scholis opus est, ubi pueritia, quae seminarium est civitatis, erudiatur, valde enim fallitur si quis sine doctrina solidam virtutem parari posse existimat, nec ad Respub. gubernandas quisquam satis idoneus est, sine scientia earum literarum, quibus ratio omnis regendarum civitatum continetur. Haec cum expendetis, non invidia, non ullis aliis difficultatibus patiemini vos absterreri, quo minus ad discendum vestros cives invitetis. De professoribus vestris hoc polliceri vobis possum, et eruditionem suscepto oneri parem esse, et in fungendo munere summam fidem futuram. Christum precor ut auspiciis gravissimi negocii faveat, et vestra consilia studiaque discentium fortunet. Dixi.

No. 13. (a. 1526?)

Praef. in Hesiodum.

Apud Crat. Myl. p. 613., in Declamat. II. p. 1., in ed. Servest. II. p. 1., Richard. T. I. p. 205. Recusa in libro: Hesiodi opera, quae extant omnia graece, cum interpretatione latina etc. Basil. 1564.

In Hesiodum praefatio Phil. Mel.

Quod in Plautina fabula histrio praefatur, iustam se rem venire oratum et facilem, id ego multo rectius hoc in loco praefari possum, dum non ut ille iocularc adulterium in scenam adfero, sed gravissima vitae praecepta, quosdam etiam de natura rerum, de siderum ortu et occasu locos. Decrevi enim Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας enarrare. Id ego poema postulo, ut summa cura diligentiaque studeatis cognoscere. Qua in re, quam nihil iniquum, aut indignum vobis, aut ab officio alienum flagitem, quanquam videre vos magna ex parte existimem, exponam tamen mei consilii rationem. Ego semper operam dedi, ut eos autores vobis proponerem, qui simul et rerum scientiam alerent, et ad parandam sermonis copiam plurimum conducerent. Nam hae duae partes cohaerent, et sicut Horatius inquit, amice coniurarunt, ut altera alterius ope stet ac nitatur. Neque enim benedicere quisquam, nisi pectus cognitione optimarum rerum instructum habeat, potest, et rerum scientia manca est, si lumen orationis adhibere non possimus. Et ut ad certa sidera nautae cursum omnem dirigunt, ita in his nostris studiis huc omnia referenda sunt, ut et scientiam recte de moribus, deque natura rerum iudicandi et explicandi res graviores, mediocrem quandam facultatem nobis paremus, utilem vero ad utrunque Hesiodum, quanquam rustici autorem carminis, Quintilianus esse iudicavit. Prior operis pars tota est ἠθική, continens vitae ac morum leges, profuturas vobis ad consuetudinem vitae et ad iudicandum de communibus humanitatis officiis, nam de religione non dico. Quod si putamus Iurisconsultorum commentarios, aut Philosophorum disputationes discendas esse, ut in civilibus negociis facilius prospicere possimus, quid aequum quid iniquum sit, et ex istorum literis colligenda esse simulachra iusticiae, aequitatis, aut aliarum virtutum censemus, iuvet eadem ab hoc Poëta petere, ex quo permulta mutuati sunt illi ipsi legum scriptores et Philosophi. Et est quaedam ex fontibus illa, si possis haurire, voluptas,

> Nam quanquam sapor est, (ut ait Ovid.) oblata dulcis in unda,
> Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae,
> Et magis adducto pomum decerpere ramo,
> Quam de caelata sumere lance iuvat.

Nam et reliqui scriptores, qui morum praecepta et leges tradidere, propter infantiam et sermonis inopiam vim virtutis ac formam germanam non potuerunt nobis ob oculos ponere. At Hesiodus expressam quandam imaginem vivis illustratam coloribus, nec adscititio vitiatam fuco, planeque talem, qualem Apellis color in tabulis spectandam exhibet. Porro ut architecti tenent in animo inclusas certas formas aedificiorum, quas imitentur in aedificando, et ut insidet in mente pictoris species pulchritudinis eximia quaedam,

quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigit, ita et nos oportet formam quandam virtutis animo insculpere quam contemplemur, et in consilium adhibeamus, quoties de moribus deque hominum officiis iudicabimus, id ita fiet, si optimorum autorum praecepta diligenter cognoverimus, et ex illis certam quandam omnium officiorum rationem collegerimus. Et ut ferunt Zeusem cum Helenam Crotoniatis pingere decrevisset, ex omni numero virginum eius urbis quinque delegisse, ad quarum exemplum Helenam pingeret, ita ex lectissimis autoribus debemus certam rationem virtutis excerpere, quae consilia omnia nostra regat et gubernet. Mihi autem inprimis ad eam rem utilis Hesiodus videtur, quia inter gnomologos scriptores citra controversiam principem locum tenet. Neque enim nuda praecepta tradit, sed alias in encomiis virtutis, alias in insectandis vitiis commoratur, et quod officiosissimum est ad absterrendos animos hominum a turpitudine, graviter et religiose docet, divinitus bonos praemia pro benefactis ferre, improbos scelerum suorum poenas luere. Animadvertit enim prudentissimus vir, natura nos duci, ut statuamus numine quodam haec mortalia gubernari, esseque Deum iniuriae ultorem et bonorum assertorem. Itaque multo gravius de moribus praecipit Hesiodus, quam Philosophi ulli, qui ceu gigantes in fabulis coelum exciudere conati, Deum ab administratione rerum submovent, et religione animos hominum liberant. Diogenes dicebat Harpalum, qui praedo foelix illis temporibus habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret. Quanto φιλοσοφώτερον Hesiodus docet prope adesse Deos hominibus, ac videre malefacta nostra? Vos quaeso ametis hoc poëma, et familiare vobis faciatis, quod quidem divinum esse, vel hoc argumento sit, quod ferunt Hesiodo pastori calamos a Musis donatos esse, quibus iam afflatus cecinit haec praecepta. Apparet ex Cicerone solitos olim sic pueros ediscere, ut certas preculas nostri pueri docentur. Et Graeci tanti fecere, ut in Helicone adservarint in plumbo descriptum poëma.

Hactenus de prima Hesiodici carminis parte. Posterior magna ex parte φυσική est, de natura terrae ac frugum, de tempestatibus, de siderum motibus, quarum rerum perliberalis et iucunda cognitio est. Nam cum hominum causa, et ad usus nostros haec rerum natura condita et fabricata sit, flagitium est velle totius pulcherrimam aedificii rationem contemplari, praesertim cum ea cognitio plurimum momenti adferat ad valetudinem conservandam, et ad plerasque alias vitae partes regendas. Quis est tam ferreus, quem si in theatro sedeat, cum ludifiunt, non aliquando incessat spectandi cupido? et cum nullum spectaculum, nulli ludi, plus voluptatis aut utilitatis adferre spectatori possunt, quam haec naturae varietas, mihi rectius viva cadavera quam homines videntur appellandi, hi qui neque mentem, neque oculos ad naturae considerationem convertunt. Postremo ad parandam scientiam bene dicendi, non parum confert Hesiodus, nam lectis verbis utitur, quae tempestive usurpata, et orationi dignitatem adferunt, et scientiae pondus addunt. Quantum putas accedit orationi gravitatis hac auxesi pene tragica, cum Reges δωροφάγους appellat? quam grata compositio est χειροδίκαι? Sunt hoc genus sexcentae figurae, quas non libet hic enumerare, ne quid amittant gratiae ex integra oratione, velut a corpore membra avulsa. Quid de tota orationis structura, deque sententiarum figuris dicemus? quae tantopere probantur Fabio, ut huic decernat in mediocri genere dicendi palmam, et princeps latinorum Poëtarum Virgilius, et Ovidius lectissimos locos in sua opera transtulerint, iudicarintque non leve ornamentum inde accedere suis poëmatis. Reddet haud dubie et nostram orationem locupletiorem et uberiorem, nec male collocabit operam, si quis ad graecum exemplar, ea quae nostri inde excerpserunt, contulerit, nam illa utriusque linguae proprietas certius deprehendetur, et figurae verborum et sententiarum animadversae clarius cernentur. Profuerit etiam, si locum aliquem floridiorem tuo Marte latinis versibus exposueris, quae exercitatio dici non potest, quantum acuat iudicium, quantum item ad alendam sermonis copiam et comparandam scientiam explicandi res obscuras faciat: sed haec inter enarrandum obiter monebimus. Quaerat aliquis, quid haec tota ratio discendi ad pietatem conducat? Est in promptu quid respondeam, ad immutandam mentem, imbuendaque religione nihil conducit, nam id efficit coelestis Spiritus per sacrum sermonem, sed ad cognoscendum sermonem sacrarum literarum, graecis literis opus est: deinde ut de sermone rectius iudicemus, et ut dogmata religionis

enarrare et explicare, quoties poscit hoc publicus usus, possimus, varie subigendum est ingenium, et omnibus disciplinis excolendum. Nam ut neglectis filix innascitur agris, ita in ingeniis nisi repurgentur elegantiore literatura, velut inutiles herbae natae, vim mentis omnem strangulant et enecant, ne aut pervidere res obscuras aut publicare, et in apertam lucem proferre queant. Magna quaedam virtus est eloquentia, et ut ille in Tragoedia dixit, rerum domina, quo de obscuris rebus ordine ac dilucide dicamus. Ea nemini sine magno usu earum artium, quae humanitatis appellatione continentur, variaque exercitatione contingit. Haec mea ratio est, cur has artes profuturas etiam studiis religionis existimem, qua de re non dicam hic longius, ne videar δὶς κράμβην, quod dicunt, adferre, cum alias hanc causam egerim. Vos autem quantum possum hortor, ut quemadmodum initio dixi, constituatis ipsi vobiscum, quem fructum ex studiis petere vos conveniat, et ut eam rationem studiorum ingrediamini, unde plurimum utilitatis ad vos privatim et ad Rempub. redit.

Est aliquid quo tendis, inquit Pers., et in quod dirigis arcum,
An passim corvos sequeris testaque lutoque,
Securus quo pes ferat atque ex tempore vivis.

Ita mihi multi postquam bonam vitae partem in studiis consumpserunt, nondum expendisse videntur, quid agant, aut qua in re collocent laborem, quam messem a studiis expectent, ea vero non simplex insania est, fitque ut dum diu didicere, nihilo certius de religione deque aliis rebus iudicent, quam vulgus. Etsi quando Respub. vocem vel consilium eorum flagitat, tum vero magis muti sunt quam pisces. Verum ut viator primum constituet, quo habeat iter, ita nobis in studiis ante omnia erat de fructu studiorum deliberandum: postea ineunda ratio compendiaria peragendae fabulae. Ita cognoscendi legendique scriptores omnes, ut de religione deque natura teneamus certum quiddam quod promamus, quoties usus vitae poscit, et paranda est copia sermonis, quam possis, cum aliqua res controvertitur, explicare animi sensa. Hunc putate scopum studiorum vestrorum propositum esse, ad quem omnes cogitationes animorum vestrorum dirigatis. Dixi.

No. 14. (a. 1526?)

De utilitate fabularum.

Apud Crat. Myl. p. 606., in Declamat. T. I. p. 656., in ed. Servest. I. p. 574., apud Richard. T. I. p. 300.

De utilitate fabularum oratio.

Non dubito, quin ut quisque modestissimus est, ita maxime miretur, idque merito, quid mihi puero, nondum primos oblito vagitus, in mentem venerit, cur hic in corona doctissimorum iuvenum dicere constituerim. Neque vero ipsi frontis adeo perfrictae sumus, ut in hoc auditorio, vel mutire ausimus, ni cogant honestissimae rationes. Nam cum huc prodire turpe sit, nisi cum eloquentia, tum autoritate, locum cum decoro tueri possis, verererque fore ridiculus, si tale quiddam hac aetate susciperem, quae quid possit, quantum sapiat, nemo ignorat. Iam ut eruditionem non desideres, primam in puerilibus ingeniis laudem verecundia meretur, in qua ni sentiam quam longo absit haec theatrica ostentatio, nae ego plane stupidus sim. Sed vicit has rationes praeceptoris mei autoritas, qui de ingenio meo periculum facturus, hanc dicendi provinciam iniunxit, quam si recusassem, parum pius videri potuissem. Sic enim existimo, praeceptori vel in re iniqua probum adolescentem parere oportere. Itaque malui quidvis videri, quam praeceptorum autoritatem detrectare. Quae pietas mea, facile, ut spero, me ab omni calumnia liberabit, impetrabitque a vobis, ut boni consulatis, quod nonnullo meo periculo praeceptori morem gerere studeo. Interim quo me consilio periclitari voluerit, ipse viderit. Iussit autem, ut de fabularum laude dicam, quod argumentum in speciem quidem puerile est, et huic aetati aptum. Caeterum si quis propius contempletur, intelliget ei prudentissimorum hominum eloquentiam vix parem esse. Quae enim literarum, quae vitae pars non aliquid a fabula mutuatur? Sed nos pro ingenii nostri modulo rem agemus, modo puerilem orationem audire non sit molestum. Efficiam autem, ni spes me fallat, ut intelligatis, non aliud genus literarum utilius esse repertum, quam fabulas. Quod ut verisimile fiat, primum causas aperiemus, cur a maioribus confictas esse iudicemus. Videbant illi communi mortales conditione, non corporibus modo, sed animis etiam

imbecillibus nasci, eamque legem, opinor, ita sanxit natura, ut educandae tuendaeque sobolis curam in parentibus augeret. Os primum inerme et edentulum est, sero admodum lingua, manus, pedes officium suum facere incipiunt. Estque tanta in tenero corpusculo imbecillitas omnium membrorum, ut ni vagiret infans, vivere pene nesciretur. Et huic corporis modo singulari beneficio natura convenientem alimoniam in maternis uberibus condidit, quod solidioribus cibis non statim os firmum sit. Itaque materno lacte infans tantisper alitur, tum viriculae firmiores factae, solidiorem cibum admittant, suntque autores medici, qui integro biennio solo lacte alendos censent, paulatim postea solidior cibus datur, nec ille tamen aliquandiu, nisi praemansus. Iam et alumnae manu infantis ore interitur, priusquam huius manus officio suo fungi potest. Omitto quanta industria, quantaque cura collocari in cunas in crepundiis gestari soleat, ut membris habitus suus, lineamentisque decor aliquis paretur. Atque hac corporis conditione, fallor ego, nisi natura velut spectaculo quodam animorum imbecillitatem adumbravit, monuitque quanta cura excitari, institui ac erudiri rudes puerorum mentes velit. Est enim sua his infantia: videmus quam sero agnosant domesticos etiam, speque metuque vacant, nullo rerum absentium sensu tanguntur. Proinde sapientes viri naturae vim propius contemplati, haud equidem sine mente reor, sine numine divum, viderunt animis suo quodam lacte opus esse. Quaeso te, nonne ridiculus fuerit, si quis infantem anniculum per urbes aliquot circumferat praecipiatque, ut illarum situs, item hospitum nomina accurate observet, memineritque, ut domum rediens, aequalibus recenseri possit? Ad eum modo ineptire iudico, qui talia pueris proponunt, quae captus illorum nondum assequitur. Est omnino veritate nihil venustius, nihil amabilius, sed longius a conspectu et ab oculis hominum recessit, quam ut cerni temere agnoscique possit. Suntque pueriles animi ad eam tanquam per gradus quosdam ducendi invitandique variis illecebris, ut subinde propius considerare liceat rem quidem omnium pulcherrimam, sed heu nimium obscuram ignotamque mortalibus. Et perinde atque qui se infantibus amari volunt, sacharo aut similibus rebus invitant, ita lenociniis quibusdam commendanda veritas est, et rudibus animis insinuanda. Excogitarunt itaque prudentissimi homines fabellas, quae primum admiratione excitarent, ceu veternum quendam dormientes puerorum animos. Quid enim magis novum nobis videtur, quam lupum cum equo, leonem cum vulpecula, quercum cum cucurbita hominum more colloqui? Taciti apud nos miramur, qui sensus, qui sermo bestiarum fuerit: paritque haec admiratio voluptatem quandam propius cognoscendae rei, iuvatque discere, quam ob causam haec conficta sint. Ibi paulatim animus excitatus, erigit se in contemplationem rerum humanarum, et agnoscere virtutum vitiorumque discrimina incipit. Deinde altius insidunt, cum verba tum sententiae eorum argumentorum, quae cum admiratione excepimus, et velut aculeos relinquunt in animis, quibus accendimur cura quadam pervestigandarum earum rerum, quae novo commento tradita sunt. Hoc opinor consilio, primum confictas fabulas, quod nulla dicendi ratione excitari supinae puerorum mentes citius posse viderentur. Fortasse hoc etiam agebant fabularum autores, ut amoenis argumentis ingenia puerorum mitiora redderent. Inest enim in ea aetate, sicut in recentibus pomis, acerbum quiddam et ferum, quod nisi humaniore institutione corrigatur, in barbariem quandam et beluinam saevitiam abit. Videmus enim hoc docendi genere usos esse quondam gravissimos et sapientissimos homines, quod nunc quanto malo publico e scholis exulet, non facile dixerim. Homeri Poëtae prudentiam tantopere mirantur eruditi, ut supra communem mortalium sortem vehant, planeque sentiant, divina quadam vi mentem illius percitam fuisse. At is pueris, quos in Graecia passim docebat, bellum ranarum et murium scripsit, ut simul teneros animos lepidissima fabula delectaret, simul doceret quantum praestaret dissimulare quam ulcisci iniuriam, quam sint incerti turbarum ac bellorum omnium exitus, nec raro accidere, ut ab inferioribus potentiores vincantur, saepe malum omne in autoris caput vergere. Nam cum mures nonnulla sane iniuria provocati, armis illam vindicare quam dissimulare mallent, nimiumque suis viribus adversus imbelles ranas fiderent, donarunt superi victoriam imbellioribus, et belli autores pertinaciae suae iustissimas poenas dederunt. Quaeso quid aeque retulit puerilibus animis inseri, atque odium bellorum ac turbarum, tolerantiae studium, et hoc genus alias humanitatis

artes? Hesiodum tanta fuisse prudentia apparet, ut carmen eius divinum videri voluerint, qui senserunt eum calamis a Musis acceptis vatem esse factum. Is vero cum persuasissimum suis civibus esse vellet, nihil foedius, nihil immanius esse violentia seu iniuria, rem ipsam velut in tabula depinxit, composito de accipitre et luscinia apologo. Docebat hic quoque graecam iuventutem, et non sunt contemnendi scriptores, qui Aesopicas fabulas ab ipso confictas prodiderunt

Dixi quo consilio putem repertas esse fabulas, potestque ex hoc velut fonte precium earum et utilitas aestimari. Neque enim tam prudentes viri fabularum autores his nugis unquam delectati fuissent, nisi ad erudiendas pueriles mentes, plurimum conducere sensissent. Quid, quod non modo pueris, sed celeberrimis etiam civitatibus fabulae salutares fuerunt. Cum plebs Romana cum patribus dissideret, secessumque est in sacrum montem, nec saeveriore ulla oratione flecteretur, missus est Agrippa, qui universam multitudinem lepido apologo, de ventre et reliquis hominis membris ita cepit, ut statim liberet in gratiam cum patribus redire. Demosthenes gravis Orator, cum Macedo ea conditione cum Atheniensibus foedus facturus esset, ut illi Oratores sibi dederent, qui perpetuis concionibus animos civium adversus se exacerbarent, iniquissimam conditionem Reipub. festivo quodam apologo dissuasit, quanquam ab ea non ita multum plebs diutino bello vexata abhorreret. Nam cum docere vellet in hoc postulari Oratores, ut urbs destituta Oratorum praesidio, regiae tyrannidi pateret, mira luce et perspicuitate, Macedonis consilium ante oculos multitudinis posuit hoc commento: lupos quondam cum pastoribus pactos esse, nihil se posthac hostile caulis illaturos esse, si sibi canes dederentur. Placuit stultis pastoribus conditio, canesque dediti sunt. Proinde ubi lupi viderunt excubias caularum sublatas esse, libere grassari in gregem coepere. Haec fabula cum docuisset quanti referret Oratores servari, Rempub. tantisper servavit, dum hoc consilium valuit. Miram quandam fabulae vim inesse, vel haec exempla testantur: necesse est enim efficacissimam orationem fuisse, quae implacabiliter iratis civibus Romanis arma e manibus extorsit, quae Athenienses graviter afflictos adduxit, ut quanquam una voce pacem omnes flagitassent, bellum tamen quam pacem mallent. Eat mihi nunc aliquis et praedicet vel Mercurii virgam, qua finxit vetustas animas orco evocatas esse, vel Orphei cytharam, qua sylvas et saxa traxisse ferunt, mihi quidem non minus admiranda esse musica videtur, qua concitatae multitudinis vis sedatur, atque ea quae bestias et saxa demulsit, et haud scio, an qui illa de Mercurio Orpheoque finxerunt, significare voluerint peculiari quodam dicendi genere rudes mortales et feros adhuc mansuefactos esse. Quod si verum est, consentaneum est id apologo effectum esse, quo orationis genere facillime capiuntur imperitorum mentes. Certe qui populis suis legem condiderunt, multa apologis simillima posteris reliquerunt. Quid enim illa Lycurgi scena? nonne apologum repraesentabat, cum exemplo duorum catulorum doceret, naturam et ingenitam vim institutione ac assuetudini vinci? Non libet hic peregrinas leges, peregrina instituta recensere, cum in sacris literis tam multum extet apologorum, ut satis appareat, ipsum coeleste numen ita iudicasse efficacissimum hoc orationis genus, ad flectendos hominum animos esse. Quaeso te, quae potest laus amplior contingere apologis, quam quod eos coeleste numen etiam approbat? Iamdudum, opinor, puerilium vos nugarum pertaedet: et ego partes meas esse sentio, ne diutius vos obtundam, quanquam mihi quidem adeo arridet argumentum, ut nulla unquam oratione arbitrer satis laudari posse. Quod est enim dicendi genus, in quo perinde cum summa utilitate summa gratia coniuncta est? Vere nimirum dixit Horatius: Omne tulisse eum punctum, qui miscuit utile dulci. Quae enim oratio, mores, studia, ingenia hominum propius expressit quam apologi? idque tanta cum gratia, ut nullis epodis incantari citius hominum mentes possint, quam cupiant apologi. Proinde aequales meos adhortor, si qua orationis meae est autoritas, ut ad discendos apologos se toto pectore conferant. Sunt qui nescio quibus obscuris autoribus tractandis ingenia atterunt, et magno labore desipere discunt. At apologi foelicissime excitant, exhilarant et erudiunt pueriles mentes. Ad haec cum extent latinae, orationem etiam velut molliore quodam succo alunt. Adeo sive moribus formandis praecepta quaeris, sive recte loquendi exemplum, nulli commentarii praestiterint utrumque, quam apologi, foelicius. Dixi.

No. 15. (a. 1526.?)

De miseriis paedagogorum.

Apud Craton. Myl. p. 593., in Declam. T. I. p. 577. et in Servest. I. p. 504., apud Richard. T. I. p. 142. — Haud dubie scripta a Melanthone in usum hominis, qui docebat in schola inferiore.

De miseriis paedagogorum oratio.

In Aesopi apologis queritur apud Iovem asinus de suis aerumnis, quotidianis se operis confici et enecari: sed est querela paedagogorum de suis miseriis iustior profecto, si res ad calculos revocetur, quam asini. Quis enim ullo in pistrino asinus tantum mali pertulit, quantum mediocris paedagogus in uno atque altero docendo tum laboris exhaurit, tum molestiae perpetitur? Quo in genere vitae, quia mihi aliquandiu versari contigit, et experiri quam sit calamitosum, libuit in praesentia de paedagogorum miseriis dicere, et communia mala nostri ordinis deplorare. Est enim quaedam in malis voluptas, libere conqueri, sicut Ovidius ait, cum scripsit:

Expletur lachrymis egeriturque dolor.

Proinde cum alios aequis animis de alienis negociis dicentes audiatis, et mihi quaeso meam agenti fabulam, verumque dolorem repraesentanti operam date. Et si ille apud Terentium, cum dicit, hominem se esse, nihil humani alienum abs se esse, recte iudicavit, humanum esse alterius miseria affici, debetis profecto et vos vice mea commoveri, et querelam meam patienter audire, mihique veniam dare, sicubi diutius iusto in commemorandis malis nostris commorari videbor; nam ubi dolet, aiunt, ibi manum quisque habet. Ego cum per inopiam ingenii sentirem me nil huc adferre posse, quod magnopere delectaret, et me quotidianae vitae consuetudo huius argumenti admoneret, gessi scilicet meo dolori morem, et hanc materiam sumpsi pro virili tractandam. Ex qua equidem non ingenii laudem, sed in hac carnificina quaedam curarum solatia captabam, plane mihi requies, non fama petita est. Nec me sinebant haec mala diligentius elaboratam orationem huc adferre. Sed dum dolori obsequor sine ordine incondita pleraque effudi, idque condonabitis, opinor, mihi facile, si qua miseratio mei tanget. Neque enim vacabat animo sic occupato verborum habere accuratiorem delectum. Sed exordiar aliquando causam, quam animus meminisse horret, luctuque refugit, et quaerar apud vos de conditione paedagogorum, quo genere hominum nulli mihi, ne quidem in ergastulis videntur in foeliciores. Primum enim cum traditur paedagogo puer docendus, et ad humanitatem ac virtutem informandus, videte quaeso quam duram provinciam plenamque miserrimi laboris ac periculorum capiat. Non ante matura aetas pueri videtur, ut mittatur in ludum literarium, quam cum domestica indulgentia corruptus est, et vitia tum intelligit tum degustavit, is non modo nullum amorem literarum aut admirationem, sed acerrimum erga illas odium, contemptum praeceptorum, turpissima exempla domo adfert. Cum eiusmodi monstro praeceptori decertandum est. Si doceas, peregrinatur animus pueri, et ut optime succedat, sexcenties idem inculcandum est, dum illi invito haereat in animo: cum paululum modo despexeris, rursus ex animo illa omnia toties decantata puero effluunt. Si reddere cogas quae didicit, tum vero videas plane ludibrio haberi praeceptorem. Nam puero, ut est contumacia, voluptas est admisisse aliquid, quod urat et exerceat praeceptorem. Si quis cogatur docere camelum saltare, aut asinum fidibus ludere, nonne illum egregie miserum dicas, qui frustra maximum laborem sumat? At id tolerabilius, quam nostros pueros docere. Nam ut nihil promoveas in camelo aut asino exercendo, certe illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri cum strenue defatigarunt nos, quam sunt insuper in nos contumeliosi? Invenias qui palam ausit convitium facere praeceptori, et manus auriculas imitatur mobilis albas. Et eiusmodi mores domo ad praeceptores adferunt, nihilo reverentius antea parentes tractaverunt, quam nunc magistros tractent. Et paulatim vertit in naturam mala consuetudo, ut corrigi et emendari haec vitia nunquam possint. Quid est si non haec est miseria, perpetuis curis ac labore in docendo frustra consumi et enecari? Deinde pro tuis meritis etiam ludos deliciasque et quidem puero fieri? Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in adversum montem volvere, quod tamen e summo iam vertice rursum labitur, et plani raptim petit aequora campi, significarique scribunt eo commento, irrito labore multos mortales confici. Mihi multo clarius repraesentari videretur inanis opera, si pingeretur ibi paeda-

gogus cum eiusmodi puero, qualem paulo ante descripsimus. Quanto enim maius negocium est paedagogo quam Sisypho, nec tamen maius operae precium fit. Illius in versando saxo simplex labor est, et cura vacat, paedagogi vide mihi quam multiplex negocium sit. Nunquam nisi coactus a praeceptore puer librum in manus sumit: ubi acceperit, oculi atque animus expatiantur. Ibi tanquam calcaria addenda quae admoneant officii. Enarrat aliquid praeceptor, iam illi delicato somnus obrepit, et securus in utranque aurem dormit, dum se paedagogus dicendo rumpit. Novum ibi negocium fit paedagogo expergefaciendi discipuli. Dictata repetuntur, experrectus adolescens iubetur adiicere animum ad ea quae traduntur, verum non est cura Hippoclidi, foris est animus tanquam in alio mundo, in ganeis, in alea, in perniciosi sodalitii ludis. Tantum abest, ut meminisse aliquid studeat, ut eam legem quae de conviviis extabat apud Graecos, *μισῶ μνάμονα συμπότην*, ipse de scholis latam putet, et incisam non in aes, sed insculptam animo circumferat *μισῶ μνάμονα μαθητήν*. Itaque si postridie dictata reposcas, quia perfluxerunt aures omnia, nil tenet. Ibi magistro redit labor actus in orbem. Orditur pristinam cantilenam, nec semel repetit, donec isti trunco unum atque alterum verbum infligatur. Quis est tam cornea fibra, qui non stomachetur, tantum operae se perdere, praesertim cum interea et valetudinis iactura facienda sit? Nam atteruntur et labefiunt corporis vires, non modo dicendi labore, sed etiam cura doloreque animi, quem, quia non respondent nostrae diligentiae studia puerorum, indignitas rei parit. Seculum in his miseriis consumitur, dum iste primas literas didicerit. Nec putet se iam defunctum esse paedagogus, haec tantum nostrae Tragoediae praeludia sunt, restat Epitasis multo aerumnosior. Infinitus labor est, os puerile formare, et ad latinam linguam assuefacere: nam cum lingua expoliatur consuetudine bene loquendi, eamque ad rem disertorum commercia multum momenti adferunt, primum, ut est negligentia, converrunt ex proximo, hoc est, a patria lingua omnem sermonem. Latine loqui, quia id difficilius erat, ne quidem conantur. Deinde quia sui similibus delectantur, eruditorum commercia procul fugiunt. Apud unum praeceptorem latino sermone utendum est, ad quem cum ventum est, Dii immortales, quale spectaculum committitur? Puer aliquandiu in statuae modum prorsus mutus est. Postea ubi se colligere coeperit, ac meditari verba, quia animus perturbatus est, oculi superciliaque pervertuntur, si videas, dicas comitiali morbo arripi: pervertitur et os velut cynico spasmo foedissimo rictu. Post ubi diu secum luctatus est, tandem vocem edit. Sed ne deprehendatur, si quod forte existet soloecum, stridet obscure. Quidam ingeniosi sunt in postrema syllaba et casu dictionis obruendo ne percipiatur. Iubet praeceptor clara voce pronunciare, ille iterat et verba cadentia tollit. Exaudit iam praeceptor, sed nihil nisi verborum portenta. Nec autores qui praeleguntur redolet sermo, nec cum grammaticis praeceptis convenit. Hic demum sentit se miserum esse paedagogus: nam cum ex studiis puerilibus non alius fructus petatur, quam ut expedite loqui possint, hic videt sibi operam et oleum in dicendo perire, in tam prodigiosa discipuli infantia. Sed quantae difficultates exorbendae sunt, tum huic vitio mederi studet? Dissimulandus ei dolor animi, iracundia reprimenda est, comitate puero perturbatio animi sedanda, blande invitandus est ad loquendum. Saepe trahendi longius de industria sermones, ut consuetudinem latine loquendi puero faciat. Haec una res cum plus satis adferat molestiae, tamen multo magis exercet praeceptorem stylus, quem, ut latina lingua fiat puero familiaris, adhibendum esse videt, ut usu scribendi confirmatus tuto loqui possit. Non enim unum remedium ad excutiendum istum veternum puerilibus ingeniis satis est. Sed cum nihil perinde ad parandam quam uberrimam sermonis copiam conducat atque assiduus stylus, non alium laborem tamen perinde recusant suscipere atque scribendi. Nihil est opus hic recensere causas: etenim nota vobis natura hominum nostrorum. Immane quantus labor est perpellere, ut vel toto semestri unum epistolion scribant? Ego vero comperi non aliam crucem nobis esse acerbiorem, quam cum istis cessatoribus quotidie rixari, cum officii monentur. Neque vero unquam cogi potest, ut unum versum scribat, nisi praeceptor adsideat, dictet argumentum, suppeditet verba. Iste cum inveniendi cura vacat, tum aegre dictata excipit. Sero hac consuetudine eo promoveris, ut suo Marte conetur scribere, si tamen unquam conatur. Nam illum crede virgula divina ad virtutem incitari, qui vel sero per sese conatur aliquid componere.

Quis non malit in pistrino molere, quam hanc tam molestam plenamque stomachi pervicaciam gerere? Sed fac istum tandem coepisse scribere, plurimum operae in emendatione scriptorum ponendum est. Est enim sceleratus praeceptor qui hac in re cessat, si Horatio credimus, qui negat bonum virum esse, qui cum censor fiat alieni scripti, vitia non reprehendat; est enim notus versiculus:

Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes.

Primum autem in corrigendis sermonis vitiis oculatus praeceptor non simplicem laborem sumit, dum grammatica errata mutat, dum obscure et ambigue dicta perspicue explicat, dum impropria corrigit, dum horridis addit nitorem, et figuris illuminat, et gratiora blandioraque facit. Porro relegere inepte scripta puerorum molestum est quamvis patienti praeceptori, quanto magis emendatio fatiget? praesertim cum plerunque ratio etiam cur quippiam mutarit, indicanda sit. Tum castigandi acrius qui negligentius scripsere, hortandi alii ut inceptum cursum urgeant. Neque vero tantum sermonis vitia monstranda sunt, sed in his qui iam nonnihil promoverunt, rerum etiam habenda ratio, et voluntates regendae. Quosdam enim convitia delectant, in aliis est ridicula vanitas et inanis iactantia, et fere mores stylus arguit. Haec vitia cum vires accipiunt, nec e teneris animis evelluntur, haerent in senibus summa cum turpitudine. Expendite quaeso, constent haec mediocribus praeceptoribus, vel si dociles habeant discipulos, et tamen nostris fere aut ingenia desunt, aut deest voluntas discendi. Duplicatur autem labor, cum summa vi ad officium cogendi sunt. Nam ut in acie parum foelix Imperator, si milites habeat primum ignavos, deinde quos non pudeat fugere, postremo qui non obtemperent, sed pugnent iniussi, locum capiant ex suo arbitrio, non servent ordines. Etenim apud Thucydidem egregius quidam Imperator dicit ad bene pugnandum requiri, ut velint milites, ut fugere pudeat, ut obtemperent Imperatoribus: ita in hac scholastica militia miserrimis curis praeceptor conficitur, cum docendos susceperit, qui primum non flagrant ulla cupiditate discendi. Nihil enim in omni vita egregium effici potest, nisi animus studio eius rei quam affectat, ardeat, et ad eam magno quodam motu atque impetu rapiatur. At nostri turpiter frigent in discendo, nec accendi ulla ratione possunt, magis cogi volunt tanquam pecudes. Deinde nec laudis amore nec pudore extimulantur. Porro cum hominum naturae proprie pudor insitus sit, quid esse nostros pueros dicam, quos adeo non pudet inscitiae? ego verius monstra hominum dixerim, quam qui mutilis membris aut caeci nascuntur. Est enim levius malum, mutilo pede esse, quam humana mente carere: isti enim simpliciter humana specie beluinas mentes tegunt, quos in re turpissima flagitiosissimaque sui nihil pudet. Postremo nunquam quisquam tam foelix praeceptor fuit, cui ita obtemperarit discipulus, ut praescriptam discendi rationem secutus sit, ut ad hos autores evolvendos alligari se passus sit, in quibus eum solis versari atque commorari tanquam domi suae praeceptor volebat, ut ad tempus scripta absolverit, ut ea quae edidicit statis horis memoria repetiverit, ut sermone castigatiore apud sodales usus sit. Nostri quidem nihil horum praestant, in carcerem se includi citius patientur, quam in uno autore detineri. Varietas grata est illi aetati. Itaque varia, sed plerunque deteriora legunt, si tamen aliquid legunt. Iam fodere malunt quam memoriam aut linguam exercere. Sic sunt pueri in genere, alii magis, alii minus ignavi. Nam etiamsi quis indole generosa est, tamen ea aetate parum in animis roboris est. Et quemadmodum longus labor est infantium corpora firmare, gestando, aliisque mollibus exercitiis, sic infantia ingeniorum non nisi sero curatur, postquam diu summa comitate docueris et adsuefeceris, nec aliter tractaris atque suos alumnos nutriculae tractant. In tanta inertia istorum, cogitate quid animi praeceptori sit, nimirum idem quod Imperatori, qui abiecta victoriae spe, intelligit hosti salutem, tum suam tum patriae scelere exercitus sui proditam esse. Consumitur acerbissimis curis, videns tam male locari gravissimos labores in iuventute formanda.

Dixi hactenus de aerumnis, quas in docendo tantum perferimus, restat altera officii nostri pars longe difficilior superiori, cura regendorum morum. Quid ibi mali non videt praeceptor? Primum aetas illa natura ad vitium propensior est. Et Plato scripsit, nullam beluam intractabiliorem esse puero. Itaque tantopere sudabit praeceptor in regendis his, qui domi summa diligentia parentum ad religionem et ad bonos mores instituti sunt, ut leonem aut ursum experiatur facilius posse gu-

bernari, quam hos. Et tamen in scholas quotquot fere mittuntur, pessimos mores, turpissima exempla adferunt, ut refingendi sint de integro. Est autem difficilius, prava quae semel insederunt, dedocere, quam recta docere. Scitis enim musicum illum gemina mercede docuisse, qui ante sub aliis magistris male assuefacti erant. Pugnamus ergo cum ingeniis puerilibus, quae per sese ferocissima sunt, praesertim in Germanis et domestico usu corrupto. Videte enim istos bonos parentes, quorum multi se Evangelicos vocant, cum in ea aetate prima esse tradendae religionis cura debeat, hi ne quidem sacras preces, Decalogum et hoc genus alia domi docent, plerique parentes contemptum religionis docent. Tam corruptum hoc nostrum seculum est, ut iure possis dicere, deceptum esse Satyricum, cum dixit:

Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
Posteritas.
Omne in praecipiti vitium stetit.

Neque enim dici potest quanta accessio scelerum omnis generis, nuper adeo ad vetera vitia facta sit. Domestica disciplina periit, quae tamen nobis pueris erat mediocris. Magna diligentia domi tradebantur elementa pietatis. Nunc alia res est, ridentur sacra, eamque summam sapientiam ducunt. Et quia Dei metus exemptus est animis puerorum, ruitur in omnia vitia, quorum ego iam memoratione non delector. Proinde cum in scholam ventum est, necesse est sumi in docendis primis pietatis gymnasmatis operam. Sed quid discerent infecti ante impiis opinionibus? Sed ut mediocriter succedat, tamen in officio retinere quantus labor est? domi retinere, arcere a corruptis sodalibus, a ganeis, ab alea, et reliquis similibus? Hoc qui potest, illum ego non hominem, sed plane Deum quendam coelitus in terras publicae salutis causa delapsum esse pronunciavero. Mille artes excogitant pueri fallendi praeceptoris. Et in pluribus tantus furor est, ut palam contemnant imperium. Quia enim a literis perpetuae feriae sunt, ocium et docet et alit vitia. Est enim verissima sententia, quam reliquit scriptam Columella in praeceptis quae patrifamilias praescribit, Nil agendo fieri, ut homines male agere discant. Iam ubi domo tanquam e carcere refractis repagulis fugerit adolescens, miserrimae curae subeunt animum praeceptoris. Quae ille in fabula Mitio sibi venire in mentem dicit de filio, eadem praeceptorem sollicitum habent, ne ille uspiam ceciderit, aut perfregerit aliquid, aut vulnus acceperit, et hoc genus alia: quare iam cogitat sibi summa vi coërcendum esse discipulum. Et cum hactenus a plagis abstinuerit, hic demum ad ferocitatem castigandam promuntur virgae. Nam nostri homines non nisi plagis coacti, sicut de Phrygibus in proverbio est, imperata faciunt. Hic ille miser supra tot mala carnificinam cogitur exercere, rem miserrimam, quaeque vel in primis noceat valetudini nostrae. Nemo enim tam ἀπαθὴς est praeceptor, quin ex contumacia adolescentium commoveatur, quemque non perturbet in verberando impetus? Quid iam de cura valetudinis puerorum dicam? quid de sumptibus moderandis? quid de rationibus sumptuum perscribendis? quae, ne nimis longum faciam, cogor omittere. Etenim

Non mihi si centum linguae sint oraque centum,
Omnia curarum percurrere nomina possim.

Postquam praeceptoris labores recensui, nunc videte quae vicissim pro his tum merces tum gratia redeat. Haec vero est tragica catastrophe: superiora omnia ludum et iocum dices fuisse, prout haec mala sunt quae restant commemoranda.

Primum merces adeo est exigua, ut Satyricus ea de re questus scripserit:

Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae.

Iure sterilem cathedram dixit: nam fossorem pluris quam praeceptorem conducunt. In his miseriis algemus, vivimus siliquis et pane secundo, et vix nos a fame defendimus. Videtis enim meam maciem, videtis ut lacer incedam, quae si fortuna fecisset vel bibliopolam, scitis quale sit id genus, ego iam auro onustus incederem, tanquam aliquis satrapa.

Deinde summa ingratitudo puerorum est, qui non modo nullum se a nobis beneficium accipere dicunt, sed neminem peius de se mereri arbitrantur quam nos. Qui nihil discunt, nos perinde ut literas acerrime oderunt velut suos carnifices. Quidam alii leviter degustatis literis, cum iam aliquam induant eruditionis persuasionem, sic placent sibi (nam id solet ea aetas) ut praeceptores nihil merentur, seque iam ad summum fastigium eruditionis pervenisse putent, ubi ex alto nos despiciant. Et non modo non vident quam curtam habeant supellectilem, sed ne id

quidem expendunt, quibus acceptum ferre debeant id quantumcunque est quod didicerunt. Nec ego interea recito quam variis contumeliis nos adficiant, ut suspendant naso, posticis sannis petant, si quid moneamus. Videte quaeso quam misera conditio nostra sit. In eam aetatem beneficia nostra collocantur, quae nondum benefacta intelligit, tantum abest, ut mutuo amore nos complecti, aut gratiam habere pro nostris officiis queat: sic pereunt nobis beneficia nostra magis quam ullis mortalibus. Nam etiam cum senuere discipuli, quia beneficii memoria, non solet esse diuturna, nemo iam praeceptorum meminit, quidam etiam malam gratiam reddunt, ut Nero fecit. Neque puerorum parentes pluris nos faciunt quam ipsi pueri. Non expendunt depositam a se liberorum curam nobis imposuisse. Tota enim regendi docendique pueri provincia nobis tradita est plena sollicitudinibus et periculorum. Ipsi domi suae secure suum negocium agunt. Et iam cum mercedulam dederint, ut exprobrant nobis suum beneficium? Si quid recte fecit filius, nihil laudis adscribitur praeceptori. Si quid peccavit, accusatur praeceptor. Diogenes cum adolescentis gestum in edendo reprehensurus esset, paedagogo impegit colaphum. Sic isti, quicquid peccant liberi, transferunt culpam in praeceptores. Talis gratia nobis summis laboribus et curis redditur. Si quis huc conferat pro nostris omnia vitae genera, inveniet in nullo tantum calamitatum quantum in nostro, planeque affirmare ausim, nos omnium mortalium longe aerumnosiores esse, qui cum summos labores obeamus, in summa tamen inopia vitam aegre traducimus, et interim nullo non contumeliae genere adficimur a discipulis, ab illorum parentibus, denique ab his, de quibus praeclare meremur. Neque quisquam opinor vestrum est tam ferreo pectore, qui *) si haec consideret, vehementer misericordia nostri commoveatur. Supersunt autem multo plura mala, sed ego defessus sum hac commemoratione, et tempus vetat prolixiorem esse orationem. Itaque ut finiam, sunt mihi in hoc extremo actu discipuli nostri commonefaciendi, ut quoniam audierunt sua vitia accusari, ignaviam, contemptum literarum, amorem voluptatum atque ocii, ingratitudinem, admoniti a nobis dent operam ut haec emendent, ita et nobis minuetur labor noster, et ipsi domum summa cum laude redibunt, et adferent egregium instrumentum rei familiaris conservandae, dignitatis comparandae et Reip. gerendae. Nam cum vacui domum redeunt, quid accidit? quia nihil didicerunt, nullius usus sunt in Rep. domique cum summa ignominia vivunt. Deinde quia in ocio multa vitia contraxere, ea haerent in illis, potant, amant, latrocinantur, ut publicum odium urbis fiant. Exitus autem his moribus respondet, alii inter pocula occiduntur, alii suas fortunas in alea perdunt, alios perdidere amores. Possem infinita exempla recitare, si sineret tempus. Sic enim Deus poenam sumit de his, qui primum Deo autore adhibiti ad discendum, non faciunt suum officium. Nam quod parentes iussere, id Deus tanquam sua iussa fieri voluit. Deinde malam gratiam benemeritis praeceptoribus reddunt. Noli enim putare ullum esse scelus, quod perinde offendat Deum, atque ingratitudo; sic enim scriptum est: Fore ut non recedat malum a domo ingrati. Quantum autem Doctoribus debeatur, tum inde existimari potest, quod in vicem parentum succedunt, et illorum affectus erga pueros induunt, tum etiam Paulus commonet, cum ait: Duplici honore dignos esse Doctores. Proinde si cupitis ut fortunet vobis Deus universum vitae vestrae cursum, date operam, ut vicissim ea praestetis, quae ille a vobis exigit, ut gnaviter obeatis provinciam vobis a parentibus commissam, et ut praeceptores vestros amanter complectamini, et religiose colatis, ut et nostra studia et nostrum amorem erga vos augeatis, et mala nostra vestra commoditate mitigetis. Dixi.

*) *qui*] potius *quin*.

No. 16. an. 1527.

De capta Roma.

Prodiit: „Oratio C. Crucigeri habita in promotione Magistrorum. Deploratio captae Romae. Declamatio de vestitu. Encomium formicarum scriptum ab Erasmo Ebnero cum epist. Phil. Mel. ad Sim. Grynaeum de astronomia. Viteb. apud Io. Clug. 1531. 8. pl." — Recusa apud Crat. Myl. p. 501 sqq., in Declamat. T. I. p. 684., in ed. Serv. T. I. p. 599., apud Richard. T. I. p. 682. — Roma ab exercitu Caroli Imperatoris capta et direpta est d. 6. Maii an. 1527. Videtur Ienae recitata esse, quo pars Academiae Witeb. secesserat propter pestem.

Oratio cuiusdam studiosi de capta et direpta urbe Roma, anno **1527.**

Etsi intelligebam eos qui hoc loco pro more scholae fictas fabulas agunt, multo minus oneris susti-

nere, quam qui veras causas tractandas suscipiunt, tamen me, non fiducia ingenii, quod sentio quam sit exiguum, sed magnitudo doloris perpulit, ut hunc in locum non fictum argumentum ex veteri aliqua tragoedia, sed historiam adferrem nimis quam veram. Sum enim dicturus de crudelissima urbis Romae direptione, et deploraturus indignissimum casum civitatis, omnium reginae atque dominae. Etenim cum nemo tam ferus sit, tamque prorsus ab hominis sensu alienus, qui non acerbissime ferat indignam patriae, quae genuit quaeque educavit, fortunam, quo tandem animo nos accipere urbis Romae interitum atque excidium decet, cum ea urbs una in terris fuerit omnium gentium communis patria? Ego profecto non minus illius calamitate commoveor, quam eius ipsius oppidi, quod me primum nascentem excepit, adversis rebus perturbarer. Cum igitur esset hoc in loco mihi pro more dicendum, non potui, cum esset animus dolore occupatus, alia de re orationem instituere. Ubi dolet, inquiunt, ibi manum habet: Quare cum assiduo versaretur ob oculos eius urbis direptio atque incendium, quae nobis leges, quae religiones, quae omnes honestas disciplinas tradidit, denique a qua plura beneficia, quam ab ipsa patria, in qua quisque genitus est, omnes accepimus, coëgit me magnitudo doloris, de fortuna urbis deque miserrimis temporibus queri, praesertim in hoc coetu, apud homines doctissimos, qui intelligunt quantum huic urbi, ex qua literae, et humanitas huc importata est, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia Virgilius praefatur:

> Quis cladem illius noctis, quis funera fando
> Explicet, aut possit lachrymis aequare labores?

ego multo iustius usurpem: nulla est enim tanta eloquentia, quae atrocitatem huius rei pro merito exponere possit, quaeve explicare queat, quantam ruinam omnium optimarum rerum, huius unius urbis eversio secum trahat. Quid ullo seculo accidit indignius, quam quod ille ipse exercitus, qui a Caesare in Italia ad salutem omnium bonorum, ad custodiendam urbem, imperii arcem, collocatus erat, illi ipsi urbi nefariam vim, contra optimi Principis Caroli voluntatem, contra disciplinae militaris leges, contra auspicia, contra maiorum exempla, intulit. Est enim liberandus culpa Caesar, qui etiamsi iustis de causis Romano Pontifici irascitur, tamen hoc exitu victoriae minime delectatur. Neque enim obscurum est, eum natura ad clementiam moderationemque duci et a crudelitate abhorrere. Et cum maiores suos nomen ac titulum imperii in hanc nationem a servata urbe Roma intulisse videat, dubitari non debet, quin in illorum intuens exempla, intelligat omnes imperii opes ac vires ad huius urbis salutem defensionemque maxime convertendas esse, et ab illa vim atque vastitatem depellendam. Quam multos numerare potest, cum imagines avitas aspexerint, qui turbulentissimis tempestatibus urbem Romam maximis terroribus liberaverint, qui quanquam periculosissimis bellis domi impliciti, tamen velut ad patriam defendendam huc summa virtute accurrerint, quia in huius unius urbis periculo periclitari omnium gentium salutem existimabant. Huc adde, quod nullius regiae familiae, si quis omnes numeret, plura clementer aut pie facta recenseri possunt, quam Austriacae. Et maiorum suorum adeo non dissimilis est Carolus, ut quantum omnes imperii magnitudine antecedit, tantum etiam vincat clementia. Quod enim in ulla historia factum clementius legitur, quam quod inimicissimum Regem, a quo bellum contra ius gentium motum erat, captum in acie, non modo dimisit incolumem, sed etiam devinctum affinitate, in regnum restituit? Tantam clementiam ac bonitatem nulla humana vox pro dignitate praedicare atque ornare potest.

Longe igitur fallitur, si quis in tale ingenium tantam iracundiam cadere existimat, ut ullas quamvis magnas iniurias hoc modo ulcisci voluisse videatur. Ille vero privatum dolorem, vel urbi ipsi, a qua imperii nomen habet, vel tot sanctissimis aris, vel aliarum gentium, quae suas Respub. sine huius urbis consilio tenere non possunt, utilitati condonasset, quamvis iratus, si licuisset ei praesenti, rem subitam minimeque expectatam regere ac gubernare. Quare Caesar nullo modo in hac oratione accusandus est, qui exercitum in Italia ad custodiam tranquillitatis publicae habuit, non ad latrocinium exercendum, non ad evertendam urbem imperii arcem, non ad prophananda templa, non ad diripiendas bibliothecas, non ad trucidandos sacerdotes, non ad virgines et honestas matronas rapiendas. Haec cum omnia tegi suis armis suoque exercitu Imperator vellet, exercitus, ut saepe alias accidit, contra disciplinam militarem, contra fidem Imperatori datam, avaricia, ad diripiendam urbem opulentissimam,

quam sine praesidio esse animadverterat, incitatus, omnia divina atque humana iura violavit. Hos latrones optimo iure accuso, qui iniussu Imperatoris sine legitimis ducibus urbem Romam invaserunt. Finge iustam causam fuisse Romae invadendae, tamen seditio est, sine legitimo imperio impetum in quenquam facere. Quid autem tam contrarium militiae est, quam seditio? quia hanc unam ob causam iure gentium bella geruntur, ut coherceantur hi qui per seditionem, sine Magistratuum autoritate, arma capiunt. Non igitur milites vocandi sunt, qui iniussu Imperatoris urbem expugnaverunt, sed quoniam ius gentium commune violaverunt, hostes non modo imperii, sed universae societatis hominum. Romani aliquot Imperatores alii in filios, alii in principes cives capitaliter animadverterunt, quia iniussu Imperatorum; cum legitimis hostibus provocati pugnassent, fuitque tanta disciplinae severitas, ut hostium loco haberentur, qui praeter Imperatoris edictum gladium strinxissent. Quanto iustius hostium loco ducendi sunt isti Cares, qui inauditam crudelitatem iniussu Imperatoris adversus inermes exercuerunt? At quam tandem ob causam saevitum est in urbem? Quia pecuniam non numeravit avaro atque crudeli exercitui. Quid aliud causae latro dicat, cur viatorem occiderit? Olim Gallos propemodum iusta ira pertraxit ad urbem: nam Legatus Romanus contra ius gentium in acie pugnaverat. Isti latrones nihil causántur aliud, quam pecuniam non esse datam, quam flagitarunt. Non igitur tentata urbs est, quia Pontifex esset alieno animo erga Caesarem, quia Gallis et Venetis esset aequior. Nihil ingratiam Caroli susceptum est. Avaricia et amplissimae praedae spes perpulerunt, ut transgressi Apenninum, maximis itineribus summa celeritate confectis, ad urbem properarint. Nec dierum aliquot inedia, nec hostis a tergo et ab lateribus remoratus est iter, sic accenderat omnium animos praedae cupiditas. Haec si iusta causa oppugnationis videri potest, non intelligo. Cur non omnes latrones excuset praedae cupiditas? Si haec iusta bellandi causa in terris est, nihil obstat iam, quo minus in urbibus unusquisque invadat in aedes locupletiorum, si quidem ex praeda ius existimandum erit.

Sed non disputabo subtiliter de causa, nec patrocinabor Pontifici, in quem culpa confertur. Nulla ne igitur in victoria moderatione utendum fuit? Nullum ne discrimen sacrarum ac prophanarum rerum habendum? Quis tam crudelis unquam victor fuit, etiam apud Ethnicos, qui non abstineret vim a templis? Augustinus scribit Gotthos, cum cepissent urbem, non modo a Christianorum templis vim abstinuisse, sed etiam his donasse vitam, qui eo profugerant. Tanta nominis Christiani reverentia apud Barbaros illos fuit, qui doctrinae coelestis ignari, nomen tantum Christianorum audierant. At isti sacrilegi quas aras, quod sacellum reliquerunt intactum? Et accepimus non tantum omnia fana spoliata esse, monumenta sanctorum virorum preciosiora, et thesauros ad publicam utilitatem totius Italiae ibi conditos, direptos esse, sed etiam caede et aliis sceleribus prophanata esse, decantatae sunt per ludibrium sacrae cantiones. Ita nulla non contumelia affecta est religio Christiana. Quid Turcae aliud faciunt expugnatis Christianorum urbibus? O veram vocem Poëtae, qui dixit:

> Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Quae vox si unquam alias, nunc maxime usurpari potest. Nunquam enim antea captis urbibus perinde polluta sunt ac prophanata omnia sacra. Nunquam ante in germanico milite notata est avaricia, nunquam sacrarum ac divinarum rerum similis contemptus fuit. Sed cum aliis in rebus continentior caeterarum nationum militibus hactenus fuit, tum singulari religione vim a sacris rebus abstinuit. Nunc autem o Dii immortales, quam dissimilis hic exercitus maiorum nostrorum fuit? quam longe degeneravit a veterum modestia? Maiores nostri nihil praeter victoriae laudem cupiebant domum reportare. Itaque nec privatorum fortunas diripiebant, tantum abest, ut attigerint res sacras. Nec procul exempla continentiae requirenda sunt. Quis toto Veneto bello a Maximiliani exercitu unum oppidum audivit direptum esse? Nemo profecto. Et Maximilianus ipse cum esset in puniendis delictis lenissimus, tamen in vindicanda avaricia militum acerrimus fuit. Etenim cum in eo bello capta Vincentia, quidam iniussu suo in aliquot civium aedes praedandi causa impetum fecissent, statim totam illam cohortem oppressit, et plures ducentis securi percuti iussit, ut eo exemplo ostenderet, non omnia victoribus in victos licere.

Habes Carole Caesar avitum exemplum, quid de exercitu iudicare te oporteat, qui avaricia corruptus, omnia divina atque humana iura violavit.

Et haud scio, an noceat nostris hominibus contagio Hispanorum: hos, ut vereor, novae disciplinae magistros habent. Ab his tanquam lanistis avariciam crudelitatemque discunt.

Non minus autem sacrilegium est, bibliothecas, quam phana diripere. Non enim inter sacras res aut divinas recensenda sunt aurea vasa, quibus in ceremoniis nostris utimur? et non recensendi sunt libri, qui coelestia oracula, qui doctrinam religionis, alias honestas artes divinitus ostensas generi humano, continent? Neque vero usquam bibliothecae locupletiores sunt ullae, quam fuerunt Romanae. Huc omnis generis scriptores ex toto orbe terrarum, magna cura bonorum Pontificum, convecti sunt. Huc nuper adeo, quicquid reliquum fuit literariae supellectilis in tota Graecia, importatum est. Haec monumenta cum aeterna esse debuerint, tamen furore militum aliqua ex parte corrupta dicuntur. Et haud scio, an impia flamma per urbem vagata bibliothecas etiam attigerit. O iacturam nullo unquam seculo reparabilem. Quot religionis nostrae interpretes, qui praeterea nusquam extant, quot aliarum optimarum artium autores amissos arbitremur? Quis non vehementer doleat tot seculorum labores, tot noctium vigilias a doctis hominibus ad utilitatem posteritatis lucubratas, in hanc fortunam incidisse? Statuas aut picturas elegantes magnorum virorum magno cum dolore amittimus, quas vel propter artis bonitatem, vel propter memoriam eorum quos repraesentabant, si fieri posset, aeternas esse optamus.

Quanto magis dolere debemus tot ingeniorum interitum? quae non modo propter scriptorum pulchritudinem miramur, sed etiam propter utilitatem amamus? Neque enim retineri Respublicae sine honestarum artium cognitione, et sine libris possunt. Cum igitur arma geri debeant, ad tegendas omnes pacis artes, videte quantum scelus isti latrones admiserint. Qui quae armis defendi inprimis oportuit, ea nova et inaudita amentia dissiparunt atque everterunt. Haec cum in urbibus bello captis, non aliter atque templa, sacra symbola, aras, boni Imperatores semper conservari iusserint, isti odio, credo, religionis Christianae, non veriti sunt impiis manibus lacerare ac perdere. Non est autem obscurum, quantum detrimenti acceperit Respub. bibliothecis illis dissipatis, quae in ecclesiasticis dissensionibus, tanquam oraculum consuli solebant, ex quibus publici legum libri, praeterea omnium bonarum artium, emendabantur. Neque vero studia literarum sine literis ac libris emendatis florere possunt: quae si extincta fuerint, quae barbaries, quae religionum confusio, quae civitatum perturbatio apud omnes gentes secutura est? Non igitur ad unam urbem haec calamitas pertinet, sed ad omnes gentes, quae retinere religiones ac studia bonarum artium sine Romanis bibliothecis non possunt. Neque vero impune erit istis latronibus, tot scelera in unius expugnatione urbis perpetrasse. Videt haec Deus, inspector atque arbiter omnium humanorum consiliorum atque factorum. Hic ulciscetur contumeliam templis, libris et similibus monumentis religionis illatam, non aliter atque de Rege assyrio supplicium sumpsit, qui sacra vasa Hierosolymis allata prophanavit. Neque illa vox Baptistae cuiusdam, quem Romae aiunt et antea civibus hanc cladem, et postea victoribus minatum esse, sine numine emissa videtur. Legistis enim, ut opinor, dixisse Baptistam illum, futurum, ut rapta undique spolia brevi revomant. Neque enim diu tolerare Deus sui contemptum, superbiam in rebus secundis, crudelitatem in imbecilliores, potest. Non enim possum hic dicere, qualem carnificinam in tota urbe exercuerint. Nec libet commemorare raptas a complexu parentum virgines, non abstractas a maritis honestas matronas, non mactatos senes ac sacerdotes. Quanta enim fuerit in urbe licentia audacissimorum hominum, inde aestimari potest, quod duodecim diebus nullos habuit exercitus, militari more, Magistratus. In tot dierum *ἀναρχίᾳ* tranquilla alioqui civitas, nihil non mali ab urbana multitudine pertulisset. Quanto atrociora necesse fuit accidere, ab armatis et victoribus? Est enim verissimum illud, quod apud Euripidem Rex quispiam dicit, nullo non incendio saeviorem *ἀναρχίαν* exercitus esse. Nusquam audivimus aut legimus in ulla civitate capta, tantam licentiam exercitus victoris fuisse, ut tot diebus nullis Magistratibus regeretur aut coherceretur.

Accepimus et ante Romam captam esse, primum a Gallis, deinde post multa secula a Gottis. Verum, multo gravius hoc tempore afflicta videtur. Galli enim tantum in desertas aedes saevierunt. Cives partim in capitolium se receperant, partim Veios profugerant, intenti in occasionem rei bene gerendae. Non arcem urbs, non impe-

rium, non Magistratus, non sacra, non caetera ornamenta amisit. Postea Gotthos quanquam ex longinqua obsidione irati vehementius essent, legimus ita moderatos esse in victoria iram, ut edictum etiam propositum fuerit, ut parceretur his qui in templa Christianorum confugissent, et ut urbs sine caede diriperetur. Atqui hoc tempore tantum abfuit, ut a sacris rebus abstinuerint victores, ut non cupidius aliunde praedati sint. Caedes factae tota urbe miserorum civium; bona civitatis pars incendio deleta; studia omnium honestarum rerum quae ibi floruerunt, armis conterrita, obmutuerunt. Abolita sunt et haec, quae si mansissent, instaurare collapsam urbem potuissent, veteres Magistratus, leges, forma iudiciorum.

Iustius igitur hic dies qui fuit pridie nonas Maii, eo enim proximo anno urbs capta est, inter atros quam Alliensis numeretur. Ac vereor futurum, ut ad posteros hic dies multo verius Alliensis videatur illi urbi fuisse, quam ullus alius: neque enim facile se ex tanta calamitate urbs recreabit. Ac vide quantum distet ab exemplis veterum Germanorum, huius exercitus facinus. Carolus primus depulsis ab urbe Longobardis, a vastitate urbem atque Italiam prohibuit. Otho primus liberavit eam Berengarii tyrannide. Et ut multa omittam, fortissimus ac sapientissimus Princeps, avus Carole tuus Maximilianus, quanto consilio Gallum ducentem maximum ac fortissimum exercitum ad urbem, irritatum atque accensum odio Iulii Pontificis, inde usque a Ravenna, ubi maxima pugna exercitum Pontificium vicerat atque fugaverat, ad ultimam Galliae oram, in Belgicum retraxit, ne qua clade urbs ab irato victore afficeretur. Nunc autem o temporum labem, ille ipse exercitus, quem Caesar universae Italiae praesidio esse voluit, inauditam crudelitatem in urbe principe totius Italiae, imo totius orbis exercuit. Non exempla veterum Germanorum, non dignitas urbis, non ingentia beneficia collata in omnes gentes, flexerunt eos ad misericordiam. Quis non doleat usque adeo deformatam esse eam urbem, quae olim rerum, ut inquit Virgilius, pulcherrima, Princeps imperii omnium gentium fuit, quae una exempla plura virtutum protulit, quam omnes ubique aliae civitates: quae nobis leges, quae literas, quae religiones, quae humanitatem, quae omnes honestas disciplinas, quae denique omnem bene vivendi rationem nobis tradidit, ut hanc urbem semper tanquam communem patriam omnium gentium homines coluerint. Nonne tot urbis meritis, etiam si quid peccasset Pontifex, condonari debuit? Nunc Pontificis peccatum furiosus exercitus parricidio vindicat, dum sceleratas manus ei urbi iniicit, quae nobis omnibus pro patria esse debet. Longe enim plura beneficia ab ea unusquisque nostrum accepit, quam ab eo loco, qui nascentem primum excepit. Ad hanc urbem omnes controversiae omnium gentium delatae sunt. Haec tanquam in excubiis semper fuit ad retinendam religionem. Hoc semper in terris doctissimorum hominum domicilium fuit. Haec fugientes omnes honestas artes ex Graecia exulantes excepit. Hic nuper omnes bonae disciplinae tanquam renatae sunt: Hinc in omnes terras propagatae sunt, non aliter atque semina frugum in totum terrarum orbem, a Triptolemo sparsa sunt. O ingratos homines, qui si haec beneficia intelligunt, nullam putant se sic merenti civitati gratiam debere? O amentes, si non intelligunt.

Nonnulli odiose colligunt urbis vitia et incommoda, quae inde ad alias gentes pervenerunt. Sed est astuti hominis, quod dolet meminisse, quod placet oblivisci. Hoc erat humanius, commoda agnoscere, et tam multis benefactis incommoda condonare. Quae, qualiacunque sunt, talibus certe remediis corrigi non poterunt. Nemo dubitet parricidii esse reum, qui patri leviter deliranti oculos effodiat, aut praecidat manus. Quid igitur hoc aliud est quam parricidium, tam atroces poenas de patria propter nescio quae errata sumere? Itaque miseret me non modo fortunae urbis, sed etiam aliarum gentium: magnam enim ruinam bonarum rerum apud omnes nationes, hic urbis casus, ut vereor, trahet, nisi respexerit nos Deus pro sua summa bonitate, et horum malorum, quae impendent, remedia ostenderit, vos quoque existimo, cum interitum nobilissimae urbis dolere, tum impendentium malorum metu perturbari. Etenim cum coli patriae honoribus ab omnibus debuerit, tamen a nobis maxime, qui lingua civitatis utimur, quique plura quam vulgus, beneficia ab illa accepimus, id fieri debet. Ius nobis cum vulgo commune est, studia optimarum artium, non sunt communia, quae longe antecellunt aliis omnibus humanis rebus. Vos igitur vere Quirites, quoties tam funestam luctuosamque patriae direptionem recordamini, expendite quae a vobis officia tali tempore requirantur.

Bona vulgi pars ridet sardonium risum in aliena calamitate, et triumphat, quasi re bene gesta, a quorum opinione longissime vos abesse convenit. Neque enim intelligunt quid illi urbi debuerint, aut quid detrimenti ex eius interitu Resp. acceperit. Deinde cum in hoc misero urbis casu videntur etiam studia literarum in quoddam discrimen venisse, vos quod bonos cives decet, magis in haec studia incumbite, quae si conservaverimus, non desperandum est, quin urbs ipsa rursus in pristinum statum et dignitatem restitui possit. Dixi.

No. 17. an. 1527.

De vestitu.

Prodiit simul cum antecedente (vid. No. 16.). Recusa apud Crat. Myl. p. 513 sqq., in Declamat. T. I. p. 665., in Servest. p. 528. et apud Richardium T. II. p. 287. — Erravit Mylius in chronologia scriptorum Melanthonis, quod hanc orationem ad ann. 1536. retulit. Videtur etiam Ienae habita esse.

Oratio contra affectationem novitatis in vestitu.

Tametsi non dubium est mihi, Auditores Candidissimi, quin valde vobis mirum videatur, quod hanc cathedram doctissimorum hominum conscendere, tantamque provinciam, ac onus suscipere ausus sum, tamen, cum scholae nostrae morem sciatis, non dubito, quin quae vestra hactenus erga omnes, qui in hunc locum dicturi prodierunt, fuit humanitas ac benevolentia, me quoque benigne placideque audituri sitis. Ego vero non de bello Troiano, aut huiusmodi pervulgata fabula dicturus prodii, sed cum nulla virtus perinde adolescentes deceat, atque modestia, cepi consilium de quadam eius virtutis parte dicendi. Idque argumentum eo suscepi libentius, ut si non hic propter eloquentiam laudem mererer, tamen mihi interea canerem, sicut ille cytharoedus dixit, meque ad eius virtutis studium excitarem. Institui autem orationem contra adfectationem novitatis et aliarum ineptiarum in vestitu, quod vitium cum sit opinione nocentius, tamen adeo vulgare est, adeo cepit inventutis animos, ut nullis neque legibus eorum qui Respub. gubernant, nec doctorum sermonibus corrigi possit. Quoties enim his nostris temporibus de hac re leges scriptae sunt? Quam multi graves viri quotidie hac de re queruntur? Sed tanta mali vis est, ut reprimi aut sanari non possit. Quotidie novae formae excogitantur: nunc placet gallicus pileus, nunc hispanicus cucullus. Alii sarmaticis brachiis delectantur, et haec ipsa quam varie deformant? Integra vestis parum digna viro esse creditur, sed lacerata et mille variata coloribus, qualem olim scurrarum fuisse vestitum picturae veteres ostendunt, ea demum plurimum habet admirationis, atque haec singuli quotidie mutant. Nullus Proteus tam varias induit figuras, quam nostri iuvenes, subinde habitum mutantes, non aliter atque in scena hi qui plures personas sustinent. Quanquam igitur hoc vitium usque adeo receptum sit, ut non adolescentis oratione, in qua nihil esse autoritatis potest, non aliqua mediocri eloquentia tolli possit, tamen libuit in argumento honesto ingenii vires experiri. Quaeso autem vos, ut pro vestro more benigne me patienterque de honestissima causa dicentem audiatis. Id si nulla alia res, tamen aetas mea a vobis impetrare debebat, quae propter imbecillitatem non poterit susceptum onus perferre, nisi singulari favore vestro animum meum confirmaveritis.

Est autem cum per sese turpissima novitatis in vestitu adfectatio, tum hoc etiam nomine magis fugienda, quia multas ex se alias pestes gignit, et pleraque animi vitia prodit atque alit. Nec procul nobis argumenta sententiae nostrae petenda sunt. Etenim cum nuper hic de conservandis veteribus moribus quidam ex nostro sodalitio gravissime dixerit, spero me facilius hanc causam de usitato vestitu retinendo vobis probaturum esse. Etenim ut in aliis publicis institutis odiosa est novitatis adfectatio, ita etiam in vestitu merito improbari debet.

Semper autem sapientissimi homines senserunt veteres mores, veteraque instituta civitatum ac populorum summa cura conservari debere, quod nulla res perinde laedat publicam tranquillitatem, atque crebra legum morumque mutatio, non aliter atque corporis humani valetudinem ratio victus saepe mutata labefactare solet. Eius mali ut vetera omittamus, nostra aetas miserabile exemplum vidit. Postquam enim pauci tantum ritus ecclesiastici, qui iam nescio quomodo degenerasse dicebantur, abrogati sunt, incredibilis omnis divini atque humani iuris contemptus secutus est. Et

non modo disciplina in civitatibus regendis et Magistratuum autoritas periclitari coepit, sed religiones universas, fidem, iusiurandum et omnia vincula societatis humanae laxata esse vulgus existimat. Inde cum quotidie maximi motus in civitatibus existunt, tum vidistis ante biennium luctuosum inter cives nostros bellum in universa Germania exarsisse. Nullum igitur venenum nocentius Reip. existimemus, quam receptorum morum mutationem, quae in vulgo licentiam, audaciam, contemptum imperii, denique nihil non earum pestium, quae civitatibus exitio esse solent, parit. Merito igitur celebratur versiculus ille:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Adhaec cum veteres Diis proximos esse credamus, non dubium est vetustissimos mores optimos esse, quos illi scilicet maiores nostri civitatum conditores a Diis ipsis didicisse videntur. Proinde ferendi non sunt, qui honesta maiorum instituta fastidiunt, qui veterem disciplinam solvunt, qui nunc hos, nunc illos mores in patriam accersunt, qui scribunt abolentque leges ut libitum est. Et constat olim in Rebuspub. clarissimos cives acerrime vetera instituta defendisse. Nam ut alia maiora omittam, Romae quoties sumptuariae leges perlatae sunt, ut maiorum more vestiret civitas? Cato quanta contentione legem Oppiam tuetur apud Livium, quae modum sumptibus mulierum praescribebat? Augustus cum videret Romanos peregrino vestitu delectari, sentiens quantum in ea re mali inesset, longa oratione cives obiurgavit, et ad togae usum revocavit, illum etiam Virgilii versiculum citans:

Romanos rerum dominos gentemque togatam.

Si nulla ratio esset alia improbandi haec vestitus vitia, tamen erat honestum nobis exempla magnorum hominum sequi, a quibus dissentire, quid aliud quam insania est? Et quod Cato, quod Augustus senserunt, probari omnibus bonis viris existimemus, quorum iudicia nihil morari summa impudentia est.

Sed dicat aliquis, non magnopere, vel ad privatos mores, vel ad Remp. pertinere has ineptias vestitus, meque atroci oratione exagitare rem non perinde vitiosam. Ego vero utinam dicendo magnitudinem rei aequare possem: tantum enim turpitudinis hac in re est, ut nulla mediocris eloquentia ad eam explicandam satis sit. Etenim cum non minus vestis quam oratio animi character atque imago sit, quid dubitemus illos qui tantopere monstrosa veste delectantur, animos etiam monstrosos habere? Incedit aliquis pileo tectus hispanico, eoque varie picto: thorax deinde gallicus est, cuius manicae adeo non respondent ad brachii modum, ut laxissimae sint, qua parte brachium gracilius est. Et cum vestis naturam imitari debeat, istis plane diversum placet. Quid amplius? plebeius vestitus est, nisi distinctus sit variis coloribus velut pavo: adhaec conscissum esse oportet, tanquam mendici pallium, id demum regium est. Venio ad pallium. Palliorum ac tunicarum tam multae tamque variae formae sunt, ut totus hic dies ad recensendum non sit satis futurus, si singulas enumerare velim. Atque hic venit in mentem mihi fabulae cuiusdam germanicae. Audisse enim vos de patribus vestris opinor, Regem Turcarum iussisse sibi omnium gentium habitus pingi. Cum itaque pictor plurimarum gentium vestitum pinxisset, tandem pingit nudum hominem, et iuxta varios pannos. Postea artifex a Rege iussus interpretari picturam, cum exposuisset caetera, dixit nudum illum Germanum esse, cui certa forma vestitus pingi non possit, quia quotidie novam excogitet. Doleo unam hanc nationem, quae gravitatis atque constantiae laudem alioqui sibi vindicat, hac parte levitatis insimulari posse. Cogit enim res ipsa fateri, apud nos incredibilem varietatem vestitus esse. Quid de calceis dicam? olim erant rostrati, nunc fiunt trianguli figura, ceu deltoton. Quid aliud quam monstrum putandus est, qui in tam dissimili habitu tamque varie incedens sese circumspectat, et tanquam Iunonis avis admiratur? quem profecto, nisi admirationem consuetudo mali nobis exemisset, monstrum aliquod transmarinum citius quam hominem esse multi crederent. Sed si sapientissimis hominibus, imo si sacris literis creditis, talem habitum non obscuram quandam animi picturam esse iudicare debetis. Scriptum est enim in Ecclesiastico: Amictus, risus et incessus, produnt hominis ingenium. Similis in animo inconstantia, similis cupiditatum varietas, qualem in vestitu cernis: denique legum et morum patriae fastidium simile in animo haeret. Quod si res nihil praeterea turpitudinis haberet, tamen hoc reprehendendum erat, tantam esse ingratitudinem erga patriam quae genuit, quae educavit, quae optimis legibus vitam defendit, ut nihil nunc nisi peregrinum placeat. Quid enim unicuique carius iucun-

diusque patria esse debet? Nunc autem cum haec novitas mores etiam infamet, quis non existimet procul fugiendum esse? Nonne apud Virgilium cum molliciem obiicit Troianis Turnus, a veste coniecturam facit? ait enim:

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.

Animadverterunt enim docti viri sermonem, habitum, incessum et alios corporis motus, tanquam actionem esse animi, in qua velut in speculo cuiusque natura cerni potest. Quemadmodum enim in equis et leonibus animorum motus, cauda atque aures indicant, ita adfectus hominum, non tantum sermo, sed vestitus, qui quasi tacitus quidam animi sermo est, declarat. Itaque non temere a Graecis in proverbio dictum est illud: *Vestis virum facit.* Ut enim honestus habitus dignitatem homini conciliat, et quandam commendationem morum adfert, ita monstrosa vestis abhorrensque ab adprobatione oculorum iudicioque bonorum virorum officit existimationi. Quid enim aliud quam monstrosam mentem ista dissimilitudo vestitus, partim Gallos, partim Hispanos, partim Sarmatas imitantis significet? Quae constantia potest existere in horum mentibus, qui toties sui dissimiles facti prodeunt? Socrates calceis Sicyonis contra suam consuetudinem uti noluit, tametsi ipsius confessione apti erant pedibus. Nec ille morosus in re parva videri debet, pars quaedam gravitatis atque constantiae fuit, ne quidem in parvis rebus sui dissimilem esse. Proinde et Homerus inquit, honestum habitum ad existimationem augendam conducere, nostis enim versum:

Namque viro vestis magnum decus addit honesta.

Neque id ad vestis precium pertinet: non enim gemmae, aut aurum, aut purpura, quarum rerum usu in civitatibus bene constitutis, etiam interdictum est honestis hominibus, magnopere ornant viros, sed quia pro ingeniis ac moribus vestitum fere quisque sumit, magnam commendationem habet honestus habitus, quod eo boni viri delectari iudicentur. Quisquis igitur honestam existimationem apud bonos viros colligere studet, is ad illorum iudicia, ut reliquae vitae instituendae consilia, ita etiam vestitum accommodet. Ut enim nostris temporibus Principum familiae ex forma vestitus discernuntur, ita adolescentium mores, boni viri ex habitu diiudicant. Nullum autem patrimonium, nullas opes haec aetas pluris facere quam existimationem debet. Hanc magna ex parte consequi poterit hac diligentia, si sequatur illorum iudicia in vestitu. Si qui vero ita depuduerunt, ut existimationis nullam rationem habeant, ut bonorum de se iudicia nihil morentur, hos non tam homines esse, quam humana specie belluinos animos gerere existimare debemus. Nostra oratio ad sanabilia ingenia pertinet, alios publicis poenis ad sanitatem revocare et cohercere oportuit.

Hactenus dixi vestitus ineptias quasdam animi esse corrupti notas. Sed ut nemo volens στίγματα, quae deprehensis in aliquo flagitio inuri solent, quantumvis innocens sibi accersit, ita has notas turpitudinis vitandas esse, ne famae noceant, censeo. Sed hae ineptiae non tantum nocent existimationi, aliud maius malum secum trahunt: nam inter corruptelas Rerumpub. merito adfectatio, sive novitatis, sive peregrinitatis in vestitu numerari debet. Hac de re dum dico, quaeso diligenter attendite. Intelligetis enim multa ingentia vitia ab his principiis oriri: ut enim usurae per gradus crescunt, ita a parvis principiis paulatim audacia robur colligit, donec penitus ex animis pudorem omnisque divini atque humani iuris metum eiiciat. Nemo, inquit Poëta, repente fit turpissimus, per gradus labuntur mores in deterius. Nec libet in re manifesta exempla colligere, sed quoniam inter adolescentes studiosos doctrinae Christianae dicimus, recitabo vobis unum quoddam exemplum, quod in libris Confessionum scripsit Augustinus de matre. Hanc in pueritia inquit mira diligentia ad sobrietatem a nutrice adsuefactam esse, neque enim licuit ei ne aquam quidem, nisi in iusta coena, aut iusto prandio, bibere. Nutrix interrogata quo consilio puellis etiam aquae potu interdiceret, respondit: Nisi ea aetate sitim perferre discant, postea matronas factas, cum vini copia sit, simili intemperantia vino se ingurgitare, qua nunc aquam bibant. Est igitur prudentia non exigua, semina vitiorum praevidere ac in tempore tollere. Ut enim in morbis corporum medicandis serum est, tum demum quaerere remedia, cum morbus ad summum pervenit, ita frustra adhibetur medicina vitiis postquam adoleverint. Quae igitur vitia gignit novitas vestitus? Cum alia multa, tum hoc omnium perniciosissimum, quod adolescentium animos adsuefacit ad contemptum legum. Nam cum in parvis rebus, primum a consuetudine bonorum et a publicis institutis discesserint, paulatim ita confirmatur audacia, ut etiam in maioribus rebus non

modo bonorum virorum iudicia, sed omnes leges contemnant. Et is qui nunc videtur ludere, dum has ineptias in vestitu amat, paulo post omnibus legibus, omnibus Magistratibus audebit oppedere. Tantam ruinam edit res, quae quidem in speciem parva videri potest: verum exemplum latissime patet. Nam cum semel legum repagula effregerint, nihilo deinceps firmiores omnes leges, quam aranearum telas esse existimabunt. Et ut scitis *ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς*. Quod quanquam in privatis moribus videre possumus, tamen in civitatum inclinatione clarius perspici potest. Quae enim civitas non ita collapsa est? quia cum primum disciplinam in parvis rebus neglexisset, aluit petulantiam vulgi, adeo ut postea in maximis etiam rebus imperium detrectarit. Praeterea cum vestis imitetur animi adfectus, ut supra dixi, fit, ut illis ipsis cupiditatibus inclusis in animo, quas premi et coherceri oportebat, frenum laxetur. Sunt qui propter feritatem animi, habitu delectantur, qui terrorem intuentibus incuciat: in his quoniam sibi indulgent, crescit feritas. Sunt qui propter molliciem animi ornent se propemodum mulierum more, quos effoeminatiores vestis reddit: ut enim febris alitur, si quis ei morem gerat, et bibat, quidquid vitiata natura expetit, ita morbi animi crescunt, si quis eis indulgeat, nec remedia opponat. Sed omnium maxime nocent in commune hi, qui gentis alicuius externae vestitum amant: ut enim amatores amasiarum colorem imitantur, ita isti se eius gentis mores, luxum, aut alia vitia amare, et patrios ritus ac leges contemnere, hac vestitus imitatione significant. Qui Principes primum Romam advexerunt diademata et plerasque peregrinas vestes? nonne illi qui veteribus legibus deletis, in urbem obscoena sacra exterorum, ut bacchanalia, praeterea exempla foedissima peregrinae luxuriae adferebant? Videmus hoc tempore quosdam Turcico habitu delectari, non credo ob aliam causam, nisi quia nostrae religionis et legum nostrarum satietas eos cepit, quos quoniam externa imperia expetere, mores religionesque amare apparet, non dubito eos hostes patriae appellare. Non enim tantum illi, qui foris arma gerunt adversus patriam, hostes putandi sunt, sed multo magis isti, qui disciplinam civilem, qui maiorum instituta nihil ad se pertinere arbitrantur, alios mores foris accersunt. Lacedaemonii hospitem Milesium cum aliis deliciis adfluentem, tum in vestitu sumptuosiorem quam pro Spartana consuetudine, iusserunt civitate excedere ac domi Milesia exercere. Haec illi in hospitem constituerunt, quanto minus civibus permitti debebat, exempla bonis ac veteribus moribus offectura, in patriam invehere? Neque enim abit hoc sine publicorum morum corruptione, quia ut est vulgus natura *φιλόκαινον*, statim has nugas imitatur, et legum metu paulatim deposito, amorem externorum vitiorum induit. Estque in maximarum civitatum interitu videre, ab his principiis caetera vitia orta esse. Iure igitur in autores talium exemplorum tanquam in hostes patriae severissimae poenae constitui debebant. Tunc bellum parari adversus patriam, tunc obsideri eam non foris, sed intra moenia putetis, cum patrius vestitus exuitur. Hos cum peregrinis clandestina foedera fecisse, et cum legibus in perniciem patriae conspirare arbitremini, quos externorum atque hostium mores magis quam patrii delectant. Non enim hic cultus alio spectat, nisi eo, ut domestica ac publica disciplina corrupta trahat omnium civium animos ad externa imperia, peregrinas religiones et omnia turpitudinis genera recipienda. Sed cum haec novitas omnibus hominibus turpissima sit, tum in primis abesse a Christianorum moribus debebat, quos in omnibus vitae partibus praecipuam gravitatem prae se ferre decet. At hoc accipimus, Turcas et plerosque barbaros religiose patrium morem in vestitu retinere. Cum autem Christianae literae singularem nobis modestiam, ac verecundiam, et morum constantiam praecipiant, turpe est hac parte leviores nos perhiberi iis gentibus, quae Christiana praecepta ignorant. Videte quaeso Davidem, quam diligenter putaverit in huiusmodi, quanquam parvis rebus, decorum servandum esse. Is enim cum legatis suae gentis a vicino quodam Rege vestes per contumeliam decurtatae essent, ac barba contra morem rasa esset, iussit ut in extremo regni oppido se tenerent, nec prodirent in publicum, donec barba crevisset. Quid aliud sensisse sanctissimum Regem creditis, quam ad officium boni viri pertinere hanc quoque diligentiam cautionemque, ne genere vestitus, aut similibus rebus, cuiusquam oculos offendat? At hanc diligentiam maxime nos scholasticos praestare oportuit. Sed o Deum immortalem, quis ordo, quod genus est hominum, qui has ineptias magis ament quam scholastici? Militaris plerosque habitus delectat, quem non uno modo deformant,

sed quantum quisque potest, monstrosum facit. Ac tum demum sibi fortes viri, tum satrapae, denique plane beati videntur, cum maxime novum habitum maximeque abhorrentem ab oculis bonorum virorum excogitarunt. Quasdam formas, quia non possum verecunde nominare, praetermitto. Esset enim optandum ut abderent ac tegerent diligentius eas partes, quas natura ipsa abdidit, ne in promptu positae, ambitiose se ostenderent. Non neglexerunt hanc partem sapientissimi legumlatores in Graecis civitatibus. Scribit enim Xenophon in institutis Lacedaemoniorum, Lycurgum praecepisse, ut pueri in publico, manus intra vestes continerent, ut taciti incederent, ne circumspectarent, nec deiicerent oculos ab his quae ante pedes essent. Et quidem haec magnarum virtutum tyrocinia quaedam esse existimant: Ait enim Xenophon ideo haec instituta esse, ut ad verecundiam, pudorem ac modestiam a prima statim pueritia adsuefierent. Quanto magis nos qui in scholas missi sumus, ut non modo literas perciperemus, sed ut ad omnia honesta officia institueremur? Haec incunabula modestiae, in vestitu atque incessu servare oportuit. Verum quid hoc monstri est, aliud oratio scholasticorum, disputantium de honestis officiis, aliud vestis loquitur, quae summam impudentiam prae se fert. Planeque miror quid illis in mentem veniat, cum cogitant quantum a se ipsi dissentiant, quam non conveniat ad orationem suam, ad studia, hic habitus. Si in scena prodiret cum habitu scurrae Agamemnon, nemo non vociferaretur illum Histrionem decori oblitum esse, nescire scenae, quod aiunt, servire: tam morose iudicamus in ludis. Quid putatis graves viros iudicare in seriis rebus, quantum huic scenae nos servire velint, in quam, quia ludum hunc esse, non modo literarum, sed omnium virtutum percipiendarum arbitrantur, ideo deducti sumus, ut hinc optima disciplina adsuefacti bonos mores ad Rempub. afferamus. Sed quales mores adferent illi ad Respub. qui tanquam in impudentiae ludo versati essent, iudicia bonorum virorum contemnere consueverunt, qui pudorem et verecundiam penitus ex animis eiecerunt, qui legum metu deposito, licere sibi quidquid libet existimant? Multa enim, ut dixi, vitia alit illa ineptiarum adfectatio. Quam spem de se praebere bonis viris potest is, qui in prima pueritia legibus se coherceri atque gubernari non est passus, sed qui tanquam tyrannidem teneret, suo arbitrio vestire, suo more vivere voluit? Nemo profecto illum in ulla vitae parte moderatum, aut legum metuentem fore credet. Et hac impudentia plerique sunt qui ex scholis postea, non tantum ambiunt administrationem civitatum, sed multo honestiorem provinciam docendae religionis, ad quam adferre singularem modestiam oportebat. Audivi in terra Suevica Principem fuisse summa prudentia ac pietate praeditum, Eberardum Barbatum, sic enim vocant; ad hunc aiunt venisse iuvenem quendam petentem sacerdotium, forte huic ventus aperuit vestem, ut videret Princeps scissas militari more caligas. Id nunc nemo tegere studet, tanta est impudentia, in illo casus retexerat: ibi Princeps, ut erat acerrimus exactor custosque disciplinae morum, ita commotus est, ut quanquam loqui Latine non soleret, tamen ira ei haec verba expresserit: Vade ira. Sic illum, quia ei succenseret e conspectu suo abire iussit. Ac tantum abfuit, ut sacerdotium conferret, ut etiam vehementer obiurgatum dimiserit, quod in Principis conspectum venire cum scurrae habitu, quod ambire sacerdotium ausus esset, cum hac significatione impudentiae, ac levitatis, a qua longissime abesse sacerdotes decet. O censuram dignam laude, dignamque memoria vestra commilitones. Merito enim tanti viri, cui fama est in hoc toto Germaniae imperio, summam sapientiae laudem tributam esse, commoveri iudicio debemus. Huic enim omnes populi, cum omnes ordines in conciliis populorum Germaniae de maximis rebus saepe adsensi sint, adsentiamur et nos hac parte, et statuamus id quod res est, nulli non ordini hominum has ineptias, sed maxime scholasticis indecoras esse. Neque vero sic ille sensit, et non sentiunt idem omnes boni viri, omnium honestorum hominum hac de re calculi consentiunt. Quis enim vestrum, qui modo liberaliter institutus est, qui nisi sit impudentissimus, ausit in conspectum sui patris cum inusitata veste venire? Quod cum ita sit, putate haec vitia in communi odio bonorum virorum omnium esse. Quanquam autem merito pro legibus haberi debeat, quidquid omnes boni viri sentiunt, tamen si minus apud vos alienorum autoritas valet, valeat apud unumquemque sui patris autoritas, quam est pietas quaedam maximam et gravissimam ducere. Quare si parentum animi ab his ineptiis in vestitu abhorrent, abhorrent autem haud dubie, voluntatem illorum pro lege habeamus. Neque enim existimare debemus

has tantum leges esse, quae sunt in publicis libris scriptae. Haec lex non in aes incisa, non tabulis lapideis insculpta est, sed in animis nostris scripta divinitus, ut parentum iussa non minoris faciamus, quam ulla praetorum edicta. Et tamen extant etiam Magistratuum leges hac de re: extant et praeter hominum doctorum praecepta, in sacris literis gravissimae admonitiones, ut ambulemus coram hominibus *εὐχημόνως*, hoc est, ne quid incessu, sermone, gestu indecorum admittamus. Et Paulus iubet fugere iuveniles cupiditates, significans, ut docti homines interpretantur, delicias illas in vestitu, aut in reliqua corporis actione. Quid est autem, si non est insania, neque bonorum virorum iudiciis, neque parentum, neque legum, neque sacrarum literarum autoritate permoveri? Neque leve peccatum sit oportet, quod tanto consensu honesti homines universi damnant, sed vident illi quantam ruinam trahant haec initia, cum in parvis rebus discessum est a maiorum institutis, perspiciuntque quae disciplinae perturbatio sequatur. Haec argumenta vos commoveant, optimi Commilitones, ut longum valere dicatis illis in vestitu ineptiis, semperque veniat in mentem, illas non minus esse turpes notas quam stigmata, quae damnatis rerum capitalium inuruntur, vestis enim virum facit: quare si sit indecora, nocet existimatione, non aliter atque illae, ut vocant, Thraciae notae. Porro talibus stigmatis delectari, ea vero inaudita amentia est. Ad haec dum his cupiditatibus, ut videntur, levioribus nimium indulgetis, interea multa alia vitia vires accipiunt, legum contemptus, audacia, adiunguntur corrupta sodalitia, honesta studia omnia deseruntur, succedit ocium, id ad voluptates invitat. Atque harum rerum qui sit exitus, quae *καταστροφὴ*, saepe videmus. Non igitur nihil periculi est, ut quidam existimant, ignoscere sibi in his nugis, ut vocant: Nimis quam rerum est has nugas seria ducere. Vetus est versiculus, magna teneri non posse si parva negligenter tueamur:

εἰ μὴ φυλάσσεις μικρ' ἀπολεῖς τὰ μείζονα.

Idem hic fieri videmus: nam qui parum firmi sunt adversus has leviores cupiditates, hos citius opinione alia maxima mala oppriment. In primis autem nos qui Christo nomen dedimus, verecundiam ac modestiam in omnibus vitae partibus colere decet, et quia ea virtus Deo in primis placet, et ut bonis exemplis aliorum mores meliores reddamus. Dixi.

No. 18. an. 1527.

Encomium formicarum.

Prodiit cum aliis, vid. No. 16. — Recusa apud Craton. Myl. p. 546 sqq., in Declam. T. I. p. 768., in Servest. I. p.673. et apud Richard. T. II. p.74. — Melanthon Erasmum Ebnerum, qui hanc orationem Ienae recitavit, secum duxerat, ut etiam alios quosdam iuvenes suae disciplinae traditos. „Formicas" Ienae scriptas esse intelligitur ex Epistolis Vol. I. p. 896.

Encomium Formicarum scriptum [imo recitatum] *ab Erasmo Ebnero.*

Nemo in hoc coetu dixit unquam, quantum equidem iudicare possum, cui perinde benevolentia vestra, atque mihi opus esset, non modo quia haec aetas mea singulari favore confirmanda et adiuvanda est, sed etiam quia argumentum adfero, quod etiam si novitate placere possit, tamen ita est exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alii res gestas clarissimorum Imperatorum recitarunt, et tum honeste facta summorum hominum, dicendo ornaverunt, tum aut populorum, aut tyrannorum turpiter facta gravissime vituperaverunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tantis causis, infirmitate virium humilius argumentum quaerere coactus sum. Qua de re dum aliquot dies delibero, dumque reputo quas res exiguas laudaverint veteres scriptores, a Luciano video muscam, a Virgilio apes mirifice ornatas esse. Cum igitur mihi honestum esse putarem, veterum exempla sequi, formicas sumpsi laudandas. Neque nullum operae precium esse iudico in tanta naturae varietate haec minuta animantia contemplari. Etenim non modo Ethnici scriptores dignam hanc materiam in qua elaborarent, putaverunt, sed etiam Principes Christianae doctrinae mentione parvarum in natura rerum delectari videntur. Christus iubet nos passeres intueri, Solomon praecipit non modo contemplari formicas, sed etiam nos ad eas tanquam in ludum discendi causa mittit. Quid commemorem quam multa animantia Basilius diligentissime descripserit, et Basilium secutus Ambrosius, eandem animantium historiam in enarratione operum sex dierum pene ad verbum recenset, docetque in illis proposita nobis esse a Deo et tanquam picta plurimarum virtutum simulachra, quae nos officii nostri admonerent. Turpissimum est enim homini tam longe a sua natura degenerare, ut a bestiis etiam virtute superetur. Non igitur inutile

videbatur ingenia, moresque et totam quasi *πολιτείαν* formicarum describere, quod inde plurima pulcherrimarum virtutum exempla, et vere, quod aiunt Graeci, *μυρμήκια ἀγαθῶν* capere liceat. Videte autem quantum mea me fefellerit opinio. Quod enim argumenti genus arbitrabar propter tenuitatem sine magno negocio exponi et perpoliri posse, id in experiundo cognovi longe secus esse. Comperi enim non mediocris artificis esse, honore verborum res exiles ornare ac illustrare. Quanquam igitur sentiebam me suscepto oneri imparem fore, tamen quoniam non ad ingenii famam, sed exercendi styli causa susceperam, desistere nolui, sed peregi fabulam quam inceperam. Quaeso igitur vos, ut pro humanitate vestra me benigne audiatis: quod si nulla alia res, tamen scholae consuetudo a vobis impetrare debet, et si suam laudem honestus conatus meretur, non indigni favore iudicandi sumus honestissimo argumento suscepto, etiam si rei, quam instituimus, difficultate victi sumus. Sed ut Philosophi in descriptione animantium, primum de cuiusque procreatione disputant, ita et nobis formicarum ortus, inde usque ab ovo, ut aiunt, repetendus erit. Verum historia formicarum longior Iliade futura sit, si omnia commemorare velim: sed hoc ad earum laudem magnopere pertinere existimavimus, quod cum tam multa divinitatis vestigia in eis extant, intelligi possit, eas non sine certo Dei consilio natas esse, multoque verius quam poëticos heroas genus a Iove summo ducere, ut Poëta inquit. Quomodo enim in hac terrena natura futuri praescientia sine divina vi existere potest? Non hanc tantam haberet hic vermiculus industriam, longe alienam a brutorum captu, nulla gregalium noticia, nulla mutua collocutio inter eas esset, nulla nossent temporum discrimina, nisi mentem Deus indidisset tantarum rerum, tamque variarum capacem. Etenim sapere, meminisse praeterita, consequentia cernere, futura praevidere, ne homines quidem, nisi divinitus commoti excitatique possunt. Quis enim, quamvis ingeniosus, sine Dei ope, varios motus stellarum, magnitudinesque, molem terrae, et alia multa deprehendisset? Multo minus igitur bestiae ratiocinari, et futura videre, et animadvertere praesentia, nisi Dei beneficio possunt. Neque enim haec aliunde quam a Deo in terrenam naturam propagantur. Habent igitur formicae non dubium generis sui autorem Deum, cuius rei id quoque signum esse intelligi potest: nam cum sacrae literae mittant nos ad formicas, tanquam ad magistros, profecto significant hoc consilio a Deo fabrefactas et his ingenii dotibus instructas esse, ut docere nos utilia possent. Ut enim nullus paterfamilias, si sapiat, filium docendum tradit ei, cuius non probat eruditionem, ita credibile est, nec divinum Spiritum nos ad eiusmodi magistros mittere, qui non doceant coelestia. Necesse est igitur eas artes, quas nobis istae discendas proponunt, divinitus in sensibus ac natura formicarum scriptas atque sculptas esse, vereque esse in eis, ut Poëta ait, partem aliquam divinae mentis, et haustus aethereos.

Dixi hactenus de formicarum ortu ac nobilitate, quae non parvam commendationem habet: adfert enim nobilitas non modo in hominibus, sed etiam in pecudibus quaedam virtutis semina, quae a parentum natura in posteros propagantur. Nunc de ingeniis ac moribus deque omni vitae consuetudine illarum dicendum est. Atque haec pars orationis, quid aliud habet, quam honestissimam quandam formam recte vivendi? Nemo Philosophorum non tradidit bene vivendi praecepta. Sed huius insecti historia, quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non, quid deceat, melius Chrysippo et Crantore dicit. Quis non haec singularis prudentiae diligentiaeque indefessae opera esse dicat? Colligendi victus tempora intelligunt, proinde acervum frumenti in messe comportant, condunt, comparantque in hyemem, praevident enim hyeme in vacuis agris frustra se pabulum quaesituras esse. Onera morsu gerunt, longe maiora, quam pro corporis portione ferre posse credibile sit. Quaedam grandiora protrudunt, tota corporis mole obnixae, semina priusquam condant, arrodunt, ne rursus exeant in fruges e terra, madefacta imbre proferunt atque siccant. Nec noctu, plena luna, vacuae sunt. Usque adeo turpe ducunt feriari, ut nullum sibi tempus idoneum labori perire sinant. Interlunio cessant ab opere, siquae in itinere ferendis granis gravatae sunt, gregales norunt, et quoniam saepe tanquam ex diversis civitatibus in eadem via conveniunt, in unum aliquem locum omnes universum commeatum comportant, ibique sua signa recognoscunt, ibi velut exercitum recensentes, agmina separant, et suum cuique avehendum tradunt. Obviae inter se quasi colloquuntur, ac percontantur, donec agnoscant sin-

gulae suos cives. Nulla tam sapienter constituta civitas fuit unquam, quae ad hanc formicarum politiam conferri possit. Nam cum nullum urbibus venenum nocentius sit, quam ocium, videtis hanc pestem procul ab hoc animalculo abesse. Nunquam ardentissimi aestus a labore absterrent, non noctu vacuae sunt, quod tempus aliis animalibus natura ad quietem dedit. Non magnitudine itinerum aut asperitate viarum defatigari se patiuntur. Sed saepe ex longinquo frumentum convehendum est. Saepe per confragosa saxa magna vi grana in adversos montes protrudenda sunt. Ita omnes difficultates, non virium magnitudo, non corporis moles, sed animi robur et industria superat, ut adpareat hic etiam verum esse id, quod est apud Historicum quendam, nihil tam altum a natura constitutum esse, quo non possit virtus eniti. Non dubium est autem, quum ut omnia ex ocio vitia nascuntur, ita labor plerasque pulcherrimas virtutes gignat. Proinde nec caeterae virtutes desunt huic generi. Quis enim non videt singularem iusticiae intellectum in eis esse? quia certos dies constituunt recognoscendis oneribus, ut cuique agmini suum tenere sine iniuria liceat. Facile est enim ab alieno abstinere his, quibus in sua virtute industriaque spes posita est, sed illi qui cum per luxum atque libidines sua effuderunt, postea rationem ineunt, quomodo de alieno heluentur. Hinc in civitatibus novae tabulae flagitatae, bella civilia et innumerabilia alia mala, quae civium discordia parit, nata sunt. Quid autem de parsimonia formicarum dicam, quae in hoc genere maxime cernitur? Non enim tantum in praesens sibi consulunt, sed comparcunt, et prospiciunt sibi in futurum: quae virtus cum per sese magna sit et admirabilis, tamen hoc etiam gratior esse debet omnibus, quod insticiae veluti custos est. Neque enim tolerare infinitos illos sumptus sine alieno decoctores possunt, sed longe dignissima bono cive virtus est, in commune quaerere, et communia bona summa diligentia augere. Quae res enim alia omnibus civitatibus exitio est, quam quod privata bona, publicis utilitatibus plerique omnes anteferunt? Atqui ita sentire nos oportuit, quoniam patriae salute, nostra salus continetur, et quoniam ipsi a patria in qua nati, educati, ad humanitatem et religionem instituti sumus, cuius legibus vitam nostram ac fortunae defendimus, tam multa beneficia accepimus, aequum esse, ut nos etiam illius utilitates pro virili iuvemus, imo quidquid aramus, quidquid serimus, quidquid metimus, ad patriae utilitatem referendum esse existimemus. Denique illius salutem ac tranquillitatem antiquiorem dignitate, ac salute nostra, ducamus. Hanc virtutem licet in formicis cernere ad communem usum, adsiduas operas conferentibus. Videris quam multarum virtutum exempla nobis formicae proponant, ad quam imaginem si maximam hominum partem contuleris, quotus quisque erit his virtutibus praeditus? Bona pars voluptatibus atque ocio dediti, nulla de re in omni vita sunt soliciti, quam de convivio adparando, aut aliis similibus voluptatibus comparandis. Seneca scribit, Pacuvium quendam praetorem in Syria fuisse, qui quotidie splendide convivatus, cum se copioso vino de die ingurgitasset, solitus sit vesperi funus sibi adparare, accersere tibicines, qui funebres modos canerent, et hoc genus alia curare ad funeris speciem repraesentandam. A coena cum iam sustinere se ebrius non posset, iubebat se lectulo impositum, tanquam funus inferri in cubiculum et cantari funebres modos: *βεβίωται βεβίωται.* Indicabat enim cum demum diem praeclare se vixisse, quo ita esset convivatus: nec ducebat esse vitam adpellandam, cum non liceret eiusmodi voluptatibus perfrui. Quis non statuat plus esse mentis formicae, quam huic Pacuvio, qui vitam homini hanc unam ad rem, ad pecudum voluptates perfruendas, datam esse credidit? Et quamvis exemplum Pacuvii in funere faciendo non multi imitentur, dogma tamen hoc praeclarum maxima pars hominum profitetur, qui nihil in omni vita dignum homine suscipiunt ac gerunt, sed in ocio et inter pocula temulenti aetatem exigunt. Sed quoniam sanorum hominum iudicio, ventres isti non homines, sed verius monstra hominum sunt, desino formicas cum his conferre, quos non modo formicarum exempla, sed ne quidem publicae leges sanitatem revocare possunt. Nulla autem inter omnes laudes formicarum amplior esse mihi videtur, quam ea quae apud Solomonem est; is enim inquit: formicas non modo stultos, sed sapientes anteire prudentia. Neque ego, nisi tam gravem autorem haberem, auderem hoc paradoxum inter doctissimos homines dicere. Sed quia formicarum laudes colligere institui, non fuit haec praetereunda, praesertim cum esset amplissima. Quid audio? omnibus Philosophorum scholis, omnibus Rerumpub. gubernatoribus, denique omnibus sa-

pientibus viris, formicae praeferentur. Hoc plane est iuxta proverbium, Formica camelus. Et cum non possim hoc loco omnes causas, cur ita scripserit Solomon, recitare, sunt enim multae, quas ex ipsius Christianae doctrinae fontibus longe repetere oporteret, tamen unam hanc commemorandam esse duxi. Tanta desidia est humani animi, ita penitus haeret in nostris medullis voluptatum atque ocii amor, ut nulla tanta sapientia sit, quae non voluptatum illecebris vinci et expugnari possit, ut industriam laboremque remittat. Quod cum etiam Poëtae animadvertissent, finxerunt Herculem tot domitorem monstrorum, Omphales amore captum, muliebri veste, in gynaeceo tenentem colum. Atque hoc illi de summo viro fingebant, ut significarent nullam tantam esse vim animi, quae non frangi ac debilitari blanditiis voluptatis posset. Compara vero mihi formicas ad hunc Herculem, aut si mavis ad Alexandrum, harum industriam sedulitatemque nulla res unquam retardat. Illi scilicet heroes summa sapientia ac fortitudine praediti, quam immutati sunt, alter amore mulierculae, alter etiam magis beluinis voluptatibus. Huc igitur sacrae literae sapientes etiam viros accersunt, et in hanc academiam vocant ut discant, non modo similem in laboribus constantiam praestandam esse, sed etiam ut videant quanta sit infirmitas humanorum animorum, qui tam facile defatigari se patiantur, ut formicae etiam robore animi summis viris praestent. Et has ideo intueri iubet, ut cum viderint tantam vim vilissimae bestiolae divinitus datam esse, petant et ipsi, expectentque a Deo similem constantiam industriamque. Sed de hoc toto loco alii rectius dicent. Vos autem optimi Commilitones, quoniam ita iubent sacrae literae, intuemini formicas, et cum aliarum virtutum exempla ab eis petite, tum in primis earum sedulitatem exprimere contendite. Etenim si vel nulla proposita essent nobis laboris nostri praemia, tamen quoniam Deus praecipit ut laboremus, parere illius voci debebamus. Nunc autem cum etiam tanta praemia proposita sint, quae est amentia, tantarum rerum magnitudine non excitari aut acui ad laborem? Nil sine magno vita labore dedit mortalibus, inquit Poeta. Proinde nolite putare, sine magna animi contentione ulla vitae praesidia comparare vos aut retinere posse. Qua de re cum omnes omnium doctorum virorum libri pleni sint, et referti hoc genere exhortationum, ego vobis, quoniam propter aetatem, vel ad monendos vos, vel ad cohortandos parum autoritatis habeo, recitabo vobis gravissimum locum, qui extat in Xenophonte, quemque se Xenophon ex Prodici libro transscripsisse fatetur. Sunt autem contrariae orationes virtutis et voluptatis ad Herculem deliberantem, utram vitae viam ingrediatur, voluptatis ne an virtutis studia sequatur, sic enim ait: Cum Hercules ex pueritia egressus, iamque prope pubertatem esset, qua aetate sui compotes facti adolescentes, significant utram viam, virtutis, an ignaviae ingredi velint, exiit in solum locum seditque tacitus secum deliberans, utram viam iniret. Hic adparuerunt ei duae mulierculae maiores humana specie, quarum altera vultu modesto et liberali erat, nullo peregrino cultu aut fuco ornata, sed genuina bonitas formae adparebat, in corpore mundicies, in oculis pudor, in incessu modestia, vestem praeterea candidam gerens. Altera habitior, et fucata, nam et rubor et candor maior erat nativo. Et incedebat supina, oculos late pandens, veste induta, quae formam maxime commendabat, contemplans interim se, et circumspectans, an alii se viderent, nonnunquam etiam umbram suam respiciens. Postquam autem propius ventum est, illa prior modeste pergebat. Haec autem ut anteverteret, accurrit ad Herculem, ac inquit: Video te Hercules deliberare utram viam ad vitam agendam ingrediaris. Quod si me tibi adiunxeris, ducam te iucundissima et facillima via. Nulla res iucunda est, qua non potieris et molestiam nullam perpetieris. Neque enim aut bella, aut alia gravia negocia curabis, sed hoc unum cogitabis ac quaeres, ubi aut cibum aut potum suaviorem invenias, aut quod delectet oculos, aut unde olfaciendo aut tangendo aliquam voluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo mollissime cubes, et quomodo haec omnia sine aliquo labore consequaris. Et si quis inciderit metus egestatis, non est quod timeas me tibi aliquid laboris imposituram esse, efficiam enim, ut fruaris his, quae alieno labore parta sunt in promptu. Nec ulla re abstinebis unde modo speres te aliquam voluptatem posse lucrifacere: ego enim meis sodalibus potestatem facio ex omnibus rebus voluptates decerpere. Haec Hercules audiens, inquit: Mulier, quod est tibi nomen? Tum illa: Mei sodales vocant me Foelicitatem. Qui me aspernantur, vocant me Ignaviam. Interea accessit et altera mulier, dixitque: Venio

et ego ad te adolescens: novi autem tum generosos parentes tuos, et indolem educationemque tuam. Haec mihi spem faciunt, fore, ut si me secutus fueris, magnas et honestas res geras, et me multo clariorem apud homines efficias. Nec longa te praefatione, quae ad voluptatem fingi solet, morabor, sed simpliciter id quod res est, vereque narrabo, quod Dii constituerunt. Nulla vera bona, sine labore curaque mortalibus Dii dederunt. Sed sive Deos tibi vis esse propicios, placandi sunt: sive ab aliis diligi vis, beneficiis adiungendi sunt: sive honore adfici a civibus cupis, bene mereri te de patria oportet: sive vis in admiratione esse apud omnes Graecos, benefactis id te consequi oportet: sive vis ut terra pariat tibi fruges, colenda est: sive ex pecudibus ditescere vis, pascendae sunt: Sive bello opes tuas augere voles, ut socios in libertatem adseras, et inimicos in servitutem redigas, belli artes discendae sunt ab his qui eas norunt, et exercendae, ut quomodo eis utendum sit, scias: Si robur corporis vis confirmare, consuefaciendum est, ut rationi obediat, et exercendum magno labore ac sudore. Quod cum dixisset Virtus, interpellat eam Ignavia, inquiens: Vides Hercules, quam asperam et longam viam ad foelicitatem haec tibi mulier ostendat, quo ego tibi compendiariam et planam viam monstravi. Tum Virtus: O misera, dic nunquid habeas boni, et nunquid suave unquam cognoveris, quae nullum laborem vis illorum consequendorum causa suscipere. Et ne quidem expectas naturale desiderium suavium rerum, sed antequam natura expetat eas, imples atque obruis te, edis priusquam esuris, bibis antequam sitis, condimenta varia ad irritandam famem excogitas, vina preciosa, ut invites sitim, comparas, in aestate nivem quaeris. Et ut suaviter dormias, non modo mollia strata, sed etiam lectos facis, somnum enim accersis, non ut per laboris intervalla quiescas, sed inopia negocii sine pudore ac legum metu amori operam das, nocte abuteris, et optimam diei partem somno perdis. Et cum Deam te esse glorieris, ex Deorum numero eiecta es, aspernantur te et honesti homines. Neque unquam suavissimum carmen, tuas laudes audivisti. Et pulcherrimum spectaculum nunquam vidisti: nullum enim unquam recte factum tuum spectasti. Quis tibi improba credet? quis egenti dabit aliquid? Quis sanae mentis in tuo choro esse velit? ubi iuvenes imbecilli corpore sunt, senes fatui, qui cum adolescentiam in ocio perdiderint, senectutem miseram et calamitosam agunt. Tunc et pudet anteactae vitae, et piget primum quaerere necessaria aetati subsidia. Suavia in adolescentia ante tempus praecerpserunt, laborem et aerumnas in eam aetatem distulerunt. Ego vero apud Deos versor et apud honestos homines. Nullum honestum facinus neque Dii neque homines sine me faciunt, ideoque me et Dii et homines honore adficiunt. Grata sum opitulatrix artificum, fida custos familiae dominorum, benevola adiutrix servorum, iucunda comes laborum in pace, firma periculorum in bello auxiliatrix, optima amicitiae socia. Et mei amici suaves voluptates sine fastidio percipiunt ex cibo et potu, expectant enim illorum naturale desiderium. Somnus etiam suavior eis est quam ociosis, quem etiam cum opus est, sine molestia abrumpunt, nec propter hunc necessaria intermittunt. Et iuvenes senum laudibus gaudent, et senes delectantur iuvenum honoribus, et incredibili voluptate rerum a se gestarum meminerunt. Et sine difficultate praesentes labores conficiunt, per me Diis chari, amicis, chari patriae. Et cum ex hac vita discedendum est, non obscuri aut ignoti iacent, sed laudes eorum perpetuo a posteris praedicantur. Haec tibi o fili bonorum parentum Hercules contingent, et veram foelicitatem stabilemque ita consequeris, si laborem non defugies. Sic virtus apud Xenophontem concionatur, et ad labores suscipiendos, non tantum Herculem, sed omnes adolescentes, verissima gravissimaque voce hortatur. Qua oportuit aures vestras undique circumsonare, et inertes animos tanquam classico exuscitari. Atque hanc ipsam virtutis orationem divinitus in formicis scriptam putate, quas quoties videbitis, veniat in mentem hanc vobis imaginem, quae vos ad laborem incitet in terris a Deo propositam esse. Et sicut Comoediae exhibentur, ut in illis exemplis discamus, quid in vita deceat, ita Deus in hac rerum natura varia spectacula fecit, quae nos officii nostri commonefacerent. Proinde cum formicae convehentes grana, condentesque in commune spectabitis, existimate hanc tanquam Dei vocem esse, quae iubet ocium, nocentissimam pestem fugere, et suscipere honestos labores, quibus et nobis ea quae in omni vita necessaria sunt, comparemus, et societatem communem hominum iuvemus. Quod si facietis, favebit vestris illis laboribus Deus, et omnem vitae cursum fortunabit. Contra eos qui capti amor

ocii voluptatumque, non volent formicam audire, atque imitari, ad quam a Deo tanquam ad magistros missi sunt, hi sciant se gravissimas poenas contemptae magistrae, imo contempti coelestis mandari daturos esse, odit enim ocium Deus, ideoque non unum calamitatis genus ex ocio nascitur. Dixi.

Nr. 19. an. 1528.

De dialectica.

Apud Crat. Myl. p. 407 sqq., in Declamat. T. I. p. 400., in Servest. I. p. 346., Richard. I. p. 226.

Oratio Iacobi Milichii de dialectica, habita in promotione Magistrorum, anno 1528.

Cum scholae consuetudo vobis nota sit, non arbitrabar mihi opus esse longa defensione, cur huc ad dicendum accesserim. Imponit mihi dicendi necessitatem mos publicus, cui si nolim obsequi, non satis intelligere videar, quid ad boni viri officium pertineat. Atque utinam quoniam non suscepi hoc officium privato consilio, sed legibus et institutis sapientissimorum hominum, qui nobis per manus hunc morem tradiderunt, coactus, plus autoritatis ad vos oratio mea habeat, quo facilius id quod volo, persuadere vobis possim. Verum est illud veteris Poëtae: Eadem oratio ab obscuro et nobili dicta, non idem valet. Vos autem iudicabitis hanc non tam meam, quam totius senatus Academiae, imo legum vocem esse.

Est enim mihi dicendum de ratione ac via discendi, ac perniciosus quorundam error castigandus, qui ordinem in discendo pervertunt, qua in re profecto et omnium praeceptorum vestrorum, et multorum doctorum hominum sententia, vel querela potius, mea tanquam praeconis voce vobis exponenda est. Scitis gradus quos vocant, a veteribus institutos esse, ut praeceptores de studiis iuventutis certis temporibus periculum facerent, et ut iudicio praeceptorum hi, quorum profectus probabatur, in alias classes traducerentur. Nos itaque dum hoc tempore horum adolescentium, quibus Magisterii titulum concedemus, studia cognoscimus, animadvertimus magnam iuventutis partem, sine ratione atque ordine in literis versari. Vetus haec multorum bonorum virorum querela est, sed quoniam hoc tempore velut in re praesenti vidi, quam inutiliter discant quidam, vehementer dolui vicem vestram, quare duxi hoc in loco vos esse vel admonendos, vel etiam obiurgandos. Nam monuerunt vos hac de re antesaepe praeceptores vestri, sed nescio quo mala fato fiat, ut neque autoritate illorum, neque vestrae utilitatis respectu moveamini. Quam enim utilitatem aut vos ipsi, aut Respub. ex hoc genere doctrinae capiet, quod sequi soletis, in quo nulla solida ac firma eruditio inest, et ut de privata utilitate non dicam, est enim liberalis ingenii, studia sua ad publicam utilitatem conferre, quid expectare vel consilii, vel opis, Respub. ab istis potest, qui cum sine perfecta doctrina titulum doctrinae tamen habeant, quid aliud quam purpuratae simiae dici queant? De maximis rebus, de iure, de religione provocatur ad iudicium eorum, qui docti vocantur. Quid autem iudicabit de obscurissimis controversiis is, qui non penitus introspexit bonas artes, sed obiter degustavit eas fugiens, velut canes e Nilo bibunt? Est igitur discendi ratio talis instituenda, per quam earum artium, ad quas contulimus studium, perfectam scientiam consequamur: id ita fiet, si ordinem quendam in discendo servabitis. Praeclare dixit Xenophon in Oeconomico, nihil ordine neque honestius, neque utilius esse. Cuius sententiae vim cum in omnibus aliis rebus experimur, tum maxime in studiis literarum. Vide enim quantum praepostera discendi ratio habeat incommodi: prius Theologiam aut Ius civile discunt quidam, quam teneant Dialecticen, et alia Philosophiae elementa: Hic plane, ut Cicero inquit, claudi more pilam tenent. Tractare eas artes, in quibus versantur, nullo modo possunt, nusquam artium fontes pervidere, non quae cohaereant, quae dissentiant inter se, cernunt. Hi cum prodeunt in publicum et doctrinae opinionem magnificam secum adferunt, hic primum deprehenduntur, hic inscitiam produnt, si quid est definiendum, non vident ubi sit, si quid est partiendum, omnia unus pulvis, si quod nectendum argumentum, quam monstrosa forma syllogismi sit? si quod argumentum dissolvendum est, ibi vero, nisi sola se impudentia tueantur, abiecto clypeo fugiunt. Hic primum poenitet eos neglectae Dialectices, quae cum sit ars, ut Plato ait, tradendi et accipiendi sermones, una tradit viam et recte discendi et perspicue

docendi, nulla sine hoc instrumento ars penitus cognosci aut percipi potest. Nihil igitur isti, nisi histriones meri sunt, qui artem ullam profiteri, nisi Dialecticen teneant, audent. Plato in Repub. spurios Philosophos adpellat eos, qui sine Dialectica, satisfacere se aliis artibus existimabant, quare sicut spuriis non licet haereditatem petere, ita procul ab omnium literarum tractatione praetorio aliquo edicto submoveri debebant illi, qui ante irrumpunt in alias disciplinas, quam hanc artem perceperint. Quidam perlectis praeceptis artis, statim se artem tenere putant, qui longissime falluntur. Usus quidam adhibendus est in quo praecepta experiantur, ut discant quomodo arte utendum sit. Sicut non statim pictor est qui Durerum pingentem vidit, nec cytharoedus, qui vidit Adolphum eruditissime tangentem fides: ita non putet se Dialecticen callere is, qui nihil scripsit, non disputavit, denique qui artem non exercuit. Quae nova est haec ingenii fiducia, arrogare sibi scientiam artis, cuius nullum habent usum? Porro cum in omni genere artium consuetudo dominatur, sic enim ait Poëta:

Solus et artifices qui facit usus erit.

tum maximam in Dialectica vim habet. Librorum mihi similes isti videntur, qui praeceptis quae continent, uti nequeunt, nam cum causam aliquam acceperunt explicandam, nihilo magis ad illam adhibere praecepta, quam mutae chartae possunt. Proinde si quis utiliter versari in aliis disciplinis volet, is patiatur se prius in his primis artibus exerceri, et ad alias disciplinas praeparari, et tantisper commoretur in hoc genere studiorum, donec ante radices egerint earum artium praecepta, quas tradimus, donec earum sibi ἕξιν fecerit, ut quoties usus poscit, sint ad manum, ac velut in numerato. Haec est compendiaria et recta ad veram eruditionem via. Si quis captus splendore aliarum artium has praetervolat, ut quae non magnopere ostentari queant, huic plane hoc accidit, quod cani Aesopico, qui dum umbram carnium, quod ea maior adpareat, captat, veras amisit carnes: quia nisi attulerit ad alias artes hoc quod dixi instrumentum, fortassis aliquam doctrinae umbram, solidam vero doctrinam non consequetur.

Dixi hactenus de Dialectica, quia omnium maxime necessariam esse iudico. Porro quid reliqua elementa Philosophiae habeant utilitatis, ex eo facile intelligi potest, cum Medicina et Iurisconsultorum literae sint quaedam velut absolutio et exaedificatio Philosophiae, quod gradus ad illas artes per haec prima elementa faciendus sit. Hippocrates scribit alicubi, Medicum qui sit Philosophus, plane divinum virum esse. Idem profecto de scientia iuris etiam dici potest, quia fontes illarum artium atque ortus, et causae ita demum cerni possunt, si accesserit Philosophiae scientia: adeo summis illis artibus addit Philosophia non modo lumen, sed etiam dignitatem.

Quanquam autem sacrae literae non sumant res a Philosophia, tamen quia sermonem a publica consuetudine mutuantur sine Dialectica et cognatis artibus, compositio sermonis cognosci non potest. Adhaec cum neminem neque plura, neque meliora scire oporteat, quam Theologum, non convenit eum aliarum artium rudem esse: ab hoc consilium de maximis rebus petitur: hic censuram non modo de privatis moribus, sed etiam de publicis legibus agit, quas ad res mihi quidem uberior quaedam et locupletior doctrina requiri videtur, quam vulgo putant: de qua ut in praesentia non dicam, neque enim est instituti nostri omnia persequi, tantum haec ad commonendos adolescentes dico: Quoties de hominis natura ac partibus Theologo dicendum est? At eam rem clarius explicari poterit is, cui notae sunt nostrae de rerum natura disputationes.

Quantum lucis adferet sacris literis, qui Philosophorum doctrinam de moribus cum illis conferet? et ostendet, quae consentiant, quae non consentiant. Ego vero etiam necessarium esse iudico, ostendere utrunque doctrinae genus et intervalla certa regione describere, et fines eorum regere, ut Iureconsulti loquuntur, ne possit iterum in Christianae doctrinae possessionem Philosophia irrumpere. Quod si fecissent veteres, non usque adeo contaminata esset ante haec tempora doctrina ecclesiastica. Quid quod etiam historiae cognitione opus est Theologo, in qua ut tempora consentiant, iudicium ex motibus siderum, et ex eclipsibus sumitur, quam ad rem quis non intelligit, quarum artium scientia adhibenda sit? Proinde quid aliud est quam ὄνος ἄγων μυστήρια, qui cum sacrarum literarum interpres perhiberi velit, reliquas omnes disciplinas aspernatur? Quare ut finiam, adhortor vos adolescentes, ut iustam operam collocetis in haec primae aetatis studia, ut ad reliquas disciplinas

instructiores accedâtis. Quod si dimidium facti qui bene coepit habet, profecto et vos in superioribus disciplinis plus promovebitis, si recte coeperitis, hoc est, si earum literarum, de quibus dico, scientiam ad eas attuleritis. Haec quanquam sedulo praeceptores vestri monent, tamen et ego, quia ita ferebat tempus, indicavi vobis in memoriam esse redigenda. Dixi.

No. 20. an. 1528.

De Henrico III.

Apud Crat. Myl. p. 378., in Declamat. T. II. p. 558., in Servest. II. p. 548., apud Richard. II. p. 851.

Historia de Henrico III. Imperatore, ac Rodolpho Duce Saxoniae.

Quemadmodum in omnibus aliis artibus tradendis magna vis est exemplorum, ita praeceptis recte vivendi res gestae, et exitus bene aut secus factorum, magnum lumen addunt: et haud scio, an magis etiam quam ipsa praecepta animos hominum ad virtutem colendam exsuscitent. Nam et Evander cum filio domi tradere omnia de regiis officiis praecepta posset, maluit ei vivum exemplar proponere, in quod tota mente, totoque animo intueretur, quodque exprimere summis viribus studeret. Sic enim commendat eum Aeneae:

tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.

Itaque prudenter facere iudicandi sunt, qui in hunc locum memorabilia exempla afferunt, vel ut ipsi instructiores ad vitam recte agendam tractatione illorum evadant, intuemur enim propius quae ipsi scribimus, vel etiam ut aliorum utilitati consulant. Ego igitur non dubitavi historiam quandam huc afferre, non perinde omnibus notam: sumpta est enim ex rebus gestis Germanicorum Imperatorum, quae nullum, ut scitis, literarum lumen habet. Quanquam autem videbam non esse mediocris artificis, eiusmodi res e tenebris erutas illustrare ac ornare, tamen in patria aliqua historia malui operam sumere, quam in peregrina. Turpe est enim nobis, cum in aliarum gentium rebus gestis inquirendis tam curiosi simus, domesticas ignorare, nec maiorum nostrorum salutem, omnes vires omneque studium contulerint, iure poterimus ingratitudinis accusari, si memoriam eorum qui de nobis optime meriti sunt, conservare non conemur. Quare tametsi sentiebam me non posse pro dignitate hanc causam quam suscepi exponere, tamen arbitrabar vos facile mihi veniam daturos esse, quia pietate erga patriam adductus in tali argumento vires ingenii experiri non ostentare voluissem. Ac principio vobis historiam recitabo quam potero brevissime, postea exponam quae inde utilitas excerpi possit. Qui enim ita legit historias, ut nihil ad suum usum inde transferat, non satis perspicit, quid consilii habuerint sapientissimi homines, qui primi monumenta rerum gestarum ad posteros relinqui curaverunt. Ante annos fere quingentos Romani Pontifices diuturnum bellum et calamitosissimum incredibili pertinacia cum nostris Imperatoribus gesserunt, dum ad se rapiunt ius Episcoporum creandorum in Germania: nam ante id tempus Principes ipsi Episcopos suis provinciis dederunt, nec passi sunt aequo animo sibi ius suum extorqueri: neque enim utile putabant esse patriae infinitum Pontificis imperium. Econtra Pontifices summa vi decertabant, non ut religionem defenderent, sed ut imperium atque opes amplificarent. Nec cum uno Imperatore dimicaverunt, sed aliquot seculis bellum perpetuum fuit, non perinde celebratum, ut Punica bella populi Romani, defuerunt enim et in Italia et in hac natione scriptores, sed non minus luctuosum ac funestum Germaniae atque Italiae, atque Punica bella Romanis et Carthaginensibus fuere. Sed acerrima ea de re contentio cum Henrico III. fuit. Incidit enim ille tanquam in epithasin fabulae, in medium certamen. Moverant enim Episcopi bellum adversus patrem, et quosdam Germaniae populos ad suas partes praetextu religionis pertraxerant. Cum autem Pontifex virtutem Henrici sustinere diutius non posset, ac sentiret victoriam inclinare ad Caesarem, consilium cepit non minus impium quam callidum, intestinum in Germania bellum excitat, ut Caesar domi occupatus, ab Italia retraheretur, simul ut cum suis civibus maiore cum periculo pugnaret. Nam cum haberet obnoxios Saxonum Episcopos, Pontifex egit per illos, ut Saxoniae Ducem Imperatorem designarent. Accessit et Pontificis Romani autoritas, qui hunc de more Caesarem salutavit. Nihil tale Princeps optimus ambierat, delatum etiam honorem fortiter recusabat suscipere: novum enim et inauditum ad id tempus in Germania exemplum erat,

Caesari redacto in ordinem successorem dari. Nec religione prorsus liber animus erat, quia alienum a boni civis officio videbatur, Principis, cui fidem dedisset, maiestatem laedere. Sed ad extremum superstitione, qua nihil in Imperatorum animis potentius est, victus atque expugnatus est, ut Caesaris titulum susciperet. Nam Episcopi persuadent fidem Henrico datam non esse servandam, postquam is a Pontifice proscriptus esset, quia nulla ullius iuris aut officii societas cum excommunicatis esse debeat, docent contra religionem facturum esse, nisi obtemperet Romano Pontifici vocanti eum ad suae dignitatis ac libertatis defensionem. Magna erat autoritas Episcoporum propter opinionem vel doctrinae vel pietatis. Itaque Princeps Saxoniae assentitur eorum orationi, quae in speciem plena pietatis erat. Bellum summa vi molitur, quod varia fortuna plus annis octo gestum est. Quam graviter afflixerit Germaniam tam longum bellum, quantum civium absumpserit, pro vestra prudentia existimare facile potestis. Saepenumero iusta acie dimicatum est, sed ad extremum ad Picam flumen in agro Lipsensi opinor summis viribus praelium commissum est, in quo Saxonum exercitus caesus et fugatus est, et Imperatori Saxonum cum fortissime pugnasset, manus praecisa est. Princeps Saxonum aeger ex vulnere in oppidum Mersburg illatus est, ubi cum decumbenti manus quam amiserat, allata atque ostensa esset, coepit, ut fit in rebus adversis, ex eventu consilium aestimare: et quia manus praecisa erat, interpretatur fatalem fuisse casum, et manum ei datae fidei poenas dare. Conversus igitur ad Episcopos, quorum autoritatem atque consilium secutus erat, inquit: Videte Domini, haec est manus, qua fidem dedi Domino meo Henrico Imperatori; nunc cogitate, an iustam causam defectionis habuerimus. Nec post eam vocem diu superstes fuit, sed ex vulnere mortuus est. Quid autem querela illa acerbius cogitari potest? Est aliquid, magnis crimen abesse malis, ut ille inquit, et plenissima consolatio est in rebus adversis, mens sibi bene conscia. At iste deplorans hoc modo suum fatum, profecto significavit se sentire, suo scelere, suaque culpa contractam esse calamitatem. Nullum autem supplicium, nulli cruciatus, quamvis horribiles, ad huius doloris acerbitatem, quem turpitudinis conscientia facit, conferendi sunt. Exposui vobis historiam non ut debebam, sed ut potui. Nam tanta causa, tamque varia, in qua tot controversiae insunt, de religionibus, de colendis Magistratibus: praeterea tam varia consilia et exitus mirabiles, non potest mediocri aliqua facultate ingenii explicari. Nos vero etiam breviores iusto fuimus, propter angustias temporis, quod nobis ad dicendum praescriptum est.

Nunc venio ad alteram orationis meae partem: promisi enim me posteaquam recitassem historiam, dicturum esse, quid iudicem eam ad nostros mores utilitatis afferre posse. Etenim si res tanta divino consilio accidit, quemadmodum sentire Christianos decet, profecto statuere debemus, ad nos id exemplum pertinere. Quemadmodum enim fabulae, quae in theatris aguntur, non propter eas personas quae repraesentantur, sed spectatorum causa suscipi solent, ut quid in vita deceat, admoneantur, ita nobis ostendit Deus varia exempla maximarum rerum, ut officii nostri nos commonefaciat. Nec putate ea tantum exempla divinitus nobis monstrata esse, quae in sacris literis perscripta sunt, totus hic mundus velut proscenium quoddam est Dei, in quo omnium officiorum exempla quotidie exhibet. Proinde diligenter consideranda est historia quam recitavi, ut quid admoneat nos intelligamus. Sed ut alios locos multos quos complectitur, omittamus, vox illa extrema miserabilis indicat, quid in exitu talis viri vobis spectandum sit: significavit enim Principem superstitione adductum esse ad bellum movendum adversus Imperatorem. Nihil superstitione pestilentius est, sed haec tum maxime nocet, quando armat homines adversus legitimos Magistratus. Nulla fere gens est, quae non olim humanas hostias mactaverit, atque alii saevierunt in liberos, alii suis dentibus senes parentes per sacrificii speciem laniaverunt, huiusmodi portenta superstitio parit, sed haec paucorum caede contenta est, in bellis saevit atrocius, ubi multa hominum millia simul trucidantur, ubi parentes in liberos, filii in parentes, cognati in cognatos ferrum aliquando stringunt. Nulla propemodum aetas ab hac peste fuit immunis. Sed ut vetera exempla omittamus, abhinc triennio quam horribilis motus, quantum incendium subito exarserat, cum vulgus arma adversus Magistratus cepit, cuius tumultus quam fuerit luctuosus exitus, non ignoratis: Sic enim accepimus, caesa esse supra centum millia hominum. Quae res aut alia simplices homines initio decepit? quae res alia indu-

cat arma imperitae multitudini, nisi superstitio, seu quaedam perversa de religione persuasio? Scitis enim sparsos fuisse libellos, quibus tanquam ad pileum vocabantur, in quibus de publicandis sylvis, fluminibus, de donatione creditorum, et hoc genus alia multa scripta erant, et male detortis scripturis, nebulae erant offusae oculis multitudinis: hi libelli seditionis classicum maximae parti fuerunt. Cum igitur tam pestilens res sit superstitio, diligenter adversus eam animos nostros munire debemus, cum sacrarum literarum scientia, tum etiam historiarum cognitione, in quibus est videre, quam varie occupet animos hominum. Neque enim semper eadem facies est, eademque forma superstitionis. Nullus Proteus tam varius est, quam varias formas illa solet induere. Videtis quam callide obrepserit isti Principi, de quo haec oratio instituta est. Magna erat in Germania dissensio Ecclesiarum: nam Ecclesiae Saxonum indicabant reliquos Germanos, qui in fide Caesaris manserant, nullas ceremonias recte posse tractare, propter Pontificium interdictum. Diripiebantur eorum templa velut prophana loca, ad ipsas aras trucidabantur miseri sacerdotes. Quis autem non moveretur tantorum malorum contemplatione? Quis non cuperet has tantas calamitates sanare, si quid opis afferre posset? Sic affecto Principi insinuat se superstitio, ac persuadet id fore remedium publicorum malorum, si oppresso Imperatore dissensiones ecclesiasticas tollat. Sed vide quantum in isto consilio turpitudinis fuerit. Primum divina ac humana iura violat, cum adversus suum magistratum, quem et doctrina religionis et omnium gentium leges bona fide coli praecipiunt, arma capit. Et cum talia fuerint auspicia novi imperii, nihil est quod miremur exitium tragicum esse. Quid enim accidit inito regno? Num restituit pacem? Num sustulit Ecclesiarum dissensiones? Nequaquam, sed morbum intempestive medicando multo magis exacerbavit: nam suscepto bello nihil usquam tranquillum erat. Hic primum mutuis accensa odiis, utraque pars crudelius saevire coepit, quam antea unquam. Postremo praeterquam quod exitus Principis fuit miserrimus, tota etiam ditio amisso Principe victoribus praedae fuit. Hunc exitum superstitiosi consilii diligenter considerate, et saepe vobis manum illam Principis praecisam ob oculos ponite, ne ipsi unquam superstitione adducti, Magistratuum autoritatem laedatis. Illa manus admoneat, neminem quantumvis magnis viribus munitum, contemptum Magistratum impune ferre. Pinguntur in quibusdam urbibus brachia in foro, quae significent, capitale esse, ferrum adversus alterum stringere. Ita vos manum illam Principis pingite vobis in animo, ut intueri eam, quoties opus est, possitis, ac meminisse, qualis sit exitus eorum, qui Magistratus contumelia afficiunt. Dixi.

No. 21. an. 1529.

De ebrietate.

Apud Crat. Myl. p. 528., in Declamat. T. I. p. 700., in Servest. I. p. 618. et apud Richard. II. p. 57. — Melanthonem hoc anno collegisse quae ad ebrietatem spectarent, intelligitur ex Epist. Vol. IV. p. 964.

Vituperatio ebrietatis, scripta [recitata] *a Vito Winshemio.*

Marcus Cato, cum aliquando ad plebem Romanam importunius de divisione frumenti atque aliis suis commodis tumultuantem orationem, qua placaret eos, habere instituisset, et parum aequis auribus se a plerisque audiri animadverteret, in hunc modum initio dicendi fertur exclamasse: Quam difficile est, inquiens, ad ventrem verba facere, qui aures non habet? Sentiebat enim surdo fabulam cantari, si quis, praesertim apud vesanam multitudinem, ventri leges dictaret.

Idem ego mihi quoque accidere vererer, si haec oratio, quam iussu praeceptorum de sobrietate ac temperantia institui, mihi alicubi in coetu vulgi, ac heluonum, pro nulla re magis quam pro ventre sollicitorum habenda esset: hi enim ad primam statim mentionem sobrietatis, me risu et clamoribus exploderent, aut indignantes e medio proturbarent: non enim immitius saevit ira leaenae, abreptis catulis, quam furor istorum heluonum, quando ventri suo et gulae finem modumque statui audiunt.

Quare si in tali theatro perorandum esset, causam mihi hanc relinquendam, et capite obvoluto, qua possem exeundum putarem.

Cum vero in hoc doctissimorum virorum et adolescentum consessu, quibus cum honestissimis ingenuarum artium studiis, cum Musis, hoc est, cum humanitate commercium est, quibus plus sa-

nae mentis inesse et mores ac sententiae cum studiis congruere debent contra ebrietatem, qua in hac quidem vita nihil foedius esse potest, dicendum sit, nihil dubito, quin satis aequos et benignos auditores sim habiturus. Et me contumelia vos afficere iudicarem, si velut dubitans de vestra in hac causa benevolentia, longa praefatione eam mihi conciliandam putarem. Quapropter hac quidem parte omissa, unum vos precabor, ut si minus quam pro atrocitate ac foeditate huius flagitii dicam et propter imbecillitatem oneri succumbam, id pro vestra aequitate aetati meae, quam gravibus argumentis tractandis adhuc immaturam esse videtis, et tenuitati ingenii condonetis. Quod me quidem a vobis non difficile impetraturum spondet summa humanitas vestra mihi non ignota.

Omissa igitur longiore praefatione, ad rem potius ipsam accedamus. De temulentia mihi et ebrietate in praesentia oratio erit, Adolescentes, de qua ego, sed alio quodam modo dicere possum, quod de virtute Plato dixit, incredibiles eam amores in animis hominum, si oculis percipi posset, excitaturam. Ita ebrietatem, si eius turpitudo, quanta est, a nobis cerneretur, ac si non oculi nostri rem tam foedam consuetudine quadam, qua nihil in rebus malis nocentius est, prope iam ferre didicissent, haud dubie gravissimum odium sui apud omnes parituram. Nemo enim est, qui non toto corpore atque animo cohorresceret, ac velut ad ominosum et infaustum aliquod monstrum paveret, quoties in ebrii alicuius hominis conspectum incidisset, si non veluti morbo quodam oculi nostri hebetati caecutirent, et mentes ad sensum tantae foeditatis consuetudine ipsa iam occalluissent. Si enim cum quid in natura rerum a communi lege ac ordine deerratum videmus, exhorrere atque ea monstra abominari solemus, utpote cum ex bove bicipites vitulos, ex sue canem editum, aut aliquid inusitatum e terra natum, vel in coelo conspectum accepimus, non minus certe abominabile et obscoenum portentum iudicandum est, cum homines excellentissimam illam naturam, quae ad gloriam Dei, ad immortalitatem, ad virtutem atque temperantiam condita est, illa immani heluandi ac perpotandi consuetudine ita ex hominibus in feras bestias transformari videmus, ut praeter oris lineamenta in illis humani nihil amplius agnoscere possis. At quid de bestiis dico, quarum vita utut est, multo certe, quam horum hominum, minus est detestabilis, utpote quae naturae ipsi tamen conformis et consentanea est. At isti homines fugere prorsus se ipsi, et hominem ex homine exuentes, naturam humanam odisse videntur, imo vero cum ea belligerantur, et expugnata ipsa, aliam, ac nimio plus quam beluinam induunt, ut recte dictum sit: Omnem naturam quae a sua specie degeneret, in multo deteriorem abire, quam si eam naturam ingenuisset. Et cum horrendum, tum vero etiam miserabile est, ex omnibus animantibus unum hominem tam longe ab ea excellentia, ad quam divinitus conditus est, degenerare. Quid enim esse aut cogitari potest, non iam dicam humanitati, sed ipsi omnino naturae magis adversum, quam suis membris, valetudini vitaeque propriae, ultro et nulla de causa vim afferre? Solent hoc nonnunquam facere, qui mente capti atque in furorem acti, ne seipsos laedant, vinculis coercentur. At isti heluones, qui adhuc mentis ac rationis compotes, si Diis placet, videri postulant, si modo sunt, et non multo graviori genere furoris agitantur, hostilem in modum sibi ipsi manus afferunt, in se ipsos saevientes, infestissimosque morbos, cruciatus, atque exitium, ultro ac volentes videntesque sibi accersunt. Id ita esse quotidiana exempla nimis multa testantur, et res loquitur ipsa, ut nunquam verius quam hoc tempore dici potuerit, plures crapula quam gladio occumbere, imo vero plures crapula seipsos crudeliter occidere, quam ullo alio genere mortis aut casuum humanorum perire. Nam quod haec sit communis labes ac ruina sanitatis animi pariter ac corporis, quod ad corrumpendum ac frangendum vigorem omnium membrorum, ad exitium ac mortem nulla magis compendiaria, nec brevior sit via, non longum, neque difficile erit ostendere. Quem enim unquam vidistis ebriosum hominem, cui non in media iuventa corpus omni genere morborum confectum ac debilitatum, sensus omnes labefactati corruptique fuissent? Occupat illos senium et occasus vitae, dum adhuc sunt iuvenes, dumque quam maxime viribus pariter corporis atque animi vigere ac valere debebant. Neque id mirum, nulla enim pars est corporis, neque animi, quae non ista immani perpotandi ac heluandi consuetudine gravissime laedatur. Stomachum primum et epar, quaeque alia membra nutritioni caeterorum destinata sunt, necesse est, isto poculorum proluvio ita debilitari atque corrumpi, ut neque

coquendo praeparandoque, nec distribuendo corpori hunc quo vivimus vigemusque, sanguinem, amplius usui esse possint. Calor naturalis, qui coctionis effector est, quo, ut Cicero testatur, omnia aluntur ac crescunt, et sine quo neque ali quicquam potest, nec crescere, ita in istis potu atque ex eo natis vitiosis humoribus obruitur ac demergitur, ut vel nullum eius amplius sit vel admodum segne in corpore ministerium. Hinc quam multiplicibus gravibusque morbis affligentur isti nepotores, videmus: neque enim id rarum est aut obscurum, statim color ipse, quem sanguis prout est, gignere solet, quae sit valetudo indicat, is vero talis est, ut te, eorum quempiam intuens, emortuum cadaver, non vivum corpus putes intueri. Caput illis tremulum est, incerto motu nutans, vertigine laborant perpetua, ea praenuncia est apoplexiae: oculi rubentes et continuis lachrymis stillantes, oculorum anguli tumentes, indicium id est cachexiae totius corporis, qui gradus ad hydropisin proximus est, genae labentes et quales tabidis aut senio confectis aniculis, nasus morphaicus, oris halitus multo quam cloacae gravior, dentes putridi scabrique, spirandi difficultas, tussis, ructus et vomendi expuendique, praesertim horis matutinis, foeda necessitas, lingua adhaec titubans etiam sobriis, vox rauca et obscurus pro sermone stridor, manus tremulae, nodosae, morbo articulari foedum in modum distortae ac fractae; venter, quem quis verius poculorum latrinam dixerit, propendens, morbosus; crura qualia elephantis, tumida, labantia, plena foedis ac graviter olentibus, hulceribus, pedes podagrosi: podagra enim istorum heluonum assidua comes est et pedissequa. Nam belle convenit, quod Epigrammaticus graecus ait, Bacchum cum Venere aliquando concubuisse, et ex eo concubitu prognatam esse filiam podagram. Haec duo enim quae per se ac sola plurimum nocent, quando in unum conveniunt, tum vero nihil est magis pestiferum. Fit autem plerumque, ut homines temulenti ac ebrii, tunc cum cibo potuque ad summum distenti sunt, ad res venereas proruant sese. Hinc subitae mortes atque intestata senectus, ut Satyricus ait. Hinc istum potorum, pene porcorum dixeram, gregem circumsistit velut agmine facto morborum omne genus, sequiturque totius corporis et omnium membrorum extrema labes ac deformatio, cerebri tamen praecipue, ea enim pars cum temulentiae velut sedes sit, ex omnibus gravissime laeditur. Nam cum stomachus, cuius virtus et calor, ut diximus, assidua poculorum proluvie extinguitur, incoctos illos crassosque vapores ad caput et cerebrum exhalat, venaeque ac meatus ibidem replentur, atque praecluduntur, necesse est magnam spirituum perturbationem, sensuumque ac motus totius corporis labefactationem sequi: instrumenta enim sensuum sua potentia ac vigore destituuntur, spiritus quo omnia in corpore vegetantur ac vivunt, obstructo per venas transitu, non potest officio suo fungi, hinc pleraque organa sensuum praemoriuntur. Nervos vero et ea membra quae ex his constant ac motui delegata sunt, ea, inquam, omnia fonte ipso ac principio nervorum cerebro laeso et ipsa sua vi destitui ac debilitari necesse est. Hinc illa capitis crebra nutatio atque gravedo, qua hoc genus hominum perpetuo laborat. Hinc manuum tremor, hinc omnium articulorum dissolutio, quam paralysin dicunt. Vix manus amplius levandis, et ad os atque ad illam poculorum charybdim admovendis calicibus sufficit. Videtisne quam tremulo et vacillanti motu combibonibus calicem porrigant, et quantum inter porrigendum vini effundant? O miseros homines, quibus iam etiam manus ad eam quam ipsi solam ac summam voluptatem rentur esse, ministerium amplius denegant. Memini ego, Medicum quendam ad virum equestris ordinis gravi morbo decumbentem aliquando vocatum, et ab aegroto atque amicis de origine ac causis morbi, ut fieri solet, interrogatum, respondere, fluxionem quandam e manu dextera in caput defluentem, fontem illi et causam morborum esse. Cum ille mirabundus, qui id fieri posset, quaereret, Medicus cantharum qui prope in mensa adstabat potu plenus, protinus correptum ad os admovebat, ostendens hanc esse fluxionem tot morborum causam. Facete ille quidem nec minus vere: sentiebat enim valetudini nullam nocentiorem esse pestem, quam istas perpotationes. Sed non audiunt Medicum isti nepotores, ne tum quidem, cum alterum pedem in Charontis cymba habent. Multo enim peius animo valent quam corpore, id quod infra ostendemus. Nam cerebrum, quae rationis ac mentis sedes est, ita illis concussum et labefactatum est, ut non modo mente, sed ne sensibus quidem integris uti possint. Destituunturque non tantum illis virtutibus, quibus homines a caeteris animantibus separantur, sed iis etiam, quae

cum brutis nobis communia sunt sensu ac motu. Galenus crapulam a vibrando et quatiendo capite dictum affirmat, et ab hac praecipua labe rei foedissimae nomen inditum. Id satis in istis heluonibus adparet, quibus vel cerebri nihil est, vel si quid est, ita est quassatum atque affectum, ut suo amplius officio fungi nequeat. Declarat hoc sensuum, quos exteriores vocant, extrema debilitas in ebriosis, quorum iam non est diminuta actio, ut Medici loquntur, sed corrupta prorsus, imo vero persaepe etiam ablata. Non enim hi tantum, si qua sunt aliquo intervallo seposita vident, aut agnoscunt minus, sed etiam ea quae quidem sunt proxima. Surgit his mensa geminis luminibus, ut ait Iuvenalis, pro canthare uno duos vident, pro uno conviva geminos salutant, denique iam omnia conduplicata cernuntur eis, pro calice candelabrum manibus prehendunt bibituri, foras ituri a ianua deerrantes, in fornacem incursant. Atque haec adhuc sunt initia morbi: nam si, ut plerumque solent, sic heluari pergunt, postremo luminibus prorsum et auribus capiuntur, caeterisque sensibus destituuntur, trahunturque semimortua et evecta crapula misera corpora, et sunt revera quod dicuntur, viva cadavera atque terrae inutilia et execranda onera, donec alium apoplexia, alium morbus comitialis horribiliter prius excarnificatum extinguat. Nam hic morbus est familiaris hominibus ebriosis, atque ipsa adeo ebrietas quid aliud est, si propius consideres, quam species quaedam morbi comitialis? praecluduntur enim crudis illis densisque vaporibus, quos, ut dixi, stomachus et caetera membra nutritioni destinata a nimio potu exhalant, venae atque meatus cerebri, ac per eos spiritui transitus negatur, unde sentiendi et movendi potentia caetera membra destitui necesse est, id quod ebriis perinde ut morbo comitiali laborantibus accidere videmus, multique saepe ita sunt subito praefocati, tetroque et horribili genere mortis extincti. Cui tu infensissimo hosti istos cruciatus atque haec tam saeva supplicia possis optare? Sunt haec quidem quae corpus patitur a crapula gravissima, sed graviora tamen quae parti praestantiori, nempe animo accidunt. Non enim tantum oculorum, aurium, manuum, pedum ac caeterorum membrorum sanitas vigorque ebrietate corrumpitur, sed multo gravius illae *δυνάμεις* ac virtutes animi laeduntur, atque ea pars praecipue in ebriosis suo naturali motu usuque destituitur. Nam quae vis integra mentis in iis esse potest, vel ad percipiendas retinendasque veras ac proprias rerum imagines, vel ad faciendum de illis sanum rectumque iudicium, in quibus, ut breviter dicam, omnis corporis animique sanitas, non secus quam in phreneticis labefactata ac dissoluta est, sensus omnes velut sede sua moti atque eversi sunt. Quem vos igitur ulla in re usum talium hominum esse, aut quid publicae privataeve rei ipsis mandandum putatis? Primum valetudo debilitata, ad omnia publica et privata officia obeunda, ad res gerendas atque ad omnes contentiones sustinendas eos inutiles reddit. Deinde cum omnis animorum atque ingenii vigor ista nocentissima heluandi ac perpotandi consuetudine ita sit enervatus, ut ne sensus quidem communis amplius sint compotes, quid ab eis consilii in gravibus atque impeditis negociis petas? aut quid rei seriae committas credasve illis, quibus cerebrum periit, cor vino sepultum est? Prodeunt ad consultandum membris et mente corrupti, vinolenti, halantes etiamnum pridianam crapulam, semisomnes, oculis natantibus, vinum ac cerevisiam crudam incoctamque adhuc redolentes: summa, quorum neque pes, nec mens officium suum facit. Hi deinde de gravissimis, nonnunquam etiam periculosissimis negociis sententiam rogantur, quibus, Hercules, non plus mentis est quam bovi aut porco. Quid ergo respondent? Stulticiam celare, inquit Heraclitus, difficile est, in vino vero impossibile. Vocem ergo hi homines non in convivio tantum atque inter illa immania pocula, sed alieno etiam saepe loco et in consilio publico emittunt per iugulum rediturам, eructant suam *ἐωλοκρασίαν*, non enim tacere possunt, nec videri volunt minus aliis sapere. Afferunt ergo inter pocula combibones suos meditatam iam ante ac decantatam furiosam aliquam fabulam, eam statim pro folio Sibyllae ac Delphico oraculo cum adplausu audiri, et cum assensu accipi, adorarique postulant, pericris, si dissentias. O ter et amplius miseram ac perditam Rempub. quae a talibus administratur consultoribus. O calamitosos et afflictos cives, quibus hi leges dictant. Quid enim tam absonum, absurdum, atque ab omni sensu humano alienum cogitari potest, quod istae furiosae bestiae vel cum exitio publico non audeant? quas tragoedias nulla de causa illi non excitant? quibus moribus, bellis atque incendiis hi non miscent omnia atque perturbant? Revera faces Rerumpub. nam horri-

bilium saepe cladium non uno in loco tales homines Rebuspub. autores fuerunt. Ilias malorum manet eas civitates, quae sunt sub rectore temulento. Recte enim Cato dixit, uno excepto, neminem unquam ad evertendam Rempub. sobrium accessisse; vix enim ulla Respub. diu stetit, quae ebriosorum consilio gesta est; vix ulla concidit, quam non ebriosi everterint; vix ulla non floruit, quae a siccis ac sobriis hominibus administraretur. Non igitur potuit Achilles apud Homerum atrocius convitium ignavo ac vesano Regi dicere, quam ut temulentum eum vocaret, hoc uno probro quidquid erat gravissimorum flagitiorum complecti visus. Nam in quibus hoc vitium radices egit, de illis nihil est quod tibi pollicearis aut speres moderati bonive: sunt homines omnibus partibus suis ac membris fracti corruptique, omni genere turpitudinis et flagitiorum contaminati. Aquam e pumice petas, si consilium ab eis ulla in re aut prudentiam requiras. Quomodo enim animum incendere possunt ad aliquam seriam cogitationem, qui illa perpetua heluatione potuque penitus sepulti sunt ac demersi? Nunquam illi aut rarissime expergiscuntur, sobrii certe nunquam sunt, etiam cum non sunt poti, tamen illi furiosi motus vino concepti et excitati, adhuc in eis exaestuant. Plato in epistola quadam ad Dionis propinquos, de sua in Siciliam peregrinatione ita scribit: Quo cum venissem, inquit, vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum Syracusanarumque mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum, caeteraque quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficitur unquam, moderatus vero multo minus. Negat Plato gigni sapientiam in iis locis, ubi homines bis in die saturi fiant? Quid si ad nos veniret, ac videret homines non per intervalla bis aut saepius in die saturos, sed perpetua quadam crapula vinoque distentos, nunquam ieiunos, siccosve, sobrios nunquam? tum vero longe ab his locis sapientiam pariter ac modestiam exulare diceret: Nullus enim modestiae, aut ulli virtuti locus esse potest in ista plusquam beluina ventris ingluvie ac vitae foeditate. Induunt enim homines ex hoc vivendi more furiosos vastosque mores, et tota natura efferantur, ea sensuum ac ingeniorum feritas deinde etiam in sobriis manet. Sicut enim cum cuipiam in sole versanti caput coepit dolere, ubi iterum in umbram rediit, dolor tamen, quem calor fecit, manet, nec statim remittit: ita ubi homines illa barbarica heluandi consuetudine devincti furere coeperunt, durat ille furor etiam cum non sunt poti, et iidem rabiosi ac turbulenti motus in animis manent, sentiuntque ac debacchantur sobrii pariter ac poti, nec facile possis discernere, quocunque tempore in eos incidas, utrum biberint, necne.

Seneca graviter ac vere dixit, consuetudine insaniae durata vitia vino concepta, etiam sine vino valere. Et sanctus Paulus iubet nos vitare ebrietatem, propterea quod in ea insit asotia, id est, vita immanis ac beluina, Dei pariter atque hominum omnisque honestatis contemptrix. Qualem hoc genus hominum lurcones et heluones degere videmus, qui nihil pensi habent, nisi ut totos dies noctesque perpotent, quibus mens ipsa et ratio omnesque sensus scilicet heluando potandoque obruti atque obstupefacti, nunquam redeunt ad sese, nunquam cogitant aliquid serium aut dignum homine, sed quod in tali vita fieri necesse est, sic ad omnis generis immanissima scelera proruunt sese, quasi nemini quidquam post se reliqui facere statuerint. Non iam dicam de turpitudine, quae in ipsorum conviviis etiam regnat, non de furiosis clamoribus eorum, quibus plateae totas noctes personant: haec adhuc initia sunt furoris et quasi primae ad paroxysmum accessiones. Innumera alia et graviora nobis flagitia ex hac lerna erumpunt, atque utinam talium hominum furor nonnunquam etiam Ecclesiam non conturbaret, et Reip. non esset exitio.

Cambysen Cyri filium tradunt ab hac furia agitatum fuisse, quem cum Prexaspes unus ex Principibus et paternis amicis amanter ac fideliter admoneret, quod Persis illa eius perpotandi consuetudo displiceret, iussit ipse Principes convocari, et interrogabat, utrum aliquid in se, quod reprehenderent, haberent: illi metu mussabant, nec erat inter eos qui hoc ulcus tangere auderet, quin pleno ore laudabant eum, et patri etiam Cyro praeferebant plerique. Quibus laudibus inflatus Rex Prexaspen solum accersi iubet, Atque ut videre possis, inquit, me etiam potum, tamen mentis compotem esse, hodie ubi largius bibero, sistes mihi filium tuum minorem natu in foribus coenaculi, in eum cum arcu sagittam emisero, nisi ipsum pueri cor vulneravero, tum tu me ebriosum atque insanum iudicato. Haec ita ut dixit facta sunt, nam post horam coenae, cum largius iam invitasset sese, puerum adduci sisti-

que iubet, et arcu accepto, sagittam in eum eiaculatur, collapsumque ex vulnere secari et ictum inspici iubet. Cumque arundo in ipso corde pueri fixa ostenderetur, cachinnans: Vides nunc, inquit patri, etiam ebrium me, tamen egregium esse iaculandi artificem. Prexaspes advertens hominem revera vesanum ac furiosum esse, continuit sese, dolorem dissimulans. Postridie vero eius diei et duodecim Principes Persarum, ob rem nihili ac nullius momenti causam, crudelissimo supplicio affecit, in caput vivos defodiens, ac per eundem temulentiae furorem alia multa etiam dictu infanda et horribilia auditu designavit, donec Deus eum proprio gladio ictum vita expulit. Tales homines, imo vero tam immanes bestias nobis gignit ebrietas, quarum vitam et facta cum post tot annos legimus, horremus. Sic igitur statuatis, Adolescentes, crapula nullum horribilius, nullum tetrius, aut nocentius malum, ira Deorum natum aut e furiarum sedibus excitum, in hunc mundum ac lucem, ad multorum hominum exitium immissum esse. Haec enim atrociore furoris genere, quam ullae erinnyes homines concitat: haec domos vastas reddit et urbes; haec rei privatae et publicae communis clades ac ruina est; haec infandis libidinibus humana atque divina iura polluit; haec caedibus et sanguine horrendum in modum miscet ac perturbat omnia. Exclamet hic aliquis:

Dii talem terris avertite pestem!

Sapientes quidem Principes, legumque latores, in omnibus bene constitutis Rebuspub. singulari cura ac diligentia ebrietatem prohibuerunt, nec minus civitates contra luxum ac crapulam, quam contra ullum alium nocentissimum hostem, muniendas censuerunt: intelligebant enim in ista barbarica et immani vita, nullam disciplinam publicam neque privatam posse conservari.

Tulit Pittacus Mitylenaeus legem, ut si quis per temulentiam sceleris aliquid commisisset, duplo graviore poena plecteretur, quod causa ipsa, quae eum ad peccandum impulisset, gravius etiam peccatum esset. Alii aliis poenis atque ignominiis in ebriosos animadverterunt. Et si qua gens natura moderatior humaniorque fuit, ea sua sponte foeditatem ebrietatis exosa, frugalitati ac sobrietati dedidit sese, nec legibus opus fuit prohibere, quod publica inter homines verecundia sustulisset.

Sed regnat hoc vitium inter barbaras ac feras illas gentes praecipue, et cernere est, quod ut quaeque natio maxime barbarica et ab humano vitae cultu aliena est, ita ad heluandum ac perpotandum profusissima est, quasique foedere quodam inter se iunctae sunt barbaries et crapula, pulchra, mehercle, societas, et dignum habet patella operculum.

Fera etiam quaedam in illis Septentrionalibus ac Sarmaticis oris inveniri dicitur, immani voracitate: Quae cum in aliquam praedam incidit, eo usque cibo immodice ingesto distendit ventrem, ut parum absit, quin crepet. Deinde inter angusto spacio distantes arbores transiens violenta ibidem compressione crudum illum cibum iterum per anum exprimit, itaque sese exonerat, quod nisi faceret, periculum vitae erat. Est haec omnino foedissima ventris ingluvies huius bestiae. Sed ea haud dubie imago quaedam est intemperantiae ac morum earum gentium, de quarum immanibus conviviis horribilia, sed tamen a vero non abhorrentia narrantur: Raro transigi symposium sine multis caedibus; si quis propinatum dolium haurire cesset, illi a proximo quoque compotore protinus necem imminere; si quem interfecerint, non propterea convivium dissolvitur, sed provoluto in medium trunco corporis, et impositis aliquot nummis, (is apud eos mos est) heluari pergunt. Malos etiam genios inter eos, cum agitant convivia, propalam obambulantes conspici dicunt, maiore quam humani corporis imagine, quos illi nihil exhorrentes, pro sociis ac convivis salutare solent, et coeptum convivium per multos ex ordine dies noctesque uno tenore continuare. Haec si quis apud sanos et sobrios homines et istarum heluationum ignaros referat, fabulam ad aliorum terrorem confictam narrare videatur: non enim facile credi potest, tantam feritatem et immanitatem cadere in humanam naturam. Sed qui viderunt, ac talibus conviviis saepius interfuerunt ipsi, hi et haec vera esse, et his horribiliora etiam fieri affirmant.

Redeo igitur eo, unde digressa est oratio, nempe istam foedam, immanem atque homine indignam ventris proluviem, apud barbaras illas gentes, et quas utrum inter homines an beluas numeres, dubitare possis, praecipue conspici, homines moderatos et ad aliquam humanam disciplinam adsuefactos semper natura exhorruisse, ac detestatos esse.

Tanto magis igitur et nos, Adolescentes, qui cum Musis, hoc est, cum humanitate commercium

habemus, eam odisse, et ut nocentissimam pestem fugere, istorumque heluonum consuetudinem tanquam pestiferi morbi contagium devitare debemus. Et quoties nobis talis quispiam occurrit, hoc elogium illi in fronte scriptum putemus, quod de Tantalo est in Tragoedia:

Nolite hospites ad me ire ilico istic,
Ne contagio mea bonis umbrave obsit,
Tanta vis sceleris in corpore et animo haeret meo.

Revera enim nullius morbi contagium nocentius est, quam talium hominum consuetudo.

Proponamus nobis verbum Dei, quod multis in locis nos ab ebrietate revocat ad ieiunium, ad sobrietatem invitat. Nota est sententia: Ne corda vestra graventur crapula. Et sanctus Paulus populum Israheliticum a crapula ad idolatriam prolapsum affirmat. Atque Christus ipse ait: Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi ieiunio et oratione. Ex quo perspicue adparet, istis commessationibus ac heluationibus Satanam accersi et interesse, sociumque ac convivam esse istorum lurconum. Testatur hoc etiam eventus talium symposiorum, quae raro sine caede aliisque immanibus et horrendis flagitiis transiguntur. Ubicunque igitur tale aliquod convivium adparari videtis, Adolescentes, ne putetis Angelos illic mensae administros et custodes esse: hi tantum sobriorum coenis intersunt, eorum curam gerunt, cum isto grege heluonum commercii nihil habent, sed Satanas illis ministrat, Satanas pocula miscet, unaque cum vino ac cerevisia sulphur atque picem phlegethontis propinat, quibus potis, statim furere incipiunt. Nonne videtis, quam velut lymphatici bacchentur, et tanquam rabiosi canes inter se ipsos, et cum aliis, cruento ferro concurrant.

Hoc est quod et Alexander Macedo sibi accidere sensit, et questus etiam est, nempe quod cum bibisset, in eam rabiem accenderetur, ut inter pocula intimos et charissimos amicos contrucidaret, et Bacchum eum furorem sibi obiicere credidit, ulciscentem Thebanae urbis excidium. Satanas fuit iste Bacchus, qui assiduus talium conviviorum assecla solet esse. Huic gaudio est, homines per violentiam in furorem actos, sic inter se caedibus et omni genere immanitatis committere. Hoc illi spectaculum iucundissimum est, is ita affectos eos et sui impotes, deinde suo arbitrio quo vult ducit ac impellit, donec alii de fenestra aut per gradus prolapso cervicem frangit, alium trucidandum obiicit sodali, aut ad caedem faciendam impellit, alii subitanea morte, aut alio quopiam tristi et inaudito casu animam aufert. Omnes horrendo genere leti absumit et ad inferos abripit. Hic exitus, nec alius finis est istarum heluationum. Qui sic periisse volet, ille sane eis se adiungat, nam melius de se non est quod speret; nullus enim eorum honesto aut naturali genere mortis occumbit, nullus naturae reposcenti animam reddit, sed ante diem sua ipsi manu crudeliter perimuntur, sanitatem corporis et mentis expugnant poculis et cadunt ante tempus a natura praefinitum turpissimo et horribili genere mortis, qui poterant multos adhuc annos vivere, et sibi, suisque ac Reipub. prodesse. O execrabilem vitam quam exigunt! O mortem multo execrabiliorem!

Miretur aliquis quam illi revera miseri et miserabiles homines, atque in neminem magis quam in seipsos crudeles, tandem voluptatem ex ista dira et immani heluatione capiant: nam gustus certe, qui sensus solus cibo et potu afficitur, illis iam olim periit, is enim coctione sublata, nullus esse potest. Fames vero ac sitis, quae optimum condimentum sunt, quam longissime absunt ab eis: Esuriunt nunquam, sitiunt multo minus, ingurgitant tamen adhuc, urgentque ac torquent seipsos, regurgitantem per os ac fauces potum infundentes, donec ad plenum istam cloacam poculis expleant. Nulla certe haec delectatio potest esse, sed est, quod quivis sana mente praeditus intelligit, manifestus ac diabolicus furor.

Divus Ambrosius ocium dicit esse pulvinar Satanae: At ebrietas non modo pulvinar, sed molle ac delicatum cubile est Satanae, nusquam ille cubat ac requiescit libentius. Qui igitur hunc convivam et convictorem cohabitatoremque, atque etiam condormitorem habere cupit, ille tantum hanc ei sedem praeparet, credite mihi, non diu aberit, vita ac factis condignam mercedem etiam redditurus.

Defessus iam prope sum dicendo de re foedissima, et vos haud dubie multo etiam magis audiendo defessi estis, finem igitur faciam. Ac si apud vos suscipere personam monitoris meam hanc aetatem non putarem dedecere, vos adhortarer Adolescentes, ut ebrietatem tanquam omnium flagitiorum malorumque fomitem ac fontem vitaretis, sobriam vero vitam, ut virtutum omnium, honestatis ac sanitatis magistram, parentemque, amplectaremini. Scio ego quam infame et iam

prope etiam probrosum sit apud istos lurcones dici sobrium et siccum. Sed vos audite vocem naturae optimae parentis, quam isti degeneres filii adspernantur, ea vos ad sobrietatem vocat, vocat eodem et verbum Dei, invitant omnium bonorum ac sanorum hominum fidelia atque gravissima monita et praecepta. Si ergo vobis cordi est valetudo vestra et salus, quam nemo sanae mentis compos unquam proiiciendam censuit, si studia vestra, quae sane debent esse carissima, si virtus et honestas, si denique pietas ac salus animarum vestrarum, cogitabitis his omnibus nihil esse infestius ebrietate. Si vero aliquem haec tot tam sanctissima nomina nihil movent, is ad eorum gregem pertinet, de quibus a me iam dictum est, nec mea oratione mitior fiet. Gravius enim hoc morbi genus est, quam ut multis anticyris exhaustis sanari possit. Christus mentes nostras pro sua infinita bonitate gubernet, et ab hac execrabili atque impia heluandi consuetudine, ad sobrietatem, ad poenitentiam ac pietatem flectat atque traducat. Dixi.

No. 22. (an. 1529.?)

De studiis adolescentum.

Apud Crat. Myl. p. 487 sqq., in Declamat. T. I. p. 486., in Servesl. T. I. p. 422. et ap. Richard. T. I. p. 107.

Oratio de studiis adolescentum, habita cum titulus Baccalaureorum decerneretur quibusdam, et scripta a Vito Winshemio.

Mirabitur fortasse aliquis, quid nobis in mentem venerit, ut hunc morem publice decernendi istum primum scholasticum gradum, tot iam annorum spacio intermissum ac velut exoletum, hoc potissimum tempore in scholam revocaremus. Et forte non deerunt qui consilium hac in re nostrum ut ociosam περιεργίαν, vel inanem ostentationem irridebunt, quibus in praesentia nihil attinet respondere, cum viris honestis ac prudentibus hoc nostrum institutum probari non dubitemus. Sed tamen ut adolescentes et de gradu ipso honorificentius sentiant, et haec studia magis ament, ac pluris facienda ducant, decrevimus utraque de re, nempe de hoc gradu et utilitate examinum, atque de his primis artibus paucis in hoc consessu dicere. Non enim leves aut negligendae fuerunt causae, quae viros bonos ac doctos moverunt, ut hunc patrium et pervetustum Academiarum morem, nec sine gravissimo consilio a maioribus institutum, revocatum ac retentum cuperent. Quemadmodum enim primis illis scholarum parentibus necessarium visum est, haec examina et discendi ordinem instituere, ita nostri praeceptores has suas esse partes iudicaverunt, operam dare, ne quod tale exercitii genus in schola desideraretur, et si quid ex his ad tempus prolapsum aut intermissum foret, ut id rursum instauraretur, et quantum eius fieri posset, conservaretur. Quorum nos autoritatem secuti, non curiositate quadam, neque enim ita ocio abundamus, nec propter ostentationem aut ambitionem, cum nostra tenuitas nobis non sit ignota, sed ut utilitati scholae et discentium commodis pro nostra virili parte consuleremus, hoc officium publice promovendi Baccalaureos liberalium artium suscepimus. Quamvis enim hic primus gradus verius puerilis quidam ludus, quam res seria videri possit, usu tamen compertum est, tantam eius utilitatem esse, ut non parum ad officium et fidem eorum qui praesunt, pertinere videatur, operam dare, ut in schola non retineatur modo, sed et quam maxime vigeat ac frequentetur. Nam primum si spectabimus utilitatem, quam affert consuetudo examinum, praesertim huic aetati, in cuius praecipue gratiam hi primi gradus instituti sunt, tantam eam comperiemus, ut nulla amplior nec uberior in schola possit esse.

Quanti enim refert, quod examina discendi curam acuunt, studium, vigilantiam ac sollicitudinem augent, et ad omnia quae traduntur diligentius observanda ac perdiscenda alacriores et excitatiores reddunt. Metuit enim pro se quisque, ne quid se fugiat, quod tenere oporteat. Tum ut accuratius perfectiusque omnia excutiat ac pervestiget, eadem haec sollicitudo stimulat, cum sciat sibi omnia dictata reddenda in examine et perspicue explicanda esse. Hic metus acerrimus est ἐργοδιώκτης ad discendi laborem, ac vigilantiam animos accendens urgensque, qui si absit, videmus quam frigide ac somniculose studia tractentur; verum examinum cura et sollicitudo apud aliquem excubans, non sinit eum obdormiscere, sed expergefacit, ac velut sedulus et acer paterfamilias instat et urget, ut suum studiorum pensum persolvat. Quapropter haec ex multis causis una fuit veteribus instituendi examina et gradus, ut his velut calcaribus incitarent discentes. Recte

monuit Fabius scripta evolvenda esse cum tali sollicitudine, quasi nos ipsi ita scripturi vel dicturi simus, quod ita fiat, ut vigilantioribus oculis omnia lustremus, nihil nobis elabi patiamur, quod observatu dignum sit, et ad omnes virtutes scriptorum expendendas attentiores reddamur. Idem in consilio fuit his, qui examina instituerunt, nempe, ut circumdarent curam discentibus omnia plenius et exactius cognoscendi, ut aliquid integri ac solidi perciperent, nec vagabundi in studiis oberrantes, extremis tantum labris varia degustarent, hinc inde concisas sententiolas et mutilata membra venantes, quod nunc a multis fieri videmus, qui cum excutiuntur, ita stupidi atque ignari, ut turpe sit, deprehenduntur. Dum enim in hoc uno studium omne suum consumunt, ut fragmenta quaedam ex scriptoribus colligant, fit, ut nullius rei integram ac perfectam cognitionem consequantur: a quo vago et inutili labore examina discentes velut in certam viam revocant. Nec ad non necessaria et inutilia respectare sinunt, sed in iis, quae necessaria sunt, ordine quodam discendis continent. Parit vero istam in discendo diligentiam praecipue haec sollicitudo, cum scimus nobis in examine velut rationem reddendam esse eorum quae tradita sunt, et magis se intendunt animi in ea, quae ipsi tanquam nostra aliis exponere atque explicare cogimur, et illae ipsae imagines magis evidenter in animis lucent, ac firmius defiguntur, quas ipsi de rebus doctrina perceptis tractatione et oratione effingimus atque exprimimus. Nam quae auribus tantum hausimus, aut ex lectione percepimus, ea tanquam umbrae per somnium observantes incerta haerent et facile inde fugere atque excidere solent. Quorum vero ceu vivas imagines commentando atque agitando impressimus, ea velut altius actis radicibus haerent tenacissime, nec evelli se aut excuti facile patiuntur. Est enim commentationis atque agitationis vis maxima in omni re, plene perfecteque percipienda ac discenda, sine qua auditionis et lectionis fructus sterilis ac prope nullus est; *συζήτησις* autem, ut vere dictum est, omnia potest, et agitando atque inquirendo omnes artes inventae ac excultae sunt, estque ea vel sola omnis doctrinae effectrix. Quemadmodum enim leonum foetus informes ac mortuos aedi memorant, et deinde longis parentum vociferationibus vivificari, ac spiritum recipere, ita primi foetus ingeniorum, hoc est primae imagines quas de rebus vel auditis vel lectione perceptis, concipimus ac gignimus, mortuae sunt et informes, quae deinde dum crebro de ipsis cum aliis colloquimur ac commentamur, ab ipsa viva voce et tractatione ceu vitam et perfectam formam recipiunt. Et vere dictum est ab Aristotele, id primum certum signum esse, quod aliquis quidpiam recte sciat, si de eo ipso loqui et alium docere possit. Eam gratiam debemus examinibus, quae velut vita sunt studiorum, sine quibus lectio omnis et meditatio mortua est. Huc accedit quod iis multi errores temere concepti et haerentes in animis corriguntur, eximuntur opiniones falsae, quae vel per aetatem, vel ex aliqua fallaci specie, vel institutione corrupta, vel artium praeceptis male intellectis accommodatisve in animis haeserunt. Et ob hanc praecipue causam ea a veteribus instituta videntur; non enim adolescentum studia temere ac sine lege fluere, sed huic examinum censurae subiecta esse voluerunt. Neque enim eos fugiebat omnes artes peccando disci, et ut fertiles agri multum gignunt spinarum atque inutilium herbarum, quibus subinde sunt repurgandi ac sarriendi, idem etiam ingeniis et quidem foecundis solet accidere, saepe enim fit, ut falsas rerum imagines pro ipsis rebus adprehendant. Et quemadmodum Ixion cum nube concumbens, cum putaret se Iunonem amplecti, Centauros gignit, sic ex falsis umbris, quas pro ipsa veritate consectamur et arripimus, prodigiosae opiniones nascuntur, quae nisi mature et antequam altius radices egerint, animis evulsae sint, in perniciosos Ecclesiae ac Reip. errores deinde erumpunt. Nam ut lolio, tribulis lappisque et aliis id genus infoelicibus herbis succrescentibus segetes opprimuntur ac praefocantur, et sterilescunt agri, ita a falsis opinionibus, si confirmentur, nec mature eximantur, atque iis velut repurgentur mentes, veritas opprimitur et expugnatur. Ad id vero non est aliud aptius remedium, quam examina. His enim explorantur ingenia, si quid adhuc deest, iis ostenditur, si quid vitii aut errorum haesit, corrigitur atque evellitur. Estque haec velut sarritio studiorum, ita necessaria, ut si omittatur, non modo vera ac solida doctrina nulla possit constare, sed ipsius loco infiniti errores succrescant. Ut taceam quod illae communicationes et colloquia etiam facundiam alunt et afferunt quandam animis constantiam, ut et accipere ac intelligere ea quae proponuntur possint et apte ad quaesita respondere. Videmus enim nonnullos serio de

re quapiam interrogatos ita perturbari, ac velut attonitos obmutescere, ut vix animi compotes esse videantur. Eorum deinde, si quid forte discendo etiam consecuti sunt, nullus usus esse potest. In hoc enim omnis studiorum fructus ponitur, ut expromere, in lucemque proferre, ac replicare id ipsum quod scias possis. Ut enim occultae Musicae, ita mutae atque infantis doctrinae nulla gratia est. Examina vero ut iudicium formant ac limant, animos confirmant, acuunt ingenia, ita linguam quoque expeditiorem efficiunt, celeritatem quandam cogitandi et promtitudinem respondendi afferunt. Magna haec quidem sunt, sed est et alia non minor utilitas examinum, quod coherceant ac cohibent cursum studiorum intra certos limites: adolescentes enim nisi intra certa velut septa contineantur, ceu navis in mediis fluctibus rectore destituta, ita ipsi incerto cursu fluctuant, et si quid etiam instituunt, id nullo ordine tractant. Unde operam illis omnem in discendo consumptam perire necesse est. Et gignunt plerumque haec tumultuaria ac vaga studia vanam persuasionem eruditionis, qua nihil nocentius est, ea deinde inflati tument, cum de rebus omnibus indoctissime ac stolidissime iudicent. Cum ea enim inscitia coniuncta esse solet insignis arrogantia ac pertinacia, unde fit, ut plerunque tales Rebuspub. vel Ecclesiis praefecti tumultibus deinde omnia misceant. His malis tantis medentur examina, et quod maximum est, vanam illam persuasionem doctrinae, atque arrogantiam, animis eximunt, qua non est alia pestis cum rebus omnibus, tum vero praecipue studiis perniciosior. Saepe enim aliquis cristas tollit ante tempus, et putat se iam vel novem artium liberalium Magistrum esse, qui cum examine excutitur, si nihil aliud, hoc certe tamen docetur, quod adhuc minus sciat, quam ipse se scire putabat, et isto stulto ac pernicioso errore liberatur. Quanto vero ingenia foecundiora sunt, ac magis praecocia, tanto plus ab hac peste periculi est. Videmus enim *φιλαυτία* foelicissima pleraque ingenia in medio studiorum cursu corrumpi, ac velut in herba enecari, dum sibi iam nimis placere incipiunt, se ipsos et sua impense admirantur, attollunt supercilia, quibusvis iam se praeponunt, quosvis prae se contemnunt, fastidiunt iam haec iam illa, censuram sibi de dogmatis sumunt: nulli amplius praeceptores, nulli propemodum libri aut scriptores tam emunctae naris iudicio satisfaciunt. Admoneri autem se aut doceri, pro indignissimo ducunt, statim coarguti excandescunt, quid ni? non enim labi posse aut errare videri volunt. Non Tigrides atrocius, aut infestiore ira, pro catulis depugnant, quam illi pro suis erroribus defendendis. Quid hos facturos putemus, ubi sic affecti ad Reipub. aut Ecclesiae gubernacula accesserint et autoritatem ac potentiam aliquam cum isto supercilio et inscitia coniunxerint? Ecquos vos unquam homines audistis perniciosiores Ecclesiis aut Rebuspub. extitisse? Atqui talis arrogantia et alitur et confirmatur in animis, si nulla agatur de studiis censura, ingenia non explorentur coarguanturque, nec moneantur quid adhuc illis desit, et quam longe adhuc absint ab eo gradu doctrinae, ad quem iam evasisse sibi videbantur. Quapropter si nihil aliud utilitatis afferrent examina, vel ob hanc unam causam tamen in scholis retinenda erant: quod duabus maximis pestibus studiorum, quaeque plerunque coniunctae solent esse, medentur, nempe ignaviae et arrogantiae; ad eximendum enim torporem, excutiendam somnolentiam, vix aliud calcar est acrius et efficacius. Deinde ne nobis ipsis immodice placeamus, aut ultra nidum, ut aiunt, pennas extendamus, salutare est vitia atque errata nostra nobis ostendi, et adsuefieri nos, ut patienter feramus nos redargui ac corripi, ne protinus omnia somnia nostra exosculemur et pro oraculis adoranda ducamus. Quae vana persuasio nisi corrigitur, perniciosissimos deinde errores parit. Narcissus in fabulis Poëtarum, dum nimium sese amat, contabescit, peritque et ipse et illa falsa imago, quam tantopere deperibat, et nunc mutatus in florem, monet nos, sero florescens, ne nimis mature et ante tempus sapere incipiamus, neve nos aut nostra nimis amemus atque admiremur. Quod cum in omni aetate odiosum est, tum vero in adolescentia prorsum intolerabile. Nam ut ab usu rerum solidaque ac perfecta doctrina et sapientia haec aetas adhuc longissime abest, ita has res non potest sibi arrogare sine summa turpitudine ac vanitate. Ut enim uvae et poma non in vere, nec in aestate maturescunt, sed in autumno primum, paulo ante hyemem, ita doctrinae fructus ingravescente aetate, ac paulo ante hyemem, hoc est, iam senectute instante, primum solent maturescere. Et ut uvae ac poma ante tempus decerpta, nec esui sunt, nec ulli alii usui idonea, ita ingeniorum immaturi fructus acerbi adhuc sunt, et salutare est ado-

lescentibus ostendi, quam nunc primum florere, aut rubere coeperint illi fructus, needum maturuerint; et moneri, quo cultu, quibus auris et solibus, et qua benedictione divina adhuc sit opus, ut laeti ac maturi talesque fructus proveniant, quibus Respub. et Ecclesia deinde salubriter possit uti. Hoc efficiunt examina, quae cuique quousque progressus sit, et quid viae adhuc restet, ostendunt, ne se iam metam superasse putent, cum vixdum septis excurrerint. Cum igitur quaedam modestiae ac disciplinae officina sunt, tum vero etiam ad *κοινωνίαν*, hoc est, studiorum communicationem mutuam atque in conferendo et disceptando facilitatem humanitatemque adsuefaciunt. Quidam enim in his congressibus magis sunt intractabiles ac morosi, quam homines doctrinae studiis excultos decet. Alii porro sublimi arrogantia subnixi suam, si qua est, eruditionem ceu Regum Persarum mysteria celant, et sola maiestate ac tenebris tutam censent, cum nihil promant, nihil quidquam de suo in medium proferant, cum nemine communicent. Hos si excutias, invenias plerunque inanes, et hoc est cur examinari atque excuti tantopere fugitant; metuunt enim, ne de sua autoritate aut existimatione plusculum amittant, si se aperiant. His permittamus ut aliorum opinione magni doctique sint, sua maximi ac doctissimi tumeant quam velint, et vel ranae Aesopicae exemplo cum tauris certent, donec ad summum inflati crepent. Qui rectius mente valebunt, hi non errare magis volent, quam viam doceri, atque examina et istos congressus ut saluberrimos studiis atque utilissimos magnifacient, quodque poterunt de suo quoque ad ea tanquam ad aliquod magnum publicum bonum conferent.

Diximus de examinum utilitate et si ea tanta et tam multiplex est, ut nec in hac temporis angustia, neque a me homine ad dicendum minime instructo satis commemorari possit. Nostris vero temporibus inventus his *τριβαῖς* magis etiam opus habet, quod haec aetas, ut aliis in rebus a legum vinculis libera vult esse, et magis quam credo antehac ulla, contumax ac freni impatiens ordinisque et disciplinae contemptrix est, ita artium quoque praecepta respuit atque adspernatur. Quorum utrum nocentius sit, haud facile dictu fuerit, cum alterum Rerumpub. alterum artium ac doctrinae ruinam trahat. Quae duo, nempe leges et doctrina, ut foedere quodam inter se iuncta sunt, simulque et florere et intercidere solent, ita cum sunt labefactata immani barbarie ac vastitate, omnia involvi necesse est. Quo maiore cura et contentione viros honestos his praesentibus malis, quaeque his haud paulo graviora impendere videntur, omni genere remediorum occurrere decet. Nec leviter haec examina ad disciplinam conducunt, licentiam temporum nonnihil reprimunt, discendi curam augent, et certa lege atque ordine studia gubernant, atque ad ea discenda adigunt, quibus religio moresque boni, ac vera et solida doctrina continetur. Nam ea quae ad hunc gradum institui solent examina, non solum Grammaticae et Dialecticae exercitia sunt, sed quaedam etiam *κατήχησις* ecclesiasticae doctrinae. Exiguntur enim rudimenta pietatis ab adolescentibus, et si quae parum commode opiniones de religione forte perperam haeserunt, animis evelluntur atque adversus multos noxios errores pectora muniuntur. Quod quam operae precium sit, his praesertim temporibus non satis dici potest. In hac enim tanta securitate hominum et incuria ac negligentia religionis, necesse est hanc teneram aetatem quoque velut publica contagione infectam, profanam, ac pietatis contemnentem fieri; quae cum sit seminarium Ecclesiae ac Rerumpub. et in hoc veterno huius seculi tantoque contemptu religionis succrescat, satis adparet, quam horribiles tenebrae ac vastitas posteros nostros sit exceptura. Cum alioqui, quemadmodum semina ac plantae in singulos annos degenerare solent, fato quodam omnia successu temporum in peius trahente, ita homines quoque singularum aetatum deteriores nasci, ac semper a superioris seculi ingenio et moribus longe degenerare videamus. Quare ut agricolae arte ac diligentia, dum quotannis maxima quaeque manu legunt, illi seminum mutationi mederi student, ita viros honestos quosque cum suorum temporum vitiis pugnare oportet, quod nisi fiat, omnia brevi in praeceps ruitura videamus. Ad eundem modum nisi totis viribus resistatur horum temporum negligentiae atque inertiae, metuendum est, ne ad posteros magna ex parte et religionis doctrina, et caeterae quoque disciplinae sint interiturae. Nam Ecclesia, non iam dicam de alumnis vel discipulis, Doctores certe non est habitura, et dispensatores mysteriorum Dei, cum ita negligatur verbi divini tractatio. Deinde qualem putemus militiam in superioribus disciplinis futuram, cum in his primarum artium rudimentis

nullum sit tyrocinium? Non igitur debet praetermitti ulla occasio, qua utcunque rerum tantarum ruina fulciri ac prohiberi possit. Examina vero utrumque praestant, fovent studium ecclesiasticae doctrinae, et ad elementa pietatis perdiscenda adigunt adolescentes, nec ea prorsum negligi aut intercidere patiuntur, et harum primarum artium Grammaticae ac Dialecticae rudimenta conservant. Scimus autem quam difficulter ad ea discenda compellantur adolescentes, propterea quod, ut vere Fabius dixit, plus habent operis quam ostentationis. Neque obscurum est, quam harum artium cognitio necessaria sit ad quodcunque omnino genus doctrinae adspirantibus; et quam non infoeliciter modo, sed et turpiter superiores disciplinas tractent, qui haec fundamenta neglexerunt. Quid enim in quacunque alia disciplina efficiet, qui sermonis vim ac proprietatem ignorabit? Quomodo ille scripti alicuius sententiam venabitur, cum verba et eorum structuram non intelliget? Quam prodigiosa somnia finget, cum ita ceu via lapsus, orationis sensu destitutus, sententiam velut in tenebris palpans prehensabit? Rebus quoque eum destitui necesse est, quem oratio et verba, quibus res sunt involutae ac proditae, destituunt. Recte igitur Grammatica nutricula dicitur omnium artium ac disciplinarum, et illi caeterae laudem, hunc honorem et gratiam nutricationis libenter tribuunt: sumunt enim ab ea unaqualibet certum ac proprium orationis genus, et arcent ac repellunt a se eos discipulos, qui Grammaticae ubera prius non suxerunt. Quintilianus requirit vel praecipue nutricis operam in formando pueri ore ac lingua, vultque deligi non indisertam, et fabularum ac historiarum non ignaram, quaeque cum primo lacte simul purum orationis genus et quaedam liberalioris doctrinae elementa instillare possit. Quae vero nutricula potest ad haec efficienda magis idonea esse, quam Grammatica? Format haec fingitque os pueri tenerum, adsuefacit ad sermonis genus proprium ac certum, poëmatum atque historiarum noticiam tradit, et illo primo lacte eloquentiae ac gravioris doctrinae pectora alit, subigit, praeparatque ad capiendum uberiorem caeterarum disciplinarum cultum. Non igitur tenuis aut ieiuna est eius opera, sed vel praecipua et ex omnibus maxime necessaria, etsi id in speciem minus adparet. Nam quemadmodum fundamentis nixa sunt et fulciuntur aedificia, quae si parum firma sunt, perit omnis aedificandi labor ac sumptus, et tamen ea neque conspicua sunt nec magnificentiae aut splendori aedificiorum quidquam addunt, ita harum primarum artium cognitioni ceu fundamento innituntur omnes caeterae disciplinae, et si ipsae per se minus habent splendoris aut ostentationis, hoc tamen iuris ac dignitatis obtinent, ut sine ipsis nullum genus doctrinae disci recte possit, vel tractari. Nam quae monstra gignent in aliis artibus, qui sermonis, quem Grammatica tradit, ignari erunt? Quam vero prodigiose iudicabunt, et quas Chimeras, quos Hippocentauros fingent, ad quamcunque disciplinam proruent sese, qui Dialecticae subsidio destituti, neque rem obscuram definiendo explicare, nec ambiguam videre aut distinguere, nec totam in partes suas distribuere scient, nec ordinem ullum, aut consequentiam rerum intelligent. Nihil firmi nec ipsi discere, neque alios docere poterunt, susque deque incertis certa, vera falsis misceant necesse est. Commemorarem quam noxii tales deinde homines Rebuspub. ac Ecclesiis soleant esse, et quam saepe ingentium tumultuum atque cladium autores extiterint, nisi id usu atque nostrorum etiam temporum experientia nimis notum esse arbitrarer, et angustia temporis me id facere prohibet. Quapropter iam finem faciam, adolescentes adhortor, ut istum discendi ordinem, quem per hos gradus veteres descriptum voluerunt, et examina, quorum tam multiplicem utilitatem esse vident, non contemnant, sed statuant eos qui ista instituerunt, usu atque aetate plus vidisse, et fidelissime doctrinae studiis ac Rebuspub. consultum cupiisse. Dissoluti ingenii est, cum sanctissimis maiorum institutis ac moribus pugnare, et nullas leges, nullum ordinem nosse, temere omnia citraque rationem administrare, Cyclopicum est. Quae plus quam barbarica vita, quia nostro seculo nimis placet hominibus, videmus quam multis ingentibus malis laborent his temporibus res humanae, quantaque sit omnium prope rerum perturbatio ac labefactatio, et quam non paulo graviora, nisi Deus singulari clementia prohibeat, impendere videantur. Ut enim in concentu, si vox una ab harmonia dissideat, caeterae omnes dissonare incipiunt, totaque symphonia perturbatur, ita si una aliqua in re a legibus disceditur, consequitur aliis quoque in rebus infinita perturbatio atque dissipatio ordinis ac disciplinae. Quapropter ne minima quidem contemnenda sunt, praesertim

si ad ordinis conservationem pertinent, et absque illis maiora teneri non possunt. Neque vero sine his primis artibus ulla doctrina constare potest, et hi gradus atque examina hunc studiorum artiumque ordinem conservant, prohibentque confusionem ac perturbationem. Porro qui ab his artibus probe instructi, ad superiores disciplinas accedunt, hi foeliciter in illis deinde versantur, et fructus studiorum suorum uberrimos percipiunt redduntque. Est enim haec prima ac puerilis institutio, velut flos omnium deinceps proventuum, quos redditura sunt ingenia.

Si bene floruerint (inquit Ovid.) segetes, erit area dives,
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleae, nitidissimus annus,
Poma quoque eventum temporis huius habent.

Dixi.

No. 23. (an. 1529. vel 30.?)

Laus artis medicae.

Apud Crat. Myl. p. 236 sqq., in Declamat. T. I. p. 291., in ed. Servest. I. p. 251., apud Richard. T. II. p. 96.

Oratio in laudem artis medicae, Vitenbergae habita.

Vereor, Viri amplissimi, ne qui de Medicinae dignitate male existiment, cum eam subinde laudibus ornari, et encomiis celebrari a nostri ordinis hominibus audiant. Omnibus enim in ore est, rebus per se parum honestis ac pulchris, alieno ornatu, et orationis fuco opus esse, quibus commendentur, quando nihil in se habent, quo sibi gratiam aut decus parent. Sicut foeminae inhonestae ac deformes, quia ipsae pulchritudine carent, a cerussa formae adiumentum petunt, quo se aliis venditent. His (si qui sunt) nostri consilii rationem reddendam duxi, ne re aliter atque est intellecta, et falsa persuasione adducti, de disciplina praeclara inique iudicent, aut de honestis factis inhoneste pronuncient. Nos non praedicamus laudes Medicinae, ut ei gratiam et venustatem conciliemus, quando tanta eius nativa elegantia et innatum est decus, ut nullum non modo lenocinium requirat, sed etiam nec ulla arte magis exornari possit, quam nativo pulcherrimo fuco, sed quo adolescentibus adhuc rerum imperitis, eius splendorem ac maiestatem ostendamus, ne ignorent, quantum haec ars in se boni habeat, et imprudentes rem singularem praetereant, ut est ea aetas infirmi consilii, et praeceps, neque indicio, sed libidine fertur, si ei dux, quem admonentem sequatur, defuerit. Verum admodum paucis de re amplissima dicam, quod intelligo mihi eam sermonis copiam et benedicendi facultatem deesse, quam eius artis virtutes deposcunt, si hominum oculis exhibere velis. Neque eo consilio hanc provinciam suscepi, quod hoc me praestiturum confiderem, sed ne in pulcherrimam nostri Gymnasii consuetudinem peccarem, quae tanti bonis viris est, ut non dubitent difficilia et ardua, et prorsus quae supra suas vires sunt moliri, modo illam servent. Quare dum publicae utilitati inservire conor, et pie quidem, licet parum foeliciter, me quaeso benigne et patienter audite. In disciplinis quae excellentibus illustrium hominum ingeniis inventae sunt, et incredibili gravium virorum cura, et industria perfectae et expolitae, ea princeps ac regina existimari sine controversia debet, quae honestatis splendore, utilitatis magnitudine, iucunditatis illecebris reliquas omnes vincit, tum rebus humanis in primis necessaria est, quam esse Medicinam, ut vere, ita et libere pronunciare nihil veremur, quae honestam rerum naturalium scientiam, et elegantem humanae naturae cognitionem complectitur, eaque tradit, quibus vel bonam valetudinem tueamur et sustenteamus, vel malam corrigamus ac emendemus, ad haec, quid commodi aut incommodi quaeque res nobis adferant. Quid autem bono viro, et excellentis ingenii homini honestius, quid melius, quid dignius, quam versari in earum rerum inquisitione et indagatione, quarum scientia et splendoris, et magnificentiae plurimum habet? usum vero ac fructum immensum, maximeque naturam rerum omnium parentem attingit? Iamque animum attollere humo, et sublimia petere, ut aeris naturam et coeli vim inspicias et vigilantibus oculis in iis observes, quae cura et admiratione digna sunt, quaeque commodi aut detrimenti aliquid hominum naturae portendant, ut possis et commoditates ex omnibus decerpere, et damna cavere. Iam vero infinitis herbarum generibus contemplandis te dedere, ibique diu morari, et propius cognoscere admirabiles illas et plane divinas earum virtutes atque opes, quae tam variae, tam praestantes tamque incredibiles sunt, ut nihil profecto in ipsa natura sit, aut dignius, quod

suspiciamus, aut pulchrius quod investigemus, aut iucundius quod cognoscamus. Videtur enim ipsi naturae studio fuisse, rara quae suae benignitatis munera, et non mediocrem boni vim, in intimis herbarum medullis recondere et occultare, quo bonos et alacres viros ad inquirendum acueret et eorum studia et industriam liberalibus praemiis remuneraret: quemadmodum viri principes, eorum virtuti qui in certaminibus praestiterunt, exquisitos honores habere solent. Cuius rei locuples testis Hesiodus est, antiquae fidei vates, qui deplorat homines ignorare, quantum boni in malva et albuco reconditum sit. Et Mercurius ille Deorum apparitor, Ulyssi moly herbam commonstrans, inquit hominibus difficile esse, eam invenire, Diis autem non item. Haec igitur procul ab omnium oculis in extremis rerum latebris abstrusa pervestigare, et magnum inde humanae societati fructum et sibi sapientiam colligere, est praeclari et magni viri. Quid vero de gemmarum naturis et virtutibus dicam, quas viri Medici singulari ingenii acrimonia et incredibili industria perpendentes invenerunt? quibus tam splendida vis tamque incomparabilis virtus inest, ut nihil sit in rebus humanis, quod cum iis comparari possit. Et ne longior aequo sim, reliquas naturalium rerum partes placet silentio praeterire, si prius de homine, de quo tacere fas esse non puto, dixerim, quo a natura non aliud animal melius aut praestantius, aut divinius conditum est. Ad quem contemplandum, Medicina, quae hoc in cognoscendo accuratior et diligentior est, quo quid excellentius et melius? omnem ingenii vim et animi robur convertit, omnes eius partes perlustrat, singula membra seorsum propius intuetur, et acri iudicio examinat, singulosque eius angulos perreptat et cognoscit, et in admirabili illa et viva corporis humani compositione, omnia singulatim, veluti luculentum et illustre nobilis architecti aedificium perquirit et inspicit, ibique apte et eleganter disposita admiratur, si quae vitium fecerunt, notat, totumque hoc animal ad eo perplexum et sinuosum, ut non iniuria Momus ei fenestras addendas censuerit, quo ea quae intus sunt, cognosci possent, lynceis oculis perspicit. Si igitur quis, quod pulcherrimum et honestissimum est, semetipsum intus et in cute cognoscere cupit, veluti labyrinthum ingressurus, Medicinam ducem, ceu Thesei filum, sequetur, si errore implicari et a vero deduci non velit, et minimo negocio rem, qua nihil cognitione splendidius, et inquisitione melius, et oblectatione suavius consequi. De qua quam honorifice veteres illi, veri, sancti et sapientes homines iudicarint, luce clarius est. Homerus enim vates sine dubio rerum humanarum peritissimus, unum Medicum, multis aliis hominibus praestare censuit: quod Poëta acerrimi iudicii nunquam dixisset, si non vidisset tantum oportere tribui tam eleganti rerum naturae cognitioni. Quid quod Homero non tantum vetustiores, sed etiam graviores viri, Medicis divinos honores habuerunt, eosque beneficentia et studio in numerum Deorum sustulerunt. Quod graviter quidem illi et constanter fecerunt (ut eorum ferebat religio) indicabant enim illi hanc sapientiam non humanam, sed coelestem esse, quae tam arcanas rerum virtutes, in ipsis naturae venis reconditas et abstrusas evolvere, et in lucem proferre posset, neque hominis, sed Dei esse, tanta hominibus commoda adferre. Quare merito apud eos in divino honore erant, a quibus divina beneficia percipiebant. Eos vero, qui de iure respondebant, plurimum admirabantur, et merito quidem, quis enim tam sanctos iustitiae custodes non magnifaceret? Sed tamen nemo ullum Iurisperitum coelo dignatus est, verum iis quorum magna et celebris iustitiae et aequitatis opinio fuit, hanc provinciam detulerunt, ut apud inferos inter umbras causas cognoscerent. De Mathematicis veterum iudicium etiam fabulis testatum est, qui Promethea nobilem sane Mathematicum Caucaso alligarunt, ei pro honestissima disciplina tradita, solicitudinem et miseriam reponentes. Neque his maior honor Philosophis habitus. Hinc nimirum palam est, inter honestissimas disciplinas principem locum veteres Medicinae dedisse, ut interim taceam Graeciam, cum omni genere disciplinarum maxime floreret, Hippocrati eos honores habuisse, quos prius Herculi monstra tollenti detulerat. Ex quo Medicinae dignitas et splendor aestimari debet, cum ea regio, quae sic viris sapientibus praestabat, sic optimarum rerum iudicio pollebat, Medicinam tam exquisitis honoribus exornarit, ut dignitate etiam Herculem minorum gentium Deum adaequaret. Et ut honestate, ita et utilitate et dulcedine reliquis disciplinis praestat. Quemadmodum enim in Platone et Demosthene, et eiusdem monetae bonis scriptoribus, non tantum magna maiestas et ingens sermonis splendor, sed etiam pulcherrimus fructus et in-

signis utilitas. Sic etiam Medicinae non minus voluptatis et bonae frugis, quam dignitatis inest, nisi quis putat aliquid melius et optabilius esse bona valetudine, quae Medicinae beneficio conservatur, et eiusdem opera labefactata curatur; quae ex variis herbis succos quantivis precii exugit in valetudinis subsidium, sicut apes ex variis floribus materiam colligunt, unde mel conflent, quibus nobis a morbis circumventis et oppressis opem ferat, qui nobis a fronte, tergo, lateribus, insidias tendunt, ut ne Ianus quidem ab his tutus esse queat, si non Medicina adsit, quae ab omni parte morbos tanquam e specula observet, et nos qui eos effugiamus, moneat, vel ab his oppressos, ceu e mortis faucibus eripiat. Cuius rei testis est gravissimus ille, non dicendi modo, sed etiam intelligendi praeceptor et magister Cicero, inquiens: Valetudo sustentatur noticia sui corporis, et observatione earum rerum, quae res aut prodesse soleant, aut obesse. At sola Medicina observat, quibus nostra natura vehementer oblectetur et reficiatur, quibusve graviter laedatur, quare idem autor addit, valetudinem sustentari arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent; et tamen sunt, qui haec monentem non audiunt, qui tum demum sua consilia, imo temeritatem contemnunt, cum iam aut febri concutiuntur, aut morbo contabescunt. Veluti Athenienses, qui de pace non nisi pullati consultabant, sicut Demades inquit. Et discunt isti lari magno suo malo, recte sapere, et res vere utiles non temere negligendas esse. Medicina vero, si ulla res alia, nobis in primis necessaria est, cuius opera incolumes et salvi vivimus. Sole, igne, aqua et aere denique citius carebimus, quam Medicina. Nam praestat semel mori et magnis miseriis defungi, quam in longis morbis, quibus liberari nequeas, miserum ducere spiritum, atque infoelicem vivere vitam, a quibus multi sic premuntur, a Medicinae auxilio destituti, ut sibi manus adferre non dubitent. Quare Romani Caesares videri possunt intellexisse, quam salutares et necessarii essent boni Medici Rebuspub. qui eis in singulos annos amplissimum stipendium ducenta et quinquaginta sestertia pendebant, sicut Plinius autor est, cum tamen reliquarum disciplinarum professoribus centena sestertia modo in annum numerarint. Cuius pecuniae si rationem more nostro inieris, comperies Rhetoribus et Poëtis tria millia aureum et trecentos triginta quatuor numeratos, Medicis vero octo millia aureum et amplius trecentis in singulos annos stipendium fuisse: nae illi probe maiestatem et operam Medicinae perspectam habuerunt, et melius et candidius de honestis rebus iudicarunt. Quidam liberalibus praemiis bonos Medicos honestarunt tantoque illum ordinem honore affecerunt. At nunc eo deventum est, ut ex libidine, non ex vero iudicemus: ex gratia, non ex merito tribuamus; fiuntque paulatim deteriora omnia, et in peius delabuntur. Neque desunt, quibus nunc Medicina sordet, quae olim magnis et sapientibus viris tanti fiebat. Sed quid mirum? Ut enim scarabei preciosi unguenti odore offenduntur, et sues amaracini fragrantia, sic hi nostri scarabei et sues, praeclaras et honestas res non ferunt. Sed quis istos non contemnat? nisi quis levem et impurum servum Caryonem apud Aristophanem audiendum putat, qui virum Medicum scatophagon, id est, stercoris voratorem vocat, cum nemini hominum obscurum sit, quod lingua est, ut ille inquit, pars pessima servi. Neque isti veteratores, quibus mala mens, malus animus est, aliter faciunt, a quibus vituperari, laudi ducitur: prudentes viri recte iudicant. Istos etiam contemnendos duco, qui ebrii inter pocula eructant et crepant: Qui medice vivit, miserrime vivit, videntes aliquem continentiae et frugalitatis, quam crapulae amantiorem. Sed quam misere istae hominum larvae delirant, qui existimant istum misere vivere, qui medice vivit: nae isti ignorant, quid mederi, aut Medicina, aut Medicus sit: qui si intelligerent verba, iuvandi et auxiliandi vim habere, certe aliter iudicarent. Sed quid moramur hos, quibus nemo sanus respondendum putat, sed helleborum porrigendum, ut purgato cerebro, desinant delirare? Neque Medicorum ordini fraudi esse debet quorundam temeritas et inscitia, qui eius artis titulo se venditantes, multis fucum faciunt, quibus si quis titulum detraheret, idem sane eis accideret, quod Cumano leoni, qui pelle nudatus, asinus fiebat. Tales non magis Medicinae officere debent, quam honestissimo Theologorum ordini, triobolares isti Theologastri, qui, ceu foedae Harpyae, et sacra, et sanctissimum Theologici nominis ordinem defoedant atque conspurcant. Ut enim inter pulcherrimas segetes, triticum et siliginem, zizania et lolium sibi esse volunt locum, ita et perditi quidam homines in honoratis virorum ordinibus quoquo modo esse volunt, qui digni sunt, ut in corvos deportentur,

non quibus cum boni viri litigent. Vos quibus melior mens et honestior animus est, qui dignitate, splendore et maiestate naturalium rerum movetur, amplectimini Medicinam, qua nihil melius, neque pulchrius, neque maius rebus humanis divinitus contigit; quae et rei amplificandae compendiaria via est, et tantum oblectationis subministrat, quantum humanus animus capere potest. Non enim hic, ut in pictura, inanes umbrae et vanae corporum imagines nos oblectant, sed res solidae et vivum naturae opus, et incredibile et varium eius decus, cum summa voluptate spectatur; tum facit, ut his bonis floreamus, quibus ut abundare foelicissimum, ita et carere miserrimum est. Quare qui beati quam miseri esse malunt, hi putent sibi Medicinam omnibus modis amplexandam. Dixi.

No. 24. (an. 1529. vel 1530.?)

Encomium Medicinae.

Apud Crat. Myl. p. 244 sqq., in Declamat. T. I. p. 302., Servest. T. I. p. 260. et Richard. T. II. p. 104.

Alia oratio laudem Medicinae continens.

Re ipsa comperio verissimum esse, quod scripsit quidam Poëta:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est.

Nam cum non alia ars de nobis uberius mereatur, quam Medicina, tamen vel in primis huic pessima gratia a plerisque mortalium redditur, qui tantum abest, ut agnoscant huius beneficia, ut nullo non genere convitiorum, cum artem ipsam, tum nos, qui in perquirendis his rebus, quae vitam prorogant, quae valetudinem conservant ac morbos arcent, operam collocant, conscindant. Idque faciunt hi, qui quoties pituita molesta est, tota domo myropolia coëmunt, omnes undique Medicos conducunt, veterinarios etiam: et cum Medicinae ope convaluerint, animi morbum exerceant, in accusanda inscitia Medici, in vituperandis exoticis remediis. Ea est insania, ut ne quidem experti artis beneficia, placari possint. Cum hisce rixemur ne modo, postquam ex more de Medicinae laudibus aliquid dicendum est? Ego vero satis scio non esse tantam dicendi facultatem mihi, ut illos mea oratione ad sanitatem revocare me posse confidam.

Pythagoram aiunt adulescentes quosdam, cum honestae cuidam foeminae in convivio libidine inflammati, vim afferre conarentur, mutato cantu tibiarum (qui in conviviis ex more adhibebatur) spondaeis tardiusculis flexisse, ut compressa libidine ab incepto desisterent. At hi non tantum non oratione ulla placari posse videntur, sed multis hellebori ingeribus ad medicandam stulticiam opus habent: quare cum his in praesentia non est visum digladiari. Sed bonis ac studiosis liberalium artium adulescentibus, cupimus fidem facere: non aliam artem ex prophanis, aut plures utilitates ad vitam afferre, aut digniorem esse, in qua cognoscenda, quicunque liberalibus ingeniis praediti sunt, operam sumant. Et quanquam in hoc argumento optarem mihi esse eam facultatem, quae pro dignitate exponere, et ornare res dignissimas laude posset: tamen ita extant ob oculos, ita versantur inter manus Medicinae commoda, ut ad eam praedicandam non admodum uberiore eloquentia opus sit. Et si usquam verum est quod aiunt, probae merci non esse praecone opus, minime omnium Medicina postulat vulgaria praeconia, cuius utilitas posita in conspectu nostro, omnium mortalium studia favoremque meretur.

Quae enim alia ars, aut plura, aut gratiora vitae foeliciter degendae adminicula nobis promittit? Quod cum animadverterent veteres, tantopere praestare eam aliis artibus omnibus, cum quidem omnium aliarum disciplinarum inventionem, immo et literarum et legum primordia in homines auctores referrent, in una Medicina senserunt tantam esse vim, ut neminem mortalium dignum ducerent, cui tantum beneficium acceptum ferrent, sed magno consensu iudicarunt a Deo repertam exhibitamque nobis esse. Et est tanta scientiae varietas, quam Medicina complectitur, ut humano ingenio deprehendi non potuerit. Etenim in tam fugaci vita, quamvis multi non poterant tot morborum genera cognoscere, tam varia remedia, herbarum dissimillimas naturas experiri, haec cogitabant, opinor hi, qui optimae artis inventionem Deo asscripserunt. Et mihi libet credere divinitus ostensam esse mortalibus hanc artem, et a primis illis autoribus generis humani, traditam esse per manus posteris.

Nec mihi ullus mortalis labor suffecturus fuisse videtur tam variis corporum naturis, tot

causis, tamque abditis ac latentibus morborum, tot valetudinis conservandae aut restituendae rationibus, siderum viribus, quas in commutanda corporis humani constitutione exercent, tot pharmacis inquirendis. Itaque statuamus nos etiam Medicinam Dei munus esse, missum in terras, quo infirmitatem virium nostrarum aliquantisper sustentaremus. Et cum usus poscit, ita utamur, ut agnoscamus non humano consilio, sed divino beneficio proposita esse remedia vitae prorogandae. Nam et sacrae literae palam docent, Deum et remedia proposuisse, et Medicos condidisse, et regere gubernareque Medicorum industriam.

Est haec vel in primis magna Medicinae laus, divinitus repertam esse, quam laudem, cum huic uni arti tribuant sacrae literae, non dubitemus eam longe, cum dignitate, tum utilitate praestare omnibus aliis.

Stultitiam esse sentimus contemnere reliquas artes, quas humanum ingenium excogitavit. At Medicinam aspernari, non stultitia, sed impietas est. Nam coelestia dona contemnere, aut parum religiose colere, consceleratae mentis furor et sacrilegium est.

Nunc, si libet utilitate metiri Medicinam, quae aetas est, quae vitae pars, quae huius ope non indigeat? Quod enim in fabulis est, primos hominum glande victitasse, postea monstratas esse fruges a nescio quibus, id eo pertinere mihi videtur, certam quandam victus rationem inventam esse, magno bono publico, cum ad id tempus, discrimen nescissent homines noxiorum in victu et salubrium. Proinde hac in parte latissime patent Medicinae beneficia, praescribentis suam cuique victus rationem. Nam si tollas e culina victus rationem seu diaeteticen, quid aliud erit iam culina, nisi carnificina quaedam? Aut quid est aliud, quam sese iugulare, nullam tenere victus certam rationem?

Sed est Medicinae manifestior usus in restituenda, quam conservanda valetudine. Ibi mihi expendat aliquis, ab illis vitae initiis, quam varii morbi nos infestent nondum etiam natos, ut quidam non iniuria dubitarint parentem ne an novercam potius humani generis naturam esse censerent. Quam multi casus uterum ferenti impendent, saepe exitium allaturi, tum nondum nato foetui, tum ipsi matri, ni Medicus opem ferat. Quam multa lactis vitia emendat Medicina, ne fame pereat infans. Iam si mihi, ut Poëta inquit, centum linguae sint, oraque centum, non possem percensere omnes mortalium morbos, in quibus depellendis Medicinae vim quotidie est experiri. O quoties fugienti vitae manum vincit Medicus, quoties velut ab orco morientem animam retrahit. Quoties necessitatem fati arte differt, quae quidem palam est divino beneficio fieri. Sed iam ante diximus Medici industriam divina quadam vi gubernari. Atqui si usquam fidem habet tritum proverbium: Hominem homini Deum esse. Hac in parte id profecto rectissime usurpatur, quia divina vi Medicus aegroti salutem tuetur. Neque vero tantum in tollendis corporum malis vim suam declarat Medicina, sed animos etiam contagione corporum vitiatos sanat. Denique universum vitae cursum faciliorem reddit, dum vitare morbos docet, et si qui acciderint, mitigat. Proinde vehementer ingrati sunt, qui Medicinam vitae tutricem ac servatricem non suspiciunt, non admirantur. Quod si parentibus debemus gratiam, quod vitam semel dederint, cur non item Medicis, qui saepe amissam prope vitam reddunt? Sed dicet aliquis: Saepe frustra tentari remedia, et Medicinam saepe in curando parum foelicem esse.

Verum est grati hominis agnoscere beneficium quoties ars iuverit, improbi est erratum meminisse, non meminisse benefacta: quae si colligas et expendas, multos incolumitatem videbis Medicis debere. Ita sunt mortalia, ut saepe vis morbi superet Medicinam. Est et cum Medici fallantur, sed multo saepius aegrotantium vitio accidit, cur parum succedat in medendo.

Fuit apud Antigonum Regem non ignobilis Medicus Epirotes Philippus, is susceperat quendam Regis amicum hydropico morbo implicitum, curandum, et cum pollicitaretur confirmaretque haud dubie illum se sanaturum esse, negavit eum posse sanari alter quidam Medicus, Chrysippi discipulus, qui aegroti intemperantiam norat. Qua de re cum invicem altercarentur, et Philippus contenderet esse sibi exploratam remediorum vim, respondit alter, Philippum ad morbum respicere, se vero ad animum aegroti. Neque illum res fefellit, nam cum aegrotus summa diligentia non Medici tantummodo, sed etiam Regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando bibendoque suam urinam, in exitium se praecipitavit. Ita non Medici inscitia aut negligentia, sed sua ipse intemperantia, aegrotus extinctus est.

Quoties putas accidit, praesertim in iis nostris moribus, ut aegrotus tanquam suo se gladio iugulet, cum detrectat Medico parere, cum noxiis cupiditatibus alienissimo tempore frenum laxat et obsecundat? Est autem indignissimum alienae culpae Medicum reum agere. Attamen ita fit, ut quicquid peccarit aegrotus, Medico imputetur. Sed nolo commorari in diluendo hoc conviciorum genere, quae cum vino madent, bene poti, in convitiis barbari quidam in Medicinam evomunt. Nam et illi ipsi haec recantant, paulo post, ubi crapula contraxerint alii alias pestes. Et quanquam sero malo coacti, fatentur id quod res est, optime de genere humano hanc artem mereri.

Neque vero utilitate tantum ducimur ad Medicinae cognoscendae studium, sed ex ipsa naturae contemplatione, in qua versatur tota Medicina, incredibilem voluptatem, eamque honestissimam animus bene liberaliterque institutus capit. Quod enim spectaculum, qui ludi magis delectare nos possunt, quam naturae varietas, si propius intuearis? Neque tantum in magnis corporibus structuram, ordinem ac vires partium omnium spectare iuvat, sed minutissimae res vel maximam admirationem pariunt, cum animadverto nullam esse totius naturae partem, tam humilem, tam contemptam, quae non magnam vim medendi habeat. Et non modo in malva et asphodelo (sicut Hesiodus dixit), sed in stercore etiam suillo, aut si quid hoc vilius est, magnas inesse commoditates. Ego profecto mirabiliter afficior, cum has rerum naturas considero, et cum ipsam architecturam mundi admiror, tum videor mihi tanquam manu prendere Deum, qui sese infundit in omnes res, vegetat et alit omnia, et suas cuique rei vires tanquam oeconomus distribuit et volvit. Opinor in tanta rerum varietate cerni sese: atque hoc studium contemplandae naturae ita multos tenuit, ut quanquam Medicinam non exercerent, tamen toti fuerint in ea perdiscenda. Verum mihi humanius videtur, quod didiceris, id etiam expromere in usus hominum et maiorem laudem meritos esse eos, qui morbos curarunt, quam qui domi inclusam artem tenuerunt, contenti voluptate, quam ex cognitione capiebant. Est enim hoc in primis homine dignum, hominum saluti quantum possis opitulari atque prospicere. Sumus enim profecto nati homines hominum causa, ut quam quisque utilitatem ad vitam praestare posset, eam citra invidiam in publicum conferret. Et cum nihil sit melius, aut honestius, aut splendidius, quam vitam servare ac tueri, praeclare faciunt, qui artis huius fructus aliis impartire student, atque eam ob causam mihi Homerus dixisse videtur, Medicum virum multis aliis praestare. Nam cum arbitraretur, homini dignissimum esse bene mereri de aliis, tamen illum eximiae mereri sentiebat, ac praeferendum esse reliquis mortalibus, qui vitam servare soleret, aut certe in re tanta operam sumeret. Est enim in magnis saepe etiam voluisse, laudabile.

Neque ulli arti omnium seculorum memoria ampliora praemia fuere: qui gentium consensus fidem facere poterat, hanc artem et maxime salutarem hominibus, et honestissimam semper esse iudicatam. Nam et Romani cum Graecis tota Italia interdixerunt, diserte Medicos exceperunt, et in Italia retinendos esse publicae salutis causa duxerunt: Qua in re summum honorem arti habitum esse cernitis.

Quare vos adhortor, optimi Adolescentes, primum, ut ametis et religiose colatis Medicinam, et quia valetudini vestrae prospicere solet, et quia divinis laudibus in sacris literis ornata est, nobisque commendata; deinde, ut quantum quisque potest in ea operae ponat. Siquidem non alia res, quam naturae pervestigatio quae liberale ingenium, aut magis decet, aut ampliore voluptate perfundere potest. Non aurei montes, qui in fabulis esse dicuntur, tantum valent honestam mentem oblectare, quantum earum rerum tractatio cognitioque, quas continet Medicina. Postremo cum iuvare homines sit et sanctissimum officium, et homine dignissimum, date operam, ut hoc instrumentum amplissime merendi de aliis, vobis comparetis. Nam ille demum recte instituit vitam, qui ad publicam utilitatem sua studia et vitae cursum refert. Dixi.

No. 25. an. 1531.

Contra empiricos Medicos.

In Declamat. T. I. p. 312 sqq., Servest. T. I. p. 269., Richard. T. II. p. 201.

Contra empiricos Medicos, M.D.XXXI. Ph. M.

Difficile est de Medicina reperire orationem, quae taedium effugiat, cum toties de ea, hoc in loco

copiose et luculenter dictum sit. Et alioqui utilitates huius artis ita sunt in conspectu omnibus, ut iure censendus sit ingratissimus, si quis non meminit: Magni autem negocii est praestare in re nota et pervulgata, ne fastidiatur oratio. Ego igitur hoc tempore omissa laudatione nostrae artis, seriam quandam querelam huc afferre decrevi, vel ut auditores commonefacerem, ut hanc artem maiore religione tractarent, vel certe, ut dolori meo morem gererem; quem, quo diutius in arte versor, et dignitatem magnitudinemque eius propius aspicio, quotidie maiorem concipio, cum cogito eam ab illiteratis impostoribus, magna cum pernicie hominum exerceri, qui contaminant et corrumpunt artem. Et quoniam ex horum moribus et factis, multi de tota professione existimant, verae doctrinae fides in discrimen venit. Ut autem Apelles pictor, si praecipuam aliquam suarum tabularum collocatam illustri loco, deformari ac aspergi luto videret, maximo dolore afficeretur, propter artis contumeliam: ita me quoque miseratio quaedam subit, intuentem quam indigne tractent Medicinam histriones quidam, qui se venditant pro Medicis, cum artem nunquam didicerint. Neque usquam, opinor, hanc iniuriam artis iustius deplorare queam, quam apud vos, qui cum dignitatem atque vim maximarum disciplinarum intelligatis, iure me stomachari iudicabitis. Et fortasse de suis artibus cogitantes singuli, dolebunt in commune vicem omnium studiorum, cum reputabunt nulli professioni deesse hoc genus histrionum. Ego vero etsi propter dignitatem studiorum ac literarum, etiam aliarum professionum abusu commoveor, tamen omissis aliis, tantum de mea arte dicam, quae quo fructuosior et gratior est hominibus, eo plures habet, qui famam artis affectant. Nullius generis artificis plures reperiuntur, quam Medici. Sed magna est, ut Iurisconsulti dicunt, artificum differentia. Quidam profitentur artem, pollicentur hominibus salutem in maximis periculis, cum nunquam didicerint: sed alicubi in myropoliis, aut tonstrinis servierunt, ubi transcripserunt quaedam remedia, quorum neque causas, neque vires norunt, neque quo in loco valeant. Neque vero tam stulti sunt, ut hoc instrumentum ad existimationem colligendam satis esse putent: sed mutuantur ex Rhetorica alias quasdam artes, per quas magis, quam beneficio illorum remediorum inclarescunt, prolixe de se promittunt, detrahunt de existimatione aliorum. Scitum est enim laudem ex aliorum vituperatione quaerere, domi suae apparant remedia, ut reddant aliorum operam suspectam, callide observant affectus aegrotorum, aut istorum, quibus aegroti chari sunt, ad hos alludunt, his parasitantur. Si in magnis periculis, alii simul adhibiti fuerint, hic quaedam a collega furati, pro propriis clam obtrudunt, ut collegae detrahant fidem, cum succedunt aliis, remedia a prioribus scripta trahunt eadem, sed fucata, ne imperiti agnoscant. Si quid bonae rei evenit, laudem in se transferunt, si quid secus accidit, derivatur omnis culpa in alios. Et quoniam in hac vanitate ingeniorum humanorum, praedictiones etiam requirunt homines, maximeque aegroti: ut curiosis satisfaciant, iactitant se astra consulere, cum quidem non ex astris, sed ex coniecturis praesentibus vaticinentur. Vidimus etiam qui Magicen adhibebant, qui ex urina non solum de morbo divinabant, sed narrabant aetatem, dignitatem vitae, formam aegroti, etiamsi esset ignotissimus. Talibus artificiis admirationem sibi pariunt, non scientia medendi, et concurritur ad hos impostores, sicut concurrit populus ad sanctos; nam hi quoque videntur exercere Medicinam, ad S. Valentinum, Vitum, Genofefam. Quid est autem indignius, quam praestantissimam artem divinitus ostensam humano generi, ad vitam tuendam, continentem doctrinam maxime liberalem, videlicet, naturae corporum cognitionem, ita corrumpi et adulterari, admixta vel perversa quadam Rhetorica, vel magia, vel hoc genus aliis imposturis. Leges dant actionem contra illos, qui adulteratas merces vendunt, et atrocia supplicia in eos constituunt. At isti histriones Medicinae, pro summo scelere, auferunt maxima praemia, feruntur in oculis, coluntur a populo, adorantur tanquam Semidei, mercede maxima conducuntur cum summo periculo: saepe enim vidimus aegrotos dare poenas inscitiae et audaciae horum histrionum. Et cum multa prognostica colligantur ab omnibus circumstantiis, a figura corporis, a gestu aegroti, a locis, a regionibus, ex quibus indicari de exitu morbi potest: mihi tamen vix aliud signum certius exitium portendere videtur, quam si talis histrio adhibitus fuerit. Vulgare est, artem exerceat qui didicit. Nemo enim tam impudens est, ut profiteri Musicam ausit, nisi didicerit: quomodo enim ludet fidibus is, qui nunquam didicit. Hoc si in his levioribus arti-

bus accidit, quanto minus ferendi sunt isti, qui cum nunquam didicerint, tamen hanc artem longe maximam ac difficillimam profitentur. At videmus quam plurimos esse, qui quasi ab Aesculapio totam artem per somnium semel acceperint, venditant se inter Medicos, etiamsi nullam unquam paginam Hippocratis, aut Galeni, aut Avicennae legerunt. Ac videntur etiam irridere totam doctrinam, quae in scholis traditur, et sapiunt; vident enim vulgus plus admirationis habere parasiticam illam, quam veram philosophiam; vident magis quaestuosam esse histrionicam, quam veram medendi artem. Sed obiiciat hic aliquis, plerosque illiteratos magnam experientiam habere, quae non minus valet, quam ars, quam doctrina. Assentior multum pollere experientiam; ex hac enim ars paulatim nata est. Sed postquam ars reperta est, ideo traditur, ne quid temere, cum periculo aliorum experiamur, sed priorum experimenta imitantes, certam medendi rationem teneamus. Proinde qui relicta arte, per sese volunt experiri quid prosit, quid obsit, hos saepe continget errare, et discent magno malo aegrotantium. Nihil est fallacius experientia in tanta varietate circumstantiarum, ad quam non adhibetur ratio et doctrina, sicut initio Aphorismorum admonuit Hippocrates, cum inquit, experientiam periculosam esse, et iudicium fallax. At isti empirici, imo histriones, abiecta arte tantum confidunt experientia, et iudicio suo, quorum utrumque incertissimum est. Hippocrates adeo diffisus est experientiae, ut praeceperit, postquam non respondit eventus Medicinam secundum rationem facienti, ne quid praeterea tentet. Videte autem istos indoctos, collectanea habent remediorum, ab obstetricibus, a tonsoribus, a Magis, a Iudaeis transscripta, ex his eligunt initio aliquid, quod illecebras quasdam habet; nolunt enim statim in ipso aditu offendere animos aegrotantium. Hoc si parum profecit, statim aliud experiuntur, et fit saepenumero, ut ipsa remediorum dissimilitudo novum morbum gignat. Haec saepe accidere vidi, quare nihil est, quod isti suam nobis experientiam praedicent. Ars gubernat et imitatur experientiam non indoctorum, sed praestantissimorum. Isti vero sine praeceptore, sine magistris, suis exemplis discunt. Si Dux in bello eligendus sit, nemo opinor eliget Thrasonem, qui nullum unquam viderit Imperatorem, quem imitaretur, sed suis exemplis promittit se velle cognoscere omnia officia Imperatoris. Ita Medicus adhibendus est, non qui nova experimenta sine ratione quaerit, et qui suis exemplis primum medendi viam colligit, sed qui veterum doctrinam et experientiam imitatur. Foelicem aiunt, quem faciunt aliena pericula cautum: quare non est consultum omissis veterum exemplis, nova remedia, novam viam medendi experiri. Ac ne quis putet me experientiam aspernari: ego vero illam quam maxime necessariam esse scio, sed vicissim nolo artem contemni. Prudens Medicus coniunget utrumque, artem et experientiam. Nam experientia sine ratione, sine doctrina, sine arte, nihil nisi domesticum latrocinium est, et possem multa exempla commemorare, quomodo decepti experientia contra rationem Empirici, viros optimos crudelissime interfecerint. Quare si quos nihil offendet indignitas, quod homines impudentes audent se titulo artis venditare, quam nunquam didicerunt, tamen est humanum, periculi magnitudine moveri, quo minus ferant istos histriones, quorum imperitia multos perire constat. Et accedit hoc quod auget periculum, imperitia parit audaciam, ut Thucydides ait: quare inter istos, ut quisque indoctissimus est, ita est audacissimus. Multi sunt morbi, quos doctissimi et peritissimi Medici movere non audent, multa incidunt symptomata ex causis adeo obscuris, ut etiam doctissimi viri dubitent, quomodo occurrant; incredibilis est varietas signorum ante Crisin, quae non raro perturbat Medicum, quamvis sagacem. At histriones isti quoniam semel perfricuerunt frontem, fortiter sunt impudentes, nullum morbum non attingunt, nullo symptomate, nullis signis perturbantur, et temeritas raro habet foelices exitus, leges puniunt imperitiam in Medicis; gravissime enim inquit Iurisconsultus, non debet impunitum relinqui delictum decipientis praetextu humanae fragilitatis. Verum isti non solum de imperitia tenentur, sed etiam de dolo, cum vires suas norint, et tamen existimationis tuendae causa, omnia pericula contemnant, omnes morbos attingant. Porro ad legem Aquiliam scribitur, dolum esse, si quis affectet aliquid, in quo intelligit, aut intelligere debet infirmitatem suam aliis periculosam fore. Si pecunia tantum periclitaretur, sarciri damna possent; nunc ludunt in tali discrimine, ubi si quid secus accidit, neque corrigi peccatum, neque sarciri iactura potest. Quid enim reliquum est homini amissa vita? Quare

in re tanta, Magistratus debebat impudentiam istorum cohercere, praesertim cum multa crimina in uno insint, quorum quaelibet poenas habent legibus constitutas. Et prudenter in quibusdam civitatibus bene constitutis provisum est, ne quis exerceat Medicinam sine authoritate collegii doctorum Medicinae. Quod si ubique servaretur, melius consultum esset hominum saluti, cum in morbis non adhiberent nisi bonos viros, et doctos Medicos. Nunc salutem suam committunt eiusmodi nebulonibus, quibus non auderent exiguam pecuniam committere. Et tamen isti ad curationem nihil etiam adferunt, nisi impudentiam et audaciam plectendam legibus: sed hanc curam Reipub. Magistratibus commendemus. Vos interim privatim, si quando opus erit, periculi magnitudo admoneat, quales Medicos consulere debeatis. Tutius est enim adhibere bonos viros, et qui artem quam exercent didicerunt, quam levissimos impostores et histrionicam magis quam medicinam exercentes. Ego vero in hac re, etsi periculo publico maxime moveor, tamen praeterea incredibili dolore afficior, propter contumeliam artis et doctrinae. Doleo enim negligi et contemni tantam scientiam pulcherrimarum in natura rerum, quam authores nostri complexi sunt. Neque verisimile, tantam varietatem scientiae reperiri potuisse, nisi Deus istorum virorum mentes singulari afflatu movisset ad earum observationem, qui eas repererunt, et pleraque monstrasset abstrusa, quae humano ingenio erui non poterant. Quae tandem naturae pars desideratur, quae non sit patefacta atque illustrata horum literis? Gemmae, plantae, animantia et partes animantium, temperamentorum varietates, causae morborum, causae remediorum, multiplex ratio et conservandae sanitatis et recuperandae, quomodo inde usque a conceptu ad extremum vitae actum, natura fovenda et adversus morbos munienda sit, temperamenta elementorum, aëris, aquae, locorum, quas habeant, causas, quos effectus, quae sit cognitio qualitatum in corporibus inferioribus cum coelestium corporum motibus, unde existant omnes in corporibus mutationes, quae habeant tantum in materia causas, quae etiam habeant coelestes causas; breviter tota rerum natura, in nostris libris quasi picta cernitur. Quem autem non invet ista legere, cognoscere, contemplari? Nam ad harum rerum inquisitionem atque cognitionem, procreati atque geniti sumus, ut inter sanos homines constat, et Poëta significavit cum inquit:

Foelix qui potuit rerum cognoscere causas.

Et Plato inquit: Naturam hominis sine Philosophia mancam atque inutilem esse. Vere autem hoc affirmari potest: Medicos adhuc in possessione veteris illius doctrinae esse, quam unam et solam homines sapientissimi, qui tum apud Graecos, tum apud Latinos, tum apud Arabes extiterunt, veram philosophiam esse iudicaverunt. Quare necesse est hos, quorum animi non capiuntur hac doctrina, vel a natura hominum degenerasse, vel tanquam monstra a natura inchoatos esse, non absolutos. An non portenti simile est, homines exercentes Medicinam, et in hoc studio versantes, tamen velut Ulysses obstruxit aures, ne cantu Syrenum detineretur, praeterire obstructis auribus atque oculis, doctrinam omnium longe suavissimam ac liberalissimam? Delectant homines ludi et spectacula. Quod autem gratius spectaculum excogitari potest? quam ista pictura totius universitatis rerum, quae extat in nostris autoribus: Quae possit homini sapienti maior voluptas contingere, quam oculis atque animo admirabilem oeconomiam, ordinem, vices rerum maxime dissimilium in natura intueri? At istos histriones, neque utilitas harum rerum, neque suavitas ad discendum permovet, qui quidem hoc magis odio digni sunt, quod etiam exemplo nocent. Plures enim sunt, ut fit inter homines, qui hanc histrionicam, cum habeat compendiariam viam ad opes parandas, imitari velint, quam qui perfectam doctrinam expetant, quae nulli potest contingere sine acerrimo studio: ita paulatim vera ars corrumpitur, doctrina neglecta paulatim collabitur. Ego vero quia doleo vicem optimae artis, non possum non succensere istis pestibus, quae veram Philosophiam, qua nullum habent homines ornamentum maius, opprimunt et extinguunt. Ac videamus etiam aliis temporibus, hoc genus impostorum nocuisse arti; Galenus enim valde queritur scelesté corruptam esse a Servulo quodam nihili homine, Thessalo; sed Galenus divina ope collabentem eo tempore doctrinam restituit. Nunc non est unus Thessalus, sed ubique plena sunt impostorum omnia, et fatalis quaedam calamitas, artem urgere videtur. Ac mihi consideranti interdum alias disciplinas, videntur ex illis etiam plurimi, tantum venari titulos, ad ostentationem et quaestum. Veram et perfectam doctri-

nam nemo expetit, id signum, ut Medicorum more loquar, decernit interitum; sed nolo male ominari. Et ut aliquando finem faciam, adhortor vos, qui datis operam Medicinae, ut magnitudinem et dignitatem professionis vestrae consideretis. Sicarii sunt non Medici, qui aegrotos attingunt, si sciant suam inscitiam illis periculosam fore. Dabitis igitur operam, ut perfectam doctrinam ad curandum afferatis. Et quia huic ordini defensio veteris et germanae philosophiae a Rep. commendata est, nolite committere, ut quasi deserta statione, proiecisse ac prodidisse cum maximo publico damno, praestantissimas artes videamini. Cumque hic ordo duobus iam millibus annorum, tot enim numerantur anni ab Hippocrate, Philosophiae professionem, summa cum gloria retinuerit, turpissimum esset eam nunc demum amittere. Atque ego tametsi haec aetas plusquam ferrea est bonis rebus omnibus, tamen erigor interdum spe quadam, cum nonnullos virtutis causa haec studia tota mente totoque animo complecti animadverto. Et si quis est huiusmodi, huic summa voluntate, hunc honestissimum titulum Doctoratus, decernimus. Dixi.

No. 26. an. 1531.

De ordine discendi.

Apud Craton. Myl. p. 125., in Declamat. T. I. p. 542., Servest. p. 472. et Richard. T. I. p. 93.

Oratio Casparis Crucigeri de ordine discendi, habita in promotione Magistrorum, anno M. D. XXXI.

Cum ex hoc loco saepe dictum sit de universa Philosophia, deque harum artium omnium dignitate, quae in scholis ideo traduntur, quia ad bene beateque vivendum iudicantur esse necessariae, ego pro ingenii mei mediocritate, omissis illis praeconiis superiorum disciplinarum, quas arbitror propter manifestam utilitatem commendatissimas esse omnibus, pauca quaedam dicere institui de hoc genere disciplinarum, quod nos profitemur, et quo prima aetas ad percipiendas maiores artes praeparatur. Quanquam enim et harum utilitates quotidie vobis in scholis decantant praeceptores, tamen hic aliquid de ea re dicendum est, ut publico mori serviamus.

Et quia a me publico nomine habetur oratio, tantum ei tribuetis autoritatis, Adolescentes, quantum existimatis esse in hoc collegio virorum optimorum et doctissimorum, praeceptorum vestrorum, qui mihi hanc personam imposuerunt. Nam horum omnium sententia, mea voce ad vos perfertur, qui cum vobis optime consultum velint, non desinunt vos hoc in loco adhortari ad haec studia colenda, quae tum vobis privatim honesta atque utilia, tum Reipub. retinendae necessaria esse iudicant. Si quis autem huius ordinis autoritatem aspernatur, et iudicia contemnit hominum, non solum peritorum, sed etiam toti Reipublicae optime cupientium, in hoc iure desideranda erit humanitas.

Duxi autem vos adhortandos esse, ne studia inferiorum artium negligatis, quae etsi ad populum parum habent ostentationis, tamen ad cognoscendas superiores artes, quae continent administrationem Reipub. viam sternunt. Itaque etiam de ordine discendi pauca addemus, qui in omnibus rebus valet plurimum, ut suavissime dixit Xenophon:

οὐδὲν οὕτως εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις.

Et ut inde sumam initium, societatem quandam artium inter se esse scitis. Quare etiamsi quaedam in vita excellere atque eminere videntur, tamen aliarum ope indigent. Quare imprudenter faciunt, qui dum ambitione, aut spe quaestus incitati, properant ad illas superiores, quarum fructus versantur ob oculos etiam imperitis, reliquas disciplinas negligunt et contemnunt, quasi ad vitam inutiles.

Ac mihi cogitanti interdum videtur huius societatis quaedam in ipsis elementis literarum similitudo esse, ubi etsi dignitate praestant vocales, tamen sine consonantibus sermo nequit existere. Et quoniam ex literis omnes artes procreantur, vestigia quaedam in ipsis elementis animadvertere possumus, ut in seminibus, artium dissimilitudinis. Longe antecellunt omnibus vocales, quae per se vitam et spiritum habent, quia perfectum sonum edunt, non adiutae ab aliis. Reliquae quasi tibiae ab his inflatae sonum accipiunt.

Significant igitur vocales principem omnium artium, doctrinam religionis, quae longe supra alias artes collocata, gubernat omnia vitae consilia, negocia et studia. Nec vero civilis disciplina sine religione retineri potest; et iuris scientia

plurimum a doctrina religionis mutuatur. Ideo sicut semivocales et si habent obscuram quandam vocem, tamen suum munus tueri non possunt sine vocalibus, ita in disciplina politica, religio civilibus institutis vocem addit, tuetur autoritate sua ius humanum, et emendat cum opus est.

Mutae literae quasi privatam vitam significant, quae vere muta est, hoc est agrestis et fera, sine religione et civili consuetudine. Ut igitur sermo ex dissimilibus literis contexitur, ita diversa genera artium atque actionum in vita necessaria sunt.

Quanquam autem iamdudum vereor, ut viri docti in hoc consessu has ineptias aequo animo ferant, tamen quoniam habetur oratio ad iuventutem, spero eos boni consulturos esse hunc ludum, in quo et societatem et gradus artium pingere voluimus. Et visum est in ipsis elementis literarum pingere, ut quoniam haec quotidie ob oculos versantur, saepe veniant ista in mentem scholasticis, quorum cogitatione nobis quidem videtur acui et formari iudicium de utilitate artium. Et ego in hac schola professor grammaticus, libenter sumpsi orationem ex hoc artificio, quod exerceo.

Cogitate autem, Adolescentes, quid futurum sit, si quis consonantibus omissis, tantum vocalibus uti velit in loquendo, is profecto cum tota rerum natura pugnabit. Ideo enim literae vocantur elementa, quod sicut in natura necessaria sunt elementa, ex quibus corpora constant, ita literae necessariae sunt ad sermonem componendum. Quare sicut illa divina series in universitate rerum perturbaretur exempto uno elemento, ita abiectis consonantibus, nulla articulata vox existere posset. Itaque sicut dissimilium literarum naturalis inter se societas est, ita dissimiles artes inter se copulatae atque deiunctae sunt. At hunc chorum artium perturbant isti, qui sentiunt inferiores disciplinas ad vitam inutiles esse, quia earum fructus imperitis non ita in conspectu est.

Si quis admirator coeli ac stellarum (quid enim his corporibus pulchrius cogitari potest?) velit aquam ex rerum natura tolli, quod impar sit stellarum claritati, nonne hunc insanire diceremus? Si quis propter admirationem doctrinae religionis, iubeat e vita tollere omnia iura atque instituta civitatum, omnia vincula domesticae vitae, nonne hunc omnes sani homines vi atque armis cohercendum esse iudicarent?

Et vidimus his annis quosdam *ἀνοσίως θεολογοῦντας* dementatos huiusmodi fanaticis opinionibus, erroris sui poenas dare. Meministis enim Monetarium et Anabaptistas, et hoc genus alia portenta. Ad hunc modum iudicate insanire eos, qui chorum et concentum artium perturbant, neglectis et contemptis inferioribus artibus. Quare sicut de literarum elementis cogitantes, totum *ἄλφα καὶ βῆτα* necessarium esse ad sermonem ducitis, ita disciplinas omnes quae in scholis traduntur, existimabitis ad vitam esse necessarias.

Nam is demum recte sentiet de artibus, qui cum gradus earum animadverterit, intelliget singulas certae utilitatis causa repertas esse.

Haec dixi ad commonefaciendos adolescentes, quorum multos videmus magno non tantum suo, sed Reipub. incommodo, intempestive properare ad superiores disciplinas. Nam studia vestra non tantum ad vos, sed ad Rempub. pertinent.

Et hunc finem studiorum vestrorum vobis proponere debebatis, ut ea ad dandum consilium Reipub. et ad docendas Ecclesias, et retinendam doctrinam religionis conferenda esse statueretis, quorum nihil praestare poteritis sine perfecta doctrina. At perfecta doctrina nulli continget sine disciplinis inferioribus.

Cum hac cogitatione animus conformatus est, proxima de ordine discendi deliberatio esse debet. Neque ego hoc loco dicam, quanta sit vis ordinis in genere, quae res et nota est, et latius patet, quam ut hic explicari possit. Si agricola prius serere velit, postea arare, aut si velit sub Canicula sementem facere, sub bruma arare, labor atque impensa perierit: ita si in percipiendis disciplinis non servetur iustus ordo, profectus omnis desperandus erit.

Bonum malum fit, aiunt, non datum in tempore; proinde etiam optimarum et maximarum rerum studia nocent, si non apto tempore suscipiantur. Quare maiores nostri, ut ordinem discendi constituerent, certos gradus quasi classes excogitaverunt, per quos ordine ab inferioribus artibus traduceretur iuventus ad superiores. Nunc quasi perfractis illis repagulis, nullo ordine res geritur. Subito sicut fungi nascuntur nobis Theologi, Iurisconsulti et Medici, sine Grammatica, sine Dialectica, sine ratione dicendi, sine incunabilis Philosophiae naturalis ac moralis. Quorum cognitio, non solum quia perliberalis est, olim tradebatur communiter omnibus, priusquam

admitterentur ad superiores disciplinas, sed etiam quia iudicium acuit, et praeparat ad res maiores percipiendas. Modo autem satis est afferre ad illas disciplinas gravissimas, magnum pileum, et insignem contemptum omnis doctrinae humanioris.

Hanc temeritatem nisi leges ac Magistratus cohercebunt, brevi nullae erunt in Repub. literae, nulla doctrina ullius rei. Nam isti Theologi, Iurisconsulti ac Medici, subito nascentes, nulla praediti liberali doctrina, non solum alias artes interire sinent, sed nec suas professiones tueri poterunt. Nec nihil pertinent haec cura conservandarum literarum ad Magistratus; ideo enim appellantur Dii a Spiritu sancto, ut divina dona in terris, religionem, civilem statum et omnes honestas artes tueantur ac retineant. Propter hanc procurationem divinarum rerum gerunt augustum titulum, quo nullum habet Magistratus ornamentum maius aut venerabilius.

Quare convenit eos prospicere, ne perturbato discendi ordine, honestae disciplinae intercidant. Plato inquit, Respub. mutari, si contingat Musicam mutari. Neque id abs re dictum est. Sed hoc multo verius est, mutatione studiorum mutari Respub. Omnes autem mutationes Rerumpub. ad Magistratuum curam pertinent. Et perversa ratio discendi, maximarum atque optimarum rerum ruinam trahit. Inprimis igitur in hac re vigilantes esse Magistratus oportet. Neque dubito quin olim de his rebus novas leges condituri sint, cum praesentes turbae atque motus Rerumpub. consilescent. Quibus utinam contingat Dei beneficio, facilis et mollis *καταστροφή*.

Interim tamen quantum nos autoritate, studio ac diligentia consequi possumus, dabimus operam, ut ordine discat iuventus.

Sed hoc magna ex parte in vobis quoque positum est; nos enim et diligenter hac de re adhortamur vos, et lectiones optimas in omnibus disciplinis proponimus. Summa fide traduntur artes, quae continent rationem dicendi: elementa Philosophiae et Mathematum planissime proponuntur. In qua schola secundus liber Plinii tam perspicue enarratus est, ut hic enarratur? Reliquum igitur est, ne vobis ipsi deesse velitis, sed praesentibus commodis fruamini.

Quod quidem ut faciatis, adducere vos debet cum ipsa cognitionis suavitas, tum etiam utilitas. Nam incredibilem voluptatem parit eloquentia; mire delectat homines historia rerum gestarum, quae et ipsa traditur, cum dicendi exempla proponuntur. Et nihil dulcius est, quam intueri animo eas res, quae in Philosophia nobis traduntur, de magnitudine coelestium corporum ac terrae, de variis motibus siderum, quomodo lumina coelestia varie mixta inter se ac temperata, diversos effectus pariunt in hac inferiori natura, sicut aliter atque aliter mixtae voces diversas cantiones efficiunt. Iuvat etiam videre causas officiorum civilium in natura divinitus scriptas, et mirabili prudentia a doctis hominibus animadversas.

Iam utilitas maxime percipitur ex his studiis; sunt enim, ut Graeci dicunt, *πρὸ ὁδοῦ* in superioribus artibus, quae certe dicendi scientiam requirunt. Quid enim promoverit aliquis, si sermonis genus non queat iudicare? Et multa ubique sumuntur ex Philosophia naturali ac morali, quorum qui non vident fontes, turpiter interdum hallucinantur.

Et quoniam Reipub. interest, bonas artes conservare, omnes sentiatis hoc a vobis Rempub. petere, ut detis operam, ne vestra negligentia artes intercidant. Cum autem maiora beneficia omnes a Repub. quam a privatis ullis, sive parentibus, sive amicis accipiamus, aequum est nos vicissim hanc illi gratiam reddere, et nostro labore artes retinere ac defendere.

Quare vos adhortor, Adolescentes, ut ita inducatis animum, prius vobis cognoscenda esse elementa Philosophiae, quam ad superiores disciplinas accedatis, et in ea diligenter collocetis studium atque operam.

ἀρχὴ, inquiunt, *ἥμισυ παντός*. Dimidium facti, qui bene coepit, habet. Faciliora igitur omnia erunt istis in aliis disciplinis, qui recte coeperunt, qui ad alias afferunt earum artium scientiam, sine quibus illae neque percipi, neque tractari, neque intelligi possunt.

Et hanc orationem existimate me publica autoritate habuisse, quam si quis contemnit, is sciat Deum ultorem huius contumeliae fore. Ac Respub. ornavit etiam privilegiis haec nostra studia et honoribus, quos nunc his iuvenibus libenter decernemus, quia singularem laudem hoc tempore in tanta perversitate iudiciorum merentur isti, qui haec communia Philosophiae studia attigerunt. Dixi.

No. 27. an. 1352.

Oratio Seb. Munsteri.

Apud Craton. Myl. p. 213., in Declamat. T. I. p. 254., Servest. T. I. p. 220. et Richard. T. II. p. 536.

Oratio in promotione cuiusdam Iurisconsulti, habita a Doct. Sebaldo Munstero: Res non iudicandas secundum arbitrium iudicis, sed secundum scriptum ius. Anno **1532.**

Cum ante paucos dies vir clarissimus Doctor Hieronymus praeceptor noster optime meritus, et de magnitudine professionis nostrae sapientissime dixerit, et gravissima oratione negligentiam discentium castigaverit, spero vos propter autoritatem viri summi libenter meminisse eius orationis, eaque ita affici, ut genus ipsum doctrinae sua magnitudine metientes, statuatis vobis et solidam eruditionem expetendam, et ad eam consequendam, studium acerrimum conferendum esse. Me quidem ipsum valde movit, et curam mihi sollicitudinemque maiorem accedenti ad forum et Rempub. circumdedit. Itaque de his ipsis rebus nihil arbitrabar a me dicendum esse. Nam neque autoritatem maiorem ad vos adhortandos afferre quisquam potest, quam ille affert, propter summam doctrinam et maximum rerum usum. Neque video quid dici gravius in ea causa possit. Quoniam autem haec scena me quoque dicere aliquid cogit, peto a vobis, quia in hunc locum ascendi non privato consilio, sed autoritate amplissimi ordinis nostri, ut me pro vestra erga hunc ordinem benevolentia dicentem benigne audiatis. Institui autem disputare de quadam vulgari persuasione hominum sive imperitorum sive invidorum, qui ius scriptum ex foro et iudiciis eiici volunt et iudicari res sine certis legibus arbitrio eorum, qui iudicia exercent. Nam hac opinione refutata, facile intelligi potest, hoc doctrinae genus, in quo versamur, Reipub. necessarium esse. Nonnulli aegre ferunt sibi in iudiciis nihil loqui licere, nisi dictata a Iureconsultis: et quia pudet velut mutas personas assidere in iudiciis, non de publica utilitate, sed de sua existimatione dimicant, iubent auferri hoc scriptum ius, ut ipsi quoque sapere aliquid putentur. Et adplaudunt his indocti atque imperiti multi, sed reclamant exempla tot Rerumpublicarum et sapientissimorum virorum, qui leges scripserunt et usu compererunt, non posse teneri tranquillitatem Rerumpublicarum sine scripto iure. Atque ego interdum de his rebus cogitans, conferre soleo Medicinam, et hanc scientiam rerum iudicandarum. Plane ridicula res esset, si quis literas omnes et doctrinam, quae Medicinam continet, aboleri vellet, et ex quadam communi prudentia potius consuli aegrotis. Obsecro quale futurum esset hoc medendi genus, sine doctrina, sine experientia, sine observatione ulla? Profecto nihil aliud nisi carnificina esset. Ita iudicia in domesticum latrocinium converterentur, si sine legibus pronunciare liceret, quidquid aut stulto, aut imperito, aut irato iudici in mentem veniret. Et ut maxime iudicia prudentes et boni tenerent, infinitae inter hos dissensiones orirentur. Multa enim incidunt ubi aliud aliis videtur, et qui velit ingenio cedere rarus erit. Deinde ut maxime conveniat inter hos, qui pronunciant, quomodo poterit persuaderi contentiosis litigatoribus, rectissimum esse quod illi pronunciant, nisi scriptum ius extet, quod cum sit commune foedus civitatis, ut ille ait, litigatori non licet eius autoritatem detrectare. Nam his legibus quasi pactus est cum Magistratu, cumque tota Repub. nequid moveat contra eas. Itaque scriptae leges muniunt iudicum autoritatem adversus improbos et contentiosos litigatores. Neque ego ignoro quae contra dicantur, semper enim facilium est praesentem Rempub. statum reprehendere. Sed quid futurum esset, sublatis legibus? Si eius status incommoda videre possemus, praesentem formam magnopere nobis defendendam esse statueremus. Exempla videamus. Etenim non ferenda arrogantia est, de re omnium maxima dissentire a sapientissimis viris, qui maximas Respub. constituerunt. Nullum certum ius habebant Athenae, itaque ex iudiciorum confusione maximae seditiones extiterunt. Nec poterat restitui civitatis tranquillitas, nisi certae leges essent, quibus praepositis nemo posset fidem iudicum in dubium vocare. Idem Romae accidit; et quidem populus Romanus Graecas leges describi, ut optimae atque humanissimae eligi possent, curavit. Quid, quod ita Deus ipse indicavit, qui cum Rempub. Ebraeae gentis constitueret, certas leges tulit, et ex scripto iudicari iussit. Quanquam si recte aestimare volumus, non hae tantum Ebraicae leges divinitus traditae sunt, sed sentiendum est vere divinitus Respub. etiam apud Gentes constitutas et guber-

natas esse, sicut Paulus testatur: Omnes Respub. omnia imperia a Deo ordinata esse. Quare Deus non solum Iudaicarum legum, sed etiam harum nostrarum autor est, quas sapientissimae nationes, et optime constitutae civitates tenuerunt. Extat haec disputatio et apud Aristotelem: Utrum satius sit res ex scripto iure iudicare, an ex arbitrio iudicum; sed Aristoteles longe praefert ius scriptum. Et quidem ita dicit: Qui legem praeficit, Deum et leges vult praeesse, sed qui hominem praeficit, addit ei belluam, videlicet cupiditatem et iracundiam, quae sunt belluina, et pervertunt animos etiam in viris optimis. At lex est mens sine cupiditate. Sed quid isti Centauri iudicium Aristotelis morarentur, qui neque maximorum virorum, qui Respub. constituerunt neque sapientissimarum civitatum, denique neque Dei iudicio moventur. Scilicet plus vident homines ebrii, stulti, imperiti, quam Solon, quam Senatus Atheniensis ac Romanus, quam Moses, denique quam Deus ipse conditor Rerumpub. et legum autor. Sed quid in re manifesta opus est longa disputatione? Haec dixi tantum ad praemuniendos adolescentes, ne perniciosis illis opinionibus indoctorum adsentiantur. Demosthenes in quadam gravissima causa dicit, legem fuisse apud Locros, ut si quis suasurus esset novam legem, proponeret suam sententiam universae civitati, collo inserto in laqueum, ut si res displicuisset statim strangularetur, sin autem placuisset nova lex, dimittebatur autor incolumis, exempto collo ex laqueo. Et quia nemo facile iudicium universae civitatis subire ausus est, annis amplius ducentis, nullo nova lex lata est. Haec Demosthenes recitat, ut doceat in bene constituta Repub. praecipue hoc caveri, ne temere leges mutentur. Proinde sciatis vobis, adolescentes, nullo modo cum ineptis illis sentiendum esse, qui ius scriptum, et hanc doctrinam quam profitemur, ex foro explodi volunt. Quin ita cogitare, inter caetera honesta officia hoc quoque requiri, ut de iure ac legibus reverenter sentiatis. Vos vero scholastici Iuris, memineritis hanc doctrinam non solum ad hoc tradi, ut causidicos efficiat callidiores, sed multo magis, ut viros iustos ac bonos efficiat. Hoc putetis in hac doctrina praecipi, quod est apud praestantissimum Poëtam:

Discite iustitiam moniti, et non spernere divos.

Dabitis igitur operam, ut cum ipsa doctrina studium iusticiae et omnium virtutum coniungatis. Quod quidem facietis, si ad perfectam doctrinam aspiratis. Nemo enim perfectam doctrinam consequi potest, nisi dignitatem et magnitudinem harum rerum intelligat. Id autem fieri non potest, nisi vim virtutis intelligat. Et cum perfectam doctrinam expetetis, ordo etiam adhibendus erit, et sumenda ex aliis artibus instrumenta necessaria ad hanc professionem. Quare si quis est, qui contemptis omnibus literis, irruit ad ius, is sciat se ipsi doctrinae iuris iniuriam facere, quae neque vult contemni alias bonas artes, neque percipi sine magna scientia multarum aliarum artium potest. Dixi.

No. 28. (anno?)

De scripto iure etc.

Apud Crat. Myl. p. 218 sqq., in Declamat. T. I. p 261., in Servest. T. I. p. 225. et apud Richard. T. II. p. 541. — Quo anno scripta sit, definiri non potest, nisi quod cognoscitur, quia legitur apud Cratonem, eam ante anno 1541. habitam esse. Dedimus eam hic propter argumenti similitudinem.

Oratio publice habita Witenbergae in promotione Doctoris Iuris, de scripto iure, et de dignitate veterum interpretum iuris.

Utiliter institutum est, ut in quadam frequentia omnium ordinum, et totius Scholastici coetus decernantur gradus et doctrinae testimonia. Primum ut publica suffragiorum nostrorum renunciatio plus autoritatis haberet; deinde ut in hac frequentia iuventus de studiorum dignitate atque utilitate admoneatur. Itaque alii summa cum gravitate hic saepe de legum dignitate, et de hoc toto genere doctrinae dixerunt, ac ostenderunt haec nostra studia praecipue ad Rempub. pertinere, secuturamque ingentem confusionem ac barbariem vitae hominum, si haec eruditior doctrina Iureconsultorum deleretur. Nec vero quicquam honestius est, et omnibus bonis viris, ac praecipue nostro ordine dignius, quam propugnare leges adversus furorem vel populi, vel tyrannorum. Nullae victoriae, nulli triumphi plus verae laudis merentur, quam haec defensio propugnatioque iuris et doctrinae, quae est Reipub. necessaria. Quanquam autem haec causa summis eloquentiae viribus ornanda erat, tamen omnium laudanda est voluntas, qui etiamsi non possunt

parem eloquentiam tantae causae adferre, mediocriter declarant suum studium et iudicium. Alii plus adferunt vel autoritatis vel facultatis, sed tamen quia mihi nunc hae partes dicendi a viro clarissimo Decano Collegii nostri, domino Doctore Hieronymo, praeceptore nostro summa observantia, fideque colendo, mandatae sunt, aequum est, vos quoque propter autoritatem Collegii, me bona cum venia audire, etiamsi non possum pro dignitate hanc nostram doctrinam ornare.

Suetonius scribit Caligulam, qui verius fuit immanis quaedam belua quam Imperator, si vixisset, aboliturum fuisse omnia scripta Iureconsultorum. Sunt autem non pauci hoc tempore, qui similiter oderunt ius scriptum, sed praecipue tamen Iureconsultorum doctrinam, ac mallent res iudicari arbitriis potentum, non scripto iure, quemadmodum hodie dicuntur Scythae aut aliae barbarae nationes regere suas civitates, et iudicia exercere sine scripto iure: horum errorem breviter refutabo.

Quae sunt autem causae quare potentes oderunt ius scriptum? Prior est, quia nolunt legum vinculis coërceri, nolunt suas cupiditates frenari autoritate certi iuris, sed expetunt tyrannicam licentiam, et faciendi et decernendi quicquid libet. Altera causa est, quod nonnulli fremunt, se suis Iureconsultis in Repub. tanquam mutas personas esse, quod velut in aliena tutela esse, et ad alienum praescriptum decernere cogantur. Hanc servitutem, ut ipsis esse videtur, aegre ferunt, praesertim si qui sunt ferocioribus ingeniis praediti. Nam ut natura alii temperantiores, facilius patiuntur iustas leges, alii intemperantes minus eis sunt morigeri, ita in genere fit; aliae naturae magis contumaces sunt, et minus patientes freni. Hii sunt odii fontes quos dixi. Quod cum sit iniustum, et noceat Reipub. repugnare bonos et prudentes omni studio decet, ne abolita doctrina Iureconsultorum, infinita tyrannis ac barbaries sequatur.

Vetus est autem disputatio, utrum magis expediat, regi civitates arbitriis gubernatorum, an scripto iure; sed cum oporteat ius esse certum, voluntates autem gubernatorum sint incertae, saepe etiam pravae, necesse est extare certam regulam, quae dominetur in iudiciis et gubernatione. Ideo praestantissimae Respub. etiamsi primum tantum consiliis Principum administratae sint, tamen postea scriptum ius expetiverunt, id est, Attica et Romana, ut certi iuris autoritate tuta esset libertas. Quam pauci sint boni Principes, dictum Claudii cuiusdam indicat, qui ait: Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse. Deinde et boni facile depravantur inter tot corruptelas. Nec de nihilo est, quod ille in Tragoedia ait: Ut nemo doceat fraudes, et sceleris vias, regnum docebit. Saepe vero optimis et vigilantibus, tamen falsa recti species imponit. Ideo consensus prudentum testatur, melius esse uti scripto iure; atque ita pronunciat Aristoteles, cuius verba tanquam oraculum inculcari, praesertim nostrae aetatis hominibus oportuit, sic enim ait: Qui legem vult dominari, vult praeesse Deum et leges; qui autem hominis arbitrio vult regi civitatem, saevissimam beluam addit. Nam cupiditates et ira gubernatores depravant, etiamsi fuerint optimi viri, quare lex est mens sine cupiditate. Nec disputabo de re manifesta prolixius, nemo enim sanus non videt melius esse uti certo iure, quantum fieri potest, quam incerto.

Quanquam autem illi, qui nostrae doctrinae iniqui sunt, non praedicant se hoc velle, ut nullae extent scriptae leges, sed illas longas doctorum disputationes, et molem commentariorum improbare se dicunt. Scio hac in re multos errare, etiam ex Scholasticis, qui imaginantur iuris scripti possessionem sine disputatione interpretum retineri posse, sed longe falluntur. Tollere doctrinam, est in universum abolere ius scriptum; nec enim leges sine illis lumen habere possunt, neque natura patitur, ut ullum usquam ius extet sine disputationibus, sicut gravissime dictum est a Pomponio indigestis legibus latis natura licet evenire, ut interpretatio desideret prudentium autoritatem et necessariam disputationem. Haec sententia, cum sit verissima, gratia potius habenda est peritis, qui illustraverunt leges suis lucubrationibus, quam reprehendenda industria. Semper omnibus seculis, in civitatibus bene moratis, disputationes de legibus extiterunt; scribuntur enim leges de moribus et hominum actionibus, quibus nihil est flexibilius et magis varium. Non proponuntur, ut in Geometria, sententiae de mensura aliqua immutabili figurarum, et tamen opus est regula et arte, quae negocia ad fontes revocet, ut id quod naturae propius est decernatur. Videtis in Theologicis praeceptis, tametsi pauca et tantum universalia sint, tamen adhibendam esse ex-

plicationem. Nam dicta de facultatum desertione, de non vindicando, quantum parerent absurditatis, si non accederet erudita interpretatio? Quanto magis opus est interpretatione in hac varietate forensium sententiarum, quae colligunt multa particularia. Fuerunt igitur statim initio post natas leges, qui adderent interpretationes, et Athenis a certis Magistratibus interpretatio petebatur. Laudanda est igitur prudentia summorum virorum, qui postquam Imperatoris Lotharii tempore rursus ex bibliothecis prolatae sunt humanae leges, et in forum, ac curiam revocatae, statim addere commentarios coeperunt. Ut autem singulari beneficio Dei arbitror tunc restitutum esse ius Romanum, ita non potuit fieri nisi divinitus, ut simul tot preclara ingenia exorirentur, quae operam contulerunt ad illam veterem doctrinam illustrandam. Qua in re si quis cogitat quanta fuerit difficultas initio, non poterit non vituperare stultitiam, atque ingratitudinem eorum, qui hos Herculanos labores non magnipendunt. Vetus consuetudo fori ac iudiciorum Romanorum fuerat antiquata, erant ignotae historiae veteres, quae et ipsae lumen saepe afferunt legibus, lingua vetus corrupta erat. In his tantis impedimentis, tamen ingenti animo Irnerius, et deinde alii coeperunt conferre textus, quaerere sententiam ex ipsis legibus, ideam totius veteris Reipublicae animo informare, et quasi imaginem quandam imperii restituere: ita coepit lingua vetus fieri notior.

Magna gloria est Solonis et aliorum, qui civitatibus leges scripserunt, et Respublicas sapientes constituerunt, nec dubium est eiusmodi opus inter humana omnium longe difficillimum et utilissimum, divinitus regi. Sed non minor gloria debetur meo iudicio Irnerio, et caeteris qui illius gloriosi laboris socii fuerunt. Necesse est enim scriptores illos, non solum ingeniis, sed etiam usu et peritia administrandae Reipublicae excelluisse; nec sine acerrimo studio ars integra comprehendi animis potuit. Multa monebat illos peritos viros usus, quem habuerant in administratione; nam Irnerius longo tempore fere totam Italiam rexit. Sed tamen usus sine diligentia, sine studio, non sufficiebat. Tanto labore patefactas et illustratas leges rursus obruent aeternis tenebris, isti qui interpretes aboleri volunt.

Usitata querela est non intelligere homines praesentia bona, ita est profecto. Si deessent veterum commentarii, quis nunc intelligere artem posset? Quare cum sit opus scripto iure et conservari has Romanas leges omnes prudentes optent, necesse est etiam his interpretes adhibere, ac sequi tanquam artifices et monstratores viae. Sapientissime inquit Constantinus in Codice de iudiciis, lege, placuit. Aequitatem scriptam anteferendam esse stricto iuri; cum enim multi habeant in ore nomen aequitatis, et hanc velint anteferri legibus, Imperator illa iudicia laxat, ac revocat nos ad scriptum, idque pronunciat aequissimum esse, quod scriptum est. Fortassis autem hanc vocem Constantini reprehendent aliqui, qui dicent aequitatem esse moderationem scripti, ut vult Aristoteles, non ipsum scriptum; sed haec cavillatio facile dilui potest. Reguleriter ea quae lege constituta sunt in eo casu, de quo principaliter lex loquitur, sunt aequissima, ut cum lex recens furem capitali supplicio puniri iubet, loquitur principaliter de eo, qui atroci consilio furatus est, non de eo, qui vel aetate lapsus est, vel fame impulsus; iudex igitur in casu, de quo lex principaliter loquitur, non discedat a lege. Nam cum legitimis imperiis obedire nos iusserit Deus, necesse est etiam, parere voci legum. Deinde quorsum attineret proponi ius scriptum, si liceret iudici privato arbitrio discedere a scripto quoties vellet? Haec licentia quid esset, nisi legum dissolutio et abrogatio? Sed cum incidit casus, de quo lex non principaliter loquitur, propter aliquas circumstantias, ibi locus est illi moderationi, de qua Aristoteles loquitur.

Lex de Sabbato praecipiebat vacationem, videlicet ut populus audire doctrinam coelestem posset; at cum Antiochus in Sabbato cessantes Iudaeos adoriebatur, nec iam populus audire conciones posset, sed defendere armis veram religionem deberet, ne funditus interiret, recte fecerunt ductores populi qui non observata vacatione Sabbati, hostes depulerunt ac profligaverunt. Nam lex de Sabbato non complectitur hunc casum necessitatis. Regula est igitur: Scripta aequitas semper in iis casibus, de quibus scriptum loquitur, nec ab ea regula discedendum est. Sed omitto hanc disputationem, illud tantum moneo adolescentes, ut infigant animis hanc vocem Constantini de scripta aequitate, sciantque hunc esse interpretum scopum, ut illam scriptam aequitatem collatis textibus ac rationibus colligant.

Extant in praeceptis politicis multae gravissimae sententiae, quae prohibent non necessariam legum mutationem. Sed recitare plura testimonia longum esset, tantum commemorabo unum quoddam exemplum, quod extat apud Demosthenem. Locris ait legem fuisse, ne aut praesentes leges abrogarentur, aut novae ferrentur; sed si quis esset aut abrogaturus aliquam, aut novam laturus, proponeret suam sententiam publice, stans collo inserto in laqueum, ut si lex placuisset populo, dimitteretur autor laxato laqueo: sin autem displicuisset, laqueo constricto mox strangularetur autor. Nihil est incertius populi iudiciis, ideo annis ducentis, nemo ausus est subire huius iudicii periculum, nec ulla nova lex proposita est, praeter unam: Ut ambo oculi effoderentur isti, qui unoculo effodisset unum illum oculum. Videte quanta severitate veteres legumlatores cavere temerarias legum mutationes voluerunt. Providit idem callide Lycurgus, qui cum exponeret civibus se consulturum oraculum de legibus promulgatis, ac peteret ut iusiurandum darent, se interim dum abesset, non immutaturos esse leges. Discedens igitur, non est reversus, ut perpetuo obligatos religione iuramenti teneret. Ita duraverunt leges illae annos quingentos. Haec atque alia multa a doctis proponuntur, ne iura vero consilio recepta, temere mutentur. Praecipue vero Christianos decet cavere, non necessarias disputationes, cum propter Deum legibus et universae politiae reverentiam debeant. Nec dubium, quin si amitteretur haec erudita iuris doctrina, magna confusio et barbaries in iudiciis et moribus secutura esset, quam ut prohibeat Deus, qui est autor boni status politici, opto. Dixi.

No. 29. an. 1532.

De Ioanne Duce Sax.

Apud Crat. Myl. p. 455 sqq., in Declamat. T. II. p. 599., in Servest. T. II. p. 589. et apud Richard. T. II. p. 674.

Oratio funebris in mortem Ioannis Ducis Saxoniae, Phil. Mel.

Postquam Principi optime de universa Repub. merito hoc postremum ac debitum officium persolvendum fuit, ut Reip. parentaremus, non hoc mihi sumo, ut summam moesticiam procerum, et amplissimi ordinis oratione levem, qui acerbissime lugent interitum Principis, et propter gratam memoriam virtutis et bonitatis eius, et propter Reipub. pericula, quae hoc extincto, qui semper pacis autor fuit, impendent plurima; nulla enim oratio inveniri aut par magnitudini doloris istius potest, aut quae animos a tanta moestitia videatur revocatura, qua quidem ego quoque pene exanimor. Sed quoniam ad populum oratio habetur, commonefacienda nobis est multitudo, ut memoriam virtutis ac beneficiorum extincti Principis conservet, eaque in re pietatem et gratitudinem, quam Deus praecipue iubet reddere Principibus, praestet. Quae enim ingratitudo, quae impietas dici maior possit, quam talis viri interitu non adfici? cuius extant in universam Remp. multa ingentia beneficia, quo amisso, quae tempestates, quae mutationes rerum impendeant, horret animus dicere. Itaque ut memoriam virtutum ac meritorum eius conservemus, quaedam ex ipsius historia repetam breviter, impedior enim dolore et lachrymis, quo minus possim multa dicere. Nihil hic de generis nobilitate dicam, qua Saxoniae Duces abundant: nihil de adolescentiae studiis, quanquam haec in isto habent eximiam laudem modestiae atque continentiae, nihil dicam de reliquo vitae cursu, tantum illud tempus attingam, quo rexit hunc Ducatum, fratre Friderico Clarissimo Principe mortuo; id enim multiplices habuit casus, in quibus perspici Ducis Ioannis pietas erga Deum, constantia, moderatio, studium pacis, et caeterae virtutes dignae bono Principe possunt. Ac primum illud, quae trophaea, quas gratulationes meretur, quod turbulentissimo tempore praestitit, ut hae regiones essent tranquillae et pacatae, cum quidem perpetuo molirentur non pauci bellum adversum nos, horum conatus profecto divinitus repressi sunt. Sed tamen id quoque Principis officium est, quem Deus propitius texit. Deinde multa in his ipsis rebus valuerunt eius autoritas, moderatio, diligentia, quae extorserunt aliquoties arma de manibus quorundam cupidorum, nihil enim atrocius dicam. Et quam late pateat hoc beneficium, facile indicari potest, quia ea causa quam tuebatur, non ad unam aliquam gentem, sed ad universam Germaniam pertinet. Si quod exarsisset bellum, haud dubie futurum erat, ut inflammaretur tota Germania. Itaque dum pacem domi retinuit, praestitit, ut plurimae aliae nationes tranquillae

essent. Ac vero non solum inimici eius autoritate et moderatis consiliis repressi sunt, sed socii etiam ferociores, quos continere et ad moderationem flectere quanti fuit negocii, non potest hoc loco dici. Vidimus arma sumpta, et victoria erat in manu, ubi tamen aequitate Ducis Saxoniae perfectum est, ut quamlibet irati caeteri abiicerent arma, et componi sine caede paterentur: qua in re vel praecipue enituit in eo magnitudo vere heroica, cum parceret inimicis eo tempore, quo nocere facilime poterat, et quidem talibus, a quibus variis iniuriis affectus erat, et a quibus deinceps plurimum periculi esset. An non ostendit hac in re animum invictum adversus omnes privatas cupiditates? Nam postquam spes ostensa est componendae rei, non expetivit victoriam, non gessit morem iracundiae, sed his rebus omnibus praetulit tranquillitatem Reipub. Haec est virtus magno viro ac sapienti praecipue digna, iracundiam vincere, et privatis affectibus anteferre publicam utilitatem. Praedicentur in aliis res bello gestae, hostes in acie victi, paratae armis provinciae, illa enim sunt magna, et saepe necessaria; sed non minora sunt haec, ratione et animi moderatione excitatos motus sedare ac mitigare, consilio prohibere, ne res ad arma deducatur. Itaque recte liceat usurpare illud:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

praesertim si quis etiam consideret, quantum haec moderatio boni attulerit universae Ecclesiae Christianae. Quid enim futurum esset, qualis dissipatio Ecclesiarum ac religionum secutura, quae sacerdotum in utraque parte caedes, si bellum oriretur? et cum inter arma sileant leges, quanto magis disciplina ecclesiastica et religionis doctrina consilesceret, tum armis oppressa, tum fanaticis doctoribus, quibus licentia belli locum praebitura esset. Itaque quidvis semper maluit Dux Saxoniae, quam has religionis controversias armis diiudicari, quod eius iudicium quanti faciendum sit, vel ex eo existimari potest, quod in eadem voluntate adhuc quidem videtis fuisse optimum Principem Carolum Caesarem Augustum, ut alia mitiora remedia potius tentaret, quam bellum moveret. Cum igitur Principis nostri tum foelicitas, tum autoritas, tum etiam moderatio animi plurimum valuerit hactenus ad retinendam pacem, quantum ei debeant omnes nationes, praecipue vero hae regiones, non est obscurum. Quid autem dicam de eius domestica administratione, quae tota clementiae atque humanitatis plena est? Homerus ait, Ulyssem velut patrem bonum rexisse Thracenses, et Xenophon, qui quidem absolutum exemplar boni Principis in Cyro proposuit, inquit, bonum Principem simillimum esse patris boni. Quis autem unquam ullum durius dictum aut asperius nostri Principis notare potuit? Tantum abest, ut quicquam superbe aut crudeliter unquam fecerit. Ac mihi vere visus est prorsus paternum animum erga cives omnes habere. Animadverti enim significationes suae humanitatis cum in sermone, tum in aliis multis officiis. Vidi ipse quam vere induebat aliorum affectus, si quid suis deberet, et tamen hanc lenitatem iure temperabat; cohercere improbos volebat. Ac si fortassis in ea re visus est hominibus imperitis cunctantior, laus est bonitatis, quae certe eminere debet in Principe. Vita eius interior modestissima, nullus luxus, nullae deliciae viro indignae, nullae libidines erant, quicquid a negociis vacui temporis habuit, id totum contulit in lectionem sacrarum literarum, propterea quod religionis Christianae amantissimus erat. In hoc etiam postremo tempore multa legit, et ut ex certissimis testibus cognovi, saepe certas preces interdiu repetivit: quae pericula quam patienter propter studium Evangelii tulerit, nemo ignorat. Et favit Deus his virtutibus, tot annis defendit eum, et varia pericula discussit, ac saepe eum propemodum non secus atque Ezechiam obsidione cinctum liberavit. Nunc nostra adhuc tranquilla patria, eum ex hac vita evocavit bene praeparatum ad mortem, tum aliis casibus, tum etiam morbi saevitia. Iure igitur dolemus, orbati tali Principe, tot praedito virtutibus, tanto pacis studio, tanta bonitate erga suos, ut non minus vere pater, quam Princeps dici possit. Nunc quibus in periculis, in quanto discrimine versamur, non dicam, ne male ominari vobis videar. Illud precor Deum Opt. Max. ut foeliciter conquiescat Dux Ioannes, et ut familiam tueatur, et filio vere successuro in patriam administrationem faveat, eumque tueatur, ac defendat, inter haec pericula quae impendent, et ut ipsi ac Reipub. pacem ac tranquillitatem donet, ad utilitatem Ecclesiae et laudem nominis Christi; id enim agnoscimus et praedicamus, non posse Respub. tueri, nisi Deo conservante. Quare ab ipso opem imploramus, ad ipsum confugimus, qui quidem testatur, se auditurum esse preces

afflictorum. Idem vos omnes adsidue petere a Deo debetis, ut Principem, sub cuius tutela latemus, servet, et ut pacem et doctrinam Evangelii, et aliarum honestarum artium studia retineat. Dixi.

No. 30. an. 1533.

De gradibus in Theologia.

In Declamat. T. I. p. 89 sqq., in Servest. T. I. p. 34. et apud Richard. T. III. p. 72.

Oratio de gradibus in Theologia, habita a Doct. Iona in promotione trium Doctorum, anno M. D. XXXIII. die Iunii XVIII.

Non opinor in hoc laudatissimo coetu quenquam, adeo imperitum esse communium officiorum vitae, ut consilium nostrum in promovendis Doctoribus Evangelii reprehendat, praesertim cum viderit in hoc consessu Illustrissimum Principem nostrum, Saxoniae Ducem, Electorem caeterosque Principes, et viros sapientissimos, qui cum sua praesentia testentur se consilium nostrum probare, nemo poterit sine summa impudentia, suum iudicium istorum authoritati anteferre. Qui cum ita ament Christum, ut propter Evangelii studium, de dignitate, fortunis ac vita periclitentur, non erant haec spectacula probaturi, si existimarent ea indigna esse Christianis. Itaque cum tueri nos summorum atque optimorum authoritate possimus, non valde nobis fanaticorum hominum reprehensio pertimescenda est. Sed quoniam in hoc loco dicendum est aliquid, pauca de hoc ipso gradu disputabimus. Diu iam non quidem plane omisimus hunc promovendi morem, sed non saepe usurpavimus. Nam et nos*) ita sentimus, titulum Doctoris in professione difficillima, non temere communicandum esse multis. Nam hic titulus testimonium est publicum doctrinae ac pietatis, quo nullo modo ornandi sunt indocti ac improbi. Nihil enim perniciosius est Rebuspub. quam inscitia et malitia, cum accessit authoritas. Itaque annis iam aliquot praecipue in tanto Ecclesiarum periculo, paucis admodum hic honos decretus est, idemque in posterum servabimus, ut nemini, nisi cuius ingenium, doctrinam, et mores longo usu perspeximus, hunc titulum impertiamur. Neque quicquam fecimus alienum hoc nostro iudicio, nunc in his promovendis, quorum doctrina, pietas, et in omni officii genere diligentia et moderatio, nobis omnibus nota est. Itaque et Illustriss. Princeps noster, Dux Saxoniae, Elector, duxit esse e Repub. ut hoc gradu ornarentur, et nos libenter authoritati Illustriss. Principis paruimus, cum ingenia, mores doctrinamque eorum in magna varietate temporum ac periculorum cognoverimus. Etenim cum hos gradus initio constitutos esse arbitraremur, ne temere admitterentur ad Ecclesias docendas ulli sine publico testimonio doctorum, ac bonorum virorum, nos quoque hoc consilio retinemus morem, et ut inexploratos arceamus a nostris Ecclesiis, quantum fieri potest, et ut hi qui vocantur ad docendi munus, habeant quoddam, et vocationis et doctrinae suae publicum testimonium. Quando autem unquam fuit ullum in Ecclesia tempus, cum haec diligentia severius requirenda fuit, quam hoc seculo? in quo postquam lucescere Evangelium coepit, diabolus odio Christi passim etiam impia dogmata spargit, et magna ex parte serunt huiusmodi perniciosas opiniones indocti ac neophyti, qui nullos audierunt peritos rerum spiritualium, nullum habuerunt usum theologicarum disputationum, nunquam deliberationibus ullis gravioribus de tantis rebus interfuerunt, denique qui repente sunt Cadmaei fratres, quos subito armatos terra edidit, doctores existunt sine magistris, sine usu, sine experientia, denique nihil afferunt ad ministerium, quod in terris et summum et periculosissimum est, nisi inscitiam cum arrogantia atque impudentia coniunctam. Huiusmodi sunt, qui passim gignunt nova dogmata, ac multos nominare possem. At Paulus iubet explorare eos, qui ad docendas Ecclesias vocantur, et Timotheum nobis praedicat, non solum quod nutritus sit studio sacrarum literarum inde usque a teneris, sed etiam quod comes interfuerit Apostolorum certaminibus, periculis, disputationibus, deliberationibus. Hunc usum non minus requirendum censeo, quam ingenium et doctrinam. Etenim si in aliis levioribus artibus doctrina, sine usu atque experientia non satis certa, ac firma est, quanto magis id accidit in hoc genere doctrinae, quod sine maximis certaminibus nullo modo potest intelligi. Quemadmodum et Paulus fatetur se nondum assecutum esse, sed summa animi contentione eniti, ut assequatur, sed tamen videre se

---

*) *quam*, quod in textu post *nos* legitur, delevi. Fortasse est pro *quidem*.

scopum, quo cursus dirigendus est. Porro hi gradus in scholis bene institutis, non solum hoc boni habent, quod explorant eos qui vocantur ad docendum Evangelium, sed etiam quod hoc testimonium tantum illis tribui debeat, qui annis aliquot audiverunt alios peritiores, qui viderunt quid alii de magnis ac dubiis rebus indicaverint. Nam quod citant ex Ioanne, unctio docet, profecto illa unctio non contingit sine doctrina et sine maximis certaminibus. Est enim unctio, cum in dubiis atque asperis rebus, velut oleo recreat et reficit imbutas mentes divinus spiritus. Si quis putat subito sine doctrina et usu Theologum unctione effici, sicut aiunt Hesiodum cum pastor esset accepto calamo, a Musis Poëtam factum esse, longe fallitur, nec quid sit unctio perspicit, quae primum sine verbi cognitione nulla esse potest. Deinde etiamsi degustatum est verbum, unctio non subito detergit animis omnes maculas. Plato inquit: Satis beatum sibi videri, cui tandem in senectute contigerit, ut sapientum, verasque opiniones assequatur. Id ille vir summus ac sapientissimus de iis rebus, quas ratio deprehendere et pervestigare potest, dixit. Quanto verius id de spiritualibus rebus affirmari potest, quae profecto non possunt vere aspici, nisi in ipsa dimicatione atque experientia, quo magis hoc seculum odio dignum est, quod nunc nemo non sumit sibi iudicium de rebus obscuris ac spiritualibus, una aliqua lectione audita, aut lecta una aliqua pagella. Paulus gratulatur sibi, quod quamvis procul, scopum tamen videbat, ita nos in hoc demus operam, scopum ut requiramus et in hunc intenti oculos ac mentem defigamus, et tamen meminеremus procul nos ab illa meta ad quam tendendum est, abesse, et oremus Christum, ut ipse nos docere pergat, quemadmodum est pollicitus. Libenter audiamus quid alii exercitati iudicent, quid probent, libenter et placide inter nos conferamus de Evangelio, et gratulari nobis Dei beneficium, nos quoque in hac schola merito debemus, in qua, ut nihil aliud dicam, ille Evangelii scopus diligenter explicatur et ostenditur, nec deest facultas discendi bonis. Christus gubernet studia nostra, et ad Evangelii gloriam, et ad nostram et omnium hominum salutem. Cum haec bona insint in promotione, praesertim in hac schola, nemo sanus, ut spero, consilium nostrum in his promovendis reprehendet. Et intelligunt illi ipsi, quibus hic honos decernitur, hunc esse aditum non ad opes, ad gloriam, ad voluptates, sed ad maximas aerumnas, ad miserrimas curas, ad pericula omnis generis. Nunquam enim ullo tempore aut plus in Ecclesia periculi fuit, aut maiori in odio fuerunt Evangelii doctores, quam modo. Itaque perhorresco toto corpore, cum intuens in hanc scenam, animo perspicio, quam habeat haec fabula dissimiles reliquos actus, huius, ut ita dicam, prooemii. Sed cum sciant Deum praecipue requirere hunc cultum docendi Evangelii, neque aliud Deo gratius sacrificium praestari posse, postquam autoritate superiorum ad hoc munus delecti sint, pro sua erga Deum pietate, susceptum onus constanter praestare decreverunt, intuentes in exempla Christi, Prophetarum et Apostolorum, qui nullis odiis, nulla saevitia a docendo Evangelio deterriti sunt. Oremus igitur Christum, ut gubernet eorum mentes, ac studia, eosque iuvet, ut foeliciter conservare, illustrare, propagare Evangelium possint. Illud etiam meminerimus, nostri officii esse, ut pro virili leniamus has aerumnas nostra gratitudine, quiá maximis eorum beneficiis fruimur. Qua quidem in re praecipue laudanda est Illustrissimi nostri Principis pietas, qui cum alii reges ac principes adversus Evangelii doctores infinitam crudelitatem summo scelere exerceant, ipse et adversus tyrannos magno cum periculo tegit ac defendit, et domi summa cum benevolentia, officii omni genere cumulat: de qua re et si ad gratitudinem nostram haec commemoratio pertinebat, tamen propter eius praesentiam verecundius dicendum est. Sed hoc non erat praetermittendum, quod non tam ad ipsum, quam ad alios admonendos pertinet, ut sciant Deum et vindicem futurum huius crudelitatis, et cumulate remuneraturum bonos, qui tegunt ac defendunt Evangelii doctores. Sic enim inquit Christus: Amen dico vobis, si quis dederit tantum aquae potum uni ex minimis horum, in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Et in Psalmo scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum dominus. In his sententiis ostendit Deus, quanti faciat beneficia collocata in Evangelii doctores: ac vicissim significat tyrannos daturos esse poenas suae crudelitatis. Ac me quidem interdum cogitantem et de principis, et de vestro totiusque reipub. periculo, valde consolantur hae sententiae, et in spem erigunt, ut confidam fore, ut Deus clementer defendat principem, ac totam Remp. Et si volumus

esse pii, si volumus esse Christiani, fidem his promissionibus divinis, et hoc beneficentiae genere, exerceamus, et hac erecti fide, bene precemur et principi et universae Reip. Dixi.

No. 31. an. 1533.

De studio linguarum.

Apud Craton. Myl. p. 147 sqq., in Declam. T. I. p. 552., in Servest. T. I. p. 481. et apud Richard. T. I. p. 306.

Oratio Viti Theodori, Norinbergensis, de studio linguarum, habita in promotione Magistrorum anno, M.D.XXXIII.

Principio vobis gratias ago, Doctissimi Viri, quod huc et honoris nostri causa, et ut haec primarum artium studia ornaretis, convenistis. Cum autem existimem id vestrum officium ad studiorum honorem pertinere, spero vos ita induxisse animum, hoc etiam beneficium nobis dandum esse, ut nos non gravatim audiatis. Neque enim huc prodimus, ut dignum aliquid vestra sapientia atque auctoritate afferamus, quod in huius nostrae aetatis imbecillitate ne quidem requirendum est. Tota haec fabula agitur adolescentium causa, ad quam vos acceditis spectatores, ut intelligat iuventus, vobis haec prima studia probari. Quanquam igitur in omni genere humanitas vestra nobis cognita et perspecta est, tamen id quoque nostri est officii, verecunde petere, ut nos aequo animo audiatis. Quare rogo, et ut hanc meam iuvenilem orationem boni consulatis, et ut vestra mihi autoritas adsit in hac causa quam agendam suscepi, quam spero vobis esse probatissimam.

Institui enim de studio linguarum, ut vocant, dicere. Etsi enim plerumque hic de Philosophia dici solet, tamen neque hic locus de linguis, si quis recte aestimet, a Philosophia valde alienus est. Mihi quidem ea Philosophiae pars, quae est suavissima, praecipue ex cognitione linguarum pendere videtur. Neque vero hoc argumentum studio novitatis delegi; neque enim statui me novo argumento in hac infantia satisfacere posse. Sed publica necessitas hortatur, non solum me, verum omnes bonos viros quantum pro se quisque potest, adolescentiam ad studia linguarum exsuscitare atque accendere. Maxime vero conveniebat ad linguarum causam agendam adhiberi non elinguem, sed eloquentem patronum, qui ornare eas pro dignitate, et magnitudinem utilitatum, quas parit earum cognitio, illustrare posset. Quod et si intelligebam a me non posse fieri, tamen arbitrabar me non debere publicae causae deesse, praesertim in hoc loco, quocum mihi dicendi necessitatem scholasticus Magistratus imponeret, sperabam tantum autoritatis in hac oratione futurum esse, quantum tribuitis universo collegio doctissimorum hominum, qui et has mihi partes mandarunt, et suam sententiam mea qualicunque oratione vobis exponi voluerunt. Qui cum doctrina, iudicio, rerum usu excellant, denique cum fide summa et vestris studiis et universae Reipub. consultum velint, honestissimum vobis est, monitis eorum libenter et studiose parere.

Sed venio ad causam, de qua quia etiam propter temporis angustiam non satis dici potest, breviter utilitates praecipuas colligam, quae nos omnes ad linguarum studium hortantur: loquor autem de Latina, Graeca et Hebraica.

Cum autem aliud alii propositum in studiis habeant, nec idem doctrinae genus sequantur omnes, de singulis, ut vocant, professionibus ordine dicendum est. Ac primum non opinor longa mihi disputatione opus esse de Theologia; constat enim fontes Theologiae ebraicis et graecis literis contineri. Nec possunt ita transfundi linguae, ut nihil opus sit fontibus, si velimus iudicare de locis obscuris, quod in multis gravissimis controversiis fieri necesse est. Toties commendat nobis ipsa scriptura ministerium verbi, admonet nusquam voluntatem Dei cerni, nisi in his scriptis; facile igitur intelligi potest, quantum referat perfecte intelligere naturam sermonis, quod sine linguarum cognitione et sine eloquentiae exercitationibus nemo consequi potest.

Itaque cum suae quisque salutis causa, tum etiam propter publicam Ecclesiae necessitatem perfectam sacri sermonis cognitionem expetere debet. Primum enim privatim quoque experimur mirifice confirmare animos, cum in tanta varietate opinionum quasi in rem praesentem deducimur, inspicientes genuinum scripturae sermonem. Deinde de magnis ac difficilibus controversiis publice in Ecclesia pronunciare bona conscientia vix possunt Doctores, si genus sermonis in testimoniis, ex quibus tota res iudicanda est, non intelligant. Multas haereses peperit inscitia

linguarum et figurarum orationis, id quod facile potest ostendi in ipsis historiis contentionum ecclesiasticarum. Et quamvis non sunt in hoc omnia, tamen in interpretatione sacrarum literarum hoc primum est, ut sermonis genus intelligatur, quo intellecto, multa indicari possunt, quorum pleraque etiam hoc tempore controvertuntur. Quare non dubium est, quin ad Theologiam necessaria sit linguarum cognitio.

Neque vos ab hac scientia deterreant indocti homines, qui ut soli sapere videantur, non solum haec linguarum studia damnant, sed omnes bonas artes infensissime oderunt. Ac si res testibus iudicanda est, opponite illis Hieronymi, Augustini et multorum tum exempla, tum sententias, qui censuerunt ad enarrandas sacras literas, necessariam esse linguarum cognitionem. Quid quod ita Deus ipse iudicat, qui cum Evangelio linguarum cognitionem necessariam esse. Profecto enim contumeliose de divino munere sentit, si quis existimat nullum eius in Ecclesia usum esse. Et si istos nihil haec testimonia movent, Canones saltem audiant, quorum autoritas eis sacrosancta est. Extant decreta de linguis, extant et constitutiones in Synodis factae, quae celeberrimis Academiis de docendis linguis praecipiunt. Cur haec magna autoritate constituit Synodus, si id studium Ecclesiae non est utile?

Audivi Gregorium Tifernaten ante annos sexaginta venisse Parisios, et a Senatu Academiae stipendium postulasse, quod ibi Graecas literas docere constituisset. Cumque nonnullis inciviliter facere videretur, quod stipendium flagitare ausus esset, cum Senatus Academiae neque accersisset eum, neque significasset se ipsius usurum opera, neque omnino lectorem Graecum haberet ullum; erant enim adhuc in Gallia, ut apud nos, Graecae literae ignotissimae. Quare cum interrogaretur, quod hoc regnum esset, Senatui Academiae quasi imperare stipendium, hic homo paratus citavit constitutionem de linguarum studiis, in qua nominatim mentio fit scholae Parisiensis. Senatum adeo non offendit haec libertas, ut etiam magnopere collaudaverint hominis consilium et studium; stipendium magno consensu decretum est. Neque vero id facturus erat Senatus Parisiensis, si constitutionem illam pontificiam non probasset, aut hoc studium iudicasset Ecclesiae inutile esse. Sed desino hac de re longius disputare, cum Erasmus iustis voluminibus ostendat, linguarum cognitionem ad sacrarum literarum interpretationem necessariam esse. Et meministis, hoc ipso in loco non solum hortari vos, sed etiam severe castigare inertiam atque ignaviam nostram D. Doctorem Martinum. Si tantum huius iudicio tribueretis, quantum ipsius et excellens doctrina et usus postulat, profecto multo avidius et peregrinas linguas disceretis et multo plus operae collocaretis in haec eloquentiae studia. Sed quia Theologia nunc in odio est, iuventus ubique cum sacris literis abiicit linguarum et eloquentiae studium, et eas artes amplectitur, quae vulgo vendibiliores et magis quaestuosae sunt.

Neque vero vitupero alias artes; nam Respub. habet opus magna varietate artium, quemadmodum vere dictum est. Non fit civitas ex Medico et Medico, sed ex Medico et Agricola. Sed illi reprehendendi sunt, qui aut abducunt omnes a sacris literis, aut cum se dediderunt aliis artibus, nullam studii partem in sacris literis collocandam esse censent, et ut video, nos irrident omnes, atque etiam insanire putant, qui non in totum abstinemus a sacris literis.

Sed de his nihil hoc loco dicemus, qui cum adversus Deum impii sunt, tum in Ecclesiam crudeles, qui quantum in ipsis est, universam religionem abolent; cum aliis moderatioribus disputabo.

Primum ita cogitare velim bonos adolescentes, religionis doctrinam ad omnes pertinere. Et quemadmodum ille dixit, homines non solum sibi, sed etiam patriae nasci, ita ego multo verius dicere possim, omnes bonos ita sentire oportere, praecipue natos se esse Ecclesiae. Itaque etiam si quae rationes probabiles vocant nos ad alias artes, non enim vitupero eas, tamen doctrina Christiana non est negligenda. Aliquid temporis ac studii huic quoque tribui oportet, tum ad animos nostros confirmandos, tum vero ut praeparemus nos ad publicam Ecclesiae utilitatem. Fuit in foro, in iudiciis Ambrosius, interim tamen et sacras literas legebat, et Graecos Theologos cum Latinis coniungebat.

Deinde linguarum cognitio non tantum Theologis prodest, habet egregias utilitates etiam in aliis artibus, quod quomodo velim intelligi, quaeso attendite, ne quis putet me detrahere aliquid de aliarum professionum dignitate. Sic enim statuo, hos, qui ad Medicinam aut Iuris doctrinam accessuri sunt, praeformandos esse quadam libe-

rali doctrina, quae et Philosophiam et antiquitatis noticiam continet. Adhibenda est etiam dicendi exercitatio, quibus rebus ingenia et ad suavitatem atque humanitatem formantur, et acuuntur atque instruuntur, ut percipere et tractare artes alias foelicius possint.

Si quis autem existimat Philosophiam perfecte cognosci posse sine Graecis literis, hunc sane patiar sua opinione beatum esse. Sed res loquitur ipsa, quantum intersit inter Aristotelis interpretes Graece doctos, et illos ineptos, qui cum res gravissimas ab ipsis autoribus traditas explicare non possent, novum quoddam doctrinae genus pepererunt, plenum prodigiosis somniis, quod nullum in vita aut communibus negociis usum habet. Deinde iniuriam Philosophiae facit, quisquis eam tam angustis finibus circumscribit, ut nihil ei tribuat, nisi illa vulgaria praecepta, quae in scholis ex Aristotele traduntur. Ego vero ut iam non dicam de Mathematicis disciplinis, cognitionem antiquitatis, poëmatum et historiarum, vel praecipuam partem Philosophiae esse statuo. Haec enim continet humanitatis doctrinam, cum proponat omnium officiorum praecepta atque exempla.

Nihil accidere potest in vita privata, aut in Repub. cuius non extet imago aliqua in historiis sapientissime scriptis. Plurimum autem, meo iudicio, prodest accessuro ad res magnas gerendas, intueri in illas imagines velut in speculum et videre consilia, ac bonorum et malorum consiliorum eventus. Praeterea multa sunt in ipsis negociis tum prophanis, tum ecclesiasticis, quae sine antiquitatis cognitione neque intelligi, neque iudicari possunt. Quoties de Imperiorum mutationibus dicendum est? quoties in Ecclesia requirendae sunt veterum contentiones de rebus maximis? Haec sine Graecis et Latinis literis nullo modo cognosci possunt. Et quidem ecclesiasticae res tantum Graece scriptae sunt. Caeterum varietate et copia rerum atque exemplorum longe vincunt Latinos tum Poëtae, tum Historici Graeci. Nam Romani domesticas res tantum ornare studuerunt; at Graeci omnium gentium atque Imperiorum historias complexi sunt, easque ita descripserunt, ut verius philosophentur in ipsorum negociorum atque consiliorum expositione, quam illi qui in scholis nuda praecepta tradunt, ac vere Philosophiam ex umbra in solem ac pulverem educunt, hoc est, usum eius in vita atque negociis ostendunt.

Haec doctrina etiamsi tantum propter suavitatem expetenda esset, tamen satis magna causa esset, cur Graece disceremus. Quae enim potest esse voluptas magis digna praestantibus ingeniis, quam ea quae percipitur ex illa ipsa cognitione maximarum rerum? Et quoniam voluptates ipsae aliquo modo ad mores pertinent, traduci ad humanitatem et suavitatem hac delectatione animos arbitror.

At vero nos non tantum de voluptate disputamus, de fructu ac necessitate loquimur, quia sine hac liberali doctrina, quae praecipue Graecis literis continetur, nemo satis idoneus est vel ad caeteras artes tractandas, vel ad res magnas gerendas. Non sunt in hoc omnia. Sed tamen si quid omnino doctrina vel ad excitanda ad virtutem, vel ad conformanda ingenia proficit, non dubito affirmare, eam ad rem plurimum conducere hoc doctrinae genus, de quo loquor. Illud certe negari non potest, ad caeteras artes tractandas requiri hanc doctrinam. Nam et Medicina magna ex parte Graeca est, et sine Philosophia percipi non potest. Et si hi qui se dediderunt Iurisconsultis, non tantum illam forensem Rhetoricam auferre student, ut eam ad quaestum conferant, sed doctrinam expetunt futuram usui Reipub. et ut ipsi loquuntur, non simulatam Philosophiam: his ut possint cum decoro tueri personam suam, profecto etiam alia quadam doctrina opus erit, videlicet, religionum scientia, noticia antiquitatis, eloquentia et illis literis, quae cum fontes legum contineant, non minus in consilium adhiberi solent de communibus officiis, quam ipsae leges.

Sed sunt quidam iuvenes, qui cum propter ignaviam fugiant discendi laborem, subito irrumpunt ad summas professiones, quarum titulos praetexunt suae ignaviae. Hi ut iudicio videantur has artes aspernari, haec nostra studia vituperant. Qui siquidem ita libet, fiant sane Solones meri sine Grammatica, sine Dialectica, sine cognitione religionum, sine eloquentia, sine Philosophia, denique sine humanitate ulla. Verum hoc miror, quo isti ore aspicere legum libros audeant, quarum autores apparet praeclare instructos fuisse his ipsis artibus, de quibus dicimus. Quam multa ex Graecis et Latinis historiis repetunt? Quam reverenter assurgunt Homero, quoties eius sententias velut oracula citant? Alicubi pronunciant ex verbis Demosthenis, alicubi ad verbum transscribunt Platonis dicta. Et quidem recentiores Doctores

disputant, valere in causis Philosophorum ac Poëtarum autoritatem, quia maiorum instituta, moresque et gravissimas rationes honestorum officiorum, denique vim omnem iuris naturalis sapientissime describunt. Quae tandem impudentia est, eas literas contemnere, de quibus ipsi legum conditores honorificentissime sentiunt?

Proinde modesta et bona ingenia adhortor, ut cum professionis magnitudinem, ad quam se contulerunt, considerabunt, exemplo suorum autorum cogitent aliquid studii his nostris artibus ac literis impertiendum esse. Cum caeteris nolo pugnare, qui non solum nostra iudicia, sed etiam suorum autorum exempla aspernantur. Alia enim alii bona ducunt, ut vere inquit ille: *Ἀνάχαρσις παρὰ ἀθηναίοις σολοικίζει, ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις.* Nihil isti afficiuntur suavitate earum artium, quas nos miramur, nec nos ab optimarum rerum studiis istorum iudicia abstrahent.

Atque ita cogitate Adolescentes, cum in studiis versemini, constantiam ac fortitudinem vobis etiam adhibendam esse. Neque enim sine fortitudine coli aut retineri virtus ulla potest. Quare non patiamini vobis harum nostrarum artium et linguarum studia praeposteris vulgi atque indoctorum iudiciis excuti: durate et vosmet rebus servate secundis; cur enim non utar fortissimi viri verbis apud Poëtam, praesertim in causa multo maiore? Nam ille sedes sibi ac sociis quaerebat. Vestra studia ad universam Ecclesiam et ad omnem posteritatem pertinent. Quae autem causa existere maior ulla potest, quam quae salutem Ecclesiae continet?

Saepe audivi Capnionem, cum Romam a Principe Palatino certi negocii causa missus esset, venisse in Argyropyli auditorium, qui tunc Romae magna cum laude Graece docebat. Cumque Capnio reverenter salutato Argyropylo in consessu multorum doctissimorum hominum exposuisset ei, se hominem Germanum incensum studio Graecarum literarum, gratulari sibi eam fortunam, quod occasio audiendi ipsius contigisset, quo illis quidem temporibus nemo in Philosophia et Graeca lingua doctior praedicaretur, orassetque, ut sibi audiendi potestatem faceret: delectatus Argyropylus oratione Capnionis, cum operam suam benigne pollicitus esset, interrogat, an attigerit antea Graecas literas. Capnio ait, se Basileae in Germania audisse linguae elementa. Enarrabat autem forte Argyropylus Thucydidem, hunc exhibet illi, ac iubet legere, deinde etiam interpretari. Cum autem et suaviter pronunciaret Capnio (audio enim perstudiosum fuisse recte pronunciationis) et sententiam sic satis Latine redderet, ibi vero Graecus ille admirans, convertit se ad auditores, et exclamans: Ecce, inquit, Graecia nostro exilio transvolavit Alpes. Quod quanquam ille vere dixit, nam exules Graeci accenderunt haec studia apud Latinos, tamen vos ita existimare debetis, divinitus accidisse, ne infusis in Graeciam Turcis, ac deleta natione Graecorum, lingua etiam intercideret Ecclesiae imprimis necessaria; itaque in has nationes singulari Dei beneficio propagata est. Neque vero negari potest, plurimum lucis eam attulisse, cum aliis artibus omnibus, tum etiam sacris literis. Eloquentiae studia mirifice adiuvit; nam sine Graecis autoribus intelligi Latini scriptores non poterant. Aditum fecit ad Germanam Philosophiam. Neque tantum ad Aristotelem et Graecos Medicos, sed etiam ad optimos autores Mathematices. Quantum enim debemus his qui Eucliden et Ptolemeum Latine verterunt? In his expoliendis, et hoc toto genere artium illustrando, videmus postea Ioannem Regiomontanum civem meum, Graecis literis valde adiutum esse. Et nonnulli nunc quoque in Germania, qui excellunt Graecae linguae cognitione, studium conferunt ad ornandos eius generis autores. Boni viri sacras literas et amare magis et tractare purius coeperunt, patefactis fontibus.

Has artes, quas recensui, obruere ac delere tristius fuerit, quam solem e mundo tollere. Neque vero sine cognitione peregrinarum linguarum retineri earum possessio potest. Qua ex re facile iudicari potest, linguarum noticiam non esse leve aut vulgare Dei donum. Quae autem impietas, quod scelus est, tale donum, cuius usus tam late patet, aspernari, et divinitus illatum in has nationes rursus explodere atque eiicere? Leges publice atrociter puniunt sacrilegia; at maius sacrilegium est, Ecclesiam spoliare linguarum cognitione, quam aurea aut argentea supellectile. Haec enim coelestia dona Evangelio lucem afferunt, et verius sunt Ecclesiae supellex, quam ulla ornamenta aurea. Neque enim dubium est, quin ad hanc utilitatem Deus Evangelio addiderit donum linguarum, ut vocant, ut ad sacras literas explicandas conducant. Itaque sacrilegos istos linguarum contemptores putate in ipsas aras ac templa impetum

tanti furoris olim facere et vastitatem atque exitium religioni et omnibus honestis artibus minari, nec dubitate quin Deo poenas daturi sint. Nos vero si et Deo grati, et erga Ecclesiam pii esse studemus, agnoscamus Dei beneficium, et propter Ecclesiae utilitatem tueamur et conservemus. Si quem ab his studiis hoc deterret, quod non videntur labori respondere praemia, is non satis religiose de Deo sentit. Cum enim pietati toties ingentia praemia Deus polliceatur, non est de eius fide dubitandum. Alicubi promittit amplissimos frugum proventus, si populus liberaliter conferat ad usus necessarios templi. Quare nec nobis praemia defutura sunt, si studia nostra ad Ecclesiae utilitatem conferemus. Et est pietas, expectantem haec promissa, Ecclesiae utilitatibus consulere. Dixi.

No. 32. an. 1533.

Praef. in Hesiodum.

Apud Crat. Myl. p. 619 sqq., in Declam. T. II. p. 9., Servest. T. II. p. 9. et apud Richard. T. I. p. 211. — Ex Epistolis Vol. II. p. 631. intelligitur, Franciscum Burchbardum Vinariensem enarrasse hoc anno Hesiodum.

Praefatio in Hesiodum, a Francisco Vinariensi recitata.

Cum de enarrando Hesiodo deliberarem, inter caeteras difficultates quas mihi id negocii suscepturo propositas esse intelligebam, in mentem hoc quoque veniebat, non defuturos esse, quoniam non ita multo ante is Poëta in hac schola luculenter enarratus est, quibus, si relegeretur, fastidium repetitio adferret. Video enim non aliter atque vulgo aiunt, novas cantiones gratissimas esse, ita vos avidissime ad eos autores cognoscendos, qui minime noti ac pervulgati sunt, confluere. Quanquam igitur verebar, ut accepturi essetis poëma, quod gratiam novitatis paulo ante exuit, tamen confirmavit me eorum iudicium, de quorum consilio Hesiodum enarrandum suscepi, qui quod eius Poëtae cognitionem maxime frugiferam et liberali ingenio dignissimam esse statuebant, saepe relegendum esse iudicabant. Nam cum magnam utilitatem habeat relectio, et diligentius expendantur, et altius introspiciantur ea quae retractamus; sunt enim, ut scitis, *δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι*, fore arbitrabantur, ut neminem poeniteret, Hesiodum ex intervallo regustasse et propius cognovisse, cuius de omnibus officiis tam honesta praecepta sunt, tam multae sententiae, quae ad abditas et abstrusas in natura res cognoscendas faciunt, ut nunquam de manu deponendus videatur. Nam qui numerat potius quam longum catalogum autorum audierit, quam supputat quid ex quoque lucrifecerit, is sciat se in studiis infoeliciter versari. Neque vero multum utilitatis adferre scriptor ullus potest, semel tantum velut a limine salutatus. Et Hesiodum veteres non tantum putaverunt semel atque iterum legendum esse, sed ediscendum omnibus pueris, qui liberaliter instituebantur, ut Columella testatur, proponebant. Ego igitur his causis adductus sum, ut susceperim hunc Poëtam rursus interpretandum. Sed quoniam cupio vobis etiam persuadere utilem operam vos in eo repetendo sumpturos esse, aliquanto latius huius mei iudicii ratio mihi exponenda est, et dicendum, quomodo legere veterum scripta conducat. Qua de re dum dico, quaeso me diligenter attendite. Nam qui in discendo nihil aliud consilii habent, nisi ut multa legant, hi mihi tanquam via lapsi, toto coelo errare videntur.

Proinde sic statuo, paucos quosdam eosque optimos ex illo magno librorum numero eligendos esse, quibus a prima puericia innutriti, omnes eorum sententias, ut digitos ac ungues nostros, teneamus, et sermonem eorum, quam proxime fieri potest, nostra oratio referat ac redoleat. Animadverto autem hanc orationem in reprehensionem quorundam imperitorum, qui varietate lectionis doctrinae famam aucupantur, incursuram esse, qui me desidiam iuventutis novo quodam paradoxo alere vociferabuntur, cum audient me variam et multorum lectionem improbare. Ego vero si quam novam legem nullo autore, sine gravibus testibus ferrem, iure culpandus essem. Neque enim vel aetas mea vel eruditio, vel autoritas eiusmodi est, ut sumere mihi apud vos praecipientis personam ausim; verum ea quae a doctissimis viris tradita meminimus, quaeque mediocri harum literarum, in quibus versamur, usu cognovimus, in medium afferre officii nostri esse iudicavimus. Horatius ait: Vel si caecus iter monstrare velit, tamen adspiciendum esse, si quid moneat quod non sit inutile. Quare vos rogo, ne gravatim tam variis opinionibus eorum

qui discendi rationem tradunt, et meam sententiam audiatis, cui, nisi doctissimorum hominum testimonia suffragantur, non postulo ut accedatis; sin autem et locupletissimis testibus fidem fecero, et gravissimis argumentis ostendero, promiscuam illam variamque lectionem non perinde iuvare studia, ut quidam existimant, nihil erit opinor, cur mihi quisquam haec monenti succenseat. Sicut igitur prudentia est certum alicubi domicilium, certam sedem, certos habere lares, ita in studiis necesse est animum habere certos quosdam autores, ad quos se, quacunque de re disputatio inciderit, referat, quos penitus notos habeat, quosque de omnibus rebus in consilium adhibeat. Non vacat autem illi, qui in omnibus chartis excutiendis operam sumit, incertis aliquibus scriptis tantisper commorari, dum et penitus ea cognoverit, et ita imbiberit, ut plane in suam naturam verterit. Neque enim fieri potest, ut ait Xenophon, simul et multa quispiam faciat, eademque recte faciat omnia: non enim potest se mens intendere in diversa. Quare cum aliqua de re aut iudicandum est, aut dicendum, tum demum sudant illi, ac sentiunt in tanta copia quam sint inopes. Quia enim nullam certam supellectilem habent, unde depromant quae usus poscit, itur ad bibliothecam, quaeruntur indices, mutuantur a singulis autoribus sententiolas aliquot, quas cum in lucem proferunt, quia plerunque male cohaerent furta illa, nec inter se consentiunt, invenias pleraque illa nihil facere πρὸς ἔπος. Neque vero legere se putet autorem is, qui obiter tantum inspexerit ac salutaverit. Nam quemadmodum aiunt, amici sensum deprehendi non posse, priusquam cum eo multos salis modios ederis, ita diu multumque habendus est in manibus autor, iterum atque iterum evolvendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiae, illius verba sic insideant tibi, ut cum opus est, non procul accersenda aut quaerenda sint, sed ultro se tibi offerant. Contra, quemadmodum immodicus cibus, quia concoqui non potest, in crudos humores degenerat qui non modo non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant, ita cum multa legeris fortassis fiet, ut confusaneam quandam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit ac obruet ingenium quam perpoliet. Nihil enim certi, non res, non verba, in tanta varietate lectionis reliquum tibi facies. Verba undequaque emendicanda erunt, quoties dicere institueris, quorum mira dissimilitudo erit, neque magis inter se similes sententiae erunt ex variis locis autorum nullo iudicio aut delectu transscriptae. Denique in tota oratione velut aegri somniis vanae fingentur species, ubi non pes non caput uni est. Cum igitur haec incommoda secum afferat illa tumultuaria lectio, quid tandem rei est, cur non ingrediamur meliorem aliquam legendi rationem? cur non doctissimorum hominum praeceptis obtemperemus? Neque enim ignota est vobis sententia Plinii praecipientis, ut sui cuiusque generis autores diligenter eligantur; multum enim ut ait, legendum est, non multa, quod sic accipiendum esse nemo dubitat, saepe multumque eadem esse relegenda, nec esse distrahendum animum varietate autorum. Idem monet Seneca, certis enim ingeniis, inquit, immorari ac innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Non Delphicum ullum oraculum verius esse experiemini, si vestra studia ad calculos vocabitis et ratiocinabimini, quantum lucri attulerit aliquando unus autor ter aut quater relectus, et ad id conferetis ea, quae ex multis aliis libellis obiter inspectis in animo haeserunt. Intelligetis enim multo uberiores fructus vos ex uno illo libro, quam ex reliqua tota bibliotheca percepisse. Accedit huc, quod sicut alias artes imitatio docuit, ita in his nostris studiis, nisi ad aliquod certum exemplar dirigamus animum, nihil efficiemus dignum laude. Videtis enim eos qui sculpere, qui pingere, qui canere discunt, eligere aliquem magistrum, cuius esse quam simillimi studeant. Neque vero exigunt hanc diligentiam inferiores artes, et non flagitant eandem hae maximae vitae et regendarum Rerumpub. artes, in quibus vos versamini. Non enim satis intelligitis quid oneris sustineatis, si non cogitatis has literas ad quas adhibiti estis, comparandas esse tum ad privatam vitam recte instituendam, tum ad civitates regendas, ad iudicia tenenda, ad religiones conservandas, denique ad omnes vitae partes gubernandas. Quare si aliae mediocres, et tanquam secundae classis artes percipi non possunt, nisi ad certa exemplaria manus dirigatur, quanto minus has difficiliores consequemur, nisi proposuerimus nobis aliquem ad imitandum, quem tota mente atque toto animo intueamur, qui regat omnia consilia nostra, vel in dicendo, vel etiam in rebus gerendis. Nonne gravissimus Poëta Vergilius, cum significare vellet, quae esset optima ratio

Principis ad eximiam virtutem instituendi, fingit Evandrum adiungere adolescentem filium Aeneae, et praecipere gnato, ut inde a prima puericia Aeneam effingere et imitari studeat. Sic enim ad Aeneam ait, cum illi puerum commendat:

> sub te tolerare magistro
> Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
> Adsuescat, primis et te miretur ab annis.

Sensit enim Poëta artem illam imperandi, unam omnium longe praestantissimam, neminem adsequi posse, nisi se ad alicuius summi viri imitationem totum componat, cuius dicta, facta, consiliaque omnia ob oculos posita habeat, ad quae suum ipse cursum dirigat. Quanquam autem hae nostrae artes dignitate longe infra bene imperandi scientiam positae esse existimentur, tamen difficultate illi pares esse nemo dubitare potest, si modo expenderit, quanti negocii sit, tam multarum rerum cognitionem, praeterea mediocrem quandam facultatem dicendi et exponendi, quae recta esse perspexeris, parare. Est enim profecto una de difficilimis artibus vel mediocris eloquentia. Quaré si in levioribus artibus sine imitatione effici nihil potest, eloquentiam ne putabimus nos sine illo adminiculo consequi posse? Ciceroni non videtur; nam apud hunc Antonius ante omnia praecipit, ut eligamus aliquem, cuius nos similes esse velimus et summa contentione animi effingamus, atque imitemur in illo ea quae maxime excellunt, Quod si igitur imitatio tantopere necessaria est, nec imitari quenquam possimus, quem non penitus notum habeamus, non relinquitur dubium, quin diu legendi sint aliquot optimi libelli. Ut enim qui semel oppidum aliquod praetervectus est, non omnes urbis vicos, non civitatis mores, non hominum loci eius ingenia statim didicit, ita consilia ac sententias, aut sermonis compositionem in autore, quem semel percurristi, non statim animadvertere potuisti, sed diu in eo commorandum est, si voles altius introspicere. Iam ut eius aliquam similitudinem adsequaris, ut verba illius in promptu habeas cum opus est, ut sermonis compositio non sit illi absimilis, hoc vero sine perpetua lectione effici non potest. An non videmus pictores cum vultum alicuius depingunt, quam saepe respiciant ad exemplar? quam contentis oculis omnes lineas contemplentur? Ita nobis nunquam deiiciendi oculi erunt ab eo autore quem perdiscendum in manus accepimus, quemque imitandum esse aliquo modo duximus. Non disputo nunc de tota imitandi ratione, sed hoc monere tantum volui, oportere nos in his studiis nostris habere certas quasdam sententias semper ob oculos, ex quibus vel de moribus vel de rebus aliis iudicium faciamus, et ad quas referamus nos, quacunque de re disputabimus. Deinde quaedam struendae componendaeque orationis tenenda forma est et character, similis veteri et pure Latino sermoni, quorum utrunque deest istis, qui unum hoc studium habent per omnes autores grassandi. Nam cum sine delectu omnes sententias congerant, non potest fieri, ut habeant certas aliquas propositas, quas in iudicando sequantur. Deinde citius tota rerum natura mutabitur, quam fiet ut iusta orationis structura utantur hi, qui non ad aliquorum ex veteribus imitationem sese contulerint. Itaque videmus eorum orationem, qui quanquam multa legerint, tamen in componenda oratione, cum nullam veterem formam imitantur, persimilem esse mendici pallio, cui passim lacerato, omnis generis panniculi assuti sunt. Nam tota istorum oratio ex dissimilimis et verbis et sententiis congesta, alias longas habet circumductiones, alias abrupta quaedam et mutila membra, alias obsoletas et ab ultima antiquitate petitas figuras, quas non intelligat si reviviscat ipsa Evandri mater, alias vocabula nova et in media barbarie nata. Porro cum illa dissimilitudo obscuritatem pariat, et maximum vitium orationis sit obscuritas, quis tale dicendi genus non oderit? quis non fugiendum velis, ut ita dicam, et remis sentiat? Quae cum ita sint, quis non fateatur satius esse, paucos scriptores, sed optimos subinde legere, eosque familiarissimos nobis facere, quam tumultuaria lectione per omnia bibliopolia vagari, praesertim cum hoc vitii habeat ea res, ut in multos malos libros opera collocetur, unde velut contagione aut pravas opiniones, aut corruptum sermonis genus contrahas, quae postea dediscere immensi negocii est, praesertim si statim rude et recens ingenium infecerint. Nam si motus corporis vitiosus, qualem in Alexandro notaverunt, consuetudine duratus, corrigi postea nulla ratione potest, quae spes est ex animo perniciosas opiniones, cum iam alte radices egerunt, evelli posse, aut emendari sermonis vitia, quorum naturam tibi feceris? Danda igitur opera est statim ut optimis imbuamur, et perinde atque venena cavenda sunt et procul arcenda, quae sunt

optimis dissimilia. Habetis mei consilii rationem, cur ut quisque autor optimus est, ita saepissime relegendum esse existimem, quod quisquis sequendum sibi esse statuet, is re ipsa experietur unam hanc esse ad solidam eruditionem comparandam viam, aliorum vero laboribus ac vigiliis fructum minime respondere. Sed cum Hesiodum semper doctissimi homines plurimi fecerint, ex eo genere autorum mihi esse visus est, qui non semel tantum inspiciendi sunt; quare eum, quanquam non plane ignotum vobis relegendum sumpsi. Neque meum consilium reprehendetis, opinor, si cogitabitis, quantas utilitates, tametsi exiguus libellus, adferre queat. Et quia principio in omnibus negociis constituendum est, quae utilitas ex unoquoque genere laboris petatur, nos quoque monebimus, quid expectare ac flagitare commodi ex Hesiodi lectione debeatis. Est enim ex omnibus autoribus vel verborum vel rerum scientia petenda. Hesiodus autem Graece discentibus magnum vocabulorum numerum suppeditat. Et quoniam alicubi hilariores descriptiones continet, etiam hi qui Latine discunt ab eo quaedam honesta exempla copiosi sermonis, et rationem quandam ornandarum sententiarum mutuari possunt. Nam et si lingua diversa sit, tamen voluntate Graecis Latini, in disponenda, amplificanda atque illustranda oratione similes sunt. Itaque duo summi apud Latinos Poëtae, Vergilius et Ovidius, non modo locos eius quosdam imitati sunt, sed multos versiculos pene ad verbum expresserunt, quorum exempla nos commonefaciunt, quomodo ad nostros usus, non tantum certi quidam flosculi ex huiusmodi autoribus decerpendi sint, sed in omni sermone inveniendo prudentia, in explicando proprietas, perspicuitas, et copia, in disponendo diligentia imitanda sit. Sed de hac parte quia satis dici, nisi inter enarrandum conferantur Latina cum Graecis, et omnes figurae digito ostendantur, non potest, nolo in praesentia longior esse, sed in interpretatione velut in re praesenti indicabimus, quos locos hinc sumpserint scriptores Latini et quid imitari, quidque excerpere ipsi debeamus. Etenim tam etsi adpareat propter utilia praecepta magis quam propter verborum ornatum in admiratione hoc poëma fuisse, tamen quantumvis res salubres nemo legisset, nisi commendationem quandam habuissent ex genere sermonis, et gratiam elegantia carminis addidisset. Neque profecto vetustatem ferre potuisset, nisi rerum gravitati venustissimum genus verborum tanquam illecebras quasdam adiunxisset. Non est autem obscurum quantum amarint Graeci hoc carmen, quanta cura adservaverint, quia Pausanias ait se vidisse in Helicone antiquissimum monumentum plumbeas tabulas, in quibus hoc poëma scriptum fuerit. Sed venio ad alteram partem, et exponam quid ad rerum scientiam lectio eius conducat, in qua profecto non minus quam in verbis elaborandum est. Quia non modo inanis est oratio, nisi res honestas et utiles contineat, sed etiam copiam omnem dicendi rerum scientia genuit. Non Dii tantum mali permittant, ut cadat in eos eloquentia, qui nulla virtutis praecepta, nulla officia, nullas vitae leges, nullas religiones norunt, quique nullam naturalium causarum ac eventuum cognitionem habent. Nam et Horatius eum qui a rerum cognitione non satis instructus est, negat idoneum esse ad scribendum, cum ait:

Scribendi recte sapere est et principium et fons.

Et multis versibus exponit postea, quarum rerum scientiam requirat in eo, qui se disertum perhiberi velit. Proinde ita inducite animum, ut sentiatis vobis in hoc curriculo studiorum, primum magnam quandam et copiosam verborum supellectilem parandam esse, ut explicare, cum de gravibus rebus alii docendi a vobis erunt, cum dignitate res obscuras, eisque lumen addere possitis; deinde etiam omnium rerum percipiendam doctrinam esse, quae tum ad nostram vitam recte instituendam, tum ad orationem illustrandam conducunt. Etenim cum aut de natura rerum, aut de moribus, aut de religionibus in hac civili vitae consuetudine saepe docendi sint homines, erit plane ὄνος πρὸς λύραν, is, qui quanquam mediocris verborum copia in numerato sit, tamen res non satis perspectas et exploratas habet. Neque enim dicere quisquam de re parum nota perspicue potest, ut et apud Platonem Socrates inquit et saepe monet Cicero, et Horatius cum ait:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

significavit, fieri non posse, ut se ultro magno numero offerant verba, nisi causam bene meditatam habeas. Quod cum ita sit, non sunt praetermittendi libri, qui de rerum natura, aut de moribus praeceperunt. Neque tamen legendi omnes, sed eligendi optimi, quique alere eloquentiam possint, quia fere in barbaris scriptoribus non tantum sermonis spurcicies, sed etiam alia

vitia sunt. Plerique res quas profitentur non satis notas habuerunt, plerisque ratio docendi defuit, et si rerum peritia non defuerit, qua de re nunc longius dici non potest. Hesiodi autem prior libellus totus ἠθικὸς est, posterior dum agriculturae praecepta tradit, ortus et occasus siderum, multaque alia quae ad naturam cognoscendam faciunt, complectitur. Requiretis igitur ex priore libello morum praecepta, quoniam nisi certis legibus et sententiis moniti et adsuefacti, honesta a turpibus discernere didicerimus, et amplecti ea quae decent, fugere contraria conemur, recte institui vita non potest. Honestissimae quaeque gravissimaeque de omnibus officiis sententiae ob oculos esse positae debent, ad quas omnes vitae partes, velut ad Cynosuram cursum suum nautae dirigunt, comparemus. Sed quoniam Hesiodi praecepta quibusdam ideo parum probantur, quia gentilis homo videtur aliena et pugnantia cum nostra religione docuisse, hic error vulgo eximendus est. Quanquam autem longior est illa disputatio, quam ut hic explicari tota possit, tamen indicavi operae precium me facturum esse, si exponerem quae vis sit, quaeque autoritas eorum praeceptorum, quae tum Hesiodus, tum alii multi sapientes et docti viri cum animadvertissent, nobis a natura proposita esse, deprehensa exposuerunt, et in literas retulerunt, ut commonefacerent eos, qui propter infirmitatem ingeniorum aut aetatis, aut etiam consuetudine in tot malis exemplis depravati, cernere ipsi eadem non possent. Proinde sic statuemus, nihilo minus divina praecepta esse ea quae a sensu communi et naturae iudicio mutuati docti homines gentiles, literis mandarunt, quam quae extant in ipsis saxeis Mosi tabulis. Est enim in confesso humanae menti divinitus insculptas esse quasdam leges de moribus, quales sunt: Neminem laedendum esse; colendos esse parentes; bene merentibus habendam esse gratiam; Magistratibus parendum esse; alendos et defendendos esse eos qui nostrae fidei commissi sunt; pacta servanda esse. Has cum sani quidam homines deprehensas ostenderint imperitis, quid est cur non et vocemus divinas leges, et pareamus eis tanquam divinae voci? Neque ille ipse coelestis Pater pluris a nobis fieri eas leges voluit quas in saxo scripsit, quam quas in ipsos animorum nostrorum sensus impresserat, quasque, ut Paulus ait, in cordibus hominum scripserat, de quibus sic inter se omnes homines consentiunt, ut nulla tam fera barbaries sit, nulli tam perdite mali, qui non et sentiant et fateantur recta esse, quae illae sententiae praescribunt, quique cum non obtemperarunt, non ipsi peccatum accusent ac damnent suum, quique non vereantur numen existere aliquod, cui vel si nulli unquam mortales resciscant factum, poenas daturi sint. Nulla tam immanis natio est, quae non tacita maleficos, crudeles, ingratos oderit ac aspernetur, probetque ea quae societatem inter se generis humani devinciunt. Nam et hos qui hospites mactant, qui senes patres trucidant, qui nullam coniugiorum fidem colunt, si admoneantur, natura fateri cogit, indigna se hominibus facere. Iam in his qui sibi alicuius flagitii conscii sunt, cruciatus et terrores tanti mentem exagitant, ut adpareat divinam quandam vim esse, quae admissi sceleris pudere cogat, quaeque impendentis supplicii metum incutiat. Sunt igitur in humanis animis certae de moribus leges, quae tum privatam vitam regunt, tum constituere ac tenere Respub. iudicia exercere et societatem hominum defendere docuerunt. Et ut fatemur nos divinitus conditos esse ac propagari, ita dubitare non debemus, quin e coelo in hanc vitam attulerimus illas vitae leges, et illos igniculos, qui et ostendunt honesta et admonent semper praeesse numen et inspectare omnia hominum consilia ac facta, deque sceleratis supplicium sumere solere. Paulus alicubi huiusmodi sententias veritatem Dei adpellat, cum vellet significare has opiniones non errore quodam a maioribus per manus esse traditas, nec temere vel obrepsisse nobis, vel in animis haerere, sed adeo mentibus nostris infixas esse, ita, ut eiici aut erui nulla vi possint. Ego cum expendo autoritatem harum legum, et animadverto, quam religiose coli eas Deus postulet, commoveor profecto, et earum scriptoribus magis capior; agnosco enim non sine mente, ut ille ait, sine numine divum, haec ab illis nobis vivendi praecepta tradita esse. Quare non satis intelligunt horum scriptorum consilia, qui non perspiciunt unde tot honesta praecepta, tot graves sententiae manarint. De religione aliter docent nos Christianae literae, sed de civilis vitae consuetudine, communibus naturae praeceptis parere nos Christus voluit; neque vero nihil ad Christianum pertinet civilis vitae consuetudo. Non sunt igitur praetermittenda, si qua docti et periti homines ea de re monuerunt. Nullius autem Phi-

losophi commentarios Hesiodo praeferri velim, tanta est et gravitas in docendo et simplicitas. Illi saepe, dum ad vivum omnia resecare student, dum odiose rixantur, altercando veritatem amittunt. Nam, ut alia omittam, plerique Philosophorum, Deum administratione rerum submovent, negantque ei res mortalium curae esse. Neque animadvertunt, ab ipsa natura nos commoneri, esse aliquam mentem, quae haec humana regat, bonos servet, improbos puniat. Melius igitur Hesiodus, qui iniusticiae praeceptis flagitiosis gravissimas poenas interminatur, praemia bonis pollicetur. Venit mihi in mentem Luciani, qui, ut solet, per iocum cum Hesiodo expostulat, cur, cum pollicitus sit se scripturum *τάτ᾽ ἔοντα καὶ τὰ ἐσσόμενα,* praesentia et futura, nihil tamen praedixerit, nulla rerum futurarum vaticinia reliquerit. Ego vero non tam vaticinari duco Chaldaeos illos, quos vocant, qui praedicunt, uter in alea, seu ludo talorum victurus sit, aut etiam, qui tempestatum vices praevident, quam Hesiodum ex consiliis hominum exitus et casus coniectantem. Ea divinatio et ex certissimis orta causis est et bono viro dignissima, qua et multos alios et Platonem usum de Dionysio videmus, quando calamitosum tyrannidis exitum praedixit. Neque aliud praedictionum genus ad vitam utilius est: cui si Nero, si Domitianus et plerique alii fidem potius adhibuissent, quam vanis promissis ariolorum, in tantas calamitates non incidissent. Nos vero cum Hesiodum audimus commemorantem, quae supplicia improbis impendeant, non humana aliqua, sed divina voce nos a turpitudine absterreri et ad virtutem colendam invitari existimemus.

Dixi de argumento prioris libelli; posterior ortus et occasus siderum et pleraque *φυσικὰ* continet. Et quia solent in scholis quidam technici libelli de natura rerum proponi, quales sunt vel de sphaera commentarius, vel Aristotelis *μετέωρα,* vel de coelo; videtur mihi in his etiam aliquis locus Hesiodo tribuendus esse, quia temporum vices, ortus siderum, dierum spacia, mira diligentia annotavit, videturque inter primos apud Graecos Astronomiam attigisse. Nec eius artis contemnendus autor Aristoteli et Plinio visus est, qui aliquoties eius testimonium allegant. Est autem cum omnium naturae partium, tum maxime coelestium motuum et siderum perliberalis cognitio. Nec mihi iniuria Plato dixisse videtur, non homines, sed suillum pecus esse, quicunque nullo eius artis studio tenentur. Nemo enim fuit unquam sanus homo, qui etiamsi alias artes hominum industria excogitatas esse iudicaret, non videret tantam esse Astronomiae praestantiam, ut neminem nisi Deum autorem eius et repertorem faciendum putaret. Itaque et Manilius ethnicus scriptor, negat potuisse fieri, ut res tam procul a nobis positae deprehenderentur, nisi hominum animis divinitus monstratae essent. Sic enim ait:

Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut Diis cuperet Deus ipse videri.

Sensit enim quandam divinitatis similitudinem esse, illarum rerum noticiam potuisse consequi. Non libet autem hoc tempore utilitates huius artis enumerare, sunt enim propemodum infinitae et quaedam ita sunt ob oculos positae, ut etiam ab indoctis cerni queant.

Cum igitur Hesiodus gravissimarum rerum praecepta contineat, et ad mores formandos et vitam recte instituendam et ad cognitionem rerum naturalium conducat, quis non dignissimum lectu iudicare queat? Ego vero etiam saepe relegendum et ad verbum ediscendum esse censeo. An si in excellentibus picturis contemplandis nunquam oculi exaturantur, sed quo diutius in eis haerent, eo magis admiratio videndique cupiditas crescit, quis enim nostrum, quoties in templum venit, non toties resistit ad eas tabulas quas ibi vel Durerus, vel noster Lucas posuit, non idem accidat in egregio poëmate considerando? Truncum ac caudicem illum profecto dicere nihil verear, cui satis est semel aut iterum excellens et ornatum carmen legisse. Proinde, sicut apud Virgilium mirabili cupiditate ac laeticia intuetur coelo demissum clypeum Aeneas, et argumentum in eo celatum diligenter considerat, cum quidem eum non modo operis varietas, sed etiam illa rerum futurarum praestigia et commovent et detinent, denique

Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque interque manus et brachia versat.

Ita et nos nunquam satietas aut fastidium legendi Hesiodi capiat, sed in eum assidue oculos defigite, omnes locos diligentissime excutite, et sententias eius vobis ita familiares facite, ut quoties aliqua de re deliberabitis, in mentem vobis illa honestissima praecepta veniant. Multum etiam sermo

vester ab illo transferat ac mutuetur. Nos quidem quantum in hac ingenii atque eruditionis mediocritate praestare possumus, dabimus operam, ne quem poeniteat nobis enarrantibus hunc Poëtam operam dedisse. Dixi.

No. 33. an. 1534.

De gratitudine.

Apud Crat. Myl. p. 176 sqq., in Declam. T. I. p. 632., in Servest. T. I. p. 552. et apud Richard. T. II. p. 279.

Oratio de gratitudine M. Alexandri Alesii Scoti, Decani, in promotione Magistrorum anno M.D.XXXIV.

Etsi aliorum consilium, qui hoc loco de universa Philosophia deque omni ratione studiorum gravissime dicere solent magnopere probo, tamen quoniam in hac ingenii mei infirmitate intelligebam, me non posse tantarum rerum varietatem oratione illustrare, constitui de una quadam virtute dicere, digna cum bonis viris omnibus, tum vero praecipue harum nostrarum artium ac literarum studiosis, videlicet de gratitudine: quam ut deligerem, non solum publica causa adductus sum, etsi magnopere opto eam, cum vere sit maximarum virtutum nutrix, ab omnibus summo studio coli, verum etiam quaedam me privati ratio commovit. Etenim cum per iniuriam me patria pulsum, venientem huc ex alio orbe summa humanitate hospitio exceperitis, et annos iam aliquot amanter tegatis, valde laborandum mihi putavi, ut extaret aliqua gratitudinis meae significatio. Caius Caesar insignem hospitalitatis laudem tribuit Germanis, hanc ego in his meis erroribus et exilio meo comperi, vos et veteri instituto retinere, et in hac urbe praecipue exerceri pio quodam Christianae religionis studio, quae inter caeteras virtutes hospitalitatem coli praecipit et amplissime laudibus ornat. Quare gratiam hoc nomine habeo huic publicae dicendi consuetudini, quod aditum mihi ad universos vos patefacit et occasionem praebet diu optatam, vicissim meae voluntatis declarandae. Aptissimum igitur hoc argumentum meae personae esse iudicavi. Deinde non solum orationem meam, sed etiam exemplum arbitrabar profuturum esse, exuscitandi aliquos ad gratitudinem maiori diligentia praestandam. Agnosco autem me neque de virtute ipsa, neque de vestris meritis pro dignitate dicere posse, sed spero vos pro candore vestro officium hac in re meum probaturos esse, etiamsi eloquentia desideretur. Quare vos etiam atque etiam oro, ut hominis peregrini orationem bona cum venia audiatis, id beneficium etiam inter caetera quae mihi a vobis liberalissime tribuuntur, grato animo recensebo. Scitis autem Adolescentes, nullum officium iustius ac magis necessarium esse, quam habere gratiam benemeritis. Haec enim una vox est non solum eruditorum omnium, sed ipsius etiam naturae, quae mutus officiis homines inter se devinctos esse voluit. Quare ingrati cum haec naturalia vincula societatis humanae dissolvant, ipsi naturae bellum inferre iudicandi sunt. Etsi autem haec ipsa naturae lex divina quaedam vox est mentibus hominum inscripta, tamen et in sacris literis extant clara praecepta, quae nos ad colendam gratitudinem hortantur, et quidem gratis praemia, ingratis vero poenas divinitus proponi docent. Sic enim scriptum est: Non recedet malum a domo ingrati. Quare non solum natura ingratos tanquam immania monstra odit et execratur, sed etiam urget eos Deus iustissimis poenis. Proinde si naturam aspiciemus et quasi evolvemus animos ipsi nostros, si sacras literas consulemus, non solum videbimus quantum habeat ingratitudo sceleris, sed etiam constituemus, non esse dubitandum, quin Deo poenas ingrati daturi sint. Haec si considerabitis, ut vos praesertim decet, qui ad studia virtutum adhibiti estis, statuetis vos, et ut Deo et naturae pareatis, cum erga alios, tum maxime erga praeceptores vestros, et hanc Academiam gratos esse debere. Etenim cum nullum sit maius beneficium in terris, quam veritatis, et rectae doctrinae communicatio, profecto nullis plus debemus quam his, quorum labore, fide ac liberalitate res tantae tanquam in vita necessariae nobis contingunt. Neque enim ignoratis, vitam sine literis, sine religionis scientia, sine antiquitatis noticia, sine aliqua naturae atque honestorum officiorum cognitione non solum incultam, sed plane miserrimam fuisse. Denique etiam pecudum vita optabilior fuerit quam hominum, quamlibet affluentium omnium rerum copia, si cum illis tenebris coniuncta est impiissimis illis erroribus et vitiis ageret. Itaque facile iudicari potest, plurimum nos debere illis vitae ducibus, qui nos in lucem ex obscurissima caligine educunt, et bene beateque

vivendi rationem monstrantes maximis erroribus animos nostros liberant. Vetustas divinos honores decrevit illis, qui fruges et meliorem victum hominibus ostenderunt. Sed si recte aestimamus vera bona, multo melius de nobis merentur, qui optimarum rerum doctrinam nobis patefaciunt ac tradunt. Etsi ego quidem veterum historias ita interpretor, non victum, sed vivendi leges et disciplinam a summis quibusdam viris traditam esse, qui postea frugum inventores vocati sunt, ut significaretur, non minus ad tuendam vitam necessarias esse literas atque artes, quam fruges ipsas. Nec fieri potest, si vim ac dignitatem literarum intelligimus, quin pariter et artes et Doctores artium amemus, per quos haec coelestia munera divinitus ad homines propagantur. Nam illud etiam nobis considerandum est, non solum debere nos praestantibus Doctoribus propter assiduitatem, diligentiam, fidem et caeteras virtutes quae in Doctore fideli requiruntur, sed quoniam nulli fiunt artifices, nisi divino quodam afflatu, bonos Doctores, velut numina coelo demissa, et ut Plato vocat, tanquam Dei interpretes venerari debemus. Erratis enim, si artes repertas esse, nisi Deo monstrante, aut conservari posse creditis, nisi Deus artificum ingenia exuscitet. Quod si in parvis artibus, in Musicis ac Poëtis opus est divino motu, ut Poëta inquit:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Quanto magis opus est divino afflatu in illis summis artibus, in explicatione religionum, in eruendis causis naturalibus, in inquisitione motuum coelestium, in legibus et vitae officiis tradendis, in formanda oratione. Itaque ut caeterae sacrae res, ita et boni doctores singulari honore afficiendi sunt. Et si in his ad industriam accedunt caeterae virtutes, dexteritas in docendo, fides, assiduitas, qualis debet esse nutritionis, his vero par gratia reddi nulla potest. Nam si qui tales sunt, vitam discipulis impendunt, propterea quod non sine maximis curis ac laboribus assiduitas illa praestari potest. Quid quod interim negligenda est rei familiaris procuratio, perpetienda odia improborum, qui literas, qui religionis doctrinam, qui caeteras artes hostiliter oderunt? Videmus enim quae sit vulgi natura, quod fastigium sapientiae in eo collocat uno, quod ait Horatius:

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent.

Praeterea tyranni natura Philosophos oderunt. Neque vero tot difficultates, tot labores, tantaque pericula boni viri, qui possessionem literarum in scholis tuentur susciperent, nisi eos ut id facerent, quaedam vis amoris et erga vos, et erga Rempub. hortaretur. Necesse est autem plus quam ferreis animis praeditos esse eos, qui et beneficiis affecti summis, et amore vere patrio invitati, non redamant praeceptores. Cum igitur vobis hoc quidem tempore, Adolescentes, magna fide ac dexteritate tradantur in hac schola divinae atque humanae literae, primum dabitis operam, ut beneficii magnitudinem intelligatis, deinde ut praeceptoribus grati sitis. Dei beneficio haec schola multis doctrinae Christianae locis magnam lucem attulit, ac vix alibi usquam purius ac simplicius explicatur doctrina Christiana. Ad haec omnes Philosophiae partes proponuntur, et cum Physicen, quam sic vocant, habetis, tum etiam ostenduntur causae coelestium motuum, quae est omnium partium Philosophiae longe praestantissima, et ut Aristoteles inquit, maxime cognata divinitati. Atque hae Philosophiae partes eo magis amandae sunt, quod plurima monstrant et clarissima vestigia divinitatis in natura, quorum animadversio maximam profecto vim habet ad excitandos animos ad religionem et ad omnia virtutis officia. Nec desunt artes, quae formant iudicium de ratione dicendi: et ad has adhibentur optimi authores Graeci et Latini, non solum, ut genus sermonis illorum imitemur, sed etiam ut inde rerum cognitionem, philosophiam, antiquitatem, historias petamus. Nec vero video quid adolescentiae proponi melius atque utilius ad solidam eruditionem comparandam et ad formanda iudicia possit. Satius est enim profecto versari in Mathematis, in Aristotele, Plinio, Alberto, Pontano, Demosthene, Homero, Sophocle, Vergilio, Livio et similibus authoribus, quam in Tartareto et huius formae caeteris, qui et praestantissimae Philosophiae partem non attigerunt et illam quam profitentur, ut nihil aliud dicam, inutilibus disputationibus obruunt. Habetis et disputationes, in quibus iam annis aliquot vidimus explicatas res ad vitam utilissimas. Non enim proponuntur inanes λογομαχίαι, in quibus tantum de vocibus rixandum sit, sicut inter se corvi contendunt, libet enim uti Galeni verbis, sed agitantur controversiae, quae forment iudicium de religione, de Philosophorum sectis, de fato, de finibus bonorum, de

causis coelestibus et similibus locis. Utinam vero diligentiae praeceptorum in disputationibus vestra sedulitas responderet. Nam in hac parte praecipue deesse vobis adolescentes ipsi videmini, eaque causa est, ut et praeceptorum studia fiant ad disputandum languidiora. Magna virtus, egregia doctrina atque humanitas est et in aliarum professionum Doctoribus, Iureconsultis et Medicis. Deinde non solum doctrina praeceptorum fruimur, sed multis etiam aliis officiis singuli utimur. Quare,' ut aliquando finiam, adhortor vos, ut, quod est iustissimum et humanissimum, detis operam, ut praeceptorum erga vos benevolentiae, meritis, laboribus, assiduitati gratitudo vestra respondeat. Aristoteles scribit, Graecos templa gratiarum in mediis urbibus condere solitos, ut cives mutuae beneficentiae atque gratitudinis admonerentur. Ita et vos in mediis scholis collocata gratiarum templa existimate, cum de gratitudine auditis concionantes et sacros libros et auctores, qui vobis enarrantur. Scholas enim decet esse officinas, ut caeterarum virtutum, ita maxime gratitudinis. Nullum enim vitium magis pugnat cum natura et societate humani generis, quam ingratitudo. Nec de nihilo est, quod dixerunt veteres: Dixeris maledicta cuncta cum ingratum dixeris. Quid quod etiam immanissimis beluis indita sunt gratitudinis simulachra? Meministis leonem in circo reddidisse gratiam fugitivo, a quo vulnus ipsius curatum fuerat; turpissimum autem est nobis vinci iustitia et pietate a beluis. Laudantur et ciconiae in quibus pulli adultis, quae per aetatem nequeunt pabulatum exire, cibos afferunt. Ita vos quoque memineritis ἀντιπελαργητέον hoc est mutua pietate colendos atque fovendos esse praeceptores benemeritos. Postremo gratitudine impetrabitis, ut Deus magis faveat studiis vestris, eaque ad salutem vestram et totius Reipub. gubernaturus sit. Ut enim ingratos haud dubie puniet, ita gratos amat ac tuetur. Videtis quam ingens praemium addiderit quarto praecepto: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram; hoc est, ut totius vitae cursus faustus ac foelix sit. Idem locus concionatur de officio erga praeceptores, qui cum succedant in parentum munus et curas, loco parentum habendi sunt. Et si recte aestimamus, maiora beneficia a bonis doctoribus, quam ab ipsis parentibus accipimus. Nam doctrina religionis et aliarum honestarum rerum longe praeferenda est ipsi vitae. Recte igitur Iuvenalis:

> Dii maiorum umbris tenuem et sine pulvere terram,
> Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
> Qui praeceptorem sancti voluere parentis
> Esse loco etc.

Quare non minus crudeles sunt ingrati adversus praeceptores, quam qui parentibus ingrati sunt. Haec autem impietas praecipue a Christianis abesse debet, in quibus vel maxime eminere gratitudinem oportet, ut intelligantur etiam Christo grati esse pro iis beneficiis, quae ab eo infinita quotidie accipimus. Haec saepe multumque vobis cogitanda sunt adolescentes, ut animum ad gratitudinem excitetis, quod si feceritis, simul illud assequemini, ut literarum atque artium viro magis intelligatis. Cum videlicet expenditis beneficiorum magnitudinem. Deinde gratitudo flectet animos etiam ad caeteras virtutes; est enim fons iusticiae. Libentius etiam ac facilius parebitis praeceptoribus, si et vos ab ipsis amari intelligetis et vicissim eos redamabitis. Talem autem Academiam qualem vos habetis, ubi tanta discendi facultas est studiosis, ubi vere sunt fores, ut dicitur, ἄφθονοι musarum, non amare, animi est et a literis et ab humanitate abhorrentis: Vos autem parentum auctoritate, hoc est, divina auctoritate huc missi estis, ut et literas percipiatis, et animos ad virtutem et humanitatis officia assuefaciatis. Eaque in re non solum vestrae saluti consuletis, sed etiam a Repub. vos in hac statione collocatos putate, ut olim ex studiis vestris aliqua redeat utilitas. Et ad Ecclesiam et caeteras Reipub. partes otium putatis esse scholam, sed mihi credite, ingens negotium sustinetis, et quod ad universam Rempub. attinet. Quare vos hortor, ut propter gloriam Dei et salutem vestram, officium vestrum studiose diligenterque faciatis. Invitabit vestra gratitudo praeceptorum studia, ut et instructiores ad docendum accedant, et magis sint assidui. Reliquum est, ut et ego gratias agam amplissimis et doctissimis viris pro beneficiis in me privatim collatis. Quamquam autem haec commemoratio leve officium videtur, tamen quoniam significationem aliquam habet gratae mentis, praesertim cum fiat in loco publico, non duxi eam esse praetermittendam. Cogor autem verecundius de vestris meritis dicere propter modestiam vestram. Tantum illud dicam, me libenter profiteri, non minus me vobis debere, quam meis parentibus. Itaque vobis et habeo gratiam et polliceor me, sicubi potero re ipsa declarare animi gratitudinem, summa fide daturum

operam, ut intelligatis me officio meo non defuisse. Scitis Deo grata esse haec officia, quae in hospites conferuntur. Nam cum in mundo universa ipsius Ecclesia exulet, postulat, ut communes exilii aerumnas mutuis officiis, mutua benevolentia levemus ac mitigemus. Orabo itaque Christum, ut vos quoque defendat ac gubernet in his communibus periculis. Dixi.

No. 34. (an. 1534.)

Praef. in officia Cic.

Apud Crat. Myl. p. 716 sqq., in Declamat. T. II. p. 167. et apud Richard. T. II. p. 267. Enarravit Melanthon hoc anno librum Cic. de officiis.

Praefatio in officia Ciceronis.

Videntur mihi singulari consilio Graeci in definitione artis hoc posuisse, quod aliquam in vita utilitatem habere debeat. Nam omnes artes instrumenta sunt vel privatae vitae conservandae, vel regendae Reipub. Nec opus est hic enarrare singulas, et ostendere propter quos usus inventae sint, et a maioribus ad posteros magna cura transmissae. Illud magis est necessarium admonere, ut hi qui haec studia literarum ingrediuntur, initio considerent, quis sit harum artium finis, quae sit ex ipsis petenda utilitas, quod qui sciet et vim et dignitatem artium rectius cognoscet et prudentius eliget ea quae maxime prodest discere. Ad haec nunquam perfectam doctrinam consequuntur isti, quorum animus non prospicit certum finem studiorum, et vagantur temere ac sine ordine ac ratione per varias disciplinas *τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐνὶ τῷ βίῳ* finem seu utilitatem in omnibus artibus in primis spectandam esse probat ex ipsius artis definitione, quae et Quintiliani causa fuit, cur Rhetorices finem tam magna cura libro secundo capite decimo octavo quaesiverit.

Omnis autem doctrina aut rerum cognitionem continet, aut verborum et quia rerum notae verba sunt, prior est verborum cognitio, ad quam comparandam tametsi necessariae sunt artes, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, tamen sine exemplis artes ipsae sunt inefficaces. Ideo boni autores legendi sunt, ex quibus linguae phrasin discamus, ex quorum imitatione comparemus nobis eiusmodi genus orationis quod adhiberi possit ad graves causas explicandas, quodque lumen adferre rebus obscuris possit, si quando homines de magnis rebus, ut saepe accidit, docendi erunt. Nemo autem ignorat optimum dicendi magistrum esse Ciceronem. Verum hic libellus habet singulares dotes, multos continet locos communes, in iis est magna figurarum varietas, in iis autem narrationes, quae valde conducunt ad eloquentiam. Antonius apud Ciceronem ait nullam partem in dicendo difficilius effici quam perspicuam narrationem. Quare magnopere prodest egregia exempla narrationum tenere, quae nobis proponamus intuenda, ut in dicendo aliquam similitudinem illorum consequamur.

Primum ergo in huius operis vestibulo atque aditu cogitabit auditor hanc lectionem profuturam esse ad alendam verborum scientiam. Itaque cum universam orationis seriem ac phrasim observabit, tum excerpet tanquam flores insignes figuras ac iucundas narrationes et sententias maxime memorabiles, nam omnino danda est opera, ut aliquid inde ad nostrum usum transferamus, ut nostra oratio locupletior ex hac fiat: non enim obiter inspicienda sunt haec opera, sicut tabulas praeclare pictas et ad spectandum propositas tantum voluptatis causa contemplamur, nullam inde partem nobiscum auferimus, sed ita contemplemur, ut amoenissimos hortos, in quibus sparsim decerpimus fructus aut flores qui maxime delectant. Altera de rerum cognitione deliberatio esse debet, quarum rerum scientiam hinc auferre possumus. Prodest autem quendam artium ordinem tenere animo comprehensum et fines atque usus illarum videre. Aliae de natura rerum disputant, aliae continent religionem, aliae rationem regendae Reipub. et iudicandi forenses controversias, aliae continent praecepta de moribus civilibus in omni vitae genere necessaria. Cum itaque legimus aliquid, expendere debemus ad quem ordinem artium pertineat: Utrum in administratione Reipub. profuturum sit, an privata vita et haec deliberatio non modo excitat studia et acuit curam discendi, sed etiam ad ipsas artes rectius intelligendas ac percipiendas plurimum confert. Facilius enim percipiuntur illa, quorum quasi regiones quam late pateant et metas deprehendimus. Pertinet autem hic libellus Ciceronis ad Philosophiam moralem, continet enim definitiones virtutum, et sunt addita definitionibus multa praecepta

de moribus civilibus, atque haec magna ex parte Oratorio more, populari genere orationis, ut intelligere ea et in communi vitae consuetudine imitari homines praediti communi sensu possint; nam exiles disputationes, quales sunt apud Aristotelem, doctrinam quidem continent non illiberalem, sed subobscuram et propemodum consulto recedentem longius ab imperitorum intellectu atque iudicio. Hae definitiones facilius intelligi et ad quotidianum usum vitae accommodari possunt. Porro hoc in confesso est, necessarium esse omnibus quandam de moribus doctrinam et descriptionem virtutum, ut in nostris moribus et in hominum negociis iudicandis intelligere possimus, quid deceat, quid non deceat, quae sunt recte, quae secus facta. Tenere ergo formas et imagines virtutum oportet, quas in omnibus consiliis, in omnibus negociis iudicandis sequamur. Atque haec doctrina proprie vocanda est humanitas, ac recte et civilem vivendi rationem ostendit omnibus aetatibus, quam qui non norunt, parum admodum distant a bestiis. Quamquam autem aliis locis magis fortasse convenit, ostendere quod sit discrimen huius doctrinae et Evangelii, tamen et haec duxi hac de re admonendos esse auditores, ut eximatur eis error, qui iam istorum animos occupavit, haec Ethnicorum scripta indigna esse quae Christiani homines legant, et Philosophiam procul fugiendam esse Christianis. Itaque breviter hac de re sententiam nostram exponemus. Philosophia nihil adfirmat de voluntate Dei, nihil praecipit de timore et fiducia in Deum: haec proprie ad Evangelium pertinent. Sed praeter haec civilis vitae praecepta, necessaria sunt, quae doceant quomodo homines inter se tranquille vivere possint: haec in Philosophia traduntur, et a viris excellentibus causae eorum in ratione positae deprehensae sunt. Neque existimandum est, Christum venisse in mundum ut haec praecepta traderet, aliud quiddam de voluntate Dei et de fiducia in Deum exposuit, quae ratio humana non potuit deprehendere. Interim tamen et civilia officia vitae approbat Deus et requirit ab omnibus aetatibus, hac disciplina coherceri vult homines non aliter atque Magistratuum legibus et institutis, quae cum iis praeceptis magnam habent cognationem, nam ex iis tanquam ex fontibus omnes leges et omnia iura Magistratuum nata sunt et ob hanc causam magnam habet utilitatem haec doctrina, quia cum ostendat causas legum et publici iuris, multum adiuvant ad intelligendum omnes de civilibus rebus disputationes. Ut igitur decet Christianos hanc civilem societatem colere et adiuvare, ita haec doctrina de civilibus moribus atque officiis cognoscenda est. Non est pietas, Cyclopum more vivere, sine iure, sine legibus, sine doctrina, sine aliis vitae praesidiis quae continentur literis. Quare isti qui vituperant Philosophiam, non tantum belligerantur cum natura humana, sed etiam graviter laedunt Evangelii gloriam, quod iubet ut disciplina civili homines coherceantur, et maximis praemiis ornat natura honesta instituta, quae continent civilem societatem hominum. Non ergo contemnendi sunt Philosophi et alii scriptores qui honesta vitae praecepta tradunt, sed diligenter legendi, ut acuant iudicium de civilibus negociis et moribus. Multa poterunt monere viri sapientes in Repub. versati, quae usu cognoverunt, quorum cognitio nos reddet cautiores in magnis rebus gerendis. Exposui quid hi libelli et ad verborum copiam et ad rerum scientiam conferant, nam et copiam sermonis alunt et firmant iudicium de moribus, quorum utrunque valde necessarium est in vita. Sed est alia quaedam utilitas horum libellorum, quae ad eloquentiam pertinet, quae vel meo iudicio vel praecipua est. Omnes docti viri praecipiunt, ut locos communes habeamus instructos, ex quibus sumamus orationem de honestis rebus, quoties opus erit. Nam omnia negocia in vita, iudicantur ex locis communibus virtutum et vitiorum, eamque ob causam ad illos referenda est oratio, de quocunque negocio instituta fuerit. Hic primum prodest locos perfecte cognitos habere, nam res ipsae perfecte cognitae, gignunt orationem, sed magis etiam prodest habere in promptu sic tractatas et ornatas a Cicerone, ut inde verba atque ornamenta mutuari possimus, aut certe imitari. Quid enim agit hic aliud Cicero, nisi ut locos communes, hoc est, virtutum definitiones colligeret? ad quas revocanda sunt omnia civilia negocia, de quibus dicendum est. Si scribis epistolam, in qua agis gratias amico bene de te merito, quam multa ornamenta suppeditabit Cicero in illo loco, qui continet praecepta de gratitudine? multae ibi similitudines, multa argumenta sunt quae ad usum nostrum transferre possumus. Si in deliberatione incidat utilitatis cum honestate contentio, ut saepe fit, quam multa sumi poterunt ex tertio libro? Quid gravius in tali controversia dici potest historia

Cyrsili, quem cum Athenienses dantem utile consilium, sed inhonestum, lapidibus obruissent, mulieres etiam Athenienses eius uxorem lapidaverunt: tantam esse vim honestatis Athenienses voluerunt, ut novo exemplo putarent in eum animadversum esse, qui utilitatem anteferendam esse iudicasset honestati. Talia ornamenta apte translata [in] nostram orationem, non modo gratiam, sed etiam autoritatem conciliant. Supra dixi de verbis et sententiis excerpendis, haec vero maior erit utilitas, integros locos ordine cognoscere, et eorum formas tenere, quas vel imitemur, vel usurpemus cum opus erit, quia cum omnia negocia in vita referuntur ad tales locos, necesse est ut copiose instructos atque paratos habeamus, ac sicubi deerunt hae opes, is nullam causam neque recte iudicare, neque clare exponere poterit. Dixi.

No. 35. an. 1535.

Dignitas astrologiae.

Apud Crat. Myl. p. 418 sqq., in Declamat. T. I. p. 376., Servest. T. I. p. 325. et Richard. T. I. p. 478.

Oratio de dignitate astrologiae, dicta in promotione Magistrorum a Iacobo Milichio, anno M. D. XXXV.

Optime institutum est, ut in his spectaculis de dignitate artium et de virtutum laude dicatur, quod ea oratio cum ad formanda iudicia iuventutis, tum ad accendendos animos ad amorem bonarum rerum, magnam vim habet. Etsi autem praecipue solet ad iuventutis utilitatem hoc loco accommodari oratio, tamen ne caeteris quidem ullam acroama est iucundius, quam artium et virtutum encomia, quas ut quisque intelligit, ita vehementissime admiratur. Quare etsi oratio nostra aptior futura erat iuventuti, tamen ne vobis quidem ingratam fore confido, quorum quo maior est eruditio et prudentia, eo magis delectari vos cogitatione ipsa artium arbitror. Dicam autem de ea parte Astrologiae, quae de syderum effectibus in natura inferiore disputat. Idque argumentum eo sumpsi libentius, quia mihi non in turba imperitorum, sed apud homines doctos et Philosophiae deditos, dicendum esse intelligebam. Ut autem Graeci Rhetores summa prudentia in definitione artis dixerunt artem non solum oportere veram noticiam esse, sed addiderunt etiam oportere utilem ad vitam esse: ita ego utrunque disputabo, et veram esse doctrinam de coelestibus effectibus et magnas ad vitam utilitates afferre. Atque hic principio a vobis peto, quod aequissimum est, ne conferatis in artem errata artificum, qua de re longius mihi dicendum esset, nisi apud eruditissimos homines haberetur oratio. Sed aliud est crimen, quod etiam apud doctos detrahit fidem arti, quod videlicet in hac infinita casuum humanorum varietate, ars ipsa non praevidet omnia. Negant igitur homines acuti artem, hoc est, universalem et perpetuam doctrinam existere posse ex particularibus paucorum eventuum observationibus, quasi vero aut Medicina morbos curet omnes, aut politica sapientia omnes Rerumpub. tempestates prospicere, mederi omnibus incommodis possit. Et tamen concedendum est, multa utriusque artis vera et firma praecepta esse, et ad vitam utilia. Ita sunt huius divinatricis verae quaedam et perpetuae significationes, pauciores fortasse, nihil enim dissimulo, quam Medicorum, nam haec ars versatur in rebus procul positis a nostro conspectu; et cum hominum temperamenta moresque diiudicet et vaticinetur de futuris maximarum in vita rerum mutationibus, divinitas quaedam esse videtur. Quare etiamsi non tam multae sunt huius artis demonstrationes, quam caeterarum leviorum artium, artis hoc magnitudini tribuatur. Et quidem eo maiore cura quantulumcunque est huius artis, quod superi monstrarunt hominibus, conservari debet, eo maiore studio intendenda mens est in has significationes, quae compertae sunt, nam harum quoque maxima vis est, et multiplex in vita utilitas. Non solum inepti, sed etiam improbi sunt, qui falsis persuasionibus ornare aut amplificare artes conantur. Ego ingenue profiteor, non omnium eventuum significationes compertas esse, sed idem affirmo multas esse certas minimeque fallaces significationes, quas si quis animadverterit, magnum ad regendam naturam et plerosque fortunae impetus gubernandos, adminiculum habet. Extenuat hanc artem et Favorinus apud Gellium, et dicit pauca quaedam praevideri παχυμερέστερον, non solum non repugno, sed etiam plausum do, quod ait παχυμερέστερον, amplissimo praeconio ornavit artem, siquidem quaedam in natura aut moribus praecipua animadverti posse inquit: At ex his homines sagaces plurima postea iudicant. Videtis in moribus quam multa

coniiciantur ex uno aliquo gestu aut cachinno. Ita cum certae notae quarundam praecipuarum rerum sint impressae naturae, multae ex his postea coniecturae sumuntur. Fortassis autem non esset ars ducenda Astrologia, si tantum constaret coniecturis; nam ars est eorum quae non fallunt. Verum et haec ipsa ars, ut Medicina et Politica, primum certis observationibus constat, postea ex his multae oriuntur coniecturae. Vidit Astrologus in genesi Catilinae diros positus atque aspectus Planetarum, qui significabant animi crudelitatem, audaciam, praeposteros mores, inquieta et infoelicia consilia. Fac non potuisse certo praedicere, Catilinam Cicerone Consule moturum esse seditionem, deinde futurum, ut in acie in Apennini radicibus interficeretur; at animadversis illis infaustis significationibus, quae quidem sunt certae, coniicere potuit, futurum civem turbulentum, seditiosum et vitae futurum exitum tragicum. Ita insignia quaedam in temperamentis ac moribus *παχυμερέστερον* iudicari possunt, quae non fallunt. Non igitur eo aspernanda est haec ars, quia non omnia praevidet. Quam pauca certa sunt in caeteris optimis artibus, et ut iam non de Medicina aut de Politica dicamus: num ideo tota doctrina de Meteoris vituperanda est, quia paucas habet demonstrationes, postea plurima conficit coniecturis? In ipsa agricultura quam saepe fallimur, num ideo non sunt colendi agri? Quin potius utamur artium beneficiis, et consideremus quousque humana mens progredi possit. Me quidem non solum utilitas in his artibus delectat, quam in medendo et in aliis rebus animadverto, sed multo magis hoc, quod cum hunc mirificum consensum corporum coelestium et inferiorum contemplor, ipse me ordo et harmonia admonet, mundum non casu ferri, sed regi divinitus. Haec respondere volui ad vulgare convitium, priusquam de arte dicerem. Est autem initio veluti definitio quaedam constituenda Astrologiae, ut eam a superstitiosis divinationibus, quas Ptolemaeus *ἀναπολογήτους* vocat, separemus. Astrologia pars est Physices, quae docet, quos effectus astrorum lumen in elementis et mixtis corporibus habeat, qualia temperamenta, quas alterationes, quas inclinationes pariat. Et quia inclinationibus saepe mores, studia, consilia, casus respondent, ut ille inquit:

Naturae sequitur semina quisque suae.

Ideo horum quoque significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sydera habere aliquos effectus, plane concedendum erit, hanc artem esse Physices partem, perinde ut praedictiones Medicorum. Nec ego nunc de hac parte prolixe disputabo, sed unum Galeni oraculum in hac causa recitabo, qui non solum reprehendit, sed etiam graviter obiurgat illos, qui negant inferiora corpora affici a lumine coelesti, et inquit, sophisticum esse, negare manifestam experientiam. Ergo et fatetur se experientia victum, tribuere magnam vim lumini in inferioribus corporibus, et eos qui dissentiunt, severissime taxat. An dubium est vices aestatis atque hyemis effici Solis accessu et discessu, Solis lumen calefacere et desiccare, Lunam humectare. Haec si manifesta et perpetua sunt in his duobus clarissimis syderibus, cur caetera putemus frustra condita esse? Iam perpetua experientia testatur, insignes coniunctiones habere insignes effectus, idque in tempestatibus palam apparet. Vidistis concursum Planetarum in humido signo, anno vicesimo quarto, intumuerunt ubique omnes aquae, humidae tempestates totius biennii fuerunt. Hac aestate pluvias crebriores omnium opinione et insalubres tempestatum variationes attulerunt, Iuppiter in Piscibus, Mars in Tauro. Possem alia multa exempla recitare, si temporis angustia non prohiberet. Nec vero dubium est, ut Solis et Lunae, ita caeterorum Planetarum lumen variare tempestates, et aërem et corpora nostra afficere. Res ipsa loquitur in herbis, in metallis, denique in contemptissimis rebus maximam vim esse, et iure laudatur illud veteris Poëtae:

ὄττι καὶ ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Quod cum ita sit, cur putemus frustra condita esse illa pulcherrima lumina, cum quidem nulla sit natura praestantior aut efficacior lumine? Quin ipse leges motuum nonne significant temperari lumen Solis et Lunae, caeterorum Planetarum aspectu? Mercurius et Venus nunquam procul a Sole discedunt. Superiores Planetae ita discedunt, ut tamen in epicyclis ad medium apogeon cum Sole semper congruant. Postremo et Hippocrates testatur tempestates excitari et variari vi syderum. Et dissimilitudinem non solum regionum, sed etiam ingeniorum ac morum in diversis regionibus docet oriri a coelestibus causis. Haec cum sint certa, constat artis initium verum ac certum esse, videlicet, quod lumen coeleste magnam vim habeat in elementis et mixtis temperandis et alterandis. Deinde et hoc manifesta temperantia testatur, lumen Planetarum dissimile esse: Saturni melan-

cholicum, Iovis temperatum, Martis cholericum, Solis vivificum, Mercurii siccius, Veneris et Lunae humidius. Et haec varie posita miras mixturas efficiunt, ut cum in medicamentis variae herbae miscentur, in cantu voces. Haec dixi brevius, non solum quod habenda fuit ratio temporis, sed etiam quod vobis doctissimis hominibus satis probata esse arbitrabar. Venio igitur ad alteram partem, videlicet, ut de utilitate dicam. Nec vero existimo quenquam adeo superstitiosum esse, ut neget in medendo conducere observationem syderum. Cumque de hac re et praecepta extent, et nota sit experientia, non ero longior. Quanto est autem illa maior utilitas, non solum in aegrotis corporibus, sed multo magis in Rebuspub. considerare mutationum maximarum seu causas seu significationes, ut accommodare ad eas nostra consilia possimus, et arte mitigare incommoda. Vere enim inquit Plato, syderum circuitus efficere varias vices, non solum animantium corporibus, sed etiam universae naturae rerum, vitae hominum, Imperiis et Rebuspublicis. Ut autem agricolis praecipitur, ut tempestatum signa observent, ita magni viri in Repub. mutationum signa intelligere et considerare debent. Et quidem in scriptis politicis colliguntur signa sumpta a moribus et voluntatibus, sicut Medici morbos ex intemperantia, aut corruptione humorum praedicunt. Sed magno et sapienti viro magnopere prodest, etiam haec coelestia signa animadvertere, ut regere aliquo modo fortunam et cavere saevas tempestates, vel certe mitigare possit. Recte enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunae praeparat omni,
Praevisumque potest arte levare malum.

Etenim si significationes illae non sunt considerandae, cur divinitus in coelo scriptae et pictae sunt? Cum autem Deus has notas impresserit coelo, ut Rebuspub. denunciaret ingentes casus, impietas est, animos ab hac observatione prorsus avertere. Eclipses, coniunctiones, prodigia, traiectiones, cometae, quid sunt nisi Dei oracula, qui minitatur vitae hominum ingentes calamitates ac mutationes? Haec si quis contemnit, Dei monitus aspernatur. Quatenus autem haec metui debeant, quantum omnino tribuendum sit coelestibus signis, discet idem ille vir magnus ex sacris literis, ne obrepat animo impia vel confidentia, vel desperatio. Ut in agricultura, in navigando, non est irreligiosum observare prognostica tempestatum, ita in administratione rerum considerare naturales significationes, quas Deus proposuit, ut nos vigilantiores reddat, et curam in nobis acuat, pium et utile est. Sed videamus privatos mores. Si quis naturae suae inclinationem intelligit, alere bona et confirmare, et vitare vitia diligentia ac ratione potest. Verum est enim quod ait Ptolemaeus: Sapiens anima adiuvat coelestem operationem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoque adiuvat naturam. Hoc late patet in cura valetudinis, in deligendo genere vitae, studii, in suscipiendis negociis vel aptis vel abhorrentibus ab ingenio. Si Curionis aut Antonii parentes satis intellexissent naturam filiorum, flectere singulari arte fera et inquieta ingenia ad moderationem potuissent. Philippum Macedonem accepimus Regem in primis callidum, cum animadvertisset in filio Alexandro non sane pravam, sed tamen asperiorem et impatientem imperii naturam esse, videretque eum non pati domitorem asperum, coepit consilium doctrina et Philosophia flectendi eum ad suavitatem et comitatem. Hac ratione adeo excoluit illam naturam, ut in ipso cursu victoriarum vix quisquam fuerit unquam humanior ac moderatior. Ita prodest videre, quo quenquam ducat natura, ut disciplina idonea ad virtutem flectatur, et a vitiis abducatur. Possem et alias utilitates oeconomicas colligere, sed has persequi longum fuerit. Vos igitur Candidati, quia iam Philosophiae vos publice addicitis, ut reliquas partes pro virili amplecti, excolere, et ornare debetis, ita memineritis, hanc quoque partem amandam esse. Non solum stulticia, sed perversitas est, aucupari ingenii laudem ex insectatione bonarum artium. Nam viros bonos decet, praeclaras artes et utiles vitae pro virili ornare, ut ad earum studia quam plurimi invitentur. Dixi.

No. 36. an. 1535.

De amore veritatis.

Excusa est haec oratio: „Oratio Philippi Melanch. dicta ab ipso cum decerneretur in gradus Magisterii D. Andreae Vinclero, Vratisla. et aliis quibusdam bonis et doctis viris. Anno M. D. XXXV. die April. 14." Item: Quaestio quare Plato dixerit, optimum esse statum Reip. eum, qui medius est inter Tyrannidem et Democratiam proportione Geometrica. (Sine l. et anno.) 2 pl. Recusa apud Crat. Myl. p. 12., in Declamat. T. I. p. 595., in Servest. I. p. 519., apud Richard. I. p. 232.

Oratio Phil. Melanthonis de amore veritatis, anno M.D.XXXV. die April. XIIII.

Non soleo odiose repugnare amicis: itaque modo etiam facile passus sum mihi provinciam hoc in loco dicendi mandari, etsi plerique alii collegae nostri ad dicendum aptiores sunt. Sed cum collegis nostris libenter morem gessi, quibuscum videtis me coniunctissime vivere; amo enim eos ex animo, et quia me cum eis Respub. coniunxit, et propter ipsorum egregiam doctrinam, et in omni officii genere diligentiam et virtutem: tum vero gratificandum duxi his doctissimis viris, et huic hospiti, qui cum singulari fide et foelicitate literas doceat, non deesse ei studia atque officia nostri ordinis debent. Nam si recte aestimes, amplissime de tota Repub. merentur isti, qui primam aetatem recte erudiunt, et ad máximas artes praeparant. His igitur ostendere volui, me et honori ipsorum favere, et haec scholarum testimonia, seu gradus magnifacere. Etenim cum plurimum dignitatis sit in his optimis atque utilissimis artibus, quarum propagatio et defensio collegio nostro commissa est: multum etiam dignitatis in hoc gradu esse iudicandum est, cum in hoc ipso gradu foedus cum Repub. fiat, in quo hi quibus decernitur, obligant se Reipub. ad docendas optimas artes et utilissimas humano generi. Hoc foedere quid potest cogitari honestius aut sanctius, modo ut hi qui aucti sunt hoc honore, magnitudinem muneris sui animo metiantur, et pro virili tueri studeant? Certe consilium faciendi huius sanctissimi foederis in hoc gradu, est honestissimum atque humanissimum. Quare digni odio sunt Cynici illi, qui ut caeteros honestos mores, ita et gradus gravissimo consilio institutos, quique obligant homines ad defensionem bonarum disciplinarum, aspernantur.

Exposui consilium meum, quare in hanc scenam produci me passus sim. Solet autem hic vel de artium dignitate, vel de studiis virtutis dici. Hic mos cum valde mihi probetur, sumpsi et ipse argumentum ex eodem genere. Et quoniam constat honestas disciplinas, leges et religiones, vincula esse humanae societatis, facile iudicari potest, maxime necessariam esse ad vitam, omnium bonarum artium doctrinam. Itaque de hac parte non disputabo prolixius; nam id quidem persuasissimum esse omnibus debet, et monent idem quotidie doctorum voces et literae. Dicam igitur de una quadam virtute pernecessaria his qui in studiis versantur, videlicet de amore veritatis, seu de odio sophistices. Etenim nulla vox humana satis eloqui potest, quantum referat, haerere in animis infixum ab ineunte aetate acerrimum sophistices odium. De hoc quaeso, ut me diligenter audiatis adolescentes, quem iam aetas et magna rerum varietas erudierunt. Nihil opus est iam dicere, quantum Reipub. cura angat atque exerceat animum meum. Illud tantum dicam, ut me maiori studio audiatis: vere hoc affirmare possum, me paterno affectu atque amore complecti omnes studiosos, ac vehementer vestris periculis affici. Itaque quod alias saepe monui, idem nunc quoque, quoniam in hoc consessu doctissimorum hominum, oratio plus habere debet autoritatis, obtestandos vos esse duxi.

Ac longe aliud praecipiam vobis, quam apud Sophoclem Ulysses praecipit Achillis filio adolescenti Neoptolemo, cum docet eum mendaciis circumvenire, et fallere amicum, et quidem multis argumentis declarat, hoc artificium usitatissimum esse in vitae negociis. Cumque adolescens miratur, qua fronte, quo ore mentiri quispiam ausit sciens, respondet Ulysses, nefarie is quidem, sed significans quales sint hominum mores:

Ubicunque spes lucri est, pudere non decet.

Atque utinam haec Ulyssea Philosophia tantum in privatis et levibus negociis exerceretur. Sed experimur eam pervasisse in gravissimas Regum deliberationes, in scholas, corrumpere artes, et quod est praecipue deplorandum, regnare in Ecclesiis, et obruere religionem. Quare si solidam doctrinam et utilem generi humano experitis, et hoc vestrum curriculum Deo placere, et prodesse aliis vultis, vehementiss. odium Sophistices animo concipiendum est. Atque hac in re primum quid vocem Sophisticen, deinde quam perniciosa sit, considerandum erit. Non enim appello Sophisticen, tantum ridiculas illas cavillationes, quae pueris traduntur in Dialecticis, ceratinas et crocodilinas, et similes. Illa vobis cavenda est Sophistica, quae mirificam sapientiae speciem prae se fert, et in curia, in subselliis, in Ecclesia dominatur. Ubi alios piget inquirere veritatem, alii explicare commode non norunt, alii per ambitionem de industria nebulas offundunt. Et interim magna autoritate inserunt animis falsas et nocituras opiniones.

Medici narrant melancholicorum exempla, quorum alius errore mentis putavit se factum esse

gallum gallinaceum: alius sedit in vacuo theatro, somnians se videre spectacula. His persimiles videntur plurimi hebetiores, qui levi aliqua cavillatione decepti, amant absurdas opiniones, et quod est miserandum, his ita blanditur error, ut sibi applaudant, se beatos ducant illa insania. Exempla sunt in scholis et in Ecclesiis plurima. Stoici propter leves cavillationes discesserunt a natura, et suam illam *ἀπάθειαν* ridicule sibi finxerunt. Longius etiam a natura discedit Epicurus, qui prorsus evertit Physica, tollit efficientes et finales causas, et quidem de his inventis utrique sibi mirum in modum placent. Quid nunc Anabaptistae, quam sunt plane *τετυφωμένοι* ac dementati Sophistica? Sed hos hebetiores omitto.

Alii quidam abundant ingeniis, qui in studiis suis non proponunt sibi hunc finem, ut veritatem eruant ac patefaciant, sed ut de omnibus rebus prodigiosa varietate disputent. Et has praestigias summam ingenii laudem esse ducunt. Tales fuerunt olim Academici seu Pyrrhonii potius, qui omnia pariter incerta esse contendebant, et ne probabilius quidem alio aliud, ac Geometrica principia etiam evertere conabantur, scilicet, ut acuti, ut copiosi viderentur. Tales sunt apud Platonem Sophistae Gorgias, Thrasymachus, nec ipse raro ad eundem modum ludit. Haec ingeniorum licentia plurimum habet periculi. Ea quae amant, amplificant in immensum; quae non amant, extreme abiiciunt; dicunt vicina pro veris, miscent non cohaerentia, distrahunt ea quae coniungi oportuit, perinde ac si centauros ac*) chimeras pingerent: nihil proprie, nihil diserte dicunt, ludunt ironiis et aliis deliciis. Videte quibus coloribus nunc ingeniosi homines pingant abusus ecclesiasticos, quibus technis veras sententias obruant. Quam multa inveniunt *σοφὰ φάρμακα*, ut medeantur absurdis opinionibus, quoties in eum locum ventum est, ubi oportet seu versare dolos, seu certae occumbere morti.

Cum hac Sophistica bellum *ἄσπονδον* debet esse omnibus, qui et boni viri perhiberi volunt, et studia sua referunt ad communem utilitatem. Plato gravissime dicit, dandam esse operam in dicendo, non ut hominum plausus captemus, sed Deo grata dicamus. Quare tota mente totoque animo in hunc scopum unum intueamur, huc directa sit manus, oculi, cura, ut et eruamus, et quam simplicissime ac planissime patefaciamus veritatem. Haec enim et Deo nos conciliat, et maxime convenit naturae, et salutem affert Rebuspub. et Ecclesiis. Nec ulla existimemus officia Deo gratiora esse, nihil Reipub. utilius, quam hoc studium explicandae veritatis. Rectissime enim dictum est illud in legibus Platonis: *ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις.* Veritas omnium bonorum causa est diis et hominibus. Quam crebro praecipit Christus de colenda et tuenda veritate? quam sancte commendat nobis eius studium? quam horribiles poenas etiam proponit his qui veritatem violant? Porro qui amant Sophisticen et in caeteris artibus ludere consueverunt, ad eundem modum ludunt in doctrina coelesti. Iam hic remedia quaerenda erant, quibus praemunirentur animi contra Sophisticen. Sed me vetus versiculus perterrefacit, qui negat remedium esse contra Sycophantae morsum. Et ita late grassatur haec pestis, quam vel Sycophanticam, vel Sophisticam potes appellare, ut contagium vix usquam possis effugere: repugnandum est tamen arte aliqua. Primum ingens odium Sophistices concipiendum est. Deinde videndum in scholis, in Ecclesiis, in conciliis, quinam inquirant veritatem, qui ludant quadam ingenii procacitate, qui defendant privatas aliquas cupiditates. Atque hic assumendum est illud Epicharmi, in quo nervi atque artus esse sapientiae dicuntur, *μέμνησο ἀπιστεῖν.* Non statim assentiendum est, praesertim monstrosis et irreligiosis opinionibus, non est praecipitanda sententia. Tempus adhibendum est in consilium, quod vere est ut ille inquit, sapientissimus monitor. Deinde sit directa mens ad inquisitionem veritatis, adhibeat methodum, quae ut Plato inquit: ignis est coelo allatus, qui praebeat lumen ad veritatem cernendam. Coherceat se quisque intra septa methodi, nec temere excurrat in alienos locos. Amet proprietatem in artibus, et sibi subinde illud praeceptum utile Stoicorum inculcet: *ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ*, sapiens proprie loquatur. Magnam vim et hoc habet, multum operae collocare in iis artibus, quae plurimum habent demonstrationum. Nam et Galenus fatetur se pene in amentiam Pyrrhoniorum delapsum esse, nisi in Geometria vidisset tantam esse vim demonstrationum. Neque hoc eo dico, quod putem in divinis oraculis aut ubique requirendas esse demonstrationes; sed consuetudo methodi prodest studiosis, et format

*) *ac*] Archetypon *aut*.

iudicia. Postremo et Rempub. animo intueatur, consideret duas esse pestes Ecclesiae et Reipub. praecipuas, Tyrannidem et Sophisticen, sed hanc multo nocentiorem Tyrannide. Omnibus seculis Sophistica contaminavit et dissipavit religiones. Et falsas opiniones secutae sunt factiones, dissidia, caedes, bella, imperiorum mutationes, in quibus nihil mali non inest; spargit enim Diabolus mendacia tanquam semina caeterarum cladium. Quid quod animae etiam dementatae ruunt in perniciem? Ac dici non potest, quam facile saucientur mentes, quanta prudentia opus sit, ne a recto cursu depellantur. Christus minatur atrocissimas poenas his, qui parvulorum mentes laedunt, et inquit: Vae homini per quem accidit scandalum. Haec periculi magnitudo maxime debet nos exuscitare, et curam acuere discendi, ut vera et utilia Ecclesiae proponamus; neque enim sine maximo studio, sine multarum rerum atque artium cognitione, sine longo usu formari iudicia de magnis rebus possunt. Ac semper nobis ipsi subiiciamus, cum haec pericula de quibus concionatur Christus, tum etiam quam iucunda bonis mentibus sit veritas, quantum vitae praesidium sit in omnibus negociis, quam digna virtus bonis viris, veritatis amor. Cogitemus Philosophum esse non praestigiatorem aut Eurybatum aliquem, sed φιλαληθῆ. Sciamus nostro ordini commendatam esse veritatis defensionem, expendamus quantum sit scelus, hanc stationem, in quam a Repub. collocati sumus, deserere. Habent autem interdum illecebras falsae opiniones, adulantur cupiditatibus nostris, ambitioni, superstitioni, aut aliis. Adversus has insidias obfirmandus est animus, et illud Euripidis praeceptum tenendum, quod Aristoteles proponit his, qui populo concionantur in civitatibus: μή μοι τὰ κόμψα λέγε, ἀλλ᾽ ὧν πόλει δεῖ. Ne plausibilia dicas, sed quibus opus habet civitas. Haec inculcate animis optimi adolescentes; nam studia vestra non tantum ad privatas utilitates vestras, sed ad totam Rempub. ad gloriam Dei, ad Ecclesiae salutem pertinent. Quod cum cogitabitis, maiore cura ad tantarum rerum defensionem animi erunt instruendi ac praeparandi. Atque has causas in bonis ingeniis plurimum valere spero, quae decet profecto maxime et voluntate Dei, et comminationibus divinis, et periculis publicis, et ipsa rerum dignitate moveri. Dixi.

No. 37. an. 1536.

De puritate doctrinae etc.

In Declamat. T. I. p. 47., Servest. I. p. 41., Richard. III. p. 20.

Oratio D. Doctoris Crucigeri, de puritate doctrinae in Ecclesia conservanda, in promotione Doctorum Theologiae habita. 1536.

Non existimo a me postulari, ut exponam causas consilii nostri in promovendis Doctoribus Evangelii, cum ex hoc ipso loco non semel ostensum sit, a doctissimis viris, hunc morem scholarum, ut ii, qui vocantur ad docendum Evangelium, publico testimonio ornentur maximis et necessariis de causis, conservandum esse. Quia enim plurimum refert in Ecclesia, qui ad ministerium docendi Evangelii accessuri sunt, doctrinam et mores probe cognitos esse, et Paulus vetat quenquam nisi ante exploratum ad docendum admitti, ac iubet requirendos esse homines fideles, et idoneos ad docendum, quibus commendetur ministerium: nos quoque oportet religiose operam dare, ut, ne inexploratos ad docendum irrumpere sinamus, eos quorum industria ac studium pietatis nobis probatur, vestro testimonio Ecclesiis commendemus. Cum enim haec sit publica quaedam vocatio, necesse est et publicum testimonium ad eam accedere. Sed quoniam existimo nostrum consilium a nemine sano reprehendi, non iudicavi de eo pluribus dicendum esse. Cum autem mihi datum sit negocium de more publico hoc loco dicendi, etsi non ignoro me et elocutione, et aliis facultatibus multis modis imparem esse huic provinciae, et nihil afferre posse, quod vel novitate et gratia argumenti, vel commendatione orationis placere possit, tamen quia propter publicam autoritatem, quam mihi detrectare non fuit integrum, aliquid dicendum est, statui in praesentia sacrarum literarum studiosos, et qui ad docendum accessuri sunt, admonere de suo officio, ut postquam summo dei beneficio, hoc tempore pura Evangelii doctrina renovata ac restituta est, omnes suas cogitationes, curas et studia conferant ad conservandam in Ecclesia puritatem doctrinae, ac meminerint sibi unum hunc finem propositum esse, ad quem semper spectare, et quo omnis noster cursus contendere debeat. Haec adhortatio quam necessaria sit, praesertim hoc novissimo

tempore, non solum praesentia summa pericula, sed etiam maiorum inposterum metus admonere nos debet, in quae iam prospicientes homines pii et rerum spiritualium periti, sic iudicant non posse puram religionis doctrinam conservari, nisi in hoc unum communibus studiis ac coniunctis omnibus viribus toto pectore incumbant omnes, quibus in Ecclesia commissum est docendi munus. Quod ut fiat, inprimis opus concordia, sive coniunctione animorum inter doctores. Itaque de hac virtute aliquid hoc loco dicam, tametsi haec adhortatio, multo latius patet, quam ut nunc pertexi possit. Principio autem cum de concordia ecclesiastica dicitur, intelligendum est, primum omnium requiri consensum purae doctrinae Evangelii, hoc enim caput est et fons omnis Christianae concordiae. Quare hic non sunt audiendi, qui vociferantur nos publicam Ecclesiae tranquillitatem perturbare, concordiam labefactare et convellere, quia discedimus ab iis, qui autoritatem, titulum, et nomen Ecclesiae multitudinis approbatione et praescriptione longi temporis, sibi arrogant, tamen contra Evangelium, iniusta dogmata defendunt, et nos quia ipsis non subscribimus, omnibus diris devovent, in ferro, in flamma et omnis generis crudelitate persequi conantur. Nos vero cum habeamus in scriptura Dei mandatum clare expressum, ne adiungamus nos falsa et impia docentibus, nec adversariorum clamoribus, neque ullis propositis periculis moveri debemus, nec probare eorum consilium, etiamsi qui bene studio ducuntur, qui sic mirantur et expetunt publicam concordiam, ut eam posthabeant puritati doctrinae, et potius ducant in Ecclesiis tolerari ac dissimulari palam impias opiniones et manifestos abusus, quam periclitari tranquillitatem publici status. Scite illud ait dictum esse amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Ita nobis existimemus primam curam esse debere, ut veram doctrinam tueamur. Et cum de concordia Ecclesiae praecipitur, sciamus nos cum iis, quos scriptura vocat Ecclesiam, hoc est, qui puram doctrinam tenent et in ea consentiunt, coniungere debere. Cum autem nobis Dei beneficio contigerit, ut apud nos extet vera Evangelii Doctrina, repurgata ab omnibus impiis opinionibus, hic intelligamus nobis et concordiam praecipi, et nihil a nobis maiori agendum studio, ac contentione, quam ut eam inter nos tueamur, et per eam Evangelii beneficium divinitus datum, quantum in nobis est, conservare studeamus, ac cogitemus ad doctrinae conservationem, nullam esse virtutem Ecclesiae in universum magis necessariam et salutarem, quam veram et sinceram concordiam et animorum coniunctionem inter Doctores. Etsi enim verum est, etiam consilio ac potentia divina puram doctrinam in Ecclesia conservari, tamen cum de nostro officio dicendum est, quia Deus ministerio verbi per homines in Ecclesia agit, maximi momenti res est, non tantum ad publicam tranquillitatem et alia commoda, sed etiam ad doctrinae puritatem conservandam. Nam concordiam voco, non tantum opinionum et doctrinae, sed etiam voluntatum consensionem, vera coniunctione inter se mutuo devinctos esse animos docentium. Sed ut clarius perspici possit, quam necessaria sit haec virtus, aliquo modo consideremus, quantum malorum secum trahat discordia, praesertim inter eos, qui sunt in ministerio publico. Neque vero hoc iudicare difficile est, si tantum aspiciantur exempla, quae utinam nos non nimis infoeliciter doceant, ac tantum de praesentibus conqueri, non etiam futura metuere cogamur. Sed de exemplis mox dicam, nunc hoc prius, ut magnitudinem malorum consideremus, quae saepe a levibus, et exiguis apparet initiis, oriuntur, ubi haec pestis irrepserit in publicum ministerium Ecclesiae. Neque enim secure contemnendae sunt Diaboli insidiae adversus Ecclesiam. Cum enim is vere sit, ut dicitur mille artifex, et Ecclesiam acerbissimo et immortali odio prosequatur, nec cesset, aut desinat omnes vias et modos quaerere, quibus Ecclesiae dissipationem et perpetuam vastitatem afferat, ubi alia non potest, haec arripit initia et occasiones, ut undecunque inter Doctores spargat discordiae ac dissidiarum semina. Ubi autem maxime principio non sunt de doctrina dissensiones, sed aliae privatae ac personales offensionum causae, tamen inde permanat ad totam Ecclesiam, et ubi simul gliscunt, tales, et erumpunt odia, primum periclitatur, mox etiam palam laeditur ipsa doctrina. Nec enim tantum exemplo et scandalis aliis nocent, propter quae male audit apud adversarios Evangelii doctrina, et infirmorum animi offensi perturbantur, ac incipiunt dubitare de doctrina, aut certe eam minus reverenter complectuntur, sed ex iis dissidiis, postquam animi coeperunt inter ipsos alienari, foedam voluntatum dissensionem sequitur etiam offensionum dissimilitudo,

ultro amplectuntur occasiones invicem insectandi, facile rapiunt in calumniam aliorum dicta, etiam bona aut certe tolerabilia, ut ea odio depravent. Ab his initiis decurritur ad factiones et partes, et suam quisque sententiam pergit pertinaciter tueri, quibus potest modis et adversarium odiosissime criminari, quaedam etiam tantum ideo defenduntur, non quod vera esse videntur, sed quia voluptati est ab adversario dissentire. Postea latissime vagantur factiones, dissidia ab authoribus excitata, non tantum urbes, sed totas terras occupant. Ita quaedam privata odia ulciscuntur, publica Ecclesiarum calamitate. Ac satis apparet hanc omnibus fere temporibus extitisse originem haereseῶn et Schismatum, iam inde ab initio evulgati Evangelii, quod Diabolus ex ipso corpore Ecclesiae pulchre consentientis in vera doctrina, excitavit aliquos, qui propter privatas cupiditates, aut similes causas, ab animorum et voluntatum dissensione, ad dissensiones de doctrina provecti, perpetua dissidia in Ecclesiis pepererunt. Quam a levibus principiis excitatum est pestilens Arii incendium, quo postea omnes prope Orientis Ecclesiae conflagrarunt, quod in electione Episcopatus alius Ario praelatus fuerat. Plena exemplorum est historia omnium aetatum, sed non est opus procul exempla repetere, cum sint ob oculos praesentia. Meminimus ex hac ipsa schola quosdam, cum initio in asserenda pura doctrina Evangelii, nostris viderentur esse coniunctissimi, postea, cum ex suis quibusdam suspicionibus non viderentur se satis admirationis, et gloriae consecutos esse, nec pari authoritate ac existimatione cum Doctoribus haberi, mox exarsisse invidia, adiunxisse sibi homines furiosos, quorum auxilio spargerent fanaticas opiniones, unde ad extremum Anabaptistarum furor invaluit. Sed quia quidam poenas dederunt non nomino. Scio plerisque vestrum notum esse Wicelium, ut est homo natura ambitiosus, et de se magnifice sentiens, cum tamen esset homo obscurus, nec quicquam dignum tanta opinione eruditis hominibus, quam sibi ipsi induerat, protulisset, quia suspicabatur, se non satis pro dignitate tractari, hac sola de causa, coepit a nostris dissentire. Et cum quaedam eius scripta ab amicis leniter essent reprehensa, exarsit ira atque odio, et miscere omnia conatus est, et quidquid potuit veneni in nostros evomuit. Haec exempla docere nos possunt, quantum malorum afferat in Ecclesia, dissensio voluntatum inter docentes. Summum malorum est, et certissima Ecclesiae pestis, purae doctrinae depravatio: sed ad hanc, occasiones et causas praebet discordia docentium. Quare quantum in nobis est, summa cura ac studio cavendum est, ne nostra aliqua culpa eiusmodi malum inter nos excitetur. Neque vero cogitemus, nos liberos esse ab his periculis. Nam Diabolus, ut dixi, non desinit nos omnis generis insidiis atque artibus appetere. Et nunquam tam foeliciter agetur in rebus humanis, quin existant etiam inter bonos aliquae offensionum occasiones. Magna est inter homines ingeniorum et naturarum dissimilitudo, itaque facile potest accidere, ut alii aliorum factis ac dictis offendantur. Et cum semel admittimus occasiones, postea ipsi nobis indulgemus, animi paulatim incipiunt alienari, accedunt sinistrae suspiciones, quae etiamsi non erumpunt in simultates et odia, tamen non abeunt sine incommodo publico, multae bonae res impediuntur, cum animi non satis cohaerent, nemo alteri confidit, aut sese aperire audet. Ita non conferuntur studia, ad consulendum Ecclesiae commodis, non sunt de rebus necessariis deliberationes, aut collocutiones, quomodo obscuriores controversiae religionis, clare et proprie, ac ad unam aliquam certam formam secundum scripturam explicentur. Saepe non satis intelligi potest, quid quisque sentiat. Haec iam satis magna sunt, quid autem futurum est, si accedunt et illae pestes, simultates, odia, factiones, tumultus et amarulentae criminationes, pugnae, quas merito quisquis est, Christianus, toto animo execrari atque exhorrescere debet. Quamobrem, tametsi haec quidem Schola, hactenus pacata fuerit, et inter Doctores singulare studium concordiae appareat, tamen ut ea porro conservetur, huc conferamus, coram et cogitationes nostras, ut his malis, quae dixi, occurramus. Et est sane ad hanc rem opus singulari cura ac prudentia, et hoc, ut in aliis rebus, ita hic quoque necessarium et utile praeceptum est, quod monet principiis esse obstandum. Litis initium, inquit Salomon, perinde est, acsi alveum ruperit aqua, quae postea nulla invitus contineri potest. Ita in Ecclesia a parvis initiis ortae dissensiones, postea cum invaluerunt, nullis remediis sanari possunt. Quare quantum possumus, vitemus occasiones omnes, praecidamus quicquid impedit, aut obstat, etiamsi quae iustae videntur esse causae offensionum, condonemus mutuo, dissimulemus pri-

vatas iniurias, propter publicam pacem, nostra commoditate placemus aliorum animos offensos, amice ac placide conferamus cum aliis de dogmatibus religionis et gravioribus controversiis, ipsi nihil temere pronunciemus, nisi de communi sententia cum doctioribus diligenter collata, si quid ab aliis tolerabiliter dictum est, non statim calumniose exagitemus, si quid erratum, fraterne admonendo corrigamus. Denique coniungamus studia et operas mutuas, ut extet clare et consentiens explicatio totius doctrinae, in qua nihil haereat perplexi, nihil ambigui: in summa, quemadmodum alios videmus pro suis commoditatibus ambitiose et contentiose niti ac pugnare, ita nos *φιλοτιμούμενοι*, ut Paulino verbo utar, et quasi affectato studio hoc agamus, ut sit in Ecclesia sancta, tecta, et ad posteros etiam durabilis concordia. Est enim et hoc inter multa huius generis sanctissima praecepta Pauli ad Ephes. cum omni humilitate, inquit, cum mansuetudine, cum patientia tolerate invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unitatem spiritus praecipit, hoc est veram consensionem doctrinae, et eam inquit contineri pace et concordia, tanquam vinculo. Deinde huius sollicitum studium requirit, et significat non posse conservari Ecclesiae concordiam, nisi adsint hae virtutes, humilitas, mansuetudo, patientia, quibus inter nos mutuo toleremus. Christus ipse iam discessurus a suis, hoc unum mandatum ait se relinquere, ut invicem diligant, nec piget ipsum hoc praeceptum iterum atque iterum repetere et inculcare, ut significet, quantae curae velit esse iis, qui praesunt Ecclesiis. Quare et nobis hoc inculcemus, ut semper ob oculos et infixum animis habeamus. Maxima pericula sunt, quae expectare oportet pios doctores propter Ecclesiam, a Satana et mundo, multae sunt difficultates, et incommoda, quae in ipso coetu Ecclesiae incidunt. Hic oportet esse magnam vim dilectionis, quae contemnere possit pericula, perferre omnes acerbitates, tolerare et condonare iniurias, mederi incommodis. Haec non faciunt, qui non ex animo afficiuntur Ecclesiae miseriis, et eius integritatem ac salutem, sua ipsorum vita chariorem habent. Itaque subiiciamus nobis, qua charitate nos complexus sit Christus, cum pro nobis liberandis ex diaboli regno, peccato, morte et inferis, sanguinem suum profudit, et si quidem eius discipuli haberi volumus, faciamus ut sentiat Ecclesia, nostrae quoque dilectionis aliqua officia. Moveant nos non tantum praesentis temporis pericula, sed etiam posteritatis, cui certe debemus, quantum per nos potest, relinquere Ecclesiam nostra concordia conservatam. Cogitemus nullum nos Christo gratius officium, nullum Deo sacratiorem hostiam ac acceptatiorem cultum praestare posse. Suavissimum est Davidis carmen de concordia Ecclesiae: Ecce quam bonum et quam iucundum etc., in quo meminit Sacerdotis Aron, ut significet se de concordia docentium loqui, et esse proprium Sacerdotium, et gratissimum Deo cultum, concordibus animis docere purum verbum Dei. Addit de balsamo et rore, quia et Ecclesia hac concordia mirifice recreatur, et in universum toti vitae hominum nihil ea utilius, nihil salubrius. Sed desino haec longius persequi, vobis vero qui ad docendum accessuri estis, commendo et ipsum ministerium, ut in eo summa religione versemini, et ad illud afferatis acerrimum concordiae studium. Oremus autem Deum, ut nobis donum Evangelii, quo nullum in terris maius habemus, pro sua misericordia conservet. Dixi.

No. 38. an. 1536.

De philosophia.

Apud Crat. Myl. p. 23., in Declamat. T. I. p. 343., Servest. I. p. 296. et Richard. I. p. 30.

De philosophia oratio pronunciata, cum decerneretur gradus Magisterii quibusdam doctis et honestis iuvenibus. Phil. Mel. M. D. XXXVI.

Spero mores meos ita vobis omnibus inspectos et notos esse, ut facile persuadere possim, me non impudentia, aut fiducia ingenii, aut *πολυπραγμοσύνῃ* aliqua has mihi dicendi partes iterum sumpsisse, Nam cum mandaret eas mihi vir optimus *Iacobus Milichius* Decanus Collegii nostri, qui propter egregiam virtutem, ac studiorum et plurimorum officiorum societatem, mihi charissimus est, movebar quadam officii ratione, ut morem gerendum esse amici voluntati existimarem. Neque ego sum adeo Suffenus, aut ridicule mihi placeo, ut ignorem plerosque alios in hac schola esse, et natura magis idoneos, et doctrina melius instructos ad dicendum, quam ego sum, quibus

profecto laudem ingenii et eruditionis largiter tribuo. Sed nolui videri morosior in recusando, cum hanc operam a me homo amicissimus flagitaret. Verum nolo uti longiore excusatione; nam opinor mores meos satis probatos vobis esse. Et haec sunt praecipue ex eo genere, in quo valet versiculus:

τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

qui ait, mores dicentis persuadere, non orationem. Est autem optimo consilio institutum, ut in his pompis, aut de studiis, aut de laude virtutum dicatur. Quare ut argumentum conveniens huic loco afferrem, et aliquid de dignitate et utilitate harum artium, quas Philosophia profitetur, dicerem, institui orationem, in qua ostenderem, Ecclesiae opus esse liberali eruditione, et non tantum cognitione Grammatices, sed etiam aliarum multarum artium et Philosophiae scientia. Quod cum ita esse statuemus, et si aliae causae ad dicendum invitant, tamen bonae mentes in hunc finem praecipue et acerrime intueri debent, ut studia ad iuvandam et ornandam Ecclesiam referant; nihil enim bonis dulcius Ecclesiae nomine, nihil ea carius esse debet. Haec causa maxime hortari et excitare nos debet, ut summa contentione animorum expetamus perfectam doctrinam, ex qua ad Rempub. et ad Ecclesiam utilitas aliqua pervenire possit. Nec vero nobis praeceptoribus dignior est oratio de ulla re alia, nec bonis et studiosis quicquam utilius est, quam animo finem, et quasi metam honestissimi cursus prospicere, ad quam referre sua studia debent.

Adhaec artium ipsarum dignitas et vis non alibi magis conspici potest, quam si videamus, quantum opus sit illis in Ecclesia, quantis tenebris obruat inscitia religionem, quantam vastitatem, quam horribiles dissipationes Ecclesiarum, quantam barbariem et confusionem totius humani generis pariat. Haec si quis considerabit, ita demum existimare poterit, quanta sit artium ac doctrinae vis et magnitudo.

Etsi autem nulla oratio par tantis rebus excogitari potest, tamen cum ab imperitis saepe serantur de hac re pravae opiniones, adolescentes monendi et praemuniendi sunt: quod quanquam in scholis fit a praeceptoribus quotidie, tamen oratio, quae hoc loco habetur publico nomine, plus autoritatis habere debet. Est enim omnium doctissimorum virorum in hoc consessu communis sententia, quam contemnere profecto fuerit arrogantissimum. Quare cum et necessaria Reipub. et vobis salutaria dicam, et haec mea vox communem omnium vobis sententiam exponat, peto ut me pro vestra humanitate diligenter audiatis, et admoniti, non tantum sicut Ulyssis socii Sirenas obstructis auribus praetervecti sunt, ita vos eorum inepta iudicia, qui non putant Ecclesiae admodum opus esse liberali eruditione fugiatis, sed illos ipsos tanquam teterrimas pestes et dira portenta execremini. Deinde acuat et excitet discendi curam, quod studia vestra ad Ecclesiam ac Rempub. pertinent, nec tantum ex illis privata utilitas et voluptas petitur.

Primum enim omnino ilias malorum est inerudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnae res non explicantur diserte, miscentur ea quae oportebat seiungi, rursus illa quae natura coniungi postulat, distrahuntur: saepe pugnantia dicuntur, vicina arripiuntur pro veris ac propriis. Postremo tota doctrina monstrosa est, et similis illi picturae apud Horatium:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere plumas.

Nihil in ea cohaeret, non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione alius aliud intelligit, et dum suum quisque somnium defendit, existunt certamina et dissensiones. Interim conscientiae relinquuntur ambigentes. Et quia nullae Erynnes vehementius cruciant animum, quam haec dubitatio de religione, tandem odio quodam abiicitur universa religio, et fiunt mentes prophanae et Epicureae.

Cum igitur tantum habeat mali inerudita Theologia, facile iudicari potest, Ecclesiae opus esse multis magnis artibus. Nam ad iudicandum, et ad recte et dilucide explicandas res intricatas et obscuras, non satis est nosse haec vulgaria praecepta Grammatices et Dialectices, sed opus est multiplici doctrina; multa enim assumenda sunt ex Physicis, multa ex Philosophia morali conferenda sunt ad doctrinam Christianam.

Deinde duae res sunt, ad quas comparandas opus est magna et varia doctrina, et longa exercitatione in multis artibus, videlicet, methodus et forma orationis. Nemo enim fieri artifex methodi potest, nisi bene et rite assuefactus in Philosophia, et quidem in hoc uno genere Philosophiae, quod alienum est a Sophistica, quod veritatem ordine

et recta via inquirit et patefacit. Qui in eo studio bene assuefacti, ἕξιν sibi paraverunt, revocandi omnia ad methodum, quae intelligere aut tradere aliis cupiunt, hi norunt etiam in disputationibus religionis informare methodos, evolvere intricata, dissipata contrahere, obscuris et ambiguis addere lumen.

Magna et copiosa doctrina ad alteram rem, scilicet, ad formandam orationem opus est, ut norunt omnes vel mediocriter versati in literis. Sed ut hanc ἕξιν methodi informandae nobis comparemus, non minore studio opus est. Nec potest haec contingere iis, qui non assuefiunt in pluribus Philosophiae partibus, in quibus qui non exercentur, etiamsi attigerunt Dialecticam, tamen tantum umbram quandam methodi consequuntur. Nec alii saepius vitiosa et Sophistica colligunt, quam isti. Cumque se artifices methodi esse putent, tamen via deerrant, et sunt, ut Homerico verbo utar, ἀλαόσκοποι. Porro non tantum propter methodum, seu ut Plato vocat ἀνάγκην λογογραφικὴν, opus est Philosophia; sed ut ante dixi, etiam multa assumenda sunt Theologo ex Physicis, ubi ea est singularum partium ratio, ut his, qui solidam doctrinam expetunt, non satis sit pauca quaedam excerpere, sed ars integra, quantum fieri potest, cognoscenda est. Magno instrumento destitutus est Theologus, qui nescit illas eruditissimas disputationes, de anima, de sensibus, de causis appetitionum et affectuum, de noticia, de voluntate. Et arroganter faciet, qui se profitetur Dialecticum, si nescit illas causarum partitiones, quae traduntur tantum in Physicis, et intelligi non possunt nisi a Physicis. Omnino est orbis quidam artium, quo inter se devinctae copulataeque sunt omnes, ut ad singulas percipiendas, multa ex aliis assumi oporteat: quare Ecclesiae opus est toto illo doctrinarum orbe.

Non opinor quenquam adeo insulsum esse, ut non animadvertat, eos qui instructi sunt Philosophia morali, multas partes doctrinae Christianae foelicius tractare posse. Nam cum multa sint similia, de legibus, deque politicis moribus, contractibus, et multis vitae officiis, adiuvamur, non solum ordine ac methodo in Philosophia, sed etiam rebus ipsis diligenter perceptis; et si qua sunt dissimilia, multum lucis adfert collatio. Porro ut claudus pilam tenet, ita Philosophiam moralem tractat is, quem Physica destituunt. Iam historiae, temporum exacta supputatio, requirunt Mathematicen. Sed et haec pars cum Physicis coniungenda est. Inde enim velut ex fonte pleraque in Physicis oriuntur. Et barbaries quaedam est, ut nihil aliud dicam, contemnere illas pulcherrimas artes, de motibus syderum, quae nobis annos et temporum discrimina conficiunt, et multas res maximas venturas denunciant, nosque utiliter monent.

Nec ego ignoro aliud doctrinae genus esse Philosophiam, aliud Theologiam. Nec ego illa ita misceri volo, ut confundit multa iura coquus, sed adiuvari Theologum volo in oeconomia methodi. Multa etiam mutuari eum ex Philosophia necesse erit. Si quis huic orationi non habet fidem, is consideret indoctorum Theologiam, et apud se reputet, an expedire existimet orbi terrarum talem confusaneam Sophisticam, ambiguam Theologiam invehi in Ecclesiam. Et indoctos voco non solum rudes literarum, ut sunt Anabaptistae, sed etiam illos ineptos, qui cum magnifice declamitent, tamen certi nihil dicunt, et quia ad methodum non sunt assuefacti, et quia fontes rerum non satis tenent, propterea quia cum in Philosophia non sint instituti, non satis videant aut quid Theologia profiteatur, aut quatenus cum Philosophia consentiat.

Nihil opus est hic veteres illos recensere, qui doctrinam Christianam insulsissimis argutiis penitus obruerunt. Eruditam Philosophiam requiro, non illas cavillationes, quibus nullae res subsunt. Ideo dixi unum quoddam Philosophiae genus eligendum esse, quod quam minimum habeat Sophistices, et iustam methodum retineat: talis est Aristotelis doctrina. Sed huic tamen aliunde addenda est illa praestantissima Philosophiae pars, de motibus coelestibus. Nam reliquae sectae plenae sunt Sophistices, et absurdarum et falsarum opinionum, quae etiam moribus nocent. Nam illae hyperbolae Stoicorum sunt omnino Sophisticae, bonam valetudinem, opes et similia non esse bona. Commentitia est et ἀπάθεια, falsa et perniciosa opinio de fato. Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat omnia casu extitisse: tollit primam causam, et dissentit in totum a vera Physicorum doctrina. Fugienda est et Academia, quae non servat methodum, et sumit sibi licentiam immoderatam omnia evertendi: quod qui facere student, hos necesse est multa sophistice colligere. Quanquam is qui ducem

Aristotelem praecipue sequitur, et unam quandam simplicem ac minime sophisticam doctrinam expetit, interdum et ab aliis autoribus sumere aliquid potest. Ut enim Musae cum cantu certassent cum Sirenibus, easque vicissent, ex pennis earum coronas sibi fecerunt, ita et in sectis, et si una maxime probanda est, tamen interdum ex aliis aliquid veri decerpamus, quo nostra sententia ornetur.

Sed de genere Philosophiae et sectarum discrimine alias dicendum erit. Mihi ad mores etiam conducere videtur, eligere sectam, quae studium habeat non rixandi, sed inquirendae veritatis, deinde quae amet moderatas opiniones, non captet plausus indoctorum, praestigiis disputationum et absurdis sententiis. Harum rerum consuetudo pessima est, et qui eam ad sacras literas afferunt, ibi vero ingentes procellas cient. At haec simplex Philosophia, de qua dico, primum hoc studium habet, ne quid affirmet sine demonstratione, ita facile effugiet absurdas opiniones, quia hae non habent demonstrationes, sed tantum praestigiis sophisticis defendentur. Postremo in universum propter hanc causam etiam conducit Ecclesiae eruditio, quia indocti sunt et audaciores et negligentiores. Doctrina frenum iniicit et ad diligentiam assuefacit. Multa enim eruditis in mentem veniunt, quae sunt vicina illi causae, de qua est pronunciandum: vident quam facile sit labi ac decipi, et in aliis artibus assuefacti sunt ad quaerendos fontes negociorum, ad explicanda illa quae videntur obstare. Et abeunt studia in mores, quare haec ipsa diligentia, quae in inquisitione ponitur, gignit modestiam. Porro audacia cum negligentia coniuncta, quantum afferat periculi, omnium aetatum exempla in omnibus civitatibus et in ipsa Ecclesia ostendunt, quae ab indoctis temere ruentibus, et antea saepe dilacerata est, et hoc tempore crudeliter dilaceratur.

Itaque vos, optimi auditores, primum adhortor, ut cogitetis studia vestra vere ad Rempub. et Ecclesiam pertinere; nam doctrinae puritas et concordia, salutem et concordiam hominum, ac praecipue Ecclesiae conservat. Deinde vos propter gloriam Dei, quam anteferre omnibus rebus debemus, deinde propter Ecclesiae salutem, quae nobis debet esse charissima, obtestor, ut has optimas disciplinas, quas Philosophia continet, conservandas esse statuatis, et in eas maiore studio incumbatis, ut solidam doctrinam vobis et utilem humano generi comparetis. Epaminondas interrogatus, quid ei in vita iucundissimum accidisset, respondit: Inde se maximam voluptatem cepisse, quod vivis parentibus liberasset servitute patriam, victis ingenti praelio Lacedaemoniis. Testatus est enim utrunque sibi maximam voluptatem attulisse, patriae salutem et parentum laeticiam, quam illis attulisset filii victoris virtus et gloria. Utinam sic erga Ecclesiam affecti simus, ut hanc summam voluptatem ducamus, videre florentem et tranquillam Ecclesiam, quae verius est patria, quam illud solum, illi penates, qui nos exceperunt nascentes, et praestare, ut Ecclesia, hoc est, coelestes Angeli et universus coetus piorum, quem ut parentes vereri et amare decet, ex nostris benefactis solidam voluptatem capiant. Econtra nullos cruciatus acerbiores esse statuamus, quam videre Ecclesiam dissipatam et quidem nostris cupiditatibus coniectos Angelos et coetum piorum in luctum ac dolorem. Non dico hic de praemiis, decet enim nos virtute ipsa moveri, debent apud nos valere Ecclesiae caritas et ratio officii, quod Deo debetur. Sed tamen non defutura sunt etiam praemia recte discentibus; Deus enim inquit: Glorificantes me glorificabo, Et si sumus Christiani, hac spe officium nostrum facere debemus, ut sentiamus nos Deo curae esse, ne egeamus nos et liberi nostri. Imo scitote nostra causa, non Tyrannorum, non eorum qui pia studia oderunt, hanc totam rerum naturam a Deo conservari, solem oriri, efficere temporum vicissitudines, ut agri fiant foecundi. Recte hoc Stoici, Omnia esse Dei; Philosophos autem esse amicos Dei: quare omnia etiam sunt Philosophorum. Itaque ingenti animo haec studia literarum et defendamus, et in hac statione divinitus collocatos nos esse iudicemus, eamque ob causam et maiore cura faciamus officium, et nostri laboris praemia a Deo expectemus. Dixi.

No. 39. a. 1536.

Praef. in arithmeticen.

Apud Crat. Myl. p. 421. In Declamat. T. I. p. 386., ubi inscribitur: „de utilitate arithmetices oratio." In Servest. T. I. p. 354., Richard T. I. p. 322. Ap. Crat. recte inscribitur

In arithmeticen praefatio Georgii Ioachimi Rhetici.

Dixi vobis initio exponendam esse causam, quare publice docere incipiam, ne quis existimet me meo consilio impudenter in hoc theatrum prodire. Ego enim cum et natura sim timidior, et has artes maxime colam, quae amant latebras, nec merentur plausus in vulgo; deinde cum videam, quanta sit non solum scientiae copia, sed etiam dexteritate et foelicitate ingenii opus, praesertim in his subtilibus artibus tradendis, mihi vero conscius sim meae imbecillitatis, non ambivi hunc locum, diuque repugnavi praeceptoribus nostris, hortantibus, ut elementa harum artium, in quibus me mediocriter exercui, publice traderem, praesertim hoc tempore, cum altera mathematica lectio interitu viri doctissimi *Ioannis Volmarii* conticuisset. Atque illi quidem petebant, ut hac in re non solum amicitiae ipsorum rationem haberem, sed etiam utilitatis adolescentium, quia magnopere prodest haec elementa in scholis assidue inculcari et exerceri. Vicit igitur cum autoritas praeceptorum, tum vero etiam voluntas eorum optima erga rem literariam. Videbam enim eos non aliquo privato studio deferre mihi hoc munus, sed ut adolescentibus consulerent, et quantum possent, eos ad has artes, quae sunt vera Philosophiae initia, invitarent.

Quare cum meam operam deesse Reipub. et adolescentium utilitati nollem, perpulerunt tandem, ut pollicerer me periculum facturum esse. Quare peto a vobis, ut me hac officii ratione, non arrogantia aut ingenii fiducia in publicum prodiisse existimetis. Minus autem poenitebit me facilitatis meae, si cognovero etiam frequentiam vestram et diligentiam respondere optimae voluntati praeceptorum, qui vestrae utilitatis causa mihi hanc personam imposuerunt. Qua in re, erit etiam prudentiae atque humanitatis vestrae, meam operam boni consulere. Nam quod ad praecepta ipsa tradenda attinet, spero me vobis satisfacturum esse. Si quid autem vel in oratione mea, vel in actione desiderabitis, veniam mihi dari peto. Agnosco enim me impediri pudore ac metu, ac ne natura quidem ad scenicam actionem aptum esse. Sed propter haec incommoda fastidire has artes, et studia earum abiicere, ingenii est plus satis delicati et morosi, si tamen professor est sui generis artifex. Ego vero etsi mihi nihil arrogo, tamen ea fide et diligentia tradam haec praecepta, ut sperem, posse percipi atque intelligi.

Exposui causam, quare in publicum prodierim, quae me, ut spero, suspicione arrogantiae apud bonos et studiosos liberabit. Nunc dicam de meo consilio, vel potius de sententia nostrorum praeceptorum. Hi mihi iniunxerunt, ut tradam elementa Arithmetices et Geometriae, et quod natura harum artium postulat, initium faciam ab Arithmetica. Utinam autem et autoritate et eloquentia tantum valerem, ut ad harum artium studia adolescentes etiam excitare et accendere possem. Quid enim optabilius esse docenti potest, quam habere auditores incensos et flagrantes discendi cupiditate? Sed quia praeceptores nostri quotidie scholasticos ad has artes discendas hortantur, et manifesta est earum utilitas, spero plerosque praeditos liberalibus ingeniis satis ad haec studia colenda incitatos esse.

Graeci narrant fabulam de Pallade, quae cum ei tibias recens inventas Mercurius donasset, ambulans ad flumen, coepit inflare tibiam. Etsi autem demulcebatur sono, tamen cum in aquis videret faciem ridicule deformari, inflatis genis, statim abiecit tibias. Has Satyri, qui capti novitate soni accurrerant, abiectas statim excipiunt: ita tibiae spretae a Pallade, coeperunt Satyris in deliciis esse. Ad hunc modum sinamus sane ingenia illiberalia delectari aliis agrestibus artibus, aut potius quaedam fragmenta artium circumferre, seu quaestus causa, seu ut popularem opinionem colligant. Sed honesti ingenii est, nihil amare ardentius quam veritatem, et hac cupiditate incensum, expetere solidam doctrinam de universa natura, de religionibus, de motibus et effectibus coelestibus, de causis mutationum, non solum animantium, sed etiam civitatum et imperiorum, de fontibus honestorum officiorum, et hoc genus aliis. Si huius perfectae doctrinae admiratione atque amore tenemur, profecto etiam complecti haec elementa debemus de numeris et mensuris, quae aditum patefaciunt ad caeteras Philosophiae partes, quanquam per se quoque multum habent et dignitatis et utilitatis.

Videte enim quam late pateat usus Arithmetices in oeconomia, et in Rep. Aristoteles scribit, Thraces quosdam esse, qui numerando non possunt progredi ultra quatuor. Quaeso te, an talibus putes commendandam esse gubernationem,

non dico magni mercatus, aut venarum metallicarum, sed alicuius mediocris oeconomiae? Existimemus ne a talibus posse rationes paululum modo intricatas evolvi et explicari? Nequaquam. Sed horum Thracum similes sunt in magnis rationibus et obscuris omnes, qui destituti sunt huius artis praesidio. Non solum in mercatu, in metallicis, in cudenda moneta, sed in multis aliis publicis et privatis rebus computandis, arte ipsa opus est. Qui versantur in Repub. aerarii rationes nosse debent. Saepe in iudiciis quaestiones incidunt, quae requirunt eruditam computationem. Ideo non satis est nosse numeros naturae beneficio, sed ars addenda est, sine qua nullae difficiles rationes explicari certo possunt. Quare Socrates apud Platonem in legibus etiam hanc tulit, ut cives cogantur discere Arithmeticam. Sed quid attinet de re nota prolixius dicere? Nemo enim non videt in omni vita maximum usum esse Arithmetices, nisi sit stolidior Thracensibus illis, qui non norunt numerare amplius quatuor. Atque hae vulgares utilitates invitare pariter omnes adolescentes ad hanc artem discendam et exercendam debebant; multi enim incidere casus possunt, ubi singulis magno usui Arithmetica esse potest. Proinde et Romanis magnae curae fuit, ut liberi eorum cum primis literis etiam Arithmeticen perciperent. Meministis enim versus Horatii:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere, dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat?

Multiplex etiam Geometriae utilitas est, non solum in aedificatione, in metiendis vasis, sed etiam viro politico in Cosmographia, in locorum intervallis intelligendis. Sed discedo ab his vulgaribus utilitatibus.

Hi qui in studiis versantur, et perfectam doctrinam expetunt, illam sibi utilitatem proponant, quod ad doctrinam de rebus coelestibus nullus aditus patet, nisi per Arithmeticam et Geometriam. Et quidem tanta vis est Arithmetices in doctrina de rebus coelestibus, ut mediocri Arithmetico pene omnia in doctrina rerum coelestium sint pervia: certe magnam partem eius doctrinae sine ullo negocio assequi potest. Iam vide quam exiguo labore quantum precium operae possis facere. Nihil facilius est, quam has, ut vocant, species in arte numerandi discere. His mediocriter cognitis, propemodum tota Astronomia statim percipi sine ulla difficultate potest.

Plato in Phaedro fingit duplices animas, quarum alteras ait alatas esse, alteris, inquit, decidisse alas. Porro alatas ait volitare in coelum, fruentes congressu colloquioque Dei, et pulcherrimo spectaculo cursuum coelestium, et considerare causas omnium mutationum in inferiore natura, in aëre, in animantium corporibus, in hominum studiis et moribus, in variis imperiorum et civitatum casibus. Atque hae animae toto volitantes coelo captae pulchritudine divinarum rerum, et illius admirandi ordinis et suavitate doctrinae et virtutis, hac una voluptate perpetuo frui cupiunt, nec onerant animós obscoenis voluptatibus, quae perturbant harmoniam virtutis in animis, et obiiciunt caliginem, ne coelestia aspicere possint. At illae animae, quibus alae deciderunt, humi vagantur, et quaerunt voluptates impuras ex rebus terrenis, nec enim illam pulcherrimam lucem rerum coelestium aspiciunt. Etsi autem Plato alas intelligit heroicos impetus ingeniorum, tamen ne illi quidem impetus soli animos subvehunt, sed opus est etiam artibus, quibus illi ipsi impetus attollantur. Sunt igitur alae mentis humanae, Arithmetica et Geometria. Has si alligaverit sibi aliquis praeditus ingenio non sordido, facilime penetrabit in coelum ac libere in coelestium coetu vagabitur, et illa luce ac sapientia fruetur.

Quare illi qui sunt ingeniis non monstrosis praediti, et res optimas maximeque admirandas, et cognitione dignas aspicere cupiunt, has alas sibi addant, videlicet, Arithmeticen et Geometriam. Harum ope sublati in coelum, lustrare oculis universam rerum naturam, cernere spacia metasque maximorum corporum, videre syderum fatales congressus, denique causas rerum maximarum, quae in hac hominum vita accidunt, animadvertere poteritis. Existimo generosas mentes hac tanta utilitate capi, et incitari posse ad has artes discendas et amandas. Scio enim vobis quidem satis persuasum esse, magnam dignitatem et utilitatem esse doctrinae de rebus coelestibus, vosque, ut decet, auribus atque animis abhorrere ab Epicuri deliramentis, qui deridet Astronomiam, et somniat Solem esse vaporem, qui mane accendatur motu, postea aut deflagret, aut in aqua extinguatur: ita et stellas esse nubeculas

casu incensas. Haec portenta pro veris affirmare homine indignum est, nedum Philosopho. Nulla tam barbara gens fuit, quae non sentiret, stellas esse certa et durabilia Dei opera, et certis legibus ferri, magnae alicuius utilitatis causa. Quare contumelia est adversus Deum, fingere hanc confusionem rerum, Solem vaporem esse casu inflammatum, et casu ferri, ut Lucretius ait:

> Quo cibus vocat atque invitat euntem
> Flammea per coelum pascentem corpora passim.

Plus valeat apud nos autoritas cum doctissimorum hominum, qui haec deliramenta gravissimis argumentis confutarunt, tum vero etiam divina oracula in sacris literis, a quibus dissentire impietas est. Hae clare testantur, Solem, Lunam et reliqua sydera esse certa et durabilia Dei opera, et addunt sacrae literae, cuius utilitatis causa, lumina coelestia condita sint: erunt signa, et discernent tempora et annos. Haec descriptio, etsi brevius est, tamen res magnas complectitur, et Astronomiae studium approbat. Nam ut reliquas partes omittam, si Sol ideo conditus est, ut annum conficiat et gubernet, necessaria est observatio cursus Solis; nam sine observatione motus nulla sunt temporum atque annorum discrimina. Quare non obscurum est et approbari a Deo, et praecipi observationem coelestium motuum. Nec putemus esse leves causas, quare nos ad hanc doctrinam hortetur etiam divina autoritas. Nam praeterquam quod utilitates magnas affert ad communem vitam, etiam monet nos hic pulcherrimus ordo motuum, hanc naturam non extitisse casu, sed ab aeterna mente ortam esse et gubernari. Proinde valde confirmat in animis honestas opiniones de Deo et de providentia. Itaque ex Philosophis soli Epicurei fuerunt ἄθεοι, quia haec illustria de Deo testimonia, videlicet, certissimas motuum leges, et mirabilem harmoniam aspicere noluerunt. Decet igitur bona ingenia hanc honestissimam doctrinam amare, et quantum fieri potest, aliquid operae in tantarum rerum inquisitionem collocare. Ac facile multa percipient hi, qui mediocriter in Arithmetica exercitati sunt.

Redeo igitur ad Arithmeticen, quoniam de ea praecipue dicere coeperam. Postquam autem utilitates commemoravi, quae quidem minime sunt obscurae, breviter aliquid adiiciendum putavi de facilitate. Scio deterreri adolescentes ab his artibus opinione difficultatis. Sed quod attinet ad initia Arithmetices, quae in scholis tradi solent, et quae ad quotidianum usum conferuntur, vehementer errant, si haec putant admodum difficilia esse. Ars oritur ex natura ipsa mentis humanae, et habet certissimas demonstrationes. Quare initia nec obscura, nec difficilia esse possunt, imo priora praecepta adeo perspicua sunt, ut pueri etiam ea possint assequi, quia tota res a natura oritur. Deinde multiplicationis et divisionis praecepta aliquanto plus requirunt diligentiae, sed tamen causae cito perspici possunt ab attentis. Exercitationem et usum requirit haec ars, ut aliae omnes. Est enim verissimum, quod ait Anaxagoras, manum esse causam sapientiae, significans sine exercitatione et experientia non posse artes recte percipi. Deinde sicubi est aliquid difficultatis, memineritis nullam esse artem, quae nihil habeat difficultatis. Et erratis profecto, si styli exercitium putatis facilius esse, quam haec initia Arithmetices: nec scholae sunt eo conditae atque constitutae, ut ignavis ocium ad perfruendas ineptas voluptates concedatur, sed requirunt studia, curam et acrem animorum contentionem. Nec vero nego multa ab Arithmeticis quaesita et animadversa esse, quae procul recedunt a captu imperitorum; nam artes omnes agitatione crescunt. Sed ego loquor de his initiis, quae et vobis tradi solent et ad usum conferuntur. Quare adolescentes abiiciant opinionem difficultatis, et magno animo et quadam cum spe ad hanc artem discendam accedant: quod si facient, deinde et rerum suavitas detinebit eos, et sentient ipsa rerum serie difficultatem minui. Exposui quae utilitates praecipue petendae sint ex Arithmetica, dixi etiam de facultate. Reliquae sunt aliae utilitates, sed obscuriores, de quibus non multa dicam. Verissimum est, caeteras artes facilius percipi, cognita Arithmetica. Est enim Arithmetica inter primas artes, quae docet diiudicare ac distribuere unum et multa; ostendit ordinem rerum, et monet confusa evolvenda et discernenda esse. Haec sunt initia ratiocinationis in hominibus. Ideo prima est numerorum intelligentia, idque sensisse opinor Pythagoram, cum definivit, mentem esse numerum; significavit enim animam esse ratiocinatricem, quae discernit res, et ordinem animadvertit. Haec sunt maxime propria menti, et sunt primae mentis functiones. Quare apte definivit, mentem esse numerum, vi-

delicet, numerantem. Haec causa est, cur et veteres Graeci post Grammaticen mox tradiderint Arithmeticen, deinde tertio loco proponebant Dialecticen, quarto Geometriam. Videbant enim Dialecticen initia sumere ab Arithmetica, et exercitatio multiplicationis et divisionis, optime praeparat ingenia ad Syllogismos. Item vis demonstrationis melius intelligi potest, cognita Arithmetica: quia haec habet maxime illustres demonstrationes. Praeterea multi loci in autoribus occurrunt, qui sine hac arte non possunt intelligi. Pythagorici figurate usi sunt vocabulis arithmeticis, eaque transtulerunt ad Physicam et ad moralem Philosophiam. Sic enim Pythagoras Deum definivit: Deus est excessus maximi numerorum supra proximum numerum. Ita voluit significare, Deum esse unum, et quidem summam naturam. Nam denarium intelligit maximum numerum, huic proximus est novenarius. Excessus supra novenarium est unitas: hoc modo involverunt numeris totam Philosophiam. Etsi autem melius est artes proprie tradere, et non involvere totas figuris et aenigmatibus, tamen interdum etiam alii Philosophi, qui perspicue Philosophiam tradere voluerunt, adhibent exempla, Arithmetica, quae non intelligere turpe est. Plato cum dicit, mutari Resp. propter coelestes causas, quae certas vicissitudines rerum efficiunt in civitatibus et imperiis, inquit: Quemadmodum resistit natura in vocibus, cum sesquitertius fundus iungitur quinario, id est, cum *διὰ τεσσάρων* additur *διὰ πέντε*, hoc est, cum completa est harmonia *διὰ πασῶν*. Ita cum circumacta est imperiorum periodus, ruunt et mutantur Respub. Adiecit et causam hanc, quia cum plani cubi complentur ad solidos usque, nec enim natura ulterius progreditur, multi dissimiles numeri procreantur: ita degeneres cives, qui tamen potiuntur Repub. ex praestantioribus orti, evertunt Respub. paulatim usque ad periodum. Hic ne vocabula quidem intelliguntur sine Arithmetica. Sed hae utilitates leviores sunt, illae sunt magnae, quas supra recensui, quod cum in multis aliis vitae negociis hac arte opus sit, tum vero sine ea ad illam praestantissimam Philosophiae partem de rebus coelestibus nullus pateat aditus. Haec magna et gravis causa est, quae accendere generosas naturas ad hanc artem debet, quia qui expetunt solidam doctrinam, et magnis viris dignam, omnibus ingeniis viribus contendere debent, ut ad caeteras communes disciplinas illam partem de motibus et effectibus coelestibus adiungant. Hunc virum, qui universam Philosophiam animo complexus, arcanas causas plurimarum mutationum in natura, et hominum vita, et fontes virtutis, et honestorum officiorum intelligit, recte beatum dixerimus, sicut et Vergilius sapientissime dixit:

Foelix qui potuit rerum cognoscere causas.

Dixi.

Nr. 40. (an. 1536 ?)

De astronomia et geographia.

In Declam. T. I. p. 364 sqq., Servest. T. I. p. 315. et Richard. T. I. p. 403.

Oratio de Astronomia et Geographia, habita Witenbergae.

Vetus legitur Sibyllae oraculum de Athenis, duas ei pestes exitio futuras esse, fraudes, et Ducum ignaviam. Sed si communem hominum vitam et interitus Regnorum consideramus, non tam Athenis, quam omnibus urbibus ac Imperiis Sibylla vaticinata est. Olim Germania et magnitudine animorum excellebat, et in consiliis veritate, candore ac fide. Nunc technis certatur, eluduntur recta consilia, vetus illa gloriae militaris cupiditas et fortitudo extincta est. Ideo videtis nihil esse praesidiorum in tanto periculo publico, non solum Germaniae, sed universae reliquae Europae. De quo cogitans, maxime angor animo de Ecclesia et de nostris studiis, quibus praecipue Turcica barbaries vastitatem et interitum minatur. Quanquam igitur impendent fatales poenae, ut multa sunt non solum in astris, sed etiam in moribus hominum, signa, tamen hac me spe sustento, Ecclesias Deo curae futuras esse, et filium Dei propugnaturum nostros coetus, ut Daniel praedixit. Quare haec studia nobis, adolescentes, non sunt abiicienda, desperatione, vel praemiorum, vel salutis. Imo eo ardentius excitanda sunt, ut etiam inter medios hostes conserventur, si ita ferent fata. Et quoniam hi nostri coetus pars sunt Ecclesiae, quoties convenimus, quoties de studiis cogitamus, accedant pia vota, et oremus Deum, Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ut Ecclesiam et honesta studia defendat, nos servet

ac regat. Haec praefari volui, quia in his congressibus praecipue decet nos, ut de studiis, ita de communibus periculis cogitare, et coniungere vota. Nam et ad hos congressus dictum Christi pertinet, cum ait: Se interfuturum, ubicunque duo, aut tres, in nomine ipsius convenerint. Cum autem hoc loco mihi necessitatem dicendi imponat officii ratio, constitui potissimum de ea arte dicere, quam profiteor, videlicet, de doctrina, quae leges motuum coelestium tradit, et magnitudines, spacia, intervalla, metas regionum monstrat. Etsi enim scio in hac schola, has divinas artes non vituperari, tamen quia segnius coluntur, quam oportebat, nostri est officii, quantum possumus adulescentum studia omni ratione accendere, atque excitare, eaque in re optarim nos a principibus adiuvari, sicut in Aegypto Regum liberalitas invitavit ingenia ad has artes colendas et illustrandas, et recens ante trecentos annos cum Latini homines, ne umbram quidem huius doctrinae tenerent, Ingeniosissimus Princeps Friedericus secundus Imp. ex Arabum monumentis eam transfundi in Latinum sermonem, et utcunque instaurari magno sumptu curavit. Ac multa extant testimonia, quae ostendunt his studiis vetustissimos Reges deditos fuisse, ut Atlantem, Orionem, Chironem. Ideo enim nomina eorum stellis, grata posteritas attribuit, ut significaret se ab illis doctrinam de motibus coelestibus et anni descriptionem accepisse. Et Caesar de se inquit apud Lucanum: Media inter praelia semper, stellarum coelique plagis, superisque vacavi. Constat nunc quoque Imperat. Carolum Quintum, et intelligere doctrinam coelestem pene ut artificem, adeoque amare, ut cum sibi aliquod intervallum ad quietem sumit, non ludis aut voluptatibus animum relaxet, sed huius dulcissimae doctrinae disputationibus. Scio sedentem in thermis, cum pedis curationi vacare eum necesse esset, ocium fefellisse interdum horologiis artificiose describendis. Scio diligentissimum esse in quaerenda longitudine et latitudine regionum, in stellis conferendis ad regionum situs, ut navigans coeli contuitu cursum dirigere possit. Quid honestius est magno principe, quam defessum animum tali voluptate recreare.

Utinam vero hoc honestissimum exemplum caeteri imitarentur, et ingeniis praemia proponerent, quod si fieret, conservari hae artes, et magis illustrari possent. Sed saepe mihi venit in mentem, una cum coelo eas senescere et paulatim extingui, et earum interitu portendi finem mundi. Interea tamen generosae mentes, coelo ortae, de patria cogitent, hanc interdum contemplentur, et statuant non frustra hoc pulcherrimum spectaculum coelestium corporum et motuum hominibus propositum esse, et harum admirabilium rerum ordinem inquirant, quod cum per sese hominis naturae maxime congruit, tum vero utilitates ad vitam magnas adfert, quarum aliquas breviter, ut fert ratio temporis, exponam, ac tantum de motuum doctrina et regionum metis dicam, omissa divinatrice parte, ne quod mihi certamen accersam.

Ut autem in omnibus rebus a Deo ordiri rectissimum est, ita in hac quasi deliberatione de studiis, cum coelum ipsum contemplabimur, veniat in mentem Architecti. Hunc cogitemus, nec frustra hunc mirandum ordinem instituisse, nec frustra generi humano noticiam horum motuum tradidisse. Haec si quis non cogitat, quantum a Cyclope illo distat, qui in antro degens, nec in coelum aspicit, nec numen ullum aeternum veretur? Si quis autem ut hominis naturae convenit, Dei munera magnifacit, is statuet magnarum utilitatum causa has motuum leges institutas, et doctrinam traditam esse. Utilitas motuum omnibus posita est ob oculos. Quid ad animantium conservationem gratius est vicibus dierum et noctium, quid ad terrae foecunditatem, ad fruges procreandas, et alenda animantia utilius, quam veris, aestatis, autumni et hyemis dissimiles tempestates? in quibus diligentia artificis tanta fuit, non modo ut spacia temporum Solis et Lunae motibus metienda proposuerit, sed vires etiam addidit, ut terra alias foecundo calore tepefieret, alias rigaretur, alias aresceret, alias astricta gelu quiesceret. Haec ut arte facta esse intelligeremus, certorum siderum Ortus et Occasus, singulis anni partibus convenientes, Soli adiunxit. Post sementem vernam occidunt Hyades, quod Plinius inquit, sidus esse vehemens et terra marique turbidum. Id ita institutum est, quia terrae eo tempore rigatione opus est.

In messe opus est siccis tempestatibus. Tunc igitur Canicula aestus auget. Sic reliquis anni partibus conveniunt certi ortus aut occasus. Hae utilitates notae sunt, quae ut Xenophon ait, testantur Architectum, cum tam studiose nostrae

necessitati prospexerit, valde amantem esse nostri generis, seu ut ipse ait, *φιλάνθρωπον*. Sed haec fortasse sine doctrina observari possunt, quanquam ordo magis conspicitur, cum accedit eruditio. Dicam igitur de iis utilitatibus, quae amitterentur, neglecta doctrina. Erunt, inquit Moises, in signa, tempora, dies et annos. Hic coeleste oraculum praecipit generi humano, ut certas anni metas divinitus propositas, discat observare, et intervalla annorum consideret. Quod sine eruditione et motuum cognitione nequaquam fieri potest. Addidit igitur Deus nobis umbram doctricem, ut aequinoctia et Solis conversiones observare possemus, addidit numerorum et mensurarum scientiam, quae mentes in coelum subvehit, ut certas vias Luminum, ac metas quasi oculis signare possimus. Itaque et primi parentes et deinceps gentes eruditiores, et in his ingeniosissimi, semper elaborarunt in observando anni circuitu, ut certam temporum seriem conservarent, quorum et beneficium gratum nobis esse debet, et laudanda solertia, diligentia, assiduitas, voluntas bene merendi de genere humano. Sunt autem solertiae et diligentiae testimonia illustria multa, ut Eclipsium praedictiones, et ipsa anni descriptio, cuius circuitus, ut quantum fieri posset, certissime comprehenderetur.

Varie certatum est. Vetustissimi reditum Solis ad certam stellam fixam, verum anni spacium esse senserunt. Deinde cum aliquot seculis post animadversum esset, stellas progressas esse, quaerenda fuit alia via. Quare Meto, quem Athenis vixisse scribunt, avus opinor Empedoclis, descripsit annum esse reditum in idem solstitii aestivi punctum. Quia enim Atheniensibus anni initium erat solstitium aestivum, in eo metam potius constituit. Deinde, post Alexandri aetatem, Hipparchus maluit observare aequinoctia quam solstitia, quia aliquot diebus circa solstitia variatio declinationis ad aequinoctialem sensu deprehendi non potest. Definiit ergo Hipparchus annum esse reditum Solis in idem aequinoctii punctum. Hunc secutus Ptolomaeus, et suas observationes conferens, tandem anni rationem tradidit constantiorem superioribus, videlicet dierum trecentorum sexaginta quinque, horarum sex, minus trecentissima parte diei. Nondum haec diligentia satisfecit posterioribus. Nam post Ptolomaeum Albategnius anno septingentesimo quadragesimo tertio, videlicet ante hanc nostram aetatem, circiter sexcentesimum annum, deprehendit post Ptolomaeum opus esse emendatione. Deinde rursus eruditissimi homines primam viam cum quadam correctione secuti, maluerunt annum esse reditum Solis ad certam stellam fixam, cum hoc modo longioribus spaciis minor inaequalitas circuitus anni adpareat.

Haec eo recensui, ut diligentiam summorum virorum admiremini, qui certos Fastos, certam anni descriptionem nobis tradere studuerunt. Iam cogitate, quantum hoc sit beneficium. Nisi enim artifices hanc temporum seriem nobis conservassent, quae essent religionum atque omnium historiarum tenebrae, quae confusio totius vitae? Non animis retro legere mundi initia possemus, non sciremus quae religiones priores, quae posteriores fuissent: esset ignota series imperiorum, nescirentur Ecclesiae initia et propagatio. Has tantas res ut sciremus, Deus et praecipit, ut discamus quid sit annus, et monstrat annum continere menses duodecim, et initia in aequinoctio constituit. Haec primis hominibus doctrinae huius semina fuerunt. Quare coelesti illa voce admoniti, utilitates expendamus, et Dei donum amplectamur, amemus et excolamus. Coniunctae artes sunt doctrina, de motibus coelestibus et Geographia, nec divelli possunt. Quis est autem adeo imperitus communis vitae, adeo sine sensu communi, ut arbitretur vitam carere posse hac arte, monstrante situs regionum, intervalla, naturas?

Nulla navigatio, nullum iter paulo longius suscipi, aut certe gubernari potest, ab huius artis ignaris. Quid in scripturis propheticis, quomodo vagata sit Ecclesia, quae res ubi gestae sint, unde indicari posset, si deesset haec artificiosa regionum descriptio. Quotidie in precibus intuenda est regio, in qua filius Dei versatus est, et victima factus, cogitandus est locus, in quo primum sonuit vox coelestis. Sic enim vult Deus invocari, ut simul de sacrificio filii cogitemus, et de promissionibus. In hisce locis cum quotidie sistere animi vota debeant, quanta est ignavia, non cogitare ubi terrarum sita sint. Haec spectare etiam indocti cupiunt in picturis. Ac nisi ars extaret, omnes homines infinitum quiddam esse terram cogitarent, ac tantum earum regionum spacia et intervalla scirent, quae adiissent. Hinc multi graves errores in vita orirentur. Nunc vero quam gratum, quam utile est mente com-

plecti totum terrae ambitum, et quidem certa, facili et compendiaria supputatione comprehensum, quem si cogitatione tanquam oculis totum contempleris, possis etiam mirari parvitatem, cum sit nostrorum miliariorum quinquies mille quadringentorum. Haec sine doctrina motuum coelestium includi certis descriptionibus, quasi limitibus non poterant. Iam quanta suavitas ac dulcedo sit huius doctrinae, dicerem, si verbis exponere possem. Sed haec experiundo cognoscenda est. Sua cuique naturae propriissima actio iucundissima est, ut nare piscibus, modulari Lusciniae, ita homines magna voluptate adfici necesse est, cum naturam totam rerum aspiciunt, cum numerorum et magnitudinum proportiones inveniunt, cum coelestium et inferiorum corporum harmoniam et consensum deprehendunt, cum vident omnia certa lege condita esse, ut nos de Architecto admoneant. Ad hanc considerationem cum nati simus, necesse est eam voluptati esse non monstrosis, non distortis naturis. Etsi autem initio praefatus sum, me non dicturum esse de parte divinatrice, tamen hoc addam, hanc ipsam doctrinem motuum coelestium per sese *μαντικὴν* esse, et praecipuam ac certissimam divinationem gubernantem vitae summam. Nam hae leges motuum, testantur mundum non casu ortum esse, sed a mente aeterna conditum, et huic conditori humanam naturam curae esse. Haec cum perspicue demonstrent leges motuum, negari non potest, hanc doctrinam vere esse *μαντικὴν* de re maxima. Nam haec de Deo et de providentia sententia, profecto ad virtutem animos exuscitat. Praedicit Physicus pluvias, si spirent Austri vel Zephyri, si Boreas, serenitatem. Quanto utilior divinatio est, confirmare animos de providentia, ne casu mundum extitisse somnient? Magna causa fuit, cur Deus haec de se testimonia nobis proposuerit. Nam cum didicimus inde, esse Deum gubernatorem omnium, intelligimus, ei parendum esse, agnoscimus ordinem ab ipso, et in mentibus nostris et in politica societate institutum esse, et sancitas poenas conturbantium hunc ordinem, quas ne Gigantes quidem, vel si ausint ad se communiendos imponere Pelio Ossan, effugere queant. Denique multa de Deo et de moribus monet coelestium legum ordo, testificans ad humani generis utilitatem has rerum vices conditas esse. Quare Plato prudenter dixit, eum virum tantum beatum esse, qui hanc doctrinam didicerit, hunc mores posse regere, hunc moderatum, iustum et utilem civibus fore. Ac addo verba Platonis, ut tanti viri vox et autoritas vos ad amorem et studium harum optimarum artium exuscitet. Unum est naturae vinculum, doctrina numerorum, figurarum et motuum coelestium, ac si quis aliam viam ad discendum quaeret, fortunam invocet, ut dici solet. Nam sine his nemo in civitatibus unquam beatus existet. Hic modus est, haec educatio, haec disciplina, seu facilis seu difficilis. Per hanc ire necesse est, nec fas est negligere Deum, qui gratam de se famam in his artibus generi humano tribuit. Haec sunt Platonis verba, in quibus cogitate, quam sapienter dictum sit, gratam Dei famam audiri in his artibus, hoc est, numerorum ordinis et coelestium corporum cognitione necessario nos statuere mundum a mente aeterna conditum esse. Vere igitur haec ipsa doctrina, de qua loquimur, est *μαντικὴ*, etiam si reliquas divinationes non scrutemur, de mutationibus aëris et corporum nostrorum, quarum non omnino nulla est utilitas, si intra iustas metas contineantur.

Cum igitur doctrina de motibus coelestibus plena sit eruditionis, cum sit utilis vitae ad temporum et regionum distinctionem, cum sit dulcissima, cum confirmet in animis honestam de Deo sententiam, cumque sit occasio discendi, bona ingenia adhortor, ut in haec studia incumbant, et sua, et Reipub. causa, cui honestas artes, vitae utiles conservare debemus. Dixi.

No. 41. an. 1536.

Laus vitae scholast.

In Declam. T. I. p. 466 sqq., Serv. T. I. p. 405., Richard. T. I. p. 120.

De laude vitae scholasticae oratio, dicta a D. Melch. Fendio in promotione Magistrorum.

Cum considero eos, qui in hunc locum ad dicendum prodeunt, vel argumenti novitate, vel eloquentia placere, animadverto mihi valde opus esse humanitate atque aequitate vestra. Nam argumentum novum, quod quidem huic loco convenire videretur, nullum reperiebam, nec pervulgatis addere aliquid splendoris dicendo possum.

Cum autem publici officii ratio imponat mihi dicendi necessitatem, erit humanitatis vestrae, ut vos quoque aequitate vestra publicum morem conservetis, me non gravatim audire, et orationem meam boni consulere.

Decrevi autem dicere de dignitate vitae scholasticae, deque comparatione vestri ordinis cum caeteris ordinibus et vitae generibus: neque ego non video quantum, quam amplum argumentum susceperim. Sed quanquam pertexi nunc non poterit, tamen utile erit capita rerum attigisse. Quemadmodum autem Medici in praeceptis valetudinis monent, ut aëris qualitatem, in quo versamur, diligenter observemus: ita magnopere conducit, genus vitae intelligere, in quo vel nostro, vel alieno iudicio collocati sumus. Et est quaedam Philosophiae pars, gradus humanorum officiorum, atque ordinis considerare et recte discernere. Deinde nescio quid aliis accidat, mihi quidem in hac fortunae tenuitate, et in his difficultatibus, quibus conflictor, haec res aliquid solatii affert, quod hoc vitae genus et sanctissimum et hominis naturae convenientissimum, et vitae utilissimum esse cogito. Cum haec bona colligo, fero aequiore animo incommoda, quae comitantur hanc vitam, quae sunt plurima; nam ad ipsos studiorum labores accedit paupertas, quam perferre posse, magnitudo animi est non vulgaris: adde quod superbissime contemnimur, non solum ab imperitis, a mercatoribus, centauris, sed etiam ab illis semideis, qui regnant in aulis, propter opinionem doctrinae, aut sapientiae. Postremo non tantum contemnimur, sed etiam in odio sumus. Haec incommoda quam non sint levia, res ostendit, deterrent enim plurimos a literis. Ego tamen non dubito ea hic commemorare, ut cogitetis fortitudinem quandam esse, inter has difficultates non abiicere literas; deinde monebo, ut his malis opponatis vera et non fucata huius vitae scholasticae bona.

Initio autem praefari volo, me nihil de dignitate cuiusquam ordinis detrahere. Non delector illa Cynica Philosophia, quae vituperat omnes artes, omnia vitae genera. Melius et humanius, inquit Aristoteles, civitatem non ex Medico et Medico, sed ex Medico et Agricola constare, hoc est, ex multis ordinibus. Quare singulis tribuo suum honorem. Sed gradus considerandi sunt, quos plerunque stulti conturbant. Sic igitur statuetis vitam scholasticam primum necessariam esse Reipub. et maximas ad communem vitam utilitates afferre, deinde et sanctissimam ac Deo gratissimam esse, postremo etiam iucundissimam. Et quidem tantas ad vitam utilitates ex vita scholastica pervenire, tantum in hac esse verae dignitatis, ut quamvis titulo praestent Reges et Episcopi, tamen reipsa par sit illis ordo scholasticus. Hoc cum animo constitueritis, etiam opera danda erit, ut hanc vitam omni studio ornetis, ut fortiter labores et omnes difficultates perferatis, quae comitantur hoc vitae genus.

Sed quas tandem ob causas usque adeo laudamus vitam scholasticam? Vulgus iudicat esse ociosam vitam, atque inde scholasticam appellarunt; Latini nuncuparunt ludos hos conventus discentium. Quid autem dignitatis in ociosa vita, aut in ludis esse potest? De his appellationibus postea dicam. Prius enim ostendam, minimum esse ocii in hac nostra militia: nec ludum esse haec studia literarum, sed seriam inquisitionem maximarum rerum.

Duae res sunt, quibus nihil melius ac divinius habet humana natura, videlicet veritas et iustitia. Harum inquisitio et explicatio commendata est scholis. Nec vero obscurum est, veritatis et iustitiae cognitionem maxime necessariam esse ad bene vivendum et utilitates ad vitam maximas affere. Non enim sine doctrina religiones coli, non leges condi aut retineri possunt. Quanto praesidio destituta esset vita, si medicinam nemo disceret aut doceret? Quantis ornamentis carendum esset, si nemo disceret Mathemata, si nulla temporum discrimina tenerentur, si res veteres et historiae mandatae literis ignotae essent? Horum commodorum magnitudo vobis quidem, qui in his studiis versamini, nota est. Quare facile iudicabitis partem Reip. necessariam esse scholas et quidem praecipuas utilitates inde ad communem vitam pervenire. Quis enim non videt religionibus, legibus et literis, in vita magis opus esse, quam fabris aut cerdonibus?

Sed illud disputant quidam, Ecclesias, aulam, forum, sedes esse veritatis et iustitiae, magis quam scholas. Vocant scholasticam vitam umbratilem, quod ibi in ocio ingenia exerceantur, illic aiunt, veritatem et iustitiam in acie versari. Moderati animi est et bene instituti, reverenter sentire de Ecclesiis, de aulis et foro. Ac debent

quidem in illis locis regnare veritas et iustitia. Sed constat ex scholis in illa loca haec ornamenta afferri. Qualis enim esset doctrina in templis, si in scholis res non essent agitatae et illustratae? Qualis esset aulicorum consiliorum et fori barbaries, si non extaret quaedam erudita iuris doctrina? Deinde hoc interest, de omnibus magnis rebus scholae consuluntur, scholae pronunciant, non Episcopi, aut aulici, aut causidici. Postremo in scholis est simplex studium rerum inquirendarum et patefaciendarum. In Ecclesiis multa in popularibus concionibus dicuntur improprie, multa etiam quia populus non potest assequi, praetereuntur. Iam in aulis et foro horribile est dictu, quantum sit Sophistices. Itaque saepe mihi venit in mentem veteris fabulae de Astrea, quam ferunt pulsam civitatibus, postea in rure diu solitam agricolis concionari. Ita mihi videtur propemodum pulsa ex aulis, ex foro, ex templis et aliis hominum coetibus Astrea, hoc est, veritatis et iusticiae doctrina, adhuc haerere in scholis. Quare cum minus sit sophistices in scholis, quam alibi, cum bonis unum hoc sit studium eruendae veritatis, summa laus esse debebit vitae scholasticae, quae quidem imago quaedam est illius beatissimi status, in quo aurea illa aetate vivebant homines, si qua fuit, aut certe victuri erant, si fuisset illa aurea aetas, si natura hominum fuisset immunis a peccati labe et a morte. Quid enim tunc fuisset vita hominum, nisi iucundissima quaedam schola, in qua seniores et praestantiores de rebus divinis, de natura rerum, de immortalitate humanorum animorum, de coelestibus motibus, de omnibus vitae officiis docuissent reliquos? In hac Philosophia et huiusmodi disputationibus tempus omne consumpsissent seniores et iuniores. Nec aliam vitam fuisse Adae et similium principum virorum iudico. Huius beatissimi status imago est vita scholastica.

Dixi brevissime de necessitate et de utilitatibus, addam etiam de sanctitate huius vitae. Nullum Deo gratius est officium, quam veritatis et iusticiae studium et propagatio. Nam haec sunt praecipua Dei dona, in quibus Dei praesentia maxime cerni potest. Haec Deus praecipue conservari postulat, imo ad hunc finem praecipue conditi sunt homines, ut alii alios doceant de Deo et aliis rebus bonis. Ad hanc utilitatem addita est divinitus humano generi sermonis communicatio. Quare non dubium est, quin hoc vitae genus, quod in docendo et discendo versatur, Deo gratissimum sit, et hoc nomine antecellant scholae templis et aulis, quia maius est studium veritatis in scholis. Quare si quis sanctum vitae institutum quaerit, non abdat se in solitudines, non putet aliud esse sacratius vitae genus, sed in his discentium conventibus maneat, hic conetur bene mereri de genere humano, doceat alios, et sciat hoc officium prodesse ad conservationem et propagationem optimarum rerum, erudiat ambigentes conscientias, respondeat de iure, deque omnibus vitae officiis, inquirat rerum naturam, morborum remedia, causas mutationum in natura, motus et effectus coelestes, praeparet iuventutem ad maiores artes, enarret historias, mandet literis res gestas, illustret artes: haec quisque qui facit, Deo gratissimum cultum praestat, et de genere humano praeclare meretur; conservat enim doctrinam utilissimam vitae, format mores, iudicia hominum, retinet pacem, mitigat multa mala publica. Tale vitae genus non solum praestat monastico, sed vere divinum est.

Cicero reprehendit Platonem, quod dixerit, Philosophos, tametsi abstineant a Reipub. administratione, tamen iustos esse, propter hanc ipsam magnarum rerum inquisitionem. Sed Plato rectissime sensit. Est enim iusticia, suum quemque officium facere et fructum eius officii conferre ad communem salutem generis humani. Id maxime facit Philosophus, qui religiones, rerum naturam, causas omnium honestorum officiorum, leges explicat, et has res divinas caeteris impertit, artes illustrat, aut docet; denique qui veritatis et institiae doctrinam conferre ad aliorum utilitatem studet. Nec putemus melius mereri de genere humano vel causidicos aliquos, qui in foro controversias, aut exponunt, aut dirimunt, vel aediles qui pontes aliquos faciunt, vel mercatores qui iusto precio res utiles important. Recte igitur Plato dixit, iustos esse Philosophos, qui doctrinam utilem vitae tradunt. Non gessit Magistratus Isocrates, sed consiliis suis gubernavit Imperatorem laudatissimum Timotheum, et formavit ingenia multorum, qui postea in Repub. principes extiterunt. Nec melius de Repub. meritus est Aeschines causidicus, quam Aristoteles, qui etsi nec Magistratus gessit, nec causas egit, tamen Alexandrum et multos alios Principes finxit ad iusticiam et beneficentiam. Deinde hodie etiam bene meretur de Repub. reliquit monu-

menta utilia ad religiones et leges interpretandas, parit Medicos, et iudicia multorum format, qui in foro et negociis versantur. Aso Iurisconsultus gubernavit magnam Italiae partem. Nec tamen minus de Repub. meretur Bartolus, qui in schola tantum vixit. Philippus Medicus Alexandri exercitum secutus est, ac Regem ipsum ingenti periculo liberavit. Neque tamen minus de Repub. meretur Galenus, qui nullum exercitum secutus est, sed in schola assedit, et scripsit doctrinae suae monumenta.

Cum igitur non aliud vitae genus utilius sit generi humano, aut magis necessarium, aut sanctius, quam vita scholastica, satis intelligi potest, hunc esse praestantissimum vitae gradum. Hac vera laude moveri bona ingenia decet, ut magis ament vitam scholasticam, et adhibeant studium et diligentiam dignam tanta professione, et ornent eam optimis moribus. Quid est enim turpius, quam quod multi in scholis ita degunt, primum, ut non intelligant suum officium; deinde, ut hoc ocium literarium collocent in turpissimas voluptates, et sumant sibi licentiam omnium scelerum, quasi scholae non veritatis et insticiae, sed petulantiae officinae essent. Quo animo homines pii veniunt in templa ad facienda sacra, eodem animo vos quoque in scholas accedere oportuit; hic enim res divinae tractantur. Et magna cura adhibenda est, ut nostra sacra recte faciamus, ne nostra inscitia aut aliqua alia culpa artes corrumpantur. Non minus piaculum est, corrumpere artes, quam ceremonias in templis contumelia afficere. Ideo scholis nomen inditum est ab ocio, ut Respub. testetur se liberare nos a sordidis operis, ut dediti esse rebus divinis possimus. Addidit etiam praemia, sicut militibus. Etsi autem utilitates sunt exiguae, etsi indocti non solum contemnunt, sed etiam crudeliter oderunt literas, tanquam vincula cupiditatum suarum, tamen Deus non patitur omnino deesse praemia docentibus literas et discentibus. Et quo melius quaeque Respublica constituta est, eo est erga studiosos liberalior. Interim nos decet philosophico animo fortunae iniquitatem ferre et intelligere causas, quare optimae quaeque res maxime sunt spretae vulgo. Deinde incommodis etiam opponamus commoda, videlicet, dignitatem professionis et sanctitatem, postremo etiam iucunditatem. Itaque de hac etiam pauca adiiciam, videlicet, nullum vitae genus iucundius esse, quam vitam scholasticam.

Omnes sanae mentes incredibilem voluptatem percipiunt ex veritatis agnitione; nam ad hanc aspiciendam maxime conditi sunt homines. Hanc voluptatem in scholis multae causae augent. Primum enim magna ibi artium varietas est: omnium disciplinarum professores esse solent, qui consuli possunt in qualibet arte; est et frequentia discentium, in qua magna dissimilitudo est ingeniorum et iudiciorum. Quare nostras cogitationes cum multis conferre possumus, audire quid alii iudicent, imitari meliora exempla. Hinc enim est illa apud Hesiodum laudata contentio, de qua dicit, vicinum a vicino ad divitias properante, invitari. Ideoque apud Euripidem vere dictum est, communicatione opinionum in magna frequentia repertas esse artes. Et Cicero ait, magnam vim in discendo habere studium conferendi, quod συζήτησιν vocat ipse. Et Salomon ait: Ferrum ferro acuitur, ita vir excitatur a viro. Significat enim tum admoneri ingenia collatione consiliorum atque opinionum, tum exemplis excitari. Propter has tantas utilitates libenter in hac frequentia versari studiosos convenit. Postremo natura fit, ut similes delectentur similium consuetudine, maximeque hi, qui similibus artibus dediti sunt. Ipsa etiam celebritas delectat animos, iuvat videre bene compositos choros docentium et discentium. Nullum acroama dulcius est, quam audire de optimis rebus, deque omni varietate naturae, de Repub. de religionibus, quid alii peritiores sentiant. Vetus est dictum: Extra universitatem non est vita, quo significabant iucundissimam esse vitam in scholis. Id dictum opinor ortum esse ab eruditis et prudentibus, qui intelligebant, et quantam haec consuetudo, et communicatio sermonis vim habeat, et quantam pariat voluptatem. Delectat bonos et virtus illorum, qui liberaliter impertiunt doctrinam aliis, qui ex animo consulere posteritati conantur. Etsi autem in tanta infirmitate humani generis nullus est ordo, nullum vitae genus prorsus sine vitio, tamen in scholis minus aliquanto est fuci, odiorum et aliarum malarum artium, quam in aliis multis vitae generibus. Primum enim doctrina liberalis flectit mediocria ingenia ad virtutem. Nec fere quisquam adeo est ferrea natura, ut literis et mediocri disciplina non aliquanto fiat mitior. Est autem multo iucundior consuetudo cum eruditis, qui causas omnium honestorum officiorum intelligunt, quam cum indoctis, quorum iudicia multis

in rebus dissident a nostris. Deinde illud affirmare ausim, eum qui in studiis assuefit ad amandam et inquirendam veritatem, amare candorem ac simplicitatem etiam in moribus et in vita. Sed doctrina sophistica depravat voluntates, transfertur enim calumniandi studium ad mores. Ut autem quisquis est studiosissimus, ita maxime incensus est amore veritatis et Sophisticem odit acerrime. Dulcissimus autem convictus est cum eruditis et candidis, qui prospiciunt quid deceat, et certa quadam ratione moderantur omnes actiones et animi impetus, quasi freno regunt. Itaque nec dulciores, nec firmiores sunt amicitiae, quam philosophicae, hoc est, eruditorum amicitiae et societate studiorum contractae. Iam e regione confer ad haec scholastica sodalitia, consuetudines cum illiteratis, in quibus etiam si qui boni viri sunt, tamen minus suavitatis habent congressus cum illis, quia de doctrina nobiscum colloqui non possunt. Ne Lelii quidem et Scipionis amicitia tantum suavitatis habuisset, si fuissent ἄμουσοι. Sed angustia temporis non sinit nos omnia vitae scholasticae commoda colligere et illustrare. Haec autem recensui, primum, ut adolescentes intelligant et ament vitae genus in quo versantur; deinde cogitent, quanta vicissim requiratur ab ipsis diligentia, quanta in omni officio moderatio, ut hoc vitae genus ornent. Literati in summo fastigio rerum humanarum collocati sunt. Quare ut muneri omnium difficillimo satisfacere possimus, adhibenda est acerrima contentio animorum in docendo. Est et sanctissimum vitae genus et Deo gratissimum, conservare et propagare doctrinam vitae utilem. Sciamus igitur Deo poenas daturos illos, qui moribus suis dedecorant scholas, qui non conferunt aliquid operae ad doctrinae conservationem.

Postremo iucundissima est vita scholastica. Quare digni odio sunt, qui velut Centauri, aut Lapithae tumultuantur in scholis, et tranquillitatem universi coetus interturbant, disciplinam solvunt, qua soluta, dissipari societatem necesse est. Sunt et boni adhortandi, ut haec commoda in conspectu habeant, eaque opponant incommodis, quae multos abstrahunt a literis: plus valeat apud bonos dignitas literarum et publica utilitas, quam iniqua vulgi iudicia, quam odia Tyrannorum, quam paupertas.

Sic affectos esse iudico hos iuvenes, qui eo gradum petiverunt, ut se publice obligarent ad defensionem literarum. Iure igitur hunc animum eis gratulamur, eosque usitatis honoribus ornandos esse censuimus. Dixi.

No. 42. an. 1536.

De Friderico Barbarossa.

Apud Crat. Myl. p. 363 sqq., in Declamat. T. II. p. 538., in Servesl. T. II. p. 529. et apud Richard. T. II. p. 837. — Hoc anno hanc orationem esse scriptam intelligitur ex Epp. Vol. III. p. 190.

De Imperatore Friderico Barbarossa Declamatio.

Etsi studium atque consilium eorum magnopere probo, qui huc clarorum virorum, qui floruerunt apud Graecos aut Latinos, historias afferunt, plurimum enim refert nos quam maxime instructos esse cognitione historiarum, tamen ut mihi quidem videtur, aliquanto utilius est sumere operam in illustrandis ac recitandis domesticis ac patriis rebus, quam peregrinis. Primum enim efficacius movent animos domestica exempla, quia turpissimum est, degeneres videri. Deinde pleraque negocia praesentia magis ex maiorum nostrorum rebus gestis iudicanda sunt, quam ex historiis illorum, qui in alia Repub. in alia forma imperii floruerunt. Quare cum in hac forma Reipub. in rebus gerendis multa a patriis historiis sumenda sint, convenit nos non tantum in peregrinis rebus curiosos esse, et, ut dicitur, foris sapere, sed res nostrae inquirendae atque cognoscendae sunt, et sciendum, ut monet Homericus versiculus:

ὅττι μὲν ἐν μεγάροις ἀγαθόντε κακόντε τέτυκται.

Quid quod etiam pietas quaedam est, sumere operam in ornandis atque illustrandis patriae rebus, ut Poëta inquit:

Et pius est patriae facta referre labor.

Postremo ad hanc styli exercitationem plus conducunt hae materiae, quia peregrinae res extant ab eloquentissimis scriptoribus tractatae, a quibus facile est non solum causas, sed etiam ornamenta mutuari. Sed Germanicae res literarum lumine carent, et cum undique ex variis autoribus res colligendae sunt, tum nos ipsos addere ornamenta oportet, quorum utrunque et iudicium in inveniendo ac distribuendo, et ingenii vim in eloquendo varie exercet. Atque eo caeteros etiam

studiosos optarim in Germanicis rebus ornandis elaborare, quia video Principes nostros laudatissimis Regibus atque Imperatoribus, Graecis et Romanis, omni virtutum genere pares esse. Quare institui orationem de Friderico Aenobarbo, cuius etsi res gestas commemorare omnes non possum, tamen quaedam eligemus, ex quibus eius magnitudo animi atque consilii, fides, constantia, pietas existimari poterunt, ut intelligatis nullam ei virtutem dignam viro magno et bono Principe defuisse. Peto autem a vobis ut aequo animo hanc meam declamationem audiatis, qua in re vos quoque pietatis laudem auferetis, si eorum studium, qui sumunt operam in patria ornanda, probare vos significabitis. Etsi autem solet initio multis encomiis de generis nobilitate dici, quia semina virtutis propagari a bonis parentibus in posteros existimantur, tamen ego hic brevior ero, quia non potest esse obscura nobilitas eius viri, qui in familia Imperatoria natus est: Conradus enim patruus Friderici fuit Imperator. Illa vero maior laus est, quod non solum non degeneravit a maioribus, sed etiam ingenio et virtute eos longe superavit. Est et illud indicium praeclarae et generosae indolis, quod cum imperium multi potentissimi Principes ambirent, tamen Electores hunc iuvenem omnibus praetulerunt, quod non accidisset, nisi eluxisset in eo singularis indoles, quae spem faciebat futurum parem maximis rebus gubernandis et gerendis. Neque vero fefellit hanc spem Electorum, statim enim initio Imperii moderatione ac virtute perfecit, ne quenquam huius iudicii poeniteret. Nam cum accepisset imperium, nihil prius habuit, quam ut domi pacem sine publico motu et consilio potius quam armis constitueret: dissentiebant enim inter se Bavarus et Austriacus, potentissimi, ut nunc quoque, Germaniae Principes. Erat autem contentio de finibus, et bellum parabat uterque. Quod si non esset oppressum diligentia Friderici Imperatoris, exitiale fuisset universae Germaniae. Etsi autem Fridericus utrique cognatus erat, tamen Austriacum proprius attingebat. Itaque hic specimen egregium moderationis atque aequitatis suae praebuit. Non enim hunc praetulit Bavaro, non magis cognati partes tuendas sibi putavit, quam in commune paci consulendum. Imo cum propter cognationem plus valeret apud Austriacum, persuasit ei, ut de suo iure potius concedere ac regredi, quam progredi vellet, daret hoc publicae paci Germaniae, daret auspiciis sui imperii. Et ut hanc iacturam facilius ferret, auxit honore familiam Austriacam. Cum enim antea Marchiones essent, tunc ab Imperatore ducali titulo ornati sunt. Ita et Bavaro aequitate Imperatoris amplificati sunt fines et causa ingentis belli sublata est. Quantum autem laudis haec moderatio in Principe mereatur non est obscurum. Nulla enim virtus gratior est in Principibus et Reipub. magis necessaria, quam privatis affectibus et commodis publicam salutem suae patriae anteferre. Nulla est victoria gloriosior, quam cohibere animum et de proprio iure aliquid propter communem tranquillitatem remittere.. Quam multas legimus civitates eversas esse Principum ambitione et pertinacia, qui maluerunt omnia potius miscere ac in casum dare, quam videri vel tantillum aliis civibus cessisse. Haec una fuit causa civilium tumultuum Romae Marii, Syllae, Pompei. Sed nihil opus est vetera recitare: tota vita exemplorum huius generis plena est. Iure igitur Friderici consilium laudandum est, qui cum ipse moderatione summa usus est, tum vero cognato Principi autor fuit, ut pacis publicae causa nonnihil de iure suo concederet. Exteri homines ac nimium *φίλαυτοι* nostros Imperatores appellant barbaros et impetu magis animi quam ratione gessisse omnia iudicant. Sed cum alia infinita nostrorum Principum sapienter moderateque facta, testantur eis iniuste barbariem obiici, tum vero haec Friderici pacificatio declarat ei nec prudentiam in conciliandis voluntatibus Principum, nec gravitatem defuisse, dum publicam tranquillitatem privatis affectibus praetulit. Haec auspicia imperii ipsius et ipsi autoritatem benevolentiamque conciliarunt, et spem omnibus gentibus iusti et moderati imperii praebuerunt, quo neque optabilius quidquam accidere prudentibus, neque pulchrior res et admirabilior existere ulla potest. Etsi autem aequitatem animi ne armatus quidem deposuit, tamen magis luret eius virtus in his rebus quas bello gessit, quam in toga. Cumque variae sint ingeniorum in Imperatoribus species, in aliis cunctatio laudatur, in Alexandro, in Iulio celeritas, hic noster Imperator, Alexandri aliquanto similior fuit dimicandi cupidus, nusquam detrectavit pugnam etiam locis iniquis, obsidiones vix unquam solvit, neque tamen otiosus assedit in castris, sed continuo oppugnans urbes, instabat hostibus, ut cum intervalla ad quiescendum non satis commoda haberent, tolerare obsidionem diu

non posset, ipse in acie inter antesignanos pugnare, in oppugnationibus primus ascendere muros, denique praestantissimi Ducis et fortissimi militis opera omnia obire solebat. Itaque semper maxima celeritate ingentia bella confecit. Primum bellum cum Danis gessit, cuius gentis olim quoque summam fortitudinem fuisse, historiae Cimbrorum testantur, qui quam formidabiles fuerint urbi Romae, quoties trucidaverint Romanos exercitus, non ignoratis. Hodie etiam tanta Danicae gentis fortitudo, tantus usus militiae est, ut nihil degenerasse a Cimbris illis veteribus videantur. Occupaverunt Dani Lubecam, et exercitus toto illo littore habebant firmissimos. Sed Fridericus cum iudicaret utilissimum esse, primum rursus eripere hostibus belli, arcem ac receptam Lubecam obsidione cinxit, sperans fore, ut hostes liberaturi urbem periculo, pugnandi copiam facerent. Nec fefellit Fridericum hoc consilium. Itaque cum aliquot praeliis, quae interea dum urbem obsidet commissa erant, superior fuisset, recepta Lubeca, cum nollet implicari diuturno bello, praesertim in illis locis, et gentem fortissimam sibi conciliare et adiungere certis conditionibus mallet, facile obtinuit autoritate sua, ut Rex Danicus ad se in castra veniret, de pace collocuturus. Ibi exponit Imperator se bellum suscepisse, non ut aliena appeteret, sed ut fines suos tueretur: idem si Dani facerent ac suo regno contenti essent, se non solum pacem cum eis facturum esse, sed eorum amicitiam etiam expetere, quia invitus bellum gereret cum ea natione, quam iudicaret cognatam Germanicae. Dani non tam fracti armis, (etsi Imperator non solum prudentia et fortitudine singulari, sed etiam magna foelicitate bellum illud gesserat) quam capti iusticia et humanitate Imperatoris, pacis conditiones accipiunt. Ita bellum ingens et periculosum non solum armis, sed etiam aequitatis opinione confecit et Regem vicinum sibi devinxit. Haec Regum societas atque amicitia diuturnam et certam pacem illis locis peperit. Postea ingressus Italiam, Romae de more coronatus est. In eo itinere Mediolanenses non tam armis quam autoritate compescuit, qui cupiditate dominationis vicinas quasdam civitates iniuste occupaverant. Sed haec lenitas postea occasio fuit ingentis belli: postquam Imperator in Germaniam rediit, Mediolanenses Imperatoris lenitatem interpretantur esse metum aut animi mollitiem. Quare iam despondent sibi imperium Longobardiae, sollicitant ad bellum potentissimas quasque Italiae civitates. Queruntur sibi ius quarundam civitatum ademptum esse. Hortantur ut communibus copiis Italiae libertas defendatur. Haec fuerunt asperrimi et diuturni belli initia. Cum autem Fridericus intelligeret Italiam totam in armis esse, summa celeritate exercitum in Italiam ducit. Historia est longior, quam ut in declamatione recenseri tota possit. Sed excerpam quaedam facta, quae ostendunt et quanta animi magnitudine fuerit ipse Fridericus, et quantos motus quanta celeritate oppresserit. Itali exercitum in ulteriore ripa Abduae habebant, Germanus in citeriore. Cumque arbitrarentur Itali se tutos esse propter flumen, ferociter provocant Germanos: in ipsum etiam Imperatorem convitia superbissime dicunt. Etsi flumen intumuerat, ut traiici exercitus sine periculo non posset, tamen Fridericus impatiens contumeliae, traducere exercitum asseruit et flumini se primus committit. Exemplum Imperatoris sequuntur primum equites, deinde et legiones; non munierunt Itali castra, non instruxerunt aciem, quia loco se tutos fore putaverant. Ita in imparatos subito facit impetum Fridericus, et totum Italicum exercitum fudit et fugat. Haec una victoria propemodum totius Italiae possessionem Imperatori restituit; nam hostibus repressis, multas deinde civitates occupavit, socios confirmavit, et praesidia certis oppidis imposuit. Erat iam debellatum, nisi ecclesiasticum schisma rursus inflammasset hoc bellum. Romae duo Pontifices creati erant, quorum alter Alexander, Imperatorem anathemate execratur, propterea quod Imperator videretur alteri magis favere. Incendit Alexander universam Italiam, ac praecipue Venetos, adversus Fridericum. Semper ambitio pontificum et ordinum ecclesiasticorum ingentes tumultus peperit. Non leviter autem initio perturbatus est Fridericus mentione anathematis, scribit ad collegium Cardinalium, ut res diiudicentur. Sed Alexander vetat cognitionem, propterea quod haberet in partibus maiorem Italiae partem et Gallos; et ne quid a Caesare periculi esset, recepit se in Galliam. Movit haec contumelia animum hominis Suevi, quare iratus, bellum acerrime gerit, multos hostium exercitus delet. Et quia Mediolanensium praecipuae fuerant in ea coniuratione partes, Mediolanum vi captum diripit, diruit ac solo aequat; reliqua Longobardia recepta, in Germaniam reducit exercitum, quia Italia pacata, cae-

teras iniurias persequi noluit. Sed belli autor Pontifex Alexander e Galliis redit in Italiam, cum iam tranquillam esse videret. Inflammat Venetos, ut bellum instaurent. Deficiunt ad eos multae aliae civitates. Haec coniuratio revocavit Imperatorem in Italiam, ubi rursus recuperata Italia, cum Pontifex videret se Romae non satis tutum esse, habitu nautico fugit ac se Venetias contulit. Ad extremum cum alter Imperatoris filius in acie cecidisset ad Bononiam, alter natu minimus a Veneta classe interceptus esset, oblitus iniuriarum, de communi pace agi passus est, quod ut faceret, moverunt eum praecipue causae publicae. Tanti enim tunc erant in Asia Saladini foelicissimi Principis successus, ut nisi Imperator ei occurreret, viderentur brevi non in Syria tantum, sed in tota Asia regnaturi Mohametistae; et Italia fessa ubique pacem petebat. Credibile est autem praeter has publicas causas multum valuisse etiam paternum dolorem. Nam cum domestica vita Friderici plena fuerit humanitatis ac pietatis, haud dubie etiam valde fuit *φιλόστοργος*, ut nunc quoque in Germanis vehementiorem videmus esse liberorum amorem, quam in caeterarum nationum hominibus. Movit igitur Fridericum, extincto altero filio, capto altero, patruus dolor, ut animum ad pacem constituendam adiiceret, praesertim cum ipse semper a bello abhorruisset, et coactus scelere Pontificis sumpsisset arma. Itaque tandem convenit ita, ut Fridericus Venetias veniret, et ibi se ad pedes Pontificis abiiceret, et absolutionem peteret; deinde constituta pace in Italia, duceret exercitum in Asiam. Has conditiones Fridericus, etsi armis adhuc fuerat superior, accepit, tamen Venetiis abiecit se ad Pontificis pedes, petivit veniam. Nec fuit contentus Pontifex hac Imperatoris modestia, qui erat factus supplex, sed addidit contumelias insignes; pedem collo Imperatoris imposuit, et iussit acclamari: Super aspidem et basiliscum ambulabis. O inauditam superbiam et tyrannidem! Ethnici Reges ac Duces reverentia regii nominis etiam vi captos Reges saepe honorifice tractarunt. Certe simili superbia adversus Regem in pacificatione nemo unquam usus est. Itaque generosus animus in hoc ipso spectaculo ostendit se indignitate rei moveri. Fridericus enim palam interpellavit Pontificem: Non tibi, inquiens, sed Petro. Significabat enim se factum esse supplicem non huic Tyranno, sed Apostolicae autoritati. Reclamat Papa tyrannice: Et mihi et Petro. Sic impetrata absolutione, Fridericus priusquam traiicit exercitum in Asiam, sumpsit sibi aliquantulum temporis ad pacem legibus muniendam, Mediolanum instaurari curat, et fert leges, quas vocant de pace constantiae, quarum beneficio hodie quoque melius reguntur Respublicae; extant enim in iure et earum autoritas in primis valet. Multa sunt in hac historia memoratu digna exempla; monet enim, quanta sit pestis Rerumpub. ambitio in Principibus ecclesiasticis: quanta sit virtus, oblivisci iniurias et condonare eas Reipub. praeterea qualibus exemplis Pontificia tyrannis creverit: sed nolo haec omnia persequi. Illud miretur aliquis, quomodo ita frangi ingens animus Friderici potuerit, ut et supplex fieret in causa meliore, et insuper supplicem se affici tanta contumelia sineret. Certe non abiecit animum metu aut desperatione victoriae. Vicerat enim hactenus, et praecipuam Italiae partem tenebat. Nec tantae Venetorum opes tunc erant, ut sunt hodie; at ne nunc quidem pares sunt nostris Imperatoribus. Praeterea Fridericus etsi uno atque altero praelio eius legati victi erant, tamen ipse cum esset Imperator usu peritus et foelix et dimicandi cupidus, non propterea de summa rerum desperavit. Meo iudicio cum publicae causae hortarentur eum ad pacem, et vellet concordiam in Europa firmam constitui, reverentia loci Apostolici et religione motus est, ut non recusaverit fieri supplex. Audierat et Theodosium antea ab Ambrosio veniam errati petiisse. Magna autem vis est religionis, cum in omnibus bonis viris ubique, tum praecipue in Germanis, quos multa exempla testantur, magna constantia religionem non solum vitae ac fortunis, sed etiam dignitati anteponere solere. Cessit igitur de suo iure non metu, non imbecillitate animi fractus, sed quadam religionis opinione, quae in animis bene institutis valere plurimum debet, adductus. Et cessit utilitatis publicae causa, ut constituta firma concordia in Europa, latrocinium Mahometicum in Asia reprimi posset. Quod si Ennianum illud iure laudatur, quod de Fabio dictum est:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Dignus etiam laude Fridericus erit, qui dignitatis iacturam aequo animo tulit propter communem salutem. Praeterea arbitror eum, etiamsi petendae absolutionis causa, non dubitavit se ad pedes Pontificis abiicere, tamen reliquas ei contumelias

accidisse praeter opinionem. Homo Germanus, minimeque suspicax, non praevidebat Pontificem tanta usurum esse superbia et crudelitate erga Regem supplicem, cuius consilia omnia spectabant iam ad defensionem totius Christiani nominis, non arbitrabatur fore, ut insultaretur atque illuderetur sibi velut Iugurthae in triumpho. Illa immanitas credo homini Germano non venit in mentem, unquam fore, ut sacerdos, qui debet modestiae exemplum esse, cervici Imperatoris pedes imponeret, et adderet acclamationes contumeliosissimas. Haec si praevidisset, ut ego quidem ratiocinor, pertrahi in illud spectaculum non potuisset: aut si praevidit, haud dubie nulla res alia, nisi honesta de religione opinio, animum vere Achilleum inflexit. Sed quid ego Fridericum excuso? qui etiamsi videtur dignitatem non satis vehementer defendisse, tamen culpa est potius Pontificis, a quo orta est iniuria: quare potius accusanda est Pontificis superbia et crudelitas. Quantum enim sit in hoc facto sceleris et turpitudinis, ex eo existimari potest, quod nullum simile exemplum usquam in ulla historia ullius gentis, nedum Episcoporum, reperitur. Primum causa excommunicationis iniusta fuit; sed finge fuisse probabilem, oportuit tamen Pontificem petenti veniam dare; deinde Pontifex non debuit afficere contumelia dominum. Sed omitto hanc subtilem de Christiana modestia disputationem, quae iam olim Romae explosa atque exibilata est, nec putatur magis convenire Principibus, quam illae ridiculae Stoicorum sententiae, in quibus dicitur: solos sapientes esse formosos divites. Commune ius gentium videamus, quod omnes Reges, nisi malunt esse tyranni, servare solent. Violari creditur ius gentium, si veniens Rex ad pacem petendam, contumelia afficiatur; at Fridericus cum quidem esset victor, venit non ad pacem petendam, sed absolutionem, in qua maior etiam religio inest. Hic Pontifex victorem venientem in colloquium ac deliberationem de communi salute orbis terrarum non aliter tractat, quam Ulyssem Polyphemus in antro conclusum. Addit absolutioni contra divina et humana iura cyclopicam immanitatem. Sed his exemplis immoderatam potentiam ac tyrannidem suam confirmare Pontifices conati sunt, quae cum diu iam fuerit Ecclesiae pernicies, optandum est, ut tandem aliquando Synodorum autoritas liberet iniusta et impia servitute Ecclesiam. Reges decebat dignitatis suae causa impatienter hanc servitutem ferre, et ulcisci iniurias Regibus factas. Sed si haec causa nihil movet eos, debebant tamen consulere Ecclesiae saluti, et cohercere immoderatam potentiam; nulla enim res magis inimica atque infesta est Ecclesiae, quam tyrannis. Verum hanc disputationem reiiciamus ad futuram Synodum, si quid tamen ibi loci erit veris deliberationibus. Nunc ad Fridericum redeo, qui postquam ea quae ad pacem, se absente, retinendam in Germania et Italia necessaria erant, summo consilio providit atque constituit, legibus etiam optimis latis, contraxit ingentes copias, easque magna celeritate Byzantium duxit, ut inde in Asiam traiiceret. Hanc expeditionem non ambitione aliqua aut superstitione susceptam putate; nam Saladinus capta Hierosolyma, et occupata fere tota Syria, iam Ciliciam et Armenias, quas ad id tempus tenuerant Imperatores Constantinopolitani, invaserat, Emanuelem etiam Constantinopolitanum Imperatorem ceperat. Nullius Mahometici Ducis antea virtus ac foelicitas tanta fuerat, multos exercitus Christianos diversis locis conciderat. Quare nisi reprimeretur, facile tota Asia potiturus videbatur. Hoc tantum periculum, et ut ego existimo, etiam quaedam heroica indignatio excitavit ingentem animum Friderici. Intelligebat sui officii esse, ut tam crudele latrocinium a Christianorum finibus ubicunque posset, depelleret. Existimabat etiam sibi turpe fore bellatori tanto, si domi ociosus spectaret grassantem victoriis hostem Christiani nominis. Itaque iustum et pium bellum ingenti animo movit. Perfecit etiam, ut Richardus Rex Angliae duceret exercitum in Asiam, ad recuperanda maritima loca. Fridericus cum suis copiis in mediam Asiam ingressus est: nec defuit Deus honestis consiliis. Tanta enim subito omnium rerum mutatio in Asia et Syria facta est, ut Saladinus, qui antea deleverat multos Christianorum exercitus lateque vagatus erat in bona parte Asiae, nunc tueri ea quae tenebat, non posset, Fridericus ei Ciliciam eripuit, fusis et deletis Saladini exercitibus; alibi ad littus Rex Angliae multas ei urbes ademit. Ita cum in ipso victoriarum cursu Saladinus repressus esset, Asia servitutis metu liberata est. Quantum autem verae laudis mereatur hic Fridericus, non possum pro dignitate explicare. Primum voluntas fuit optima, quod occurrendum esse Saladino censuit, ne in servitutem venirent Christiani, et ne Mahometistae auctis viribus latius propaga-

rent suam impietatem. Deinde quantum decus est magnitudo animi, quod ausus est procul in Asia quaerere hostem, et sumere difficillimam belli partem, quod non deterruit eum foelicitas Saladini. Quare Fridericum non existimabitis mediocrem aliquem Ducem fuisse. Excellens ipsius virtus, et in armis foelicitas, satis ostendunt, fuisse Achilleam naturam. Ita enim Saladini virtutem et foelicitatem conterruit Fridericus, ut non solum languescere statim Saladini animus coeperit, sed etiam postea diu res Christianorum in Syria fuerint superiores. Potuissentque tum penitus deleri, aut certe ex Syria et Aegypto pelli Mahometistae ac Turci, quorum nomen tunc primum auditum est, si Fridericus diutius superstes fuisset. Sed fata, ut ego quidem interpretor, urgebant Asiam, et Deus poenam differre aliquandiu, non prorsus remittere voluit. Cum igitur recuperata Cilicia Fridericus progressus, Saladini exercitus ex Armenia minori expulisset, cum forte defatigatus labore atque aestu quem Germani non satis ferre norunt, descendit in flumen, lavandi studio. Ibi alii ferunt eum abreptum vortice in flumine periisse; alii ferunt redeunti ex aqua epar male affectum esse, ut fit; meministis enim in Cilicia lavantem in flumine, incidisse in letalem morbum. Dicitur itaque, Fridericus epatis morbo intra paucos dies extinctus esse. Hic fuit interitus Friderici imprimis lugendus Reipub. Quo in loco subit recordari fata multorum praestantium bellatorum, qui cum virtute summa praediti essent, tamen levissimis casibus afflicti, perierunt. Achilles dum apparat nuptias, per insidias ab homine ignavo interficitur. Denique Acandae caeteri, Aiax, Pyrrhus, postremo Alexander subita et indigna morte perierunt. Quid dicam Samsonem ipsum, et alios multos, quorum exitus indigni tanta virtute fuerunt. Quare propter genus mortis, nihil de laude virtutis Friderici detrahendum erit. Sed sit id quoque exemplum, quod nos admoneat humanae miseriae, quod heroici et fortissimi viri, saepe levibus momentis oppressi, indigna morte pereunt. Illa vero foelicitati eius tribuamus, quod non ante extinctus est, quam fractus esset Saladinus, et Asia liberata periculo. Domi etiam Respub tranquilla fuit, designaverat enim successorem filium, ne quid electio tumultum pareret ipso amisso. Itaque cum fuerit in Friderico fortitudo et scientia rei militaris eximia, et quanquam ipse variis iactatus est casibus, tamen cum in armis foelix etiam fuerit, et profligatis bellis, diuturnae pacis et optimi status autor in Germania et Italia fuerit, denique cum represserit Saladinum, iure bonis Imperatoribus, et heroica virtute praestantibus Fridericum annumeremus. Postulabat hic locus, ut etiam de domestica eius vita et moribus diceremus, quos egregie praedicat Ligurinus. Et magnitudo rerum testatur eum non fuisse deditum luxui, aut voluptatibus: fuisse in eo praecipuum studium religionis, ostendunt monumenta plurima. Multa enim collegia Regularium, ut vocant, condidit, ut in illis colerentur studia doctrinae Christianae, quae tunc videbat negligi in illis veteribus et opulentioribus collegiis et monasteriis. Tria memini collegia ab ipso condita, Adelburgense, Hagonense et Gelhusanum, caetera non memini. Curam legum et disciplinae publicae summam in eo fuisse et leges eius testantur, et quaedam exempla. Palatinum principem, propterea quod se absente quaedam occuparat in Wormacensi Episcopatu, severe punivit et veteri more coëgit per totam Wormatiam canem in humeris gestare, prioribus apprehensum pedibus. Literas latinas sic satis calluit, ac amasse ac provexisse eum testantur Otho Frisingensis et Ligurinus. Nam Otho Episcopus Frisingensis, cum quidem fuerit eius cognatus, ait eum a se petivisse, ut historiam scriberet. Et Ligurinus Poëta significat Fridericum non solum fovisse literas et ingenia, sed etiam curasse, ut filio probe traderentur literae; sic enim inquit:

O bene quod talem divina potentia Regem
Instituit, qui sic studiis imbutus honestis,
Novit ab insipido doctum secernere vulgo,
Iamque diu mutas, solitasque silere Camoenas
Excitat, ad veterem digna mercede laborem.

Dixi.

No. 43 (an. 1536. ut videtur.)

De Sigismundo Imperat.

Apud Craton. Myl. p. 886 sqq., in Declam. T. II. p. 524., in Servest. T. II. p. 515. et apud Richard. T. II. p. 827.

De Sigismundo Imperatore declamatio, recitata a Iohanne Oelhafen, Noribergensi.

Etsi laudo studium eorum, qui huc veteres et peregrinas historias afferunt, nam illae etiam nos de

multis vitae partibus admonent: tamen censeo interdum et res Germanicas recitandas esse; turpe est enim domestica ignorare. Et nostrarum rerum noticia magis conducit ad iudicanda negocia Reipub. et Ecclesiae horum temporum. Ideo decrevi de Sigismundo Imperatore dicere, quem ut potissimum eligerem, etiam quadam privati officii ratione adducor; nam Sigismundi eximia fuit erga patriam meam Noribergam benevolentia. Pater vero, Carolus quartus, civitatem domestica seditione pene funditus perditam, Deo iuvante, consilio et virtute singulari restituit. Deinde Sigismundi nomen eo gratius esse studiosis omnibus debet, quia cum esset in toga Princeps salutaris, et nostras artes benigne fovit, et Ecclesiae, quantum tunc quidem providere potuit, recte consulere conatus est. Nam et Synodum indixit in discordiis publicis, in qua etiamsi quaedam sine eius consilio crudeliter facta sunt, tamen illud fuit utile decretum, ut decimo quoque anno Synodus generalis haberetur: quod tamen postea Pontifices superbe abrogarunt, qui cum volunt, pacta non sunt pacta, ut inquit Plautus. Quantum autem prodesset hodie ad communem concordiam, illa doctorum collocutio, si Synodi, ut fuit constitutum, haberentur? qua in re tamen consilium Sigismundi et voluntas laudem merentur. Quanquam igitur res eius gestas explicare integre non potero, tamen praecipuas breviter colligam, vosque rogo, ut meae orationi veniam detis.

Sequar autem usitatum ordinem, primum, ut de genere pauca dicam, quod in magnis viris libenter consideramus; quia enim semina quaedam virtutum a maioribus in posteros propagari existimamus, incendimur animis, ut cupiamus etiam scire quales illi fuerint, a quibus magni viri orti sunt. Deinde in illis, quos patria nostra genuit, inhumanum esset generis mentionem praetermittere; nam multis de causis laudes magnorum virorum, ad patriam aliqua ex parte pertinent, quae aliquos addit ingeniis impetus, quae certa disciplina cives assuefacit. Sed ne sim prolixior, natus est Sigismundus patre Carolo quarto Imperatore, proavo Henrico Lucelbergensi Imperatore, cuius tanta fuit virtus et sapientia, ut in diuturno interregno omnium Principum suffragiis expetitus sit ad gubernationem et sedandos ingentes Italiae ac Germaniae motus.

Fortes creantur fortibus et bonis, inquit ille. Ab his viris igitur ortus Sigismundus, indole fuit ad virtutem et ad decus incitata. Adolescens consilio patris diligenter in literis institutus est, quarum cognitio postea ei in gubernatione maximarum rerum magno usui fuit. Pater ei Marchiam Brandenburgensem et Moraviam reliquit, in quibus regendis cum eius prudentia, dexteritas ac iusticia ubique celebrarentur, Hungari eum accersiverunt, ac Regem sibi praefecerunt. Hic vero magna eum fortunae varietas excepit. Initio domesticas Hungarorum discordias diremit, et pacem restituit aequitate et moderatione Imperii, sine armis. Nam cum eo tempore Baiazetes cinxisset obsidione Constantinopolin, et Imperator Byzantius in Galliam navigasset, ut auxilium a Christianis Regibus peteret, nequaquam deesse vicino Imperio voluit, suasque vires ac opes omnes ad societatem belli collaturum se esse ostendit. Ideo domesticas dissensiones non irritandas, sed quoquo modo dirimendas esse duxit. Statim igitur in Mysiam duxit exercitus, et multas res prospere gessit: occupavit Muldaviam, et aliquot praeliis fudit ac profligavit Turcicas copias. Sed posteaquam Gallici exercitus in Hungariam venerunt, seque cum Hungaris coniunxerunt, ibi Baiazetes, cui propter celeritatem a fulgure nomen fuit, maiore vigilantia et maioribus copiis rem gerere coepit. Erant initia belli Sigismundo satis laeta, cepit enim Nicopolin sitam in aditu Macedoniae. Postea vero cum Galli avidius in pugnam ruerent, magna clade accepta, captis Gallorum Principibus, Sigismundus vix evasit, una cymba cum Magistro Rhodio Danubium traiiciens inspectantibus hostibus, qui cum sequi eos non possent, sagittis petebant. Etsi autem eventus praelii, ut dixi, funestus fuit, tamen laudanda est virtus Sigismundi, et aliorum, qui deesse Reipublicae noluerunt, qui non sua segnitie hostes invitare solebant, qui, quantum potuerunt, reprimere Turcicam barbariem conati sunt; et profuit horum virtus ad retardandos hostium impetus. Quare magna laus etiam his fortibus viris debetur, qui quanquam infoeliciter dimicarunt, tamen Reipublicae suum officium praestiterunt. Sicut Demosthenes ait: Laude dignos esse cives, qui patriam fortiter defendunt, etiam si eorum virtuti non respondeat fortuna. Non enim eventu metienda sunt honesta consilia, sed vera ratione et officio. Ideo et in Epitaphio civium inscripti sunt hi versus:

Nulla adversa pati, nunquam peccare Deorum est.
Nemo hominum fati vim superare potest.

Porro haec clades ad Nicopolin accepta, accidit nostris, circiter annum post Christi natalem, millesimum, trecentesimum, nonagesimum quintum.

Ut autem secundae res autoritatem addunt Ducibus, ita adversae minuunt, interdum etiam odia accendunt. Quare cum redisset in Ungariam, amissis multis fortissimis civibus, proceres quidam contra eum conspiraverunt, quorum animos quorundam suppliciis in auspiciis regni offenderat. Captus igitur a coniuratis, in quadam arce diu custoditus est, unde tandem domina, miserata indignam fortunam boni Principis, clam eum dimisit. Elapsus rediit in regnum, instructus Germanicis auxiliis, et triginta Regulos capitali supplicio affecit. Haec severitas ei profuit ad caeteros cohercendos, et recuperandam pristinam autoritatem. Etsi enim nusquam discedebat a iusticia in negociis diiudicandis, tamen semper alias in poenis iusticiam clementia et lenitate temperare solebat. In hoc uno facto necessitas coëgit eum severitate maiore uti. Verissimum enim est illud dictum Aeschinis, quod Demosthenes citat: Nihil valet imperium, quod non habet nervos adversus scelera tot et insanabiles. Laudanda est igitur in hoc casu ipsius gravitas ac severitas.

Cum autem iam in tanta fortunae et negociorum varietate perspecta esset eius virtus, et dissidia Italica flagitarent Imperatorem non segnem, neque ignavum, sed qui consilio et autoritate excelleret, Germanici Principes Sigismundum creant Imperatorem, anno millesimo quadringentesimo et duodecimo. Nec fefellit eos iudicium de ipsius voluntate ac fide. Cum enim iudicaret nihil esse dignius Imperatore, quam legitimis modis ecclesiastica dissidia tollere, primum omnium curare coepit, ut Synodus indiceretur. Vetus dictum est, nescio cuius Pontificis: Plures consequi Pontificatum more Romuli, quam Petri. Fuerunt enim saepe ingentia certamina in electione Pontificum, quae quidem ante Sigismundum ita exarserant, ut annos amplius triginta non convenire potuerit inter Cardinales de electione: Alii ab aliis eligebantur, et edebant mutuas condemnationes et execrationes, magnoque novorum, ut inquit Lucanus,

Proventu scelerum, quaerunt uter imperet orbi.

Habebant aliae factiones aliorum Regum studia. Italia dilacerabatur intestinis bellis, quae accendebant discordiae Pontificum.

Cumque Sigismundus accersitus esset ad imperium, erant tres Romani Pontifices, Ioannes Bononiae, Gregorius Arimini, Benedictus in Hispania. Hoc dissidium non armis, non violentis modis tollere Sigismundus decrevit; extant enim divinae leges, quae docent, quo ordine controversiae ecclesiasticae cognoscendae sint. Has Sigismundus, quantum in ipso fuit, non voluit praeterire. Et quia sine consensu caeterorum Regum frustra Synodum indicturus erat, ipse totam Europam pervagatus est: adiit Galliam et Hispaniam, egit et cum Rege Anglico, ostendit quantum intersit Reipub. Christianae, ut Synodus indicatur. Rogat ut assentiantur, et pium consilium ac necessarium Reipub. adiuvent, ut Reges quibus praecipue Ecclesiae custodia commissa sit, decet. Persuadet tandem, ut consilium Sigismundi approbent, ac promittant se non defuturos communi saluti. Postea venit in Italiam, et cum Ioanne colloquitur, ne desideraretur in Synodo nomen Pontificium. Hunc quoque adducit in suam sententiam, et persuadet, ut venturum se in Germaniam polliceatur. Synodus indicitur Constantiae.

Nec minus negocii fuit postea, durabant enim certamina inter tres, nec quisquam aequo animo cessurus erat alteri de nomine Pontificio. Meministis dictum in Tragoedia:

Si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est, in aliis pietatem colas.

Id dictum valet apud Pontifices non minus, quam apud Geometras illae sententiae, quae vel *κοιναὶ ἔννοιαι*, vel *ἀξιώματα* vocantur. Itaque singularis sapientiae et diligentiae fuit: primum redigere omnes in ordinem; deinde consentientibus suffragiis unum surrogare; postremo cavere, ne tales discordiae repullularent. Hae deliberationes in quadriennium usque extractae sunt, quo tempore ipse plurimum sustinuit laboris, dum retinet et confirmat Regum voluntates.

Synodo aliquoties ipse interfuit, ac primum cum eo venit in nocte Natalis Domini, cecinit lectionem Evangelii in liturgia: exiit edictum a Caesare Augusto, ut totus orbis describeretur, quod cum legeret ipse, visus est non solum de suo officio hoc significare curam Ecclesiae orbis terrarum Imperatori commissam esse, sed etiam alios admonere, ut Imperatori cupienti consulere saluti omnium gentium, aequo animo parerent.

Praecipua autem et utilissima constitutio eius Synodi haec est: Decretum fuit, ut deinceps decimo quoque anno post prioris Synodi exitum alia Synodus indiceretur; ideoque Basiliensis Synodus statim secuta est. Sed hanc Pontifex Eugenius, cum autoritate non posset, armis dissipavit, misit in Germaniam Delphinum cum ingentibus copiis; quae cum inauditam crudelitatem in Alsatia exercuissent, Basileam petierunt. Ibi exiguae copiae Helvetiorum cum eis dimicarunt, propemodum ut Lacedaemonii ad Thermopylas cum Persis. Itaque Gallicus exercitus dissipatus ac profligatus est. Sed tamen paulatim in illis tumultibus dilapsi sunt et Regum Legati, qui ad Synodum convenerant.

Postea facile caverunt, ne Synodi coirent, quia viderunt utranque Synodum aliquid de autoritate Pontificia decerpsisse. Decreverant enim Synodi autoritatem maiorem esse quam Pontificiam: posse Synodorum iudiciis, Pontifices removeri a gubernaculis: tribuerunt suffragia non solis Episcopis, sed etiam caeteris doctis et piis. De quo articulo cum fuisset acerrime disputatum Basileae, tamen haec sententia vicit, propter locum in Actis Apostolicis, ubi dicuntur adhibiti in diiudicanda controversia de Circumcisione, non soli Apostoli, sed etiam caeteri seniores.

Etsi autem hi articuli leviores sunt, quam ut labefactare Pontificum potentiam queant, tamen ipsi, ut astuti gubernatores, meminerunt praecepti politici, *μὴ παρορᾶν τὸ παρὰ μικρόν*. Nulla in re, quamvis levi ac minuta, exemplum violandae autoritatis concedendum esse. An non videtis hoc tempore ipsos mordicus tenere hoc praeceptum? Nihil officeret Pontifici correctio abusuum, sed meminerunt illud *ἀξίωμα*, *μὴ παρορᾶν τὸ παρὰ μικρόν*. Cum igitur metuerent paulatim Synodos plus libertatis sibi sumpturas esse, arte postea caverunt, ut dixi, ne Synodus ulla ita coiret, ut libertas esset piis dicendae sententiae.

Sed redeo ad Sigismundum, qui quod vetus exemplum indicendae Synodi renovavit, quod ad emendationem Ecclesiae excitare Principes voluit, perpetua laude dignus est. Quod autem vel postea expectationem eius eluserunt Pontifices, vel in ipsa Synodo Constantiae novo exemplo, non tantum sententiis damnati sunt duo viri pii ac docti Boemi, Iohannes et Hieronymus, sed etiam crudeliter interfecti, haec non sunt ab Imperatore orta; et si is quidem non omnino vacat culpa, sed tamen absente Imperatore illi duo condemnati sunt, et affecti suppliciis. Et certum est, Cancellarium Imperatoris, virum excellenti ingenio et virtute praeditum, Casparum Slik, cum illae crudeles sententiae dicerentur, surrexisse, ac palam testatum esse, se ab illis iniustis suffragiis dissentire, atque ita ex consessu abiisse. Haec tota actio quid habuit simile iudiciorum Ecclesiasticorum? aut quae unquam Synodus tale edidit exemplum, simul ut sententiis iugularet reum et interficeret? Nec iam de dogmatibus loquor, ordinem iudicii et novum exemplum reprehendo. Haec non erat permissurus Imperator, si adfuisset, nisi fortassis et ipse superstitione fascinatus fuisset, quae maximam vim habet in animis hominum. Hactenus de Synodo dixi, quae est Sigismundi praecipua actio in toga.

Interea Baiazetes a Tamerlano victus et captus fuerat. Quare Sigismundus occasione utendum duxit, ac rursus ingentem exercitum contraxit, et ingressus Mysiam, cum Turcis nihilo foelicius conflixit, quam antea ad Nicopolin, ac rursus fugiens, aegre defendit vitam. In eo itinere cum moestus venisset Posonium, ac feriae essent Ascensionis, cum vesperi lachrymans et deplorans calamitates Reipub. Christianae, magno animi motu Deum invocasset, ac rogasset, ut reprimeret impietatem Turcicam, et sanaret Ecclesiae vulnera, ibi noctu dormienti oblata est quaedam species Episcopi, qui eum longa oratione consolatus est, ac primum narravit, has clades Christianorum, esse poenas scelerum omnis generis, quibus polluta sit Ecclesia, ac praesertim impietatis in his qui praesunt. Deinde commemoravit, qualis post ipsum futurus esset status regni Hungarici et Ecclesiae. Narrat futura civilia inter Hungaros bella, plures de regno dimicaturos esse, vexaturos Pannoniam Turcos, sed non retenturos. In Ecclesia vero magnas discordias secuturas esse, multis in locis sacerdotes potentiam et opes suas amissuros, futuram doctrinae et rituum mutationem, et multorum vitiorum emendationem. Post hos motus, ait, Principes quosdam de constituenda Ecclesiae tranquillitate cogitaturos esse.

Haec tota narratio in monumentis bonae fidei reperitur, quae an significaverit res praesentes, an motus Bohemicos tantum, qui statim secuti sunt, ignoro. Ipse in Synodo Basiliensi rem eo deducere conatus est, ut Ecclesiae essent tranquillae,

ac Boemis concederetur uti integro Sacramento. Idem visum est multis doctis viris in ea Synodo. Sed Iulianus Cardinalis hortator erat, ut totis Germaniae viribus Boemos invaderet, ac cessantem, saepe obiurgabat. Tandem ita perpellit. Exorti erant in Boemia tumultus scelere cuiusdam Abbatis, qui puellam nobilem rapuerat; hanc cum frater et cognati tumultuosius reposcerent, questus est Iulianus seditiones esse motas. Ad has opprimendas hortatur Imperatorem, quas quidem ille moderatione multo facilius, quam armis sedare poterat, vere enim inquit Menelaus apud Euripidem:

Si vela tendas nimium, navis mergitur,
Sed si relaxes rursus, vehitur tutius.
Odit Deus nimis vehementes impetus,
Odere cives; gratior est moderatio.

Sed vicit Iuliani sententia seu fato, seu quia senem Principem superstitione terrebat. Movet igitur funestum bellum, in quo victores Bohemi postea eruperunt in Germaniam, et late viciniam populati sunt. Accessit ad caetera mala hoc quoque, quod Imperator rursus de pace agens, in illis ipsis deliberationibus, gravis annis, et confectus laboribus, moritur.

Fuit foelicior in toga quam in armis, etsi aliquoties Turcicas copias fudit ac profligavit. Sed ingenium fuit aptius civilibus negociis, in quibus singularis eius dexteritas fuit, ac mihi comparanti eum cum veteribus Principibus, videtur non admodum dissimilis fuisse Antonino Pio, aut Marco. Legum et Iuris disputationibus argutioribus in primis delectabatur, multa in civitatibus emendavit, duas familias Electorum amplificavit dignitate et potentia, Duces Saxoniae, et Marchiones, et utile Reipub. iudicavit, Principum Electorum opes augeri; quos quidem ut fratres amavit et consiliis omnibus adhibuit, non exclusit a deliberationibus suis, more tyrannico. Religionis cura magnopere adficiebatur. In Boemia direptis bonis Ecclesiarum, rursus de suo attribuit parochiis annuos reditus.

Haec de vita et rebus gestis Sigismundi collegi, quae satis indicant, eum fuisse Principem excellenti ingenio, virtute, iusticia, clementia praeditum, ac conatum esse de Repub. bene mereri. Propter has virtutes decet, nobis gratam esse ipsius memoriam. Deinde negocia in quibus versatus est, de multis rebus admonere et Principes et privatos homines possunt. Prodest enim omnibus tenere causas et certamina Synodorum, et Principibus prodest cavere, ne artificiis tyrannicorum Pontificum incendi se ad impia bella movenda patiantur, sed ut Ecclesiae causas ordine cognoscant, ut leges ecclesiasticae in Evangelio traditae postulant. Dixi.

No. 44. an. 1537.

De dignitate studii theol.

In Declamat. T. I. p. 59 sqq., in Servest. T. I. p. 51. et ap. Richard. T. III. p. 12.

Oratio Doct. C. Crucigeri de dignitate studiorum theologicorum, habita anno M.D XXXVII. in promotione M. Petri Palladii.

Imposuerunt mihi has partes hoc loco dicendi superiores nostri, quos cum summa pietate et reverentia colere debeamus, non fuit mihi integrum eorum autoritatem detrectare. Peto igitur a vobis omnibus, ut me non ingenii fiducia, aut meo consilio, sumpsisse mihi hoc negocium, sed adductum officio, in hunc locum prodire existimetis. Quare aequum est, vos etiam orationem meam boni consulere, quam institui ad commonefaciendos imperitos adolescentes, ut discant reverenter sentire de studiis sacrarum literarum, et professione theologica. Haec oratio, hoc quidem tempore, in tanta iudiciorum perversitate, in tanta immanitate odii adversus Doctrinam Ecclesiasticam, in primis necessaria est. Etsi autem non satis autoritatis ad tantam causam affert mea persona, tamen cum publico nomine habeatur oratio, et tantum sententiam recitaturus sum divinae scripturae, et causa tota ad Ecclesiae dignitatem atque utilitatem pertineat, admonitio nostra non erit aspernanda. Ut igitur veniam ad causam. Sicut Paulus inquit: Non pudet me Evangelii Christi, ita decet affectos esse omnes pios, ut et verbum Dei toto pectore ament, et agnoscant esse summum omnium beneficiorum Dei, et ministerium ipsum, hoc est, publicum munus docendi, magna pietate revereantur, honore afficiant, iuvent iuxta vocationem, defendant et ornent. Haec debet esse omnium piorum praecipua cura; sed ad hanc Pauli vocem conferamus mundi iudicia. Maxima pars hominum palam contemnit et

odit Evangelium; deinde ministerium, hoc est, munus docendi iudicat esse facem seditionum et dissipationis totius generis humani, et quidem Paulus ipse acerbitatem odii in hominibus adversus doctores Evangelii illustribus verbis descripsit, cum ait, Apostolos haberi pro catharmatis et peripsematis, hoc est, pro piaculis execrandis, quibus Deus implacabiliter irascatur, a quibus tota rerum natura abhorreat, quorum umbra velut contagio noceat universae societati hominum.

Iam sol stupefactus sceleris magnitudine
Resistit, et currus paltens inhibet suos,
Lumenque terris, terra fruges denegat,
Et in vetus natura Chaos confunditur.

Neque enim fieri potest, quin horribilis acerbitas odii in istis existat, qui iudicant Evangelium esse aut blasphemiam, aut commentitiam fabulam, dissipantem imperia, leges, constitutas Respublicas, ordinationes, tranquillitatem generis humani. Cum his summis criminibus maxima pars mundi oneret Evangelium, tamen Paulus ingenti animo adversus haec falsa iudicia clamitat: Non pudet me Evangelii, suaque voce nos confirmat, ut statuamus certo Evangelium verum et efficax esse, et aeternam Dei voluntatem esse, ac munus docendi Evangelii sanctissimum Dei cultum esse, quem praecipue requirit ab hominibus. Verum tanta est infirmitas etiam in his, qui non sunt aperte *ἄθεοι*, aut defensores impiorum cultuum, ut tantum mundi iudiciis moveantur, quo minus honorifice de ministerio verbi, id est, de publico docendi munere sentiant. Huc accedit, quod cum doctores Evangelii sint spreti, invisi, et versentur in assiduis periculis, multi etiam fame pereant, deterrentur homines metu periculorum et crucis a ministerio Evangelii, et quoniam honores et ampla praemia proposita sunt alias quaestuosas artes exercentibus, ideo paucissimi se ad hoc studium sacrarum literarum, aut ministerium conferunt. Multi etiam putant hoc genus doctrinae sine doctoribus percipi posse. Iacet igitur contemptus iste ordo ministrorum. Quanquam autem haec vulgo ita fiant, tamen pii adolescentes inculcare sibi hanc vocem Pauli debent: Non pudet me Evangelii, et intelligere quanta dignitas sit huius ministerii, seque ad id praeparare, ut possint Ecclesiae cum opus sit servire. Hic enim est summus Dei cultus, sicut Christus docet, cum ait: In hoc glorificatur pater meus, ut fructum multum feratis, et fiatis mei discipuli. Hic clare testatur ita glorificari patrem, si alios doceamus verbum, quos ab ipso tanquam discipuli accepimus, et Propheta ait, quam speciosi pedes Evangelizantium pacem. Significat enim et Deo et Ecclesiae hos nuncios placere, etiamsi mundus eos odit, et veluti portenta execratur. Hoc ipsum docendi munus vocat Paulus sacrificium, sicut et alibi scriptura saepe ita appellat. Quare sciamus hunc cultum praecipue requiri a nobis, et sciamus Deo gratissimum munus esse. Hac consolatione boni et pii, qui praesunt Ecclesiis, sustentent sese adversus iniqua iudicia, et sciant se Deo praecipuum et sanctissimum cultum officio docendi praestáre. Invitent etiam haec praeconia plures, ut se ad haec praeconia praeparent, ac sciant se quoque discenda hac doctrina, sacrificium Deo gratissimum offerre. Sed dicat aliquis, quid haec Oratio de ministerio ad scholas, et ad hos gradus in scholis attinet? Ego vero ideo de ministerio dixi, ut, quo consilio tradantur sacrae literae, ad quem finem hi gradus constituti sint, consideretis. Nam haec studia in scholis ad conservationem ministerii ecclesiastici proprie pertinent. Hoc consilio et olim Alexandriae, et in plurimis collegiis scholae institutae fuerunt, ut inde sumerentur doctores et pastores Ecclesiarum. Christus enim dat Ecclesiae pastores, prophetas et doctores, vultque ab his Ecclesiam institui ac doceri, vultque praeparari illos qui praeficiendi sunt Ecclesiis, nec vult praefici eis prorsus indoctos, aut homines imperitos, qui sibi videntur *αὐτοδίδακτοι*, et sine ullo usu spirituali ex sese fingunt opiniones. Fuerunt igitur initio in Ecclesiis Scholae, quae utinam conservassent doctrinam puram ab Apostolis traditam. Sed haec postquam ingenti et admirabili beneficio Dei renovata est, et Deus his postremis temporibus iterum dedit Prophetam, ut alii erudiantur, profecto rursus curare debent Ecclesiae, ut illud beneficium Dei, videlicet doctrinam Evangelii puram, summo studio conservent, et ad posteros transmittant. Plurimum itaque refert iterum, quos habeamus praeceptores, quorum audiamus iudicia de rebus maximis et de dogmatibus. Sicut sancti Patres saepe allegant partim Apostolos, partim proximos Apostolorum aetati. Irenaeus enim citat Polycarpum, qui fuerat auditor Apostoli Ioannis, et Florino Valentinus opponit autoritatem Polycarpi. Basilius audivit Neocaesariensem, cuius praecipua fuit autoritas, cum

Pauli Samosateni impietas damnaretur. Nec aliud vetustius testimonium extat, post Apostolorum scripta de Trinitate, quam huius Gregorii. Tantum autem ei tribuit Basilius, ut dicat sibi adhuc personare aures voce Gregorii, eiusque testimonium opponit Sabellicus perturbantibus Ecclesias Neocaesariensium. Hieronymus audivit Epiphanium et Nazianzenum, omitto alios multos. Tantum autem hos commemoravi, ut cogitent auditores, singulare Dei beneficium esse, audire doctrinam Evangelii, a talibus doctoribus, quorum sequi iudicia tute possimus. Pertinent igitur Scholae ad ministerium Evangelii in Ecclesiis, et ob eam causam doctrinae testimonia bonis et doctis viris tribuuntur, ut constet quales doctores audierint, ut certa autoritate doctrina ad posteros propagetur. Haec fuit in Ecclesia vetustissima consuetudo, postea sine testimoniis docentium, admissi sunt ad gubernandas Ecclesias homines inerudití, et ut Nazianzenus ait, subito facti doctores, sicut in fabulis subito nati dicuntur Gigantes. Hinc orta est magna doctrinae confusio. Postquam igitur Deus sua immensa misericordia, nobis restituit Evangelii lucem, agamus Deo gratias, et id beneficium, summo studio in Ecclesiis et scholis conservemus, et curemus, ut hi qui ad ministeria ecclesiastica accessuri sunt, fideliter instituantur, nec recipiantur vel indocti, vel *αὐτοδίδακτοι*. Videmus enim nostra aetate fanaticas opiniones Anabaptistarum, tantum ab indoctis, aut *αὐτοδιδάκτοις* ortas esse. Quantum igitur nos debemus Deo, qui nobis gubernatorum, et doctorem fide, et recto iudicio praestantem dedit, cuius doctrina adversus illas fanaticas opiniones praemuniti fuimus, quorum autores saepe tentarunt Ecclesias nostras, sed cum in Ecclesiis nostris praeessent instituti in hac schola, et qui libenter agnoscunt se non esse *αὐτοδιδάκτους*, sed auditores, periti gubernatores prudenter instituerunt suas Ecclesias, easque divina ope adiuti, qui piae doctrinae favet, in officio retinuerunt. Pertinent igitur Scholae ad ministerium Evangelii, et vel praecipua pars sunt illius sanctissimi muneris; necesse est enim prius diu, et diligenter institui eos, quibus gubernatio Ecclesiarum committenda est. Deinde gradus est testimonium, ut constet a quibus doctoribus acceperint doctrinam. Hoc ut Apostolorum tempore, ita nunc quoque plurimum habet momenti. Cum enim magnae sint dissensiones, de doctrina, cum magna certamina extiterint de religione, necessaria cura est videre, quorum sequantur autoritatem. Ioannes inquit: Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, non recipiatis eum. Ad eundem modum et alibi saepe praecipit scriptura. Quare genus doctrinae diligenter considerandum est, videndum ex quibus fontibus haustum sit; magnum igitur onus sustinent doctores in Scholis. Hoc scire oportet, a quibus autoribus acceperint doctrinam, et retinere puritatem, ac cavere ne admisceantur novae et pravae opiniones. Sicut in Ecclesia Antiochena, cum Paulus Samosatenus suum venenum spargere coepisset, intelligens Malchion, qui erat unus ex doctoribus, novum ab eo dogma seri, et corrumpi veterem puritatem, primus clamavit, et vicinis Episcopis, Alexandrino et Hierosolymitano significavit quantum esset periculi. Ita Malchionis fide et diligentia confutatum, et extirpatum est Samosateni delirium. Quare ministerium Evangelii, et in scholis, et in Ecclesiis pari cura retinendum, et defendendum est. Pii Principes non solum scholas constituere debent, sed etiam eligere genus doctrinae, ceu seminarium acceptum certa et firma autoritate, et curare ne illud seminarium corrumpatur. Haec in scholis cura necessaria est, ut posteritas sciat, cuius notae doctrinam acceperit. Hanc in Principibus et in Ecclesia diligentiam requirit Deus, ad haec praecipit, ut omnes pro sua vocatione ornent et adiuvent hoc ministerium. Ac praecipue vos, qui in studiis versamini, cogitate nos non tantum privata vocatione vestrorum superiorum, sed publica universae Ecclesiae vocatione collocatos esse in hanc stationem, ut praecipue doctrinam Evangelii discatis, et ut plurimi se ad ministerium praeparent. Qua in re vos gravissimae comminationes et promissiones divinae moveant, Christus inquit: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet, et: Si quis dederit alicui ex minimis istis potum aquae, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quare hi, qui benefaciunt ministris Ecclesiarum, a Christo vicissim, expectent defensionem et multa alia beneficia. Quanta immanitate odii Pontifices, et multi Reges ac Principes, adversus Evangelium exarserint, quoties iam bellum denunciarint nostris Principibus, quos Deus vocavit, ut tectum aliquod praebeant piis doctoribus, memini obscurum est. Inter haec pericula tantum his me promissionibus sustento, quibus

testatur sibi curae esse, ne opprimantur, ne deleantur hi, qui student ornare ministerium Evangelii, qui pios doctores defendunt. Quam pulchre Christus pinxit nobis Ecclesiae imaginem in Lazaro, qui egens et laceratus ulceribus iacet in vestibulo divitis, a quo negligitur et fame necatur? Sed tamen Deus testatur eum sibi curae esse, cum Angelos ad ipsum mittit. Ita iacet Ecclesia in Regum et Principum imperiis, et non solum negligitur, sed etiam conculcatur, respicit tamen eam Deus, et mittit aliquos Angelos ac Principes, a quibus defendatur, nec opprimi, aut deleri eam sinit. Vidua Sareptana exceperat Heliam hospicio, cum annona esset arctissima, pro quo beneficio Deus eam durissimo illo tempore benigne pavit. Ita sciant omnes Deo gratum officium esse iuxta vocationem, iuvare et ornare ministerium Evangelii. Econtra vero gravissimas poenas daturi sunt tyranni atque impii, qui vel contemnunt, vel etiam oderunt, et opprimere ministros Evangelii conantur. Sicut in quarto Regum ait Dominus: Ulciscar sanguinem servorum meorum Prophetarum de manu Iesabel. Non erit impunitus contemptus ministrorum Evangelii, dabunt aliquando poenas suae crudelitatis tyranni, qui grassantur in pios. Hanc admonitionem adolescentibus hoc tempore necessariam esse duxi. Quia videmus multos impiorum exemplis corrumpi, et de ministerio Evangelii ac studio sacrarum literarum irreverenter sentire. Hoc oportet scire, se Deo praecipue hunc cultum debere, ut ament et revereantur ministerium Evangelii. Deinde etiam pietatem esse praeparare ingenium, ut aliquando Ecclesiae possit esse usui. Quare officium suum discant adolescentes, et intelligere et facere. Precor autem Dominum nostrum Iesum Christum, ut omnium mentes inflammet Sancto Spiritu suo, ut Evangelium ipsius vere intelligamus, et ei obtemperemus, ut gloria Dei nostris studiis semper illustretur atque ornetur. Dixi.

No. 45. an. 1537.

De concordia etc.

Apud Crat. Myl. p. 159., in Declamat. T. I. p. 567., in Servest. T. I. p. 494. et apud Richard. T. I. p. 134.

Oratio de concordia et communicatione studiorum atque operarum, in promotione Magistrorum dicta a Decano Mag. Ambrosio Interbocensi, anno M.D.XXXVII.

Cum Agesilaum Regem Spartarum, domi suae cum parvis liberis in baculo equitantem deprehendisset quidam ex Ducibus, casu interveniens, atque admirans, Regem, et quidem talem, quo illa aetate nullus vir praestantior in tota Graecia esse indicabatur, hoc modo cum pueris colludere, petit Agesilaus veniam ab isto, siquidem hic ludus videretur alienus regia gravitate. Deinde addit, se non tantum oneris ipsi imponere, ut perpetuo hanc rem taceri postulet, sed rogat, ut tantisper taceret, donec ipse liberos haberet: significans eum qui liberos non haberet, non intelligere, quid habeant hi ludi non dico voluptatis, sed utilitatis. Quamvis enim per se ridiculae res sunt, tamen ad disciplinam, ad mores formandos pertinent. Et prudens pater intelligit, magnam vim assuefactionis esse in tenera aetate, etiam in his levissimis exercitiis. Ut autem ille Spartanus miratur patrem colludentem cum parvis filiis, ita multi nunc quadam inusitatae sapientiae persuasione derident, cum alios multos veteres et honestos mores, tum etiam hos scholasticos gradus, et spectacula promotionum. Quos velim hanc Agesilai responsionem considerare, nec prius vituperare vetera instituta, quam ipsi habeant liberos; hoc est, non prius quam perspexerint quanta sit infirmitas in tenera aetate, quas ob causas hi ludi, gradus, tituli propositi sint, quantum referat puerilia ingenia his ritibus certo quodam ordine assuefacere, ac provehere in discendo, quantum conducat exemplum, ut assuefiant ad publicos mores amandos. Incredibilis infirmitas est animorum puerilium, quare ad eos excitandos, regendos, aut depravandos, parvae res saepe magnum adferunt momentum. Hanc infirmitatem quo magis perspicimus nos, quos iam usus, aetas, mutationes Reipub. graves erudierunt, eo magis amamus hos scholasticos mores institutos, ut studiis prosit ordo, ut discant adolescentes ordinum discrimina intelligere. Itaque non recusamus quanquam senescentes, in hanc scenam prodire, et amanter petimus a prudentioribus, ut et ipsi faveant his spectaculis, propter iuventutis utilitatem. Neque enim tantum ad hunc coetum, qui in hoc theatrum confluxit, sed ad nostros liberos et ad po-

steritatem pertinent. Non fastidiamus hos ludos, tanquam res indignas nobis, sed exemplum nostrum prodesse adolescentibus ad honestos mores amandos et conservandos existimemus. Haec praefatus sum, ut imperiti intelligant nos bono consilio hos scholasticos ritus conservare. Quod cum ita sit, aequum est, vos orationem meam patienter audire, quam hoc loco habere me cogit officii ratio. Etsi autem quaedam erant causae, cur de artium studiis et utilitate, hoc tempore dicendum videbatur, tamen cum alii saepe vobis commonstrent usum, in multis vitae partibus et vituperatoribus graviter respondeant, relinquam modo id argumentum, et dicam de concordia, deque communicatione studiorum atque operarum, sine qua retineri et consistere Respub. non potest. Extat autem apud Graecos venustum Epigramma, in quo pingitur optimus Reipub. status. Ac eo libentius argumentum Epigrammatis illius recitabo, ut exemplum illustre adolescentes infigant animis, quod eos et in schola et deinceps in omni vita admoneat, qua arte retinenda sit publica tranquillitas. Ea vero magna est ars, seu sapientia potius, praecipue requirenda in iis, qui viri boni perhiberi volunt, quae cuiusmodi sit, in hac imagine conspici potest.

Forte in via conveniunt caecus et claudus, ubi cum sine duce progredi caecus non posset, claudo etiam vehiculo opus esset, retinebatur uterque suo malo. Vidit autem claudus caecum validos lacertos, firmos pedes, denique robur integrum corporis habere, nec quicquam morbi in eo haerere, nisi quod oculis captus erat. Quare prudenter iniit rationem, ut inter se communicarent operas, et alter sarciret id, quod deerat alteri, ut caecus tolleret in humeros claudum, claudus isti monstrator viae esset. Exponit suum consilium caeco, et suam operam pollicetur. Etsi sarcina imponebatur non levis caeco, tamen cum humanitate socii caperetur, non detrectat hanc conditionem, ac sublato in humeros claudo, pergit, et gubernat eum claudus. Ita amanter communicatis operis iter susceptum conficiunt. Haec est imago optimi status in Repub. Primum enim in tanta mole ac varietate negociorum, nemo unus par esse omnibus rebus administrandis potest. Deinde tanta est infirmitas ingeniorum, ut etiam qui unum aliquod munus sustinent, tamen interdum non satis sint intenti, interdum fallantur. Denique nihil est in rebus humanis ab omni parte perfectum. Itaque opus est primum in Repub. ea inter cives benevolentia, ut non gravatim, quod quisque potest, ad usum communem conferat, deinde quaedam ut vitia in aliis dissimulemus, postremo ut nostra diligentia, dexteritate et virtute sanemus, ut sicubi cessatum est ab aliis, arte ab aliis sarciatur iactura. Talis status optandus est ex animo et decet bonos omnes, consilia omnia sua et omnes actiones ad hunc statum efficiendum dirigere. Sic in schola liberaliter conferant singuli suas artes ad communem usum. Nemo alterius generis artifices premere conetur, quaedam etiam incommoda in aliis tegenda sunt, et vel comiter emendanda, vel arte quadam sarcienda. At nos quidem in scholis praecipue amemus hunc statum, quia Aristoteles, quem sequimur Magistrum in Philosophia, Aristocratian maxime probat, et hanc antefert omnibus formis politiarum. Sequamur igitur Aristotelem, et in scholis, quantum fieri potest, Aristocratiam efficiamus. Haec autem non sunt Aristocratia, sed partim Timonica, partim ὀλιγαρχικὰ, gravatim operas in commune conferre, vel impedire aliorum cursum, qui et ipsi bene merentur de Repub. aliorum aucupari errata, aut etiam calumniari studia, seu odio, seu ambitione, seu aliqua alia cupiditate. Quanta inter se modestia certarunt septem illi summi viri, qui Sapientes nominantur, qui eodem tempore floruerunt in diversis civitatibus? Nam cum Mileti, inventam auream mensam Apollo iussisset sapientissimo dari, civitas Thaleti dandam esse decrevit: is magnitudinem huius laudis non agnoscens, et libenter alteri, vel impertiens, vel cedens, misit Soloni, Solon ad eundem modum Bianti. Cum per omnes septem vagata mensa ad Thaletem rediisset, ait Thales, nunc demum se oraculi sententiam intelligere; iussitque mensam offerri Apollini, quod Deus significasset hoc involucro, neminem mortalium, sed solum Deum sapientem esse. O vere Aristocraticos viros, quorum nemo de alterius laude quidquam decerpsit: deinde qui viderint, nihil esse furiosius, quam homines sibi sapientiae laudem arrogare. Itaque comiter inter se vixerunt. Et quidem Solonem accipimus a Thalete didicisse motus astrorum. Nunc vero quoties illud fit, quod ait Martialis:

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Et vidimus aliquoties hoc accidere, ut ortae dissentiunculae ex levissimis initiis excitarint ingen-

tes tumultus, quorum exitus ne nunc quidem prospici potest. Cur hic non venit in mentem caeci et claudi, ut mutuis officiis cogitaremus iuvandam esse Rempub. non acerbitate animorum dilacerandam? Romae Scipionem optime meritum de patria, invidi cives aliqui allatrarunt, quibus ille ex urbe cedere maluit, quam excitare maiores tumultus vehementius concertando. Ita cum non abduceret eum ambitio a moderatione, communi saluti ac tranquillitati optime consuluit. Contra flagitiose Marius, qui cum ureretur gloria Syllae, conatus est eum vi spolia re exercitu et provincia, patriam implicuit crudelissimo luctuosissimoque bello. Sed omnium seculorum atque aetatum historiae plenae sunt exemplorum, in quibus conspici potest, saepe certamina accensa, seu quadam morositate ingeniorum, seu odiis aut invidia, magnis Imperiis ac civitatibus exitio fuisse; rursus etiam commoditate moderatorum civium, qui impetus aliorum ratione lenierunt, servatas esse Respublicas. Haec exempla cum legimus atque audimus, nos quoque ad moderationem et regendos animorum impetus hortentur. Decet enim praecipue literatos homines doctrinam virtutis, ad mores atque usum tansferre. Deinde nequaquam committendum est, ut quemadmodum navis, excusso gubernatore, sine velo, sine gubernaculo ventis iactatur, ita nos extincta ratione, rapiamur affectibus, nec consideremus quid expediat Ecclesiae, quid Reipub. quae exempla noceant iuventuti, quid publicis studiis prosit aut obsit, sed qua impellunt turbidi affectus, caeco impetu ruamus. Tale vitae genus nec Philosopho, nec Christiano convenit; nam vel maxime Christianus omnia sua consilia, ad gloriam Dei, ad Ecclesiae aedificationem et ad iuventutis salutem referre debet. Nec vero fieri potest in tanta infirmitate hominum, quin incidant errores atque offensiones: Et diabolus saepe igneis telis, ut vocat Paulus, sauciat animos, et inflammat odiis, ut Ecclesiam aut Rempub. dissipet. Has dissidiorum causas intelligere Christianos decet, ut singulari diligentia, et muniant pectora adversus illa tela, et affectibus frenum iniiciant. Si quid in alio desideras, cogita qua ratione mederi possis, non ut exulceres. Plutarchus *περὶ φιλαδελφίας* scribit morem fuisse Graecae gentis, cum duo fratres una incedebant, et ad lapidem aliquem excitatum veniebant, ne seiuncti cederent medium locum lapidi, sed ut ambo simul ad idem latus circuirent lapidem. Huiusmodi ritus varios singulae gentes habent, qui et recepti et conservati sunt, quia aliquid de moribus significabant. Accommodat igitur Plutarchus hunc ritum ad fratrum concordiam, ac moneri eos hoc exemplo ait, ut caveant, ne quis lapis, hoc est, ne ulla offensio divellat eorum animos; et si qua inciderit offensio, ut illam coniuncti circumeant, hoc est, dissimulent, deleant ex animo et extinguant. Haec virtus non solum privatis familiis, sed Reipub. et Ecclesiae necessaria est. Itaque extant in scriptis sapientissimorum hominum gravissimae conciones, quae hortantur, ut concordiam tueamur, ut placari nos sinamus, ut redeamus in gratiam cum iis, quorum animi sunt sanabiles. Cum autem de his rebus, loci scripturarum vobis noti sint, nolui esse prolixior. Tantum illud moneo, quod apud Homerum est, qui fingit Aten validissimo corpore discurrere, et dissidia excitare, sequi vero Litas divinitus missas, quae hortantur, ut redeant homines in mutuam gratiam. Et addit Poëta, Litas magna beneficia impertire obtemperantibus, et vicissim eos exaudiri, si quid a Deo petant; aliis vero qui non obtemperant, imprecari, ut Ate de eis poenas sumat. Nec vero putate hanc Homeri concionem fabulosam esse. Sententiam haud dubie a vetustissimis illis parentibus, quibus vera religio nota fuit, acceptam recensuit et Poëticam addidit picturam. Quid enim vult aliud, quam quod toties praecipiunt sacrae literae, ut simus placabiles, ut obliviscamur iniurias? hoc officio ita delectari Deum, ut vicissim nobis rogantibus det erratorum veniam, et multa largiatur beneficia? Rursus autem implacabilibus placari nolle, et eorum pertinaciam asperitatemque animorum punire? Haec sententia nequaquam prophana est, manavitque haud dubie a piis maioribus ad posteros. Scitis enim a Christo nobis severissime commendatum esse hoc officii genus: Remittite, et remmittetur vobis. Haec praecepta, si magnifacimus Deum autorem, si amamus publicam Ecclesiae tranquillitatem, si Reipub. salus nobis curae est, toto pectore accipiamus, et communem concordiam tueamur. Si qua sunt in amicis incommoda, aut prudenter sanemus, aut comitate nostra tegamus, cogitemusque, saepe in vita locum habere illud quod ait Plinius: Qui vitia odit, homines odit. Certe in schola sic vivere, ut vivunt in arena gladiatores, turpe ac miserum est. Ferarum enim est talis congressus, nisi quod hae

cognatarum morsu abstinent, gladiatores vero mutuis caedibus in sese ruunt. Itaque et hortor et oro omnes studiosos, ut omni genere officii iuvare Remp. et tueri communem concordiam annitantur, Id dignum est bonis viris et Deo gratum, et ut Psalmus inquit, hoc agentibus Deus dabit benedictionem. Postremo quia non tam mea oratione, quam autoritate et sententia optimorum et praestantissimorum autorum vos adhortor, libuit in fine adiicere memorabile dictum Senecae, qui sic in postremo libro de ira ait: Dum inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo simus, detrimenta, iniurias, convitia, vellicationes contemnamus, et magno animo brevia feramus incommoda, dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, immortalitas aderit. Dixi.

No. 46. an. 1537.

De ingratitudine cuculi.

Apud Crat. Myl. p. 167., in Declamat. T. I. p. 643., in Servest. I. p. 563. et apud Richard II. p. 87. — Hanc orationem scriptam esse in Iacobi Schenckii, concionatoris Freibergensis ingratum animum erga Melanthonem docent Epistolae Vol. III. p. 416. et 427.

Oratio de ingratitudine cuculi, habita in promotione Magistrorum a Decano, Mag. Ambrosio Iuterbocensi, anno M. D. XXXVII.

Scitis, Adolescentes, hos coetus disciplinae causa institutos esse, ut conveniant huc illi qui praesunt Academiae, ad inspicienda iuventutis studia, et reliqua multitudo suo officio declaret, se delectari his congressibus, in quibus et doctissimi homines conveniunt, et habentur orationes, sumptis materiis, ex magna quadam optimarum artium varietate, quae sunt utiles vitae ac moribus. Ac vero iuvenes eo decet libentius interesse his pompis, quia bonae menti nullum est iucundius spectaculum, quam videre tales coetus virorum excellentium ingeniis, doctrina, virtute. Nam et ipsa virtutis pulchritudo in praestantibus viris, oculos atque animos hominum mirifice capit. Et iuvat eos viros intueri, qui sunt praecipua ornamenta Reipub. An existimatis exercitum Graecum ad Troiam quidquam spectasse libentius, quam una incedentes heroas, Achillem et Aiacem? Intelligebant enim horum virtutem praesidio esse universo exercitui. Quare et his, qui praesunt Academiae, gratias ago, quod ut veterem honestissimumque morem conservarent, non gravatim huc accesserunt; et reliquorum laudo officium, qui sua frequentia, voluntatem et studium suum erga praeceptores ostendunt. Et quoniam nihil magis decet in congressu eruditorum, quam commentari aut disserere de rebus bonis, et hae dicendi partes mihi datae sunt, magnopere optarim, me posse adferre orationem dignam hoc honestissimo coetu. Sed est humanitatis vestrae, favere etiam mediocribus ingeniis, praesertim cum exercitationis causa haec consuetudo dicendi instituta sit. Ut autem alii hoc loco interdum de artium dignitate, interdum de virtute aliqua dicunt, ita sumam et ipse aliquid ex Philosophia. Ac vero pars est Physices non infima, cognitio naturae animantium. Nam inquisitio naturae eorum multa monstravit remedia, deinde morum varietas indita animantibus, monet nos, hunc mundum non temere aut casu extitisse, sed a mente aliqua aeterna ortum esse, quae impressit imagines morum etiam brutis animantibus, ut exemplis illis admoniti homines, discerent amare recte facta, et odisse vitia. Quam venusta imago est Ecclesiae, halcyonum partus, quae cum in scopulis in mari nidificent, solent incubare ovis, et excludere pullos in media bruma, cum quidem mare tanquam inserviens illis incubantibus per illud tempus mitescit et placidum est. Me quidem haec imago saepe admonet Ecclesiae, quae perinde ut halcyones in mari, hoc est, in summis periculis versatur. Deinde parit eo tempore, cum tempestates solent esse saevissimae. Fortasse autem hoc sunt foeliciores halcyones, illis mitescit mare; Ecclesiae non tantam rationem habent tyranni, ut placati aliquantisper concedant ocium parienti. Sed tamen, id quoque fit, divinitus aliquantisper tegit Deus Doctores, dum propagata doctrina soboles adolescit. Conveniunt Ecclesiae et mores halcyonum, nesciunt adulteria, et extincto coniuge alter manet coelebs, et paulo post luctu moritur. Mulier etiam senem maritum Cerylum, ut apud Graecos legitur, gestat humeris suis aquatum. Itaque veteres scripserunt honesti coniugii exempla esse, quod quidem non displicet, sed tamen ad Ecclesiam non male quadrat exemplum, quae gestare et fovere omnibus officiis benemeritos doctores debet. Possem alia multa exempla

commemorare, in quibus apparet, divinitus has imagines propositas esse, ut de multis magnis rebus in vita nos admoneant. Ac praecipue eo me delectat istarum rerum cogitatio, quod videor mihi videre testimonia divinitus impressa naturae, quae ostendunt mundum non extitisse casu, quae quidem ita sunt illustria, ut veteres etiam Philosophos moverint. Ideo enim praeclare inquit Aristoteles, in primo de partibus animalium: Cum in omnibus partibus naturae insit admirandum quiddam, satis apparere, naturam non extitisse casu. Stoici etiam hoc consilio naturam definiunt, vim arte progredientem ad generandum; et profitentur se in definitione addere artem, ut significent naturam mente quadam regi in omnibus actionibus, quae velut artifex est omnium generationum et motuum in natura. Libenter igitur ex huiusmodi materiis sumpsi hoc loco argumentum, ut iuvenes admoniti, et ipsi haec vestigia Dei in natura considerent. Sed video me in exordio longius evagatum esse quam volebam, etsi arbitror vobis quidem, qui et Philosophiae et religionis amantissimi estis, non fuisse ingratam hanc commemorationem. Nunc venio ad argumentum, quod huc afferre praecipue constitui. De ingratitudine, impietate, et scelere Cuculi dicturus sum; qui quale hominum genus repraesentet, postea explicabo, prius enim narranda est historia. Aristoteles in nono libro de natura animalium scribit, cuculum propter timiditatem, quam in ipso insignem esse compertum est, non facere proprium nidum, nec suos pullos excludere, sed deponere ovum in alieno nido, ac plerunque currucae. Haec cum reperit ovum inter sua, simul huic etiam incubat. Deinde pullis exclusis, quia cuculus magnitudine et viribus superat reliquos, quidquid sedula mater cibi adfert, suppositicius iste praeripit. Ita fit, ut caeteri pulli fame moriantur; putant etiam matrem eo maiore cura hunc fovere, quia magis eum miratur et amat propter magnitudinem corporis. Interdum ipse cuculus factus robustior, caeteros pullos devorat, interdum senior cuculus exorbet ova currucae; adeo multiplex est in hoc genere crudelitas. Postremo ubi adolevit sceleratus et impius pullus, addit nefariam et plusquam tragicam catastrophen; nam currucam, qua incubante natus est, a qua magna assiduitate nutritus est, crudeliter laceratam devorat. Hanc pro maternis beneficiis, et pro nutricatione vicem, iste ἄστοργος rependit, dignus qui perpetua scabie notatus sit, et quem oderint ac fugiant reliquae aves ceu dirum portentum. Ita enim natura fertur illum damnasse impietatis, ut vere erret sicut polluti, sine nido et sine ulla societate, sicut apud Homerum de poena impiorum dicitur ἀνέστιος καὶ ἀφρήτωρ. Solus enim sine ulla societate sui generis aut aliarum avium vagatur. Non igitur obscura est significatio: imago proposita est in tetra volucre, ut videamus, turpissimae naturae similitudinem habere ingratos. Sicut in aliis foedis animalibus aliorum vitiorum similitudo proposita est, ut cognita turpitudine bestiae, homines magis abhorreant a similibus vitiis; ut in lupo inest rapacitas et crudelitas, in polypo tanta libido, ut extinguatur in concubitu. Noctua piscis tam vorax est, ut non desinat se onerare cibo, donec rumpatur.

Sed longum esset exempla persequi. Ad institutum argumentum redeo. Adfectat cuculus etiam Musicae laudem, quare ubi lusciniam audivit, eo advolat, et excitatus cantu illius, cum ea certare studet. Hinc intelligi magis potest, in quo genere hominum, ingratos significet, nempe inter eos, qui obstrepunt melioribus in dicenda sententia, in studiis ecclesiasticis, aut aliis, quae vitae conducunt. Hic quanta cuculorum agmina numerari possunt, non modo si veteres historias repetamus, sed etiam si praesentia negocia consideremus? Homero obtrectabat Zoilus, ceu lusciniae cuculus Ciceroni Clodius, et alii multi. Habuerunt suos cuculos et heroici viri: Scipioni obtrectabat Carbo, Alcibiadi Hyperbolus. Quanquam quid opus est exempla colligere? plena est horum quotidiana vita, sed maxime in Ecclesia; et ad hanc totum hoc symbolum maxime convenit. Curruca Graecis est Hypolais, quae nomen inde habet, quod humi ad saxa nidificet, talis est vera Ecclesia, spreta et abiecta in mundo. Haec dum omnes fovere et iuvare conatur, etiam suppositicios foetus nutrit, qui cum propter hypocrisin veniant in admirationem, facile beneficio Ecclesiae, autoritatem et potentiam consequuntur. Hanc adepti, deinde grassantur in ipsam matrem, eamque dilacerant, et crudeli tyrannide opprimunt. Deinde illum feralem et infaustum sonum edunt in Ecclesia, sonant impia et perniciosa dogmata. Arium evexit ad honores Ecclesia Alexandrina, qui cum esset suppositicius foetus, postea Ecclesiam orbis terrarum horribiliter dissipavit. Quid in scholis accidit, quae cum sunt bene constitutae, pars sunt

Ecclesiae vel praecipua? Primum enim ingentia certamina, pericula, difficultates, publice sustinent boni Doctores, propagandae rectae doctrinae causa; deinde privatim, ut nutrices fovent infantulos, ita summa cura, diligentia, sedulitate, provehunt ingenia discentium. Et tamen saepe fit, ut educatus atque institutus magna fide, postea oblitus omnium beneficiorum, et incitatus ambitione, aut naturae malevolentia, aut invidia, impetum faciat in praeceptores, nec nocere tantum ipsis, sed odio ipsorum bonas artes opprimere et delere conetur. An hoc cuculorum genus non videtur odio dignum? Non enim iam vitupero homines hebetes, aut tardos, sed ingratos, et nocendi cupidos. Tales cuculos odisse, omnes a natura bene instituti debent. Et tales hic pingere volui, ut admoniti adolescentes, procul eos fugiant et execrentur. Student enim hi cuculi aliis affricare suam scabiem, et inveniunt vel stolidos, vel malos, qui illo horrido cantu teneantur. Magnum per sese scelus est ingratitudo in qualibet re, sed tum est vere cuculi scelus, et parcicidium, quando ad eam accedit odium piae doctrinae, aut aliarum artium, quando ingrati, hominum odio, et animi morbo, postea rebus bonis bellum inferunt, labefaciunt dogmata, detrahunt de artium dignitate. Nec rara sunt exempla. Et saepe accidit, ut cum semel in praeceptores incurrerint, postea rabies augeatur, et crescat discordia, velut incendium; deinde Respub. propter horum scelus et ingratitudinem plectitur. Quidam Atheniensis Orator, cum significare vellet, quibus modis factiosa et tyrannica ingenia potentiam consequantur, inquit: Serpens nisi devoret serpentes, non fit draco. Ita ingrati illi incensi odio, aut ambitione, persuadent sibi, hanc esse viam ad gloriam, formidabilem fieri aliis, opprimere dissentientes, vi aut arte. Quanquam minus flagitium est, in pares, quam in bene meritos saevire, ut facit cuculus. Cum igitur ingratitudo non solum privatim sit turpis et indigna homine, sed etiam saepe Reipub. noceat, adhortor vos Adolescentes, ut animos vestros ad gratitudinem assuefaciatis, ad quam vos non modo invitant natura, et homines doctissimi, qui quasi explicantes naturae iudicium, de gratitudine copiosissime praecipiunt, sed etiam coelestia oracula vocant, quae quidem horrendas etiam poenas minantur ingratis. Sic enim scriptura inquit: Non recedet malum a domo ingrati. Hoc dictum quaeso affigite animis, et expendite, quam graves, quam durabiles poenas minetur Deus, cum ait, semper haesura mala in domo, in liberis ingratorum. Quid dici tristius poterat? Iam cogitate, quale sit genus beneficiorum, quod in schola bene constituta accipitis. Nihil homini contingere melius potest, quam recta doctrina, primum de religione, deinde de honestis vitae officiis, de rerum natura, denique de omnibus artibus, quae sunt vitae utiles. Traditur autem vobis, Dei beneficio, doctrina Christiana, pure et simpliciter. Proponuntur et caeterae honestae disciplinae, nec ulla pars Philosophiae negligitur. Enarrantur optimi autores Graeci et Latini, qui aut fontes Philosophiae continent, aut prosunt ad formandam orationem. De praeceptoribus ipsis non dicam, sed tamen dexteritas et prudentia in doctore duplicat beneficium. Nam qui in docendo non adhibet rerum delectum aut non videt, quid cuilibet aetati conveniat, is saepe ita distribuit ea quae tradit, ut si cani paleas, asino daret ossa, ut in proverbio dicitur. Spero autem vobis cognitam esse fidem et prudentiam in iis qui docent. Cum igitur tanta sit magnitudo beneficiorum, non est obscurum quod sit vestrum officium. Certe Deo gratiam debetis, qui his pulcherrimis muneribus vitam humanam ornavit. Is vult dona sua intelligi, vult ea magnipendi a nobis, vult gratiam reddi his, per quos impertit ea humano generi. Quare cogitate quid Deo debeatis, et mementote ingratos poenas Deo daturos esse. Philippus Macedo habebat militem, qui ei propter fortitudinem inprimis charus erat, hic naufragus ad villam cuiusdam agricolae aegre enatavit. Agricola cum audisset militis clamorem, accurrit, eumque rigentem frigore et pene exanimem ducit in villam, et quibus potest officiis recreat, post triduum cupientem abire etiam viatico instruit. Discedens miles prolixe pollicetur se gratiam relaturum esse. Vide quid acciderit. Nam et hic miles cuculi scelus imitatus est. Narrat Philippo naufragium, beneficium hospitis tacet, et petit sibi donari illud praedium, facile impetrat a Rege liberali, praesertim cum Rex bene meritum esse indicaret; iubet igitur induci eum in bona quae petiverat miles. Non tulit iniuriam agricola expulsus bonis, ab eo quem servaverat, sed venit ad Philippum et commemorat suum beneficium erga militem. Hic adeo exarsit ira Philippus, ut Pausaniae mandaret, ut priori domino praedium restitueret, militi vero

exautorato, stigmata inureret, inscriberetque fronti haec verba: Hospes ingratus. Tanta naturae vis est, ut nemo tam ferreo animo sit, qui audiens hanc historiam, non valde probet iustissimam Philippi sententiam. Quantum autem prodesset Reipublicae, hoc modo notatos esse scholasticos ingratos, eos videlicet, qui ad ingratitudinem etiam addunt impietatem, qui nocere praeceptoribus, et ipsis studiis cupiunt. Hos oportuit stigmatis notatos esse, quia si agnoscerentur, minus nocere possent. Ego vero optarim illis etiam insculpi cuculum in fronte, devorantem suam nutricem. Sed quanquam hic cessant leges, tamen Deus tandem eis stigmata inurit, quae testantur quales fuerint. Cogitate igitur quantum Deo displiceat ingratitudo, quam sit indigna homine, quam inimica toti naturae, quam turpis, quod divinitus etiam puniatur; denique quod Reipublicae noceat, cum ingrati, odio hominum, artes etiam odisse et premere incipiunt. Haec si vobis saepe subiicietis, excitabitis animos ad gratitudinem et ad colendam communem tranquillitatem. Ad haec officia assuefaciendi sunt animi. Ideo in scholis et in his optimis studiis versamini, ut mores vestri fiant meliores, ut artes profuturas ad illustrandam gloriam Dei, et ad tuendam communem societatem vobis paretis, non ut discatis sycophanticam nocituram bonis viris et Reipub. Quam tetra imago est civis apud Demosthenem, cum pingit Aristogitonem, circumeuntem in foro et vibrantem spiculum seu exertam caudam, ceu scorpium insidiari civibus, et circumspectare quem feriat, quem aliqua calumnia opprimat, deinde qui cum nullo cive ullius officii societatem habeat, sed cum illis vivat, quos apud inferos aiunt assidere impiis, videlicet cum invidia, furiis et aliis pestibus. Ita describit Demosthenes Aristogitonem. Quid autem alienius esse debet praesertim ab homine docto, instituto ad humanitatem, et cuius mores et eruditio debent prodesse Reipub. cuius tota vita debet esse κοινωνικὴ et plena officii, quam isto Aristogitonis more vivere? qui quidem proprius est sycophantarum, qui irruunt in bene meritos.

Cum autem mihi quidem impossibile sit, magnitudinem huius causae aequare dicendo, non volui esse prolixior. Et tamen haec praecepta interdum inculcanda sunt adolescentibus, et ostendendum, quanta sit vitiorum turpitudo. Ideo haec pauca de ingratitudine, hoc tempore collegi, quae ut boni consulatis oro. Est enim etiam grati animi, qualemcunque operam honestam, publicae utilitatis causa susceptam, probare. Dixi.

No. 47. an. 1537.

De Aristotele.

Prodiit separatim: Oratio de vita Aristotelis 1537. 8. — Recusa apud Crat. Myl. p. 280 sqq., in Declam. T. II. p. 376., in Servest. T. II. p. 370. et apud Richard. T. I. p. 534.

Oratio de vita Aristotelis, dicta in promotione Magistrorum a Phil. Mel. M.D.XXXVII.

Frequentia vestra in hac pompa promotionis mihi periucunda est, et cum officio vestro delector, tum vero probo iudicium, quod significatis vos bene sentire de hoc publico more, in quo, etsi haec pompa habet ludos quosdam pueriles, tamen scitis gravissimo consilio gradus ipsos institutos esse, ut ordo in discendo praescriberetur, et adolescentes ad certam studiorum rationem invitarentur. Certe nobis in hac Schola usu venit, ut hi qui gradum petunt, diligentius se Philosophiae studiis dedant; eam ob causam gradus libenter conservamus. Deinde animi est non abhorrentis ab humanitate, hanc harmoniam ordinum, quae quidem Reipub. etiam maximas utilitates affert, magnifacere et amare. Postremo quid hac ipsa horum consessuum celebritate pulchrius est, in quibus homines ingeniis, doctrina et virtute praestantes conveniunt, ut audiant in quibus studiis versetur iuventus, quos faciat processus, iuventus admonetur de multis magnis rebus, quarum cognitio ad vitam utilissima est. Si ludi gladiatorii fierent aut si peregrinae merces, aut belluae exhiberentur spectandae, qui concursus hominum tota urbe fierent? At re vera nullum est pulchrius spectaculum, quam bonorum et doctorum virorum coetus; nullum enim habet Respublica maius ornamentum. Et cum virtute nihil sit admirabilius, magna voluptas est bonae menti, tales intueri viros, in quibus lucet egregia. Itaque honestum est vobis a Cynicis illis opinionibus dissentire, quae hos mores insulsissime reprehendunt. Nihil autem in congressu eruditorum magis decet, quam de rebus bonis dicere disputare aliquid.

Proinde cum hoc tempore publici officii ratio mihi has partes dicendi imposuerit, et si agnosco,

quam multa in me iure desiderentur, quae ad eloquentiae laudem pertinent, tamen cum et me et caeteros hunc morem conservare deceat, nolui meam operam deesse Reipublicae. Vicissim erit vestrae humanitatis, orationem meam boni consulere: quod ut faciatis, vos etiam atque etiam oro. Cumque in hoc loco de artium ac certarum virtutum dignitate saepe dictum sit, ego historiam commemorandam esse putavi, vitae scilicet Aristotelis. Non solum quia plus voluptatis ex historia percipitur, delectat enim animos varietas negociorum et eventuum, sed etiam quia multis de causis prodest nosse magnorum virorum consilia, dicta, facta.

Accenditur enim animus ad virtutem, intuens in illorum exempla. Deinde de multis rebus admonemur. Multa imitari Scipionis aut Caesaris consilia Imperator potest, ita nos in his studiis nostris, cum consideramus doctissimorum hominum in inquirendis et tradendis artibus prudentiam ac rationem, multa rectius iudicare possumus. Multum collatio praestantium artificum ad acuenda formandaque iudicia conducit. Dicam igitur de Aristotele, non ut fit in Panegyricis, sed breviter ea, quae de vita eius comperimus, recensebo. Deinde de genere Philosophiae et de scriptis eius aliquid adiiciam, ut admoneam adolescentes, quod Philosophiae genus maxime probandum atque expetendum sit, et ostendam, quantum prosit ad Aristotelicam rationem ac methodum assuefactum esse. Ita enim statuo sine hoc neminem unquam fore artificem methodi ullo in genere. Nec vero fieri potest, quin multa falsa sophistice misceant hi, quibus ignota est via illa docendi, quam monstrat Aristoteles. Porro haec Sophistica quantum parit errorum ac tumultuum in Ecclesia et in Repub.? In fabulis est, Ixioni cum appetisset Iunonem, obiectam esse nubem, Iunonis specie, ex qua nati dicuntur Centauri. Ita indocti ex falsis opinionibus ac Sophisticis, gignunt factiones Ecclesiae exitiosas. Sed haec postea erunt dicenda; prius enim vita percurrenda est.

Natus est Aristoteles in Macedonia, patre Medico Regis Amyntae. Constat multorum testimoniis genus eius ab Hippocrate ortum esse; nam posteritas Hippocratis degit in Thessalia, ac diu possessionem Medicae artis retinuit, cum parentes artem liberis ordine quasi per manus traderent. Ita et Aristoteles a teneris domestica consuetudine, optima et purissima Hippocratis doctrina imbutus est, quam quidem eius scripta multis in locis redolent. Interdum etiam non solum sententias, sed verba quoque ab Hippocrate mutuatur. Egoque ita statuo, universam Aristotelis doctrinam eo esse simpliciorem et magis methodicam, quia puer ad Hippocratis Philosophiam assuefactus est. Erant enim eo tempore et alii Physici, Democritum autorem sequentes, quorum doctrina plena fuit prodigiosarum opinionum et perplexarum disputationum. Hos si Aristoteles imitatus esset, nequaquam hoc elegantissimum methodi filum et hanc proprietatem tenuisset. Quanta autem cura ac solertia in illa domestica institutione usi sint Hippocratis posteri, ex eo licet conjicere, quod Galenus ait: Ideo primum non esse scriptas anatomias, quia domestica institutione notae fuerint; solitos enim Hippocratis posteros domi secare corpora animantium atque hominum, et singula membra liberis inde usque a teneris spectanda proponere. Itaque cum esset Aristoteles ab ipsis cunabulis assuefactus non ad inanes et perplexas *λογομαχίας*, sed ad rerum agnitionem et ad quaerendas causas, ex hac puerili consuetudine duas egregias virtutes, et in primis dignas viro docto consecutus est, videlicet, diligentiam in quaerenda methodo et amorem veritatis; abeunt enim studia in mores. Quare diligentia evolvendi res obscuras ordine ac proprie, studium quoddam et amorem veritatis in omni vita parit. Postea natus annos 17. missus est Athenas ad Platonem audiendum, qui tunc summa ingenii et doctrinae laude florebat. Cum natura contigisset Aristoteli omnium disciplinarum capax, magna haec foelicitas fuit, quod primum domestica institutione ingenium excitatum et praeparatum est, deinde quod accessit ille praestantissimus Magister, qui naturam foelicissimam perpoliret. Haec, ut ego quidem arbitror, ita gubernavit Deus, ut perfectum artificem haberemus eius partis Philosophiae, in qua elaboravit Aristoteles. Audivit autem Platonem annos viginti, hoc est, fere ad quadragesimum usque aetatis suae annum. Nec interim scholas habuit, sed ipse sese exercuit in omnibus disciplinis. Inquisivit, legit, excussit omnes autores, adeo, ut propter varietatem lectionis ac doctrinae appellaretur a Platone Lector. Hoc in loco subit admirari prudentiam Aristoteles, qui tam diu haeserit apud Magistrum, nec putarit subito eius doctrinam exhauriri posse. Est et

gravitas digna laude, quod sero admodum docere coepit: Nam Platone vivo non habuit scholas. Multa autem extant honorifica testimonia Platonis de huius ingenio. Vocabat enim Aristotelem Philosophum veritatis, et comparans eum cum Xenocrate, ait Aristoteli freno opus esse, Xenocrati calcaribus. Vicissim de Magistro nisi praeclare sensisset Aristoteles, tam diu non putasset audiendum esse. Dicitur etiam Platoni aram posuisse et Epigramma addidisse, quod extat, in quo amplissimis laudibus ornat Platonem. Nam vel hic unus versus indicat quantum ei tribuerit, cum ait:

Nulla ferent talem secla futura virum.

Quod vero homines imperiti simultatem quandam inter eos intercessisse putant, eo quod Aristoteles interdum a Magistro dissentit, inepta opinio est. Nam ut in Senatu in dicenda sententia saepe amicissimi sine offensione animorum dissentiunt, ita boni et docti viri sine acerbitate animorum dissimiles habent opiniones. Sed de hac opinionum dissimilitudine paulo post dicam. Post Platonis mortem, cum iam celebraretur domus Aristotelis a nobilissimis hominibus, incensis discendi cupiditate, accersit eum Philippus Rex Macedonum, et tradit ei filium in disciplinam. Porro nisi et doctrinam et mores Aristoteles Rex Philippus, qui acutissime de ingeniis iudicare poterat, probasset, nequaquam ei filium tantae spei et generosissimae indolis commendasset. Itaque hoc testimonium Philippi de Aristotele gravissimum est iudicandum. Ne ipse quidem alumnus, cum esset heroico et excelso ingenio, tantopere amasset Magistrum, nisi ille ad doctrinam adiunxisset morum sanctitatem et suavitatem. Saepe autem praedicavit Alexander, se non secus amare Aristotelem ac patrem. Mansit autem Aristoteles apud Alexandrum annos circiter octo, quo tempore cum alias Philosophiae partes ei tradidit, tum vero etiam medendi artem. Atque hac in re non tam foelicitatem Aristotelis admirandam puto, quod ei contigerit erudire Regem, unum omnium longe ingeniosissimum, et quem fata ad imperium orbis terrarum vocabant, quam prudentiam laudandam esse iudico, quod ea tradidit adolescenti, quae vehementem naturam flexerunt ad suavitatem, quaeque ipse sensit regnanti magno usui et magno ornamento esse. Sic enim ait Alexander: malle se doctrina, quam imperii magnitudine excellere. Postquam vero Alexander in Asiam traiecit. Aristoteles rediit Athenas, ac scholas habere coepit; cumque videret cum rerum scientia eloquentiam coniungendam esse, matutina studia, seu, ut ipse nominabat *ἑώθινα*, tribuebat Philosophiae, vespertina seu *δείλινα* rhetoricis exercitiis. Unus omnium maxime vidit cognationem artium. Nam Physicen instituit et inchoat a geometricis demonstrationibus. Ideo omnes artes tractabat, scribebat de natura rerum, de moribus, de immortalitate animorum et rebus coelestibus. Multa componebat ad Alexandrum, ut victor Respub. legibus, iure, iudiciis, disciplina muniret. Hic scripsit aureos illos libros de historia animalium, qua in re non solum Aristotelis diligentia mirifica, sed etiam Alexandri liberalitas laudanda est. Nam id quoque regium est, Rempub. artibus et literis ornare. Cum enim privatis sumptibus explorari naturae animantium non possent, misit Alexander Aristoteli octingenta talenta, hoc est, quadringenta et octoginta millia coronatorum ad conducendos venatores et alendas bestias, ut eorum naturae considerari possent. Etsi autem quaedam praeclara scripta eius perierunt, tamen existimo ea quae reliqua sunt, quae quidem scholis maxime apta sunt, divinitus servata esse, ut posteritas rectius doceri posset. Postquam enim in Graecia, ut fit, recentiores Philosophi, Stoici, Epicurei et Academici coeperunt in admiratione esse, cum quidem pleni sint ineptiarum ac Sophistices, doctrina veteri ac eruditiore neglecta, scripta Aristotelis excutiebantur studiosis de manibus, et libri in bibliothecis paucorum vetustate et carie consumebantur; ac tantus thesaurus prorsus periisset, nisi Syllae foelicitas nobis haec quae habemus, reliqua fecisset. Is enim bibliotheca in bello parta, (nam olim Imperatores hanc praedam, ut bona scripta servarent maxime captabant) cum essent ibi multa Aristotelis volumina, sed pene obliterata, curavit undique in Graecia eius autoris libros conquiri et emendatos ab Andronico publicavit. Ita quemadmodum vivo Aristoteli amicus fuit Regum summus, ita pene extinctum revocavit in lucem summus et foelicissimus Imperator Sylla. Extant tamen adhuc vestigia huius calamitatis, in his libris qui reliqui sunt, in quibus apparet alicubi mutilatas esse sententiolas. Porro renovato Aristotele, paulatim recentiores sectae frigere coeperunt, cum se hi qui plurimum ingeniis pollebant, veteri doctrinae dederent. Sed redeo ad historiam vitae.

Docuit Athenis annos tredecim, nec solum doctrinae laude urbem celebriorem reddidit, sed etiam civibus magna beneficia impetravit ab Antipatro, qui Macedoniam gubernabat, et unice Aristotelem praeceptorem diligebat. Cum autem certamina Atheniensium cum Antipatro postea crescerent, ne ipse quidem tutus fuit Athenis. Nam cum homines invidi sperarent eum facile posse opprimi, invisum iam propter Antipatri amicitiam, finxerunt adversus eum impietatis crimen, quod fabulosam Deorum multitudinem reprehendebat, et unam aliquam aeternam atque infinitam mentem, causam omnium rerum esse affirmabat, illud etiam Homericum citans:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Formidans igitur iniqua iudicia, concessit in Chalcidem, quae erat in fide Antipatri. Neque haec calumnia, neque haec fuga, viri Philosophi gloriam obscurant. Sed hoc genus periculorum, quod commune est omnibus bene merentibus de genere humano, potius magnum addit cumulum ad eius laudes. Primum enim ipsa veritatis professio honestissima est; hanc autem in periculis retinere, nec ullis minis aut cruciatu ullo deterreri ac depelli a recta sententia, haec gravitas constantiaque proprie digna est viro Philosopho. Gloriosum est igitur Aristoteli, numerari inter summos viros, qui propter honestas opiniones et recta consilia a Sycophantis vexati aut oppressi sunt. Et quoniam omnibus aetatibus Sycophantae bellum gerunt cum veritate ἄσπονδιον, erigamus animos exemplis praestantium illorum virorum, nec iniquitate hominum sinamus nos ab officio abduci. In secessu illo aliquanto post mortuus est anno, ut ferunt, climacterico, sexagesimo tertio aetatis suae. Mores eius etsi in oratione ipsius perlucent, tamen iudicari possunt ex tot Regum ac Principum virorum benevolentia erga eum, quam, nisi fuisset in eo singularis gravitas, tueri non potuisset. Testamentum eius etiam declarat, quam fuerit φιλόστοργος: diligentissime enim commendat uxorem et liberos Antipatro. Sunt et alia humanitatis plena in testamento, quae ne sim prolixior omitto. Nunc quam sit egregia imago nobis proposita viri Philosophi, seu hominis versantis in studiis, eaque referentis ad communem utilitatem, ita intelligere poteritis, si animo totam historiam intuebimini, et considerabitis vim atque impetus ingenii, primam eius institutionem, studiorum gradus, infinitam discendi aviditatem, fidem ac dexteritatem in docendo, laborem scribendi tot egregia monumenta, morum gravitatem et humanitatem, postremo etiam iniurias quas a Sycophantis accepit. Quem non delectet videre et considerare in uno viro, tam multas heroicas virtutes? Cum enim in hoc genere perfectus artifex fuerit, satis apparet divinitus eum heroica natura praeditum fuisse.

Hactenus de vita dixi, multo brevius quam res poscebat; nunc de eius Philosophia dicam. Erat autem haec pars orationis multo longior futura, nisi angustia temporis vetaret. Conferendae enim erant sectae, quaedam etiam de Platone dicenda erant, sed haec breviter perstringam. Tanta est eloquentia Platonis, ut haud dubie longe antecellat omnibus quorum extant literae. Multae etiam sapientissimae cogitationes sparsae sunt in eius monumentis, sed nullam artem integre, neque ordine tradidit. Deinde maxima pars operum ironica est, quae figura ad deridendum accommodatior est, quam ad docendum. Athenaeus scribit quendam Platonis auditorem Cheronem consecutum tyrannidem in patria, imitatum esse absurdas illas disputationes de communi usu rerum et mulierum; tulisse enim legem, ut domini et servi communiter omnibus fortunis et uxoribus uterentur. Ita male intellectae Platonis ironiae, ineptum hominem prorsus infatuarunt. Aristoteles contra discentium utilitati consulere, et scholas iuvare voluit. Haec voluntas etiam in Philosopho magnam laudem meretur. Integre complexus est artes Dialecticen, Physicen et Ethicen, et duas res adhibet, quae lumen afferunt in docendo, methodum, et proprietatem sermonis. Utile est igitur adolescentes ad Aristotelicam consuetudinem assuefieri. Platonica illa licentia in disputando parit incertas et ambiguas opiniones, non secus ac pictores ludentes pingunt chimeras aut centauros. Quantum autem et rebus ipsis Aristoteles vincat alias sectas, ex eo intelligi potest, quod Dialectica nulla alia digna visa est, quae perveniret ad posteros, nisi Aristotelica, quod Physicen ex geometricis initiis prudentissime ducit. Quam venustum est, quod unus vidit naturam virtutis; esse affectuum mediocritatem? Quo consilio gravissime significat animos assuefaciendos esse in omni vita ad mediocritatem. Sed reprehenditur in Aristotele obscuritas, quam quidem ipse affectasse dicitur, quia dixerit libros suos editos esse, et non editos. Meo iudicio longe

alio consilio hoc dictum est: Videbat prudentissimus vir hanc methodi rationem non animadverti posse, nisi a liberaliter institutis. Ideo inquit, non esse editos, videlicet ineptis, qui non praeparati aliis artibus, ista attingebant. Magna est elegantia et perspicuitas orationis in multis libris. Alicubi propter rerum exilitatem, quam ille propter methodum consectatur, disputatio fit obscurior; sed animadversa methodo, tenebrae illae discutiuntur. Callimachus rogat Charites, ut manus delibutas fragrantibus succis lavent in suis elegis, ut possint esse perpetui propter gratiam et venustatem. Tanta est autem suavitas rerum atque orationis in Aristotele in plerisque scriptis, ut in libro de animalibus, in Politicis, in Ethicis, in Epistolis et aliis multis locis, ut iure existimari possit, Charites aliquid succi aspersisse de manibus, ut Callimachi verbis utar. Quid quod eius libri pro bibliothecis esse possunt? Plurima enim ex veteribus monumentis quae interciderunt, citat, ac propter huiusmodi flosculos arbitror, Aristotelem a Cicerone flumen aureum vocari. Quam multa interpretatur Platonis dicta, ut in quinto Ethicorum, cum quidem sumpserit collationem de proportionibus a Platone, tamen eam accommodat venustius. Sed desino, nam omnia persequi nimis longum fuerit. Haec eo dicenda putavi, non solum ut magis ametis Aristotelem, sed etiam ut cogitetis, cur sit amandus, et in manibus habendus; planeque ita sentio, magnam doctrinarum confusionem secuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus est methodi artifex. Nec alia ratione ad methodum assuefieri quisquam potest, nisi in hoc genere Philosophiae Aristotelicae mediocriter exerceatur. Quare vos hortor, non solum vestra causa, sed etiam propter universam posteritatem, ut hoc optimum doctrinae genus diligenter colatis et conservetis. Plato ait, igniculum illum a Prometheo de coelo allatum, methodum esse. At hoc igniculo amisso, rursus homines transformarentur in beluas; profecto enim sublata vera docendi ratione, nihil distant homines a beluis. Ut igitur hunc igniculum retineamus, hoc doctrinae genus, quod tradidit Aristoteles summo studio conservandum est. Dixi.

No. 48. (an. 1537?)

De Irnerio et Bartolo.

In Declam. T. II. p. 416 sqq., in Servest. T. II. p. 412. et apud Richard. T. II. p. 606.

De Irnerio et Bartolo Iurisconsultis, oratio recitata a D. Sebaldo Munstero.

Arbitror plerisque vestrum notissimam esse historiam de Imperatore Romano Alexandro Severo, qui cum coetum haberet frequentem Iureconsultorum, plenum dignitatis, (nullam enim constitutionem faciebat, nisi viginti Iurisconsultis adhibitis, cum quidem singulorum sententias scribi ac disputari vellet) magna benevolentia omnes complexus est. Sed cum Ulpiano maior erat familiaritas, qui, ut nunc vocant summus Cancellarius erat: hunc tanquam patrem venerabatur, hic non modo curiam, sed etiam privatam Principis vitam consilio et autoritate regebat. Incidit igitur et ipse in ea pericula, quae nativa sunt omnibus aulis, magnis et parvis. Necesse erat eum interdum adversari praetorianorum militum et praesidum cupiditatibus, quorum in illa imperii opulentia et tranquillitate, praesertim tunc ingens erat licentia, superbia et rapacitas. Itaque hi, qui videbant licentiam suam frenari consilio Ulpiani, aliquoties in praetorio impetum in eum fecerunt. Ibi Imperator suum corpus militibus obiecit, ac toga sua Ulpianum texit, acerrima oratione furorem militum castigans, atque ita tumultuantes compescuit, quo officio magnam Imperator iusticiae et fortitudinis laudem consecutus est. Quos enim magis defendere debent principes, quam consiliarios fideles, quos membrorum loco eos habere convenit. Sed hoc exemplo non solum admonuit caeteros principes, ut corpora tegant suorum, sed ut illam ipsam iuris doctrinam ac professionem cogitent acerrimis dimicationibus propugnandam esse. Pro hac opponant corpora sua, hanc autoritate sua tanquam clypeo tegant, adversus opiniones illorum, qui leges scriptas ac certas, qui hanc eruditam iuris formam et doctrinam e Repub. tolli cuperent, quae aequitatem ac libertatem singulorum munit, frenat licentiam potentium, ne quid sibi sumant adversus imbecilliores contra iustitiam; denique quae magnum decus est civilis societatis. Itaque ut Deus flectat animos principum ac potentum ad huius doctrinae

conservationem, magnopere decet optare bonos et prudentes. Nam hac remota, ne dici potest quanta in aulis tyrannis, in iudiciis barbaries, denique confusio in tota civili vita secutura esset, quam ut Deus prohibeat ex animo petamus.

Ab his votis piis et sanctis auspicari orationem volui. Nam de laude professionis saepe hic copiose dictum est. Singulare et admirabile Dei opus ac beneficium est haec civilis societas, qua Deus inter se coniunxit ac devinxit homines praecipue, ut ipsius noticiam alii aliis communicare possent. Huius divini operis, videlicet humanae societatis, custos est lex, haec retinet ac munit societatem, ut noticia Dei late propagari, ut regi Ecclesiae in pace, et erudiri, ut institui iuventus ad agnitionem Christi possit. Ad hos fines tranquillitatem lex efficit, nec levis est ea in re Iurisconsulti boni et pii opera. Lucere etiam ipsius fides in gubernatione solet. Quare leges et iudicia, politicum ordinem, iuris enarrationem et conservationem, tanquam eximia Dei dona amare ac venerari ex animo debemus. Haec nota sunt, sed magnitudo harum rerum, et quam pulchra, quam dulcis vitae res sit tota harmonia politici ordinis, quam utilis Ecclesiae, non satis cogitari a iuvenibus potest. Quae cogitantes, etiam ordinem Iurisconsultorum intelligent, praeclare de vita hominum mereri. Sed de toto genere doctrinae saepe hic dictum est.

Cum autem et mihi hoc loco dicendum esset, ut postulat consuetudo scholae honesta et utilis, delegi historias aliquas Iurisconsultorum, qui inde usque a Lothario Imperatore floruerunt; magnum enim calcar est bonis ingeniis ad virtutem, intueri in exempla illustria. Nec fieri potest quin professionis reverentia augeatur in iis, qui illa lumina excellentium virorum intuentur, qui tot iam seculis togatam administrationem Reip. magna ex parte in Europa gubernarunt. Quis enim nostrum de Romano senatu cogitans, cum ibi Scipionem, Lelium, Fabium, Paulum Aemilium, et similes quosdam heroica virtute praestantes, animo recenset, non vehementer admiretur illos viros, tanquam coelo missos ad illud imperium constituendum et gubernandum? Omnes profecto accendimur illorum amore, quanquam tot ante secula extincti sint, et optamus divinitus etiam nostrae aetati tales heroas donari. Sic affici opinor bona ingenia, cum celebrari audiunt Irnerium, qui longo tempore Italiam rexit; aut Bartolum, cuius consilio plurimum usus est Carolus Quartus Imperator. Accedo igitur ad historiam.

Cum Italiam Longobardi et Franci dilacerarent, paulatim ibi forma iudiciorum mutata barbarici mores recepti sunt, et Romanae leges conticuerunt. Quanquam autem in Italia veteris illius doctrinae studia nulla erant, tamen Constantinopoli duravit professio iuris apud Imperatores Graecos, sicut ibi aliarum artium studia adhuc aliquanto magis florebant quam in Italia. Extant adhuc Commentarii in ius Romanum scripti Constantinopoli similes glossis et enarrationibus Italicorum doctorum. Ideo postquam Italia a Germanis pacata esset Othonum tempore, et paulatim mores Longobardici emendarentur, apparet homines ingeniosos Romanum ius iterum desiderasse. Nonnulli etiam instituti et exculti Constantinopolitana doctrina, dexteritate in negotiis excellebant. Ita paulatim celebrari hoc studium cepit. Sed Henrici Quinti tempore fuit in Italia vir summae autoritatis gubernans eam partem, quae tunc erat Romani imperii Irnerius. Is cum esset eruditus ut arbitror Constantinopoli, aut ab iis qui audierant Constantinopolitanos, saepe ritus barbaricos in successionibus et aliis negociis ex Romano iure corrigebat aut moderabatur.

Fuerat Italia graviter afflicta bellis Henrici Quarti; multorum patrimonia varie, ut fit bellis civilibus translata fuerant. Ergo cum opus esset gubernatore praedito magna sapientia et aequitate: Italia non nihil recreata est prudentia et moderatione Irnerii, qui cum posteritati etiam consulendum putaret, cupiebat autoritate imperatoria rursus proferri ius Romanum, ut certae leges et erudite scriptae extarent; nam incertum ius aeternas discordias parit. Sed in Germania incidit in bella civilia. Postea Irnerius cum perspecta eius virtus in gubernatione tam longa et grandior aetas auxisset eius autoritatem, nactus Imperatorem Lotharium Saxonem, non impeditum civilibus bellis, et qui plurima in Italia ad muniendam tranquillitatem constituit, fuit huic hortator, ut curaret Romae et Bononiae rursus enarrari ius Romanum, et ut controversiae ex Romanis legibus diiudicarentur. Ita rursus celebrari et coli studium Romani Iuris coepit.

Nec inhonestum sibi Irnerius duxit, postquam tot annos cum magna gloria versatus erat in Rep. in ultima aetate redire ad scholam. Sed quicquid ei autoritatis, gloria rerum gestarum et aetas pe-

pererat, id conferre ad ornandum iuris studium voluit. Meminerat principes Romanae civitatis, Scevolam, Crassum, Sulpitium et alios multos, qui cum essent consulares, cum provincias rexissent, cum bella magna gessissent, tamen senes et docuisse ius et de iure respondisse. Fertur autem Irnerius et Romae et Bononiae docuisse, et primus ex Italis glossas textibus addidisse. Haec auspicia fuerunt renovandae huius doctrinae fausta et laeta Reip. Iam cogitate quanti sit negocii leges restituere mutata veteri Reip. forma, prorsus antiquata fori consuetudine, amissa proprietate linguae. Ex tantis difficultatibus cum primi illi restauratores foeliciter eluctati sint, et quasi quandam imaginem veteris Reip. restituerint, necesse est eos non solum ingeniis et prudentia excelluisse, quem rerum usus acuerat, sed etiam diligentiam mirabilem ac studium adhibuisse in conferendis legibus, et considerandis fontibus ac rationibus eruditissimarum constitutionum. Opinor tamen Graecorum commentariis adiutos esse, quorum aliqui adhuc in Italia habentur. Ut autem Romae Papinianus auditores plurimos summa eruditione et summis ingeniis praeditos post se reliquit Ulpianum, Paulum et alios multos: ita Irnerium secuti sunt ipsius auditores Bulgarus, Azo et alii, qui pariter et in administratione Reip. et in schola floruerunt. Excitata igitur Italia huius doctrinae admiratione, magno studio in eam incumbere cepit. Quare multi extiterunt, qui docendo, scribendo, respondendo, regendis imperiis, optime de vita hominum meriti sunt. Nec negari potest huius doctrinae cognitione Italiam, Galliam et Germaniam, factas esse cultiores, atque mitiores. Postquam enim in iudiciis multi barbarici ritus correcti sunt, et actiones ac sententiae requirebant quandam eruditionem, mores etiam flecti ad humanitatem magis ceperunt, et accesserunt literae eruditiores, et quaedam Philosophia ac maior discendi cura. Nam hoc Ius Romanum haud dubie erudita quaedam Philosophia est. Quare etiamsi non revocatum esset in forum, tamen legendum et cognoscendum fuisset hominibus doctis accessuris ad Rempub. multo magis quam Aristotelis Politica, quae quidem sapienter et utiliter scripta esse iudico. Nec vero mihi legenti vetera ac barbarica iura horridae gentis Germanicae, ut sunt Westvalici ritus, venit in mentem perinde hanc nationem factam cultiorem acceptis Romanis legibus; ut in fabulis ferunt, monstratis frugibus, homines vivere cepisse commodius, cum antea pecudum more glandibus vescerentur.

Magna profecto et divina res est constitutio civitatum et legum mutatio in melius. Eaque quae constat recte et foeliciter constituta esse non temere labefactanda sunt, ne et donum Dei aspernari sic videamur, et motis rebus publicis sine necessaria causa sequantur maiora incommoda. Facile est autem ut Pindarus inquit cuivis mutare civitatis statum, sed rursum sedare et in tranquillum restituere solius Dei. Cum igitur eventus ostendat in ipsa iudiciorum emendatione ius Romanum divinitus institutum esse, agnoscamus, et grati tueamur Dei beneficium.

Sed redeo ad scriptores: Bartolus vixit tempore Imp. Caroli Quarti, et quanquam magnam laudem adeptus est, propterea quod plura scripserit quam quisquam ante ipsum: tamen in summa admiratione est propter ingenii dexteritatem et amorem veritatis. Ingenii foelicitas ex eo aestimari potest, quod iuvenilia studia celerrime absolvit, et adhuc adolescens celebritate nominis fere totam Italiam complevit. In L. quidam cum filium de verb. oblig. Narrat Bartolus ipse primum curriculum suorum studiorum, his verbis, quae recitabo ut haec commemoratio magis moveat animos; est etiam ipsius oratio quasi quaedam pictura humanissimi et modestissimi animi. Cum enim ea lex dicat: Si quis promittat se aliquem tractaturum ut filium, non esse praetereundum in testamento. In hac lege cum sit casus ut ipse ait, qui nusquam alibi extat in iure, multa disputans Bartolus, narrat praeceptorem suum aliquos expositities pueros hac stipulatione aliis commendasse, ac adiicit mentionem gratissimam praeceptoris et primae aetatis suae; sic enim ait: Ego magistrum habui, qui vocabatur frater de Ascisio; nunc vero vocatur Frater Petrus pietatis, sic dictus, quia locum ibi erexit, qui domus pietatis vocatur, ubi infantes expositiii aluntur. Vir est expertus, nullius hypocrisis, mirae sanctitatis, apud me et omnes, qui eum bene noscunt, cui gratias ago exemplo Aquilii Reguli in titulo de Donat. L. Aquilius, qui dum me rexit, custodivit a lapsu, et Dei beneficio et sua doctrina me talem reddidit, ut in quartodecimo anno aetatis meae in civitate Perusina sub Domino Cyno de pistorio, iura civilia audire inceperim. Et eius perseverante gratia, continue sudando ita profeci, ut vicesimo anno Bononiae repetando et disputando publice

de iure responderim. Deinde vicesimo primo anno Doctor creatus sum. Et ex magno amore, quem erga illius fratris Petri bonitatem habeo, cum calamus haec scribit, cordis oculus lachrymas movet; ipseque vir venerabilis Petrus dixit mihi, se plures ex illis pueris exposititiis hoc pacto aliis tradidisse, ut eos non aliter, quam filios tractarent.

Haec sunt Bartoli verba, quae ostendunt non modo vim ingenii, qua mirabili celeritate ad fastigium amplissimae doctrinae contendit, sed etiam eius pietatem erga Deum, et gratitudinem erga praeceptorem. Paulus de Christo narrat, ab eo repetitionem legis de aetate .ff. de minoribus, ita elaboratam esse, ut quinquennio eam retinuerit ante editionem, et subinde correxerit et perpoliverit; idque ait praedicasse ipsum Bartolum, additque obiurgationem iuventutis, quae nunc stulte gloriatur de celeritate, inquiens: Nunc puderet aliquem si fateretur se menses sex tribuisse tali operi, sed scribunt subito pereuntia. Illa Bartoli repetitio durabit ad omnem posteritatem. Haec Paulus de Castro.

Omitto pleraque preconia Bartoli, de eius ingenio et scriptis, ac tantum referam Panormitani dictum, in Cap. cum nobis de praescript. qui ait, omnium iudicio Bartolus omnes scribentes in aequitate et veritate antecellit. Nec profecto minus fidei et autoritatis hoc testimonium habere censendum est, quam quod Cicero impertit Servio Sulpitio, cum ait: Nec vero silebatur admirabilis et incredibilis, et pene divina eius in legendis, interpretandis, aequitate explicandis, scientia; neque enim ille magis Iurisconsultus, quam iusticiae fuit. Hanc ipsam laudem quam Servio tribuit Cicero, doctores probatissimi magno consensu tribuunt Bartolo. Etsi autem non pervenit ad senectam, mortuus est in anno aetatis suae 46. tamen Reipub. praeclare satisfecit, non solum in schola, sed etiam in foro et curia. Fuit enim assessor Tuderti et Pisis; fuit et consiliarius Imperatoris Caroli Quarti laudatissimi Principis, qui magna virtute pacavit Italiam diu conflictatam bellis intestinis sub Ludovico Bavaro; in iis Italiae motibus sedandis, in constituendis iudiciis, et pace munienda, Carolus maxime usus est Bartoli consilio, perinde ut Augustus Capitonem et Trebatium adhibuit post bellum civile, ad legum et iudiciorum et totius civilis status emendationem.

Haec de Bartolo breviter ex veris historiis collegimus. Iam cogitate qualis error sit, ut nihil durius dicam, tantos viros de toto genere hominum optime meritos, non magnifacere, nec eorum virtutes et merita intelligere. Iuventutem vero adhortor, ut discat venerari hos excellentes viros praeditos singularibus et coelestibus donis, et bene merentes de communi societate. Nec vero ulla voce humana satis praedicari potest magnitudo huius meriti, quod non solum suam aetatem erudiit, et contulit industriam, et pacem, ad disciplinam retinendam, ad tranquillitatem communis societatis, quam Deus vult nobis curae esse, sed etiam omnem posteritatem scriptis docet, in quibus nervos tradit pacis et disciplinae.

Utinam talium virorum consilia valerent in Repub. Sicut apud Lotharium Irnerii, apud Henricum Lucelburgensem Bulgari, apud Carolum Quartum Bartoli autoritas valuit. Nam veteres omitto, Iulium, Augustum, Traianum, Severum, Alexandrum, qui nihil decernebant, nisi adhibitis aliquot Iurisconsultis. Cum enim Princeps sit custos legum et iusticiae, et Resp. habeat opus scripto iure, non potest sine voce, sine consilio Iurisconsulti recte tueri suum munus. Sed ut Demosthenes inquit: Dei sedi astare iusticiam gubernatricem hominum, sic adesse Principibus monitores eruditos in legibus oportet.

Dixi de duobus Iurisconsultis, de caeteris fortassis alias dicturus. Nunc adhortor iuvenes: primum ut venerari hos heroicos viros discant; deinde ut avide eorum doctrina frui studeant. postremo, ut quantum quisque pro ingenii sui viribus potest, diligentiam eorum et sedulitatem imitari conentur, quod, ut faciant, multae graves causae singulos huic professioni deditos adhortantur. Pertinet enim haec ars ad custodiam publicae pacis, quam si adiuvamus, ita ut officia nostra referamus eo, ut ornemus religionem, ut luceat nostra fides in his actionibus, et prosimus verae Ecclesiae, sciamus nos Deo gratissimum cultum praestare. Hunc enim finem esse civilis societatis Deus voluit, ut vera ipsius noticia inter homines illucescere, et late spargi possit. Hunc finem nos in omnibus civilibus officiis intueri omnino convenit. Dixi.

No. 49. an 1538.

De dignitate legum.

Apud Crat. Myl. p. 225 sqq., in Declamat. T. I. p. 242., in Servest. T. I. p. 208. et apud Richard. T. II. p. 508. — Secundum Mylii chronol. scriptorum Mel. an. 1538. est scripta. Aliam eiusd. argumenti vid. infra ad an. 1543.

De dignitate legum oratio.

Nihil in vita utilius est, quam inserere atque installare animis bonam et honorificam opinionem de Legibus. Nec ulla maior est vitae ac morti pernicies, quam assuefacere animos ad leges contemnendas aut cavillandas. Haec saepe inculcari adolescentiae cum sit utilissimum, recte fieri iudico, quod in his promotionum spectaculis saepe idem argumentum de dignitate legum repetitur. Quid et honestius est, quam praedicare et ornare dona Dei, et ad earum rerum intellectum et reverentiam exuscitare imperitam adolescentiam, quae sunt in vita utilissimae? Aut quarum rerum commemoratione potius personare doctorum coetus debent, quam his sermonibus, qui prosunt ad ornandam gloriam Dei, et ad disciplinam iuventutis, praesertim cum indoctorum et malorum congressus abundent convitiis legum? Ac mihi saepe in mentem venit, haec convitia non tantum ex quadam hominum iusticia aut imprudentia oriri, sed spargi a Diabolo tanquam spicula ad sauciandas rudes mentes, ut legum reverentia extinguatur, et sequatur dissipatio disciplinae, quae et religioni et tranquillitati communi noceat. Est autem nostri loci atque officii, revellere illa spicula, hoc est, falsas persuasiones ex animis hominum, et cum oratione, tum exemplis illustrare atque ornare legum ac iuris dignitatem, ac retinere disciplinam quantum possumus. Cum igitur in hoc loco alius vir clarissimus D. Doctor Hieronymus, quem non solum propter beneficia quae in me privatim contulit plurima, sed etiam propter excellentem virtutem et doctrinam veneror, et tanquam patrem colo, gravissime nos adhortatus sit omnes ad reverentiam legum, deinde etiam auditores nostros ad diligentiam in discendo, Ego hoc tempore aliud argumentum, etsi vicinum, sumam. Tractabo enim scholasticam disputationem utilem studiosis, quod Christianis non sit necessarium uti legibus Mosaicis, sed quod liceat uti legibus, quae iuri naturae consentaneae sunt, etiamsi ab Ethnicis Magistratibus conditae sunt. Deinde ostendam, Romanum ius antecellere legibus aliarum gentium, et vere quandam Philosophiam esse. Scio enim ante aliquot annos, quendam Iudaico ingenio praeditum, contendisse hic etiam publice, non licere Christianis Ethnico iure uti, quia Christianos oporteat verbo Dei gubernari. Postea in publicis concionibus damnabant eius sectatores poenam usitatam furti, et pleraque alia instituta civilia imperii horum temporum. Porro hae tribunitiae legum abrogationes et iniustae sunt, et concutiunt Respub. ut eventus in illo terribili motu vulgi ante annos tredecim ostendit. Sunt et hodie in administratione civitatum non pauci, quorum conscientiae superstitiosis opinionibus cruciantur, quia non recte institutae sunt de rerum politicarum usu. Nec hi errores nunc primum nascuntur, vetera Monachorum deliramenta sunt, quae Diabolus nunc velut sopitum ignem rursus exuscitat, ut solet easdem haereses subinde renovare. Quare prodest iuvenes admonere, et ut de hac quaestione rectius iudicent, et ut in dogmatibus iudicandis verae Ecclesiae sententias consulant. Ac primum diluam argumentum quod opponitur, Christianos gubernari debere verbo Dei; quare contendunt, opus esse scriptura in iudiciis civilibus. Expedita et plana responsio est de corporali vita, ut de cibis, medicina, architectonica. Christianos etiam gubernari verbo Dei, sed generali, quo sinit usum harum rerum approbatum esse a Deo, imo has ipsas res Dei dona esse, condita ad usum nostrum. Caeterum ut medicus seu architectus non sumunt praecepta suarum artium ex scripturis, ita nec legislatorem de rebus politicis opus est, praeter generalem regulam, sumere ipsam artem ex scriptura. Nam Evangelium cum proprie concionetur de aeterna et spirituali vita, non mutat, non labefacit oeconomiam, aut politicam vitam, quae collata ad interiores cordis motus, persimilis est domui. Ut enim domus est singulari arte extructa, apte contignatis omnibus partibus, ac tegit hospitem adversus tempestatum iniurias, interea tamen hospitis animus non intra hos parietes cohercetur, sed tacitus de Dei voluntate et de aeternitate cogitans, procul tanquam in coelum sublevat; considerat enim omnium aetatum mutationes, religionum ortus ac discrimina, imperiorum vices, tristes casus, quibus haec humana natura obnoxia est, et e regione beneficia Christi; denique et de hac ipsa domo cogitans, miratur opificium, et agnoscit etiam corporali

vitae praesidia divinitus donata esse. Ita universa politia ceu domus quaedam est, mira arte divinitus fabricata, legibus Magistratuum, ordine, contractibus, iudiciis, disciplina, praesidiis armata, poenis etc. His septi ac vallati muris, tamen Deum agnoscere possumus, ac statuere, hanc ipsam politiam, qua haec vita defenditur, esse velut domum divinitus nobis conditam: nec interest vitae spirituali ac aeternae, utrum haec domus, id est, politia, sit a Moise, an ab aliis legumlatoribus, ut ita dicam, fabricata, modo ut sit consentanea iuri naturae. Id primum hoc argumento confirmo: Apostoli in Actis capite 15. pronunciant perspicue, non esse onerandas Gentes lege Moisi: imo Petrus severe obiurgat diversum sentientes, ac inquit, eos tentare Deum, quo durius nihil dici poterat. Nam tentare Deum, est illudere ei, ordinando aliquid praetextu divinae autoritatis. Quare Petrus eos, qui Ecclesiam ad legem Moisi adigebant, non leviter peccare ostendit. Quia enim falso praetexunt divinam autoritatem, horribiliter illudunt Deo. Ac loquitur Petrus pariter de ceremoniis et de politicis legibus, sicut disputatio integra testatur, ubi allegant testimonium Spiritus sancti, quod Gentes prorsus alienas a politia Moisi Deus vocavit et tandem diserte iubent nihil imponi Gentibus, praeter ea quae in illo decreto continentur: et allegant Apostoli scripturam Gentes salvas fore. Proprie autem nuncupantur Gentes, quae non habent politiam Moisi: quare non necesse fuit Gentibus legem Moisi imponi. Addo et aliud testimonium: Ad Ebraeos scriptum est, legem Moisi institutam esse usque ad tempus adventus Christi; ergo politia illa post id tempus non est necessaria. Discernit et Christus suum regnum a corporali, cum ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Imo ut milites Christum spinis coronant et configunt et in purpura traducunt, sic illi Christum per contumeliam coronant, qui falso praetextu autoritatis ipsius, dilacerant et evertunt politias, et novam constituere conantur. Qui eo etiam peccant quod obscurant et obruunt spiritualia beneficia et fidei exercitia, cum hominibus offundunt hanc speciem, quod Christus nihil nisi illa civilia officia Moisi requirat. Ne tenebrae prorsus delent Evangelium. Postremo mandat Evangelium, ut Magistratibus ethnicis obtemperemus: quare necesse est legibus eorum obedire; nam lex est vox ipsa Magistratus. Nec aliud est obedire Magistratui, nisi eius legibus et decretis obtemperare. Possem alia multa argumenta addere, sed cum haec perspicua et firma sint, non addam plura, praesertim cum sacrae literae etiam exempla multa proponant piorum extra politiam Mosaicam. Ut enim non dicam de Patribus ante legem, postea etiam multi pii fuerunt inter Gentes et quidem gubernatores magnorum regnorum, Naaman, Nabugdonosor, Darius, Cyrus. Nec Danieli apud Persas licuit haereditates dividere Iudaeorum legibus, quod Romani centuriones ac milites in historia Evangelica laudantur. Quare nihil dubitemus placere Deo, etiam caeteras politias, si tantum, ut dixi, non pugnent cum iure naturae, quod est, ut Paulus inquit: Ius Dei divinitus inscriptum humanis mentibus, ut a Deo haberent regulam quae leges gubernaret et diiudicaret. Postquam igitur ostendimus placere Deo etiam caeteras politias, bonae mentes hoc diligenter considerent, illas quoque esse Dei opificium seu fabricationem, ut ita dicam. Nam et Daniel expresse ait, Deum constituere regna; et Paulus inquit, Imperia esse ordinationes Dei. Magnum igitur scelus est, legum violatione, quasi telam divinitus textam dilacerare, id quod Diabolus miris modis conatur. Quid enim pulchrius, quid amabilius esset imperiis, si harmonia societatis humanae non interturbaretur? Si principes veram religionem propagari curarent ac defenderent, si mores civium diligenter regerent, si controversias cognoscerent, et bonos tuerentur, ac proveherent, improbos vero coercerent ac punirent? Si cives essent concordes et modeste parerent, si Ecclesiae essent tranquillae et recte gubernarentur, si in scholis artes utiles traderentur et disciplina severe retineretur? An non talis status esset illa aurea aetas, quam Poëtae describunt? Hic ordo est imperiorum divinitus institutus, et quem Deus conservat, quatenus bona manent. Sed Diabolus rabiose hunc chorum interturbat, incitat tyrannos, ut tanquam Gigantes illaturi bellum coelo, abolere religiones conentur, ut iniustis caedibus grassentur in cives, polluant flagitiosis libidinibus universam rerum naturam, licentiam scelerum confirment, deleant honesta studia, dilacerent Ecclesias. Talis status Romae fuit, Neronis et similium tyrannorum tempore. Sic Diabolus corrumpebat harmoniam divinae ordinationis, et tamen interea Deus non patiebatur eam prorsus deleri, ac paulo post eam restituebat extincto tyranno. Ut autem tyrannus ille erat Diaboli orga-

num, dissipantis divinam ordinationem, sic sciant omnes legum contemptores, se Diaboli organa esse, et daturos Deo poenas, sicut toties Deus minatur, et testantur exempla omnium aetatum. Cernit Deus omnium vindex, et vel Magistratuum sententiis praebet puniendos improbos, vel ipse aliis horrendis poenis eos excruciat. Non Magistratus cohercere Clodium poterant, Milo tandem cohercuit: non Antonium leges, non Senatus autoritas, non foedera sanctissima retinere potuerunt, quo minus bella civilia moveret. Itaque tyrannus tandem non impetrata vita a victore, cum miser vidisset reginam Cleopatram sibi mortem consciscentem, ingenti dolore et ipse sese iugulat. Non haec casu fieri, Adolescentes, existimemus, sed ordinatione Dei, qui sic ulciscitur hominum furorem, qui leges contemnunt, et harmoniam societatis humanae ab ipso institutam conturbant. Quare non tantum ex historiis exempla quaerenda sunt, sed praesens vita suppeditat innumera. Quare vereri leges et amare tuerique disciplinam discamus, et sciamus eos qui non obtemperant, non tantum cum hominibus, sed cum Deo pugnare, et concutere, quasi domum divinitus fabricatam, hanc politiam qua continemur. Sed dicam nunc de altera parte, videlicet de Romano iure, quare id potissimum amplexa sit Respub. Iudaicae leges non nisi illi nationi conditae sunt, nec possunt convenire pluribus Gentibus. Assignant enim certas sedes certis familiis, et has vetant mutari; hoc non potest nisi in angusto loco obtineri. Spartanae leges non dividunt agros, sed iubent communiter coli, et postea fructus dividi: ne hoc quidem nisi inter paucos obtineri potest. Habent et alia vitiosa instituta de connubiis. Atticae leges propius ad Romanam formam accedunt, sed Romanae plus gravitatis habent in plerisque delictis puniendis; melius etiam describunt iura testamentorum, discernunt haereditates, fidei commissa legata; denique uberior est doctrina Romanis. Saepe enim miror insolentiam quorundam, qui existimant iusta et aequa, sine arte et sine doctrina perspici naturali quodam sensu, sicut apes architectonicam norunt sine doctrina, sed hi tota via errant. Etenim ut in aliis artibus initia quaedam monstrat natura, ut in mensuris admirandis, deinde arti doctrina proficit: ita in hac iuris et morum gubernatione initia a natura esse fateor. Necesse est enim esse certa principia, sed ex his fontibus duci regulae sine doctrina non possunt. Quoties affinitas decipit homines? Ut hoc tempore quam turpiter praetexitur interesse, immanibus usuris, interdum falso praetextu societatis, interdum simulatis emptionibus voragines usurarum teguntur. Haec deprehendi et emendari sine eruditione, doctrina, non possunt. Quae tenebrae essent iudiciorum, quae confusio, si non essent arte tradita discrimina actionum? Quis sine doctrina videret, cur a rei vindicatione publicanum distingui oporteat? et hoc genus alia multa? Res igitur cogit fateri, necessariam esse artem et eruditiorem doctrinam, ad diiudicanda iusta et aequa, eamque praecipuam esse partem moralis Philosophiae. Nihil est indignius homine docto, quam artis suae laudem augere aliarum artium vituperatione; sunt enim omnes excellentia Dei dona, quare omnes venerari et amare debemus. Sed cum sit admirabile opus Dei in animis hominum, nosse numeros et ordinem, unde existunt multae artes, Arithmetica et Dialectica, cur non etiam admiramur illas noticias, quae discernunt iusta et iniusta, ac pariunt doctrinam iuris? Hae noticiae sunt quaedam imago Dei, et magis regunt vitam, quam aliae noticiae seu ideae artium. Ex hac admiranda luce et Dei imagine, orta doctrina Iurisconsultorum, non minus est ars, quam caeterae disciplinae. Itaque cum sit arte aliqua opus, ad intelligenda et discernenda iusta et iniusta, quos alios artifices, nisi doctissimos, peritissimos homines, qui in sapientissimis consiliis summi imperii hoc disputaverunt, sequeremur? Recte igitur Romano iure utimur. Quantum fuerit studium doctrinae inde usque ab Augusto ad Iustinianum, multa sunt perspicua signa, sed caetera omittam; Augustus cum quidem excelleret civili sapientia in quaestionibus iuris, quam multa de Trebatii, Tuberonis, Labeonis et Capitonis sententiis constituit? Labeoni etiam libere adversanti saepe cessit. Sed, ut sunt morosi interdum etiam leni et moderati Principes, Augustus etsi non laesit Labeonem, tamen offendi se eius libertate significavit, eoque Capitoni minori natu consulatum dedit. Retinuerunt Augusti morem et post eum Principes, nec sine Iurisconsultis ultra decreta in civilibus quaestionibus faciebant. Nerva et Cassius adfuerunt Tiberio, Cassius Vespasiano, Traiano et Adriano Celsus, et plerique alii. Neque tamen in consilium admissi sunt ulli, nisi iudicio Senatus Romani essent Principibus commendati. Postea Antonini Pius et Marcus multo

etiam frequentius consilium Iurisconsultorum habuerunt. Alexander Severus, cuius plurimae extant in Codice leges, nullum decretum, nisi viginti Iurisconsultis adhibitis, edidit. Hunc morem cum cogito, non possum non reprehendere negligentiam et barbariem nostrae aetatis, qua tam multi summi Reges et Principes respondent, aut sine doctis viris, aut certe sine frequentia et disputatione doctorum. Ideo absurda multa et dissidentia a iure eduntur, quae existimationi Principum non leviter officiunt. Cum igitur illi clarissimi viri artem effecerint, et omnia exquisite complexi sint, quae ad tuendam societatem humanam pertinent, personarum gradus, rerum divisiones, acquirendi modos, contractus, successiones, haereditates, obligationes, actiones, poenas delictorum. Convenit agere gratias Deo, quod tale ius imperio reddiderit. Neque enim sine Dei consilio accidit, quod cum post inclinationem Romani imperii etiam amissus esset usus harum legum, et successissent barbarici ritus iudiciorum, tamen annis post Iustinianum quingentis, revocatae sunt in forum et in scholas Romanae leges. Haec restitutio multos mores barbaricos correxit, non modo in iudiciis, sed etiam in reliqua vita. Profuit etiam studiis; quare hoc tantum bonum propter communem utilitatem tot gentium tueamur. Nam scriptum ius est firmum praesidium adversus tyrannidem, et quo eruditius est, eo plus continet aequitatis. Hoc muro septa est libertas populi adversus potentum cupiditates. Si tolleretur hoc ius, quae sequutura esset tyrannis, cum pro legibus essent potentum affectus? Facile est enim fingere praetextus, et specie aliqua affectum tegere. Recte inquit Cicero: Ubi discessum est a iure, omnia sunt incerta. Multo maior esset incertitudo, si prorsus nullum extaret ius scriptum. Natura autem ita fert, ut incertitudo illa ac tyrannides rursus praeberent occasionem novi iuris scribendi: quod si fieret, scriberentur agrestia et inerudita, ut nunc fit in aliquibus locis, et dissimilia in singulis oppidis. Nunc non modo aequitas nostri iuris prodest ad tranquillitatem, sed illud etiam conducit, quod multae gentes iuris similitudine consociantur. Quare hoc ius, quod a sapientissimis viris in Repub. praestantissima scriptum est, quod magno consilio summorum virorum restitutum est, quod est aequissimum et maxime consentaneum rationi, quod munit nos adversus tyrannidem, quod prodest ad bonos mores, retineamus, et omni studio propugnemus. Tanta est enim aequitas, ut etiamsi in forum et curiam non esset receptum, tamen in scholis legi oporteret, ad discendam naturam iusticiae et aequitatis. Nusquam enim extat perfectior et illustrior imago iusticiae, quam in his legibus. Quare etiam a Deo optare debemus, ut hanc doctrinam ad Reipublicae tranquillitatem conservet. Dixi.

No. 50. an. 1538.

De utilitate studior. eloquent.

Apud Crat. Myl. p. 188 sqq., in Declamat. T. I. p. 439., in Servest. T. I. p. 381. et apud Richard. T. I. p. 274. — Melanthonem, ut aliis multis, ita etiam Sabino varia scripta publice praelegenda composuisse, satis intelligitur ex epistola Sabini supra in Epp. Vol. III. p. 1104.

De utilitate studiorum eloquentiae, oratio Georgii Sabini, habita in Gymnasio Francofordiensi, anno 1538.

Clarissimo viro, cum generis nobilitate, tum virtute praestanti, D. *Eustachio a Schlieben*, patrono suo, *Georgius Sabinus* S. D.

Magis studiis quorundam amicorum, quam meo iudicio factum est, ut ederetur oratio, quam de eloquentiae exercitiis ac laudibus more scholastico habui. Videbam enim multo esse tenuiorem, quam ut responderet argumenti magnitudini. Quae enim ars alia tantas ad vitam utilitates adfert, quae res maiores gubernat, quam eloquentia? Explicat religiones, regit universam togatam administrationem, dominatur in iudiciis, in curia, in Principum consiliis, et infinita negociorum varietate. Saepe etiam bella, et stantes in procinctu acies dirimit. Itaque praeclare Ovidius cum ad Mercurium inquit: Pacis et armorum Deus arbiter, significat eloquentiam, et in pace res maximas regere, et saepe bella ac populorum tumultus sedare. Tantam facultatem pro dignitate laudare, non est mediocrium virium. Ego autem de me illud multo verius praedicare possum, quod de seipso inquit Ovidius:

Invida me spaciis natura coërcuit arctis,
Ingenii vires exiguasque dedit.

Quare mihi veniam dari peto, quod suscepto gravissimo argumento, tam tenuem Orationculam sine motibus, sine splendore aliquo composui.

Nam si qua est in editione culpa, amicorum est, quibus tamen eo minus repugnavi, quia arbitror omnes in hoc genere exhortationes prodesse iuvenibus, praesertim hoc tempore, cum languescant haec studia, non solum fatalibus causis, sed etiam hominum ignavia. Et ut Homerus inquit, ὑπὲρ μοῖραν. Quare omnes boni viri, maximeque illi, qui tenent Respub. et qui studiis iuventutis praestant, excitare debent adolescentiam ad has artes colendas atque amandas, quibus carere Respub. nullo modo potest. Quales tenebrae in religione, qualis barbaries in iudiciis et negociis civilibus futura est, amisso literarum elegantiorum et eloquentiae lumine? Facile igitur patior extare hanc meam qualemcunque exhortationem. Cum autem usitato more patronum aliquem huic scripto quaererem, multae concurrebant iustae causae, ut tui nominis auspicio ederem, quem scio maxime et studiis et laudibus eloquentiae favere. Etsi enim abundas ingenii et fortunae ornamentis, tamen his ingens decus addit eloquentia tua, et caetera illustriora efficit. Nam cum natura te ad hanc artem omnium reginam finxerit, cumque doctrina excultus sis, magnam tibi laudem, magnam admirationem, dicendi facultas parit, non solum in patria lingua, sed etiam Latina. Eaque in re illud in primis gloriosum est, quod tua eloquentia patriae praesidio est. Deinde hanc nostram Academiam autoritate tua apud Illustrissimum et Clementissimum Principem Marchionem Electorem praecipue tueri soles; me quoque singulari comitate adiuvas. Quare hanc ad te Epistolam publice scripsi, primum ut omnes intelligerent te a nobis, et propter admirationem tuarum virtutum, et propter egregiam erga literas voluntatem, diligi, coli et observari; deinde, ut haec ipsa studia nostra tibi commendarem. Itaque si officio meo delectaberis, praeclare me hoc munus collocasse arbitrabor. Peto igitur, ut pro tua excellenti humanitate, et hoc meum officium specimen esse grati erga te animi statuas, et me tuo favore atque autoritate, in hac publica functione defendas. Est enim iustissimum, eloquentiae studia ac professores ab iis defendi atque ornari, quibus eloquentia summam dignitatem atque autoritatem in Republica parit. Bene ac foeliciter vale. Francofordiae ad Oderam, Calendis Novemb. Anno 1538.

Non ignoro quantum onus suscipiat is, qui eloquentium scriptorum enarrationem instituit. Etenim non solum genus sermonis ei notum esse oportet, sed etiam exponenda sunt autorum consilia, multa ex historiis omnium temporum repetenda; denique ut accommodet ad usum, interpres non rudis esse debet Reipub. Haec cum per sese ardua sint, mihi novitas ipsa et negocii et loci, multo reddit ea difficiliora. Nam antea nunquam in publico coetu docui, et fieri nequit, quin recens hospes huius Academiae, magis metuam iudicia vestra. Omnium oculi in novos hospites intenti sunt, multoque iudicant de eis morosius, quam de notis et familiaribus. Itaque magna in sollicitudine esse coepi, postquam haec provincia mihi ab Illustrissimo Principe nostro Electore mandata est, vosque magnopere oro, ne fiducia ingenii aut doctrinae singularis a me expetitam esse existimetis: sed quodam amore patriae hic potissimum vivere malui, et si quid contigit ingenii aut industriae, conferre potissimum ad patriae utilitatem. Quare non arrogantia, sed quodam probabili consilio, seu studio potius a me expetitum esse hunc locum putetis. Vobisque initio polliceor, mihi non defuturam esse diligentiam in ullo officio, quod a modesto et tranquillo hospite requiri potest. Academiae autoritatem maximi faciam, professorum benevolentiam, quibus potero officiis, tuebor, perficiam etiam, ne cives in me humanitatem desiderent. Hanc meam voluntatem si probabitis, spero vos de ingenio meo, et de his operis scholasticis minus acerbe iudicaturos esse. Ac vero in primis decet viros doctos candor, in provehendis et iuvandis tyronibus, qui Reipub. operam navare student. Quare rogo, ut his auspiciis meis faveatis, mihique, ut ille ait, crescendi copiam detis: quod si facietis, melius de publicis studiis mereri potero.

Cum autem haec praelectio instituta sit praecipue, ut ad eloquentiae seu recte dicendi studium iuventus assuefiat, dicam aliquid de eloquentiae laudibus ac utilitate. Et quoniam iuventutis excitandae causa, haec oratio habetur, dicam de iis utilitatibus, quae nunc in hac forma Reipub. bonis ingeniis expetenda sunt. Eximia quaedam virtus est eloquentia, quae est facultas sapienter et ornate dicendi, de religione, de Republica, deque aliis artibus, regens imperia, summorum Principum consilia, voluntates inclinans populo-

rum ac gentium, et vel incendens languentes, vel revocans ac sedans incitatas, qualem describit Vergilius eloquentiam cum ait:

Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant,
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

Porro de hac excellenti vi, et perfecta eloquentia, non sum dicturus, sed de his nostris studiis, hoc est, de diligentia recte dicendi, seu componendae Latinae orationis, quae tamen pars aliqua est eloquentiae, et velut inchoatio. Haec quantum sit ornamentum, quam multiplices utilitates afferat, exponam. Primum enim commemorabo, quid conducat studium recte dicendi ad caeteras artes vel intelligendas, vel tractandas. Magna est dignitas scientiae iuris, magnus usus. Cum autem leges sint eruditissime scriptae, et multa in eis compareant vestigia veteris Reipub. non dubium est, quin multum lucis eis accedat, recte intellecto genere sermonis, et cognitis historiis. Iudicium autem de genere sermonis confirmat haec exercitatio dicendi. Sed non tantum in foro, in iudiciis inter illiteratos versabitur is, qui iuris scientiam profitetur, verum adhibebitur ad maiora negocia, ac vere oratoria, ubi magnae ac difficiles causae Latinam orationem flagitabunt. Hoc loco quis non videt, quantum decus sit homini docto, posse diserte, perspicue, non sordide, res magnas explicare?

Memini in conventu Augustano, Liburnos ad Principum concilium venire, petitum auxilia contra Turcas, et deplorare calamitates patriae suae gravi oratione: ibi caeteri Principes omnes detulerunt munus respondendi ad Illustrissimum Principem Electorem Marchionem Ioachimum I. Non erat novum, Germanicas ei causas committi, sciebant enim a nemine splendidius ac ornatius agi; sed cum laudem eloquentiae praecipuam uni Marchioni tribuerent, et alias Latine dicentem audissent, hanc causam etiam ei commendabant. Hoc iudicium caeterorum Principum, nostro quam fuerit honorificum, omnes intelligitis. Itaque cum audiretur cum summa attentione, honestissimis laudibus ornavit Liburnos, propter fidem et fortitudinem, quam in sustinendis et depellendis Turcarum irruptionibus, tot iam annos praestiterunt, ac bene sperare eos de voluntate Imperatoris iussit, cuius omnes cogitationes iam in parando bello adversus Turcas consumerentur. Hanc eius orationem prudentes omnes, propter consilium et sententiarum gravitatem, eruditi etiam propter genus verborum, magna cum admiratione audiebant: tantum laudis Principi pariebat Latine dicendi facultas. Quare et reliquae nobilitati, et caeteris qui ad Rempub. accessuri sunt, omni studio eloquentia expetenda est, praesertim hac aetate. Videtis enim quantae res in hac natione motae sint, quantum sit negocii nostris Principibus, cum omnibus Regibus Christiani nominis, ubi pleraque omnia Latine agenda sunt. Qua in re et illud considerandum est, nunquam caeteros Reges adeo studiosos fuisse eloquentiae, ut nunc sunt. Etenim non modo Itali et Galli, sed etiam Poloni et Pannones, explosa veteri barbarie, nunc cum scribunt ad exteros, elegans, nitidum, ac vere Latinum orationis genus adhibent. Nec alia ars apud plerasque nationes plus habet dignitatis, quam Latine dicendi facultas. Iam cogitate quam multa incommoda sint expectanda, si mittantur ad exteros legati infantes. Primum ridetur gentis ignavia, detrahitur autoritas nostris, non intersunt consiliis, accipiunt dictata ab aliis, nec raro turpiter falluntur, et tanquam naribus trahuntur, ut non intellecta probent. Cum igitur sit perspicua utilitas, cum invitent maximorum Regum et Principum exterorum exempla, cur soli Germani huic studio iam luxum, apparatum conviviorum, et nescio quas voluptates anteferimus, qui quidem paulo ante etiam hac laude caeteris nationibus antecellebamus? Sed brevi mira est facta huius nationis mutatio, negligitur res militaris, literae non solum spernuntur, sed etiam sunt in odio. Et honestissimis studiis successerunt multa vitia, luxus, ambitio, perfidia, et pleraeque aliae pestes, quae intestinas discordias et alias calamitates pariunt. Quare et Principes, et reliqui qui autoritate caeteros praecedunt, omni contentione iuventutem revocare ad recta studia debeant, ac praecipue ad eloquentiam, quae in Repub. maximum habet usum.

Porro si quis hoc studium eo minus curat, quia putat tantum prodesse ad genus sermonis, is longe errat. Etsi enim non est exigua utilitas, instructum esse copia sermonis, tamen exercitatio dicendi etiam de multis rebus format iudicia, et certe animos ad diligentiam assuefacit. Legendi sunt de optimis rebus sapientissimi scriptores, qui

non intelliguntur, nisi consilia ac voluntates eorum ita consideremus, quasi una cum illis viventes, iisdem intersimus deliberationibus ac negociis, in quibus ipsi versabantur. Tota Respub. vetus animo intuenda et ad praesentem formam conferenda est. Hae cogitationes aliquid ad prudentiam conducunt, ac de multis magnis rebus nos admonent, de moribus, de iure, de actionum ac iudiciorum varietate, de natura rerum. Demosthenes dicitur octies descripsisse Thucydiden, ut sibi autorem eloquentem quam familiarissimum faceret. Nec vero aucupatus est praecipue verba aut genus sermonis. Nam Thucydidis oratio admodum dissimilis est forensi. Sed varias Reipub. mutationes ac momenta considerabat in historia, excerpebat Principum consilia, quorum cognitio ipsi quoque in publicis deliberationibus proderat. Aliquid etiam gravitatis addidit Demosthenis orationibus, imitatio Thucydidis: multas enim refert Demosthenes sententias Thucydidis. Citant leges multis in locis Homerum, citant Ciceronem, non verborum causa, sed tanquam sententias in foro dictas, quarum autoritatem in iudiciis valere volunt. Quoties Medici citant Poëtas in natura rerum discribenda? Quis enim non videt Poëtas vel praecipue hoc studuisse, ut plerasque naturae partes illustrarent? Itaque complexi sunt summa cum venustate ortus et occasus syderum, ac totam doctrinam quae in vulgaribus libellis de sphaera traditur, descriptiones fulminum, iridis, et reliqua meteora, herbarum plurimarum et multorum remediorum naturas. Cicero vero et moralem Philosophiam totam complexus est, et quosdam locos qui ad Philosophiam naturalem pertinent, quorum lectio non modo copiam sermonis, sed etiam rerum scientiam alere potest. Quid est enim illa disputatione, de immortalitate animae, in prima Thusculana eruditius ac iucundius? Multo etiam eruditior est libellus de natura Deorum: ac in utroque multa sumuntur argumenta ex ea doctrina, quam profitentur hi, qui proprie dicuntur Physici. Fateamur ergo eloquentium scriptorum lectionem, non modo ad copiam sermonis, et phrasin comparandam prodesse, sed etiam ad augendam rerum cognitionem, et iudicia formanda de multis maximis rebus. Deinde diligentia in exercitio styli, illa vero in primis acuit ingenia. Nam in inveniendo res quae ad causam pertinent, prudenter omnes investigandae et cogitandae sunt. Ad haec deliberandum de rerum ordine et oeconomia. Nec minor est cura perspicere quid deceat, quid locis ac temporibus congruat. Postremo compositio et cura elocutionis non leviter exercet scribentem. Huius exercitii consuetudo parit immensas utilitates, prohibet praecipitantiam, et quasi frenum ingeniis iniicit, ne temere sine delectu, sine ordine, sine cura effundant omnia, quae sese offerunt, adfert diligentiam, ut ea quae gignimus, formemus etiam, et arte meliora efficiamus. Id si facerent scriptores vel sacrarum rerum, vel alii, quanto foelicior esse status rerum humanarum. Quorum plerique si ad curam in dicendo assuefacti essent, multo essent in deligendis utilibus argumentis, et in cavendis publicis periculis, diligentiores.

Pericles ascensurus in concionem, ac praemetiens animo, quantum periculi inconsiderate dicta afferrent, solitus est precari a Diis, ne quod sibi verbum excideret, quod officeret Reipub. Et Demosthenes, cum ei obiiceretur, quod meditatus ad dicendum veniret, respondit, sibi non modo impudentem, sed etiam improbum civem videri illum, qui de rebus summis, universae civitati consilium daturus, auderet dicere, re non ante diu multumque cogitata; quare si possit, non solum scripta, sed sculpta se dicturum affirmavit. Adfert ergo inter caeteras utilitates consuetudo exercendi styli, multiplicem diligentiam, causa tota maiore cura expendenda et cogitanda, cum ipsi nobiscum deliberamus, quomodo eam dicturi aut acturi simus; prospicitur etiam quid in actione periculi sit, deliberatur, quomodo pericula in agendo cavenda sint. Denique si nihil est futili garrulitate turpius et perniciosius, plurimum ad virtutem in unoquoque et ad publicam tranquillitatem prodest haec assuefactio ad exercendum stylum, ad formandam et componendam orationem, ne omnia sine delectu effundantur. Multa etiam ingenii vitia corrigit stylus, et cohibet affectus, ne contra decorum concitatius ferantur.

Dixi hactenus, quam sit utile hoc studium recte scribendi his, qui ad Rempub. accessuri sunt. Togata administratio praecipue gubernatur eloquentia, et multa Latine agenda erunt. Quare ad hanc tantam rem, ut se iuventus praeparet, adhortanda atque incitanda est acriter. Iam in controversiis religionis explicandis, quis non videt magna doctrina, et magna ubertate sermonis, et dicendi facultate opus esse? Sunt enim res ob-

scurae, et scriptorum dissimilibus disputationibus involutae. Ut igitur ex tanta caligine evolvantur, ut vere, proprie, dilucide explicentur, ea vero res requirit non mediocres artifices. Est autem bonae et piae mentis, etiam ob hanc causam expetere eloquentiam, ut ornare gloriam Dei, ut conferre aliquid ad utilitatem Ecclesiae possit. Ad hunc finem praecipue referri nostra studia debebant, quod et Plato vidit, qui ait eam eloquentiam expetendam esse, quae non futilia dicat, sed Deo grata. Vetus Ecclesia quam habuit eloquentes scriptores, Basilium et alios, qui cum haberent studium recte dicendi, curabant: Primum, ut res ipsas recte intelligerent, postea ut proprie et perspicue aliis traderent. Ideo sincerior apud eos doctrina est, quam in posterioribus, qui nullam in dicendo curam adhibuerunt. Quid quod ipse sermo in sacris literis intelligi et iudicari non satis potest, nisi ratio dicendi et figurarum intelligatur. Dicam aliquid etiam de meo artificio, videlicet, de Poëtica. Psalmi magna ex parte prorsus poëticis picturis ornati sunt, quae profecto non possunt agnosci ab his, qui sunt ignari Poëtices. Nec difficile est plurima exempla monstrare. In Psalmo de concordia: Ecce quam bonum, comparat concordiam balsamo, quo Pontifex ungitur; significans suavissimam esse, quia in Repub. in omnibus periculis utilissima est. Vide autem quam venuste pingat in Pontifice balsamum, in barbam et in totam pallam defluens. Cur hac utitur pictura? non solum quia illud Pontificium balsamum erat praestantissimum, sed etiam ut significet in Repub. praecipuum concordiae autorem esse debere Pontificem. Huius munus est, efficere ac tueri doctrinae consensum. Sed nolo esse prolixior in re manifesta, nam Theologis opus esse hac cultura, et his literis, quae rationem dicendi tradunt, minime obscurum est. Nescio quae res magis inflammare generosas mentes possit, quam publica utilitas, seu necessitas potius. Ostendi autem Reipub. magnopere opus esse, praesertim hoc tempore, eloquentiae studio; quod si cogitabunt adolescentes praediti bonis et rectis ingeniis, accendet eos, ut spero, ad hoc studium Reipub. amor. Haec causa in bonis praecipue valere debet.

Dicerem de praemiis etiam, nam his quoque moventur homines, sed in vita saepe accidit, ut maiora sint praemia malis artibus. Menandri versiculi citantur, quos hoc modo, ut potui, Latinos feci:

> Haec vita gaudet improbis potissimum,
> Sed assentator omnium primas tenet,
> Vivitque longe iucundissime omnium.
> Deinde sycophantae proximus est honos,
> Audire enim calumnias dulce admodum.
> At tertius conceditur locus invido,
> Artes nocendi qui scit astutissime.

Fruantur ergo maioribus commodis assentatores, sycophantae, et alii instructi malis artibus. Sed tamen ea quae vere dicitur dignitas, non potest nisi illis competere, qui bene merentur de Republica, videlicet, bonorum iudiciis probari. Haec est vera gloria, qua semper in Repub., in civitatibus, in imperio maxime floruerunt boni viri, eloquentia instructi, quales Romae fuerunt Lelius, Crassus, Cicero, et caeteri oratores, qui, ut Cornelius Tacitus venustissime dicit, ne privati quidem sine dignitate erant, cum et populum Romanum et Senatum consilio atque autoritate regerent. Videtis et hodie in Germania magnam esse dignitatem oratorum in aulis et civitatibus. Quare si huius fastigii splendore moventur aliqui, ut decet, cogitent non exigua praemia huic studio proposita esse. Sed de hac Latine dicendi facultate iam loquor. Etsi sunt aliae artes quaestuosiores, tamen haec quoque parit non mediocria commoda. Est autem moderati animi etiam, mediocrem fortunam boni consulere. Et Deo curae est, ne egeant boni, qui de Repub. bene mereri student, ut significavit Theocritus in fabula Comatae, quam Adolescentibus recitabo:

Fuit quispiam locuples et avarus pastor, apud quem servivit Comata, qui fuit Musarum cultor, qui et propter pietatem, et ut grex servaretur divinitus, singulis mensibus ovem Musis sacrificabat. Hac pietate impetrabat, ut grex adversus morbos et lupos tutus esset, et multo fieret foecundior. Sed dominus avarus resciscens singulis mensibus ovem mactari, servum furti accusat. Ille excusans religionem, commemorat etiam beneficia divina, gregis incolumitatem et foecunditatem. Sed haec oratio non flexit animum impium domini. Ridens igitur coeleste numen: Experiar, inquit, an Musae, quibus te curae esse affirmas, sint tibi famem depulsurae, si te in hanc cavam arborem inclusero, nec dedero tibi cibum. Statim igitur inclusit miserum in arborem, ibi

fame eum necaturus. Quid accidit? Post paucos dies grex scabie et pestilentia moritur. Hic coepit pastorem saevitiae suae poenitere, cum agnosceret se divinitus puniri. Rediens igitur ad arborem, servum invenit adhuc vivum, incolumem, et bene valentem. Cunque interrogaret, unde interim alitus esset, respondet servus, Musas in eam arborem examen apum misisse, quae mella ibi conficerent, hoc melle se interea sustentatum esse. Petit ergo herus veniam sceleris, et agnoscit pios Deo curae esse, eisque si non magnas opes, at mediocria commoda suppeditari. Hac nos spe confirmemus, et recta ac utilia studia amplectamur. Fortassis etiam Ecclesia erit aliquando tranquillior, cum ad iudicandum adhibebuntur viri boni et docti, qui controversias plane et simpliciter explicare poterunt, et cum mitiora studia homines colere coeperint.

Quare invitent adolescentes, magnitudo publicae utilitatis, dignitas eloquentiae, denique etiam caetera praemia, ut se dedant his literis atque artibus, quae ad eloquentiam conducunt, seque in hoc genere exerceant, et ad res maximas praeparent, praesertim cum hic labor homini ingenioso voluptates etiam dulcissimas pariat. Primum enim lectio gravissimorum autorum de maximis in Repub. motibus iucundissima est quaerentibus exempla virtutis, et honesta consilia vitae privatae aut publicae. Deinde delectat et ipsa orationis harmonia, ceu Musica quaedam: nulla est enim cantilena dulcior, quam oratio de rebus bonis concinna et bene composita. Postremo ut canenti, sic scribenti, haec ipsa exercitatio voluptati est. Iuvat enim invenire et quasi gignere honesta argumenta, eaque distribuere, disponere, ornare, cum aliis conferre, et inquirere meliora. Haec naturaliter delectant sana ingenia, et quaedam ad virtutem via est, assuefacere animum ad has honestas voluptates intelligendas et expetendas. Est et illa magna commoditas, quod hae elegantiores literae in omni fortuna usui sunt. Adminicula sunt in negociis, in ocio ornant nos, et sunt voluptati. In rebus adversis levant moesticiam, leniunt curas ac dolores. Adiuvant etiam bonos, ut religionis doctrinam melius intelligere possint, quae utilitas magno existimari a bonis debet. Dixi.

No. 51. (an. 1538.?)

Encomium Sueviae.

Apud Crat. Myl. p. 559 sqq., in Declamat. T. I. p. 724, in Servest. T. I. p. 635. et apud Richard. T. I. p. 693. — Quo anno scripta sit, definire non potui; certe ante encomium Franciae scripta videtur.

Encomium Suevorum, a quodam exercitationis causa scriptum et pronunciatum.

Non dubito, quin plerique mirentur, quid mihi in mentem venerit, cur Suevos potissimum, procul ab illorum finibus natus, laudare instituerim; quibus tametsi hoc respondere poteram, nos in declamationibus non anxie, aut superstitiose argumenta eligere solere, sed fere casu oblatis uti. Nonnulli etiam paradoxas materias, ut in re difficili experiantur ingenii vires, sumunt. Tamen ego certo quodam consilio hoc argumentum suscepi tractandum. Etenim cum pravo quodam studio homines, et philautia, nostros nimium amemus, exteros contemnamus, cogitabam me honeste facturum esse, si gentis, quae hinc procul abest, laudes colligerem, et commonefacerem vos, alienam virtutem non esse honore ac praedicatione fraudandam. Nonnulli sunt ingeniosi in alienis vitiis insectandis; quidam etiam ex criminatione aliorum, gravitatis famam aucupantur. Ego liberalis ingenii esse duco, magis, commemoratione virtutum alienarum delectari. Quanquam enim sua cuique genti vitia esse videamus, tamen nullam nationem, praesertim in Germania, existimo tam esse perditis moribus, ut non multa pulcherrimarum virtutum exempla ibi reperire possis. Porro ut in privatis amicitiis ad mutuam benevolentiam alendam multum facit, si virtutes amici noris et admireris, ad vitia conniveas: ita inter vicinas gentes rectius conveniret, si singulae aliarum virtutes nosse potius studerent, quam vitia. Hoc ego consilio ad hanc causam accessi, ex qua sane non tam eloquentiae laudem, de qua in hac ingenii infirmitate, et quadam mearum rerum difficultate, iam olim desperavi, quam officii et humanitatis auferre cupio. Proinde, quantum nostrae vires sinent, hanc nationem sine aliarum contumelia ornabimus. Neque enim aut Suevi tam sunt inopes domesticarum laudum, ut non nisi ex aliorum contumelia colligenda sint praeconia, aut aliae nationes contemni ac probro affici merentur. Nullis Germaniae populis Franci

cedere debent, qui suae virtutis vestigia impresserunt in mediam Galliam, et maximis gestis rebus, et quidem ex utilitate publica nomen Galliae novum indiderunt. Nostris vero temporibus doctissimos ea regio homines genuit, in quibus vel obscuram alioqui unus Ioannes a Regio Monte nobilitare posset, vir Graece Latineque non leviter doctus, et universae Philosophiae ita peritus, ut unus restituerit disciplinas, quae sic vocantur, collapsas, et ab interitu vindicarit. Austriae quantum debemus, quae cum alios Principes summa virtute, tum Maximilianum edidit, nemini optimorum Imperatorum postponendum, qui iuxta domi ac foris continentia singulari fuit, insticia incredibili, magnitudine animi divina. Quid Frisia, quia Agricolam genuit, quantum laudis meretur? Batavos suos Erasmus quam claros fecit. Sed quid ego aliarum nationum laudes recenseo, cum de Suevis oratio instituta sit? Verum haec ideo praefatus sum, ut intelligeretis me, cum nihil in hac causa de amplissimis ornamentis aliarum nationum detraham, veris laudibus Sueviam ornaturum esse. Quaeso autem vos, ut pro humanitate vestra me benigne audiatis; nam candor est exterorum virtutibus et earum commemorationi favere, quas quidem nos, quia inter eruditos dicimus, paulo longius etiam inde usque ab antiquitate repetemus. Quanquam autem sola virtus, veram et solidam laudem parit, tamen et antiquitas generis, quia nonnihil momenti adfert ad virtutis studium, suam laudem meretur.

Fortes (inquit Horatius) creantur fortibus et bonis.
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aliquae columbam.

Quare cum veterum Suevorum summa virtus fuisse perhibeatur, credibile est ad posteros propagata esse semina quaedam virtutis; et quemadmodum formae corporum in natis imitantur patres, ita posterorum ingenia non saepe naturae maiorum dissimilia sunt. Proinde non exiguam laudem Suevicae nationis hanc esse duco, quod a maioribus incredibili virtute, fideque praeditis, quique maximis gestis rebus suae posteritati praeluxerunt, orti sunt. Habent autem veteres Suevi gravissimum testem suarum laudum, C. Caesarem, qui sic describit eos, ut adpareat, et domi optime constitutas Respub. domesticamque disciplinam habuisse, et foris incredibilem eorum fortitudinem, scientiamque rei militaris praecipuam fuisse. Etenim ut praetermittam, quanta gentis frugalitas fuerit, quia vinum importari contra leges erat, quae exercitationes iuventutis fuerint in armis, quanto labore durata corpora, et animi ad patientiam adsuefacti, tum mihi prorsus videre quandam Platonis civitatem videor, cum lego nihil illis privati agri fuisse, sed sine cupiditate communiter coluisse, quae quique loca occupassent, qua in re adparet, animos gentis vacuos avaricia et similibus pestibus, unde in civitatibus graves motus existere solent, summa religione insticiam ac pacem coluisse. Plato ait, ita foelicissimum civitatis statum fore, si quam proxime conetur exprimere hanc legem, quae de amicis extat, *τὰ φίλων κοινά*. Quam autem mihi Graecam civitatem, quas Athenas, quam Spartam, aut Locros nominabit aliquis, in qua perinde agri communes possessionesque fuerint, ut apud Suevos? qui nisi admirabili insticia praediti, et magna inter se charitate devincti fuissent, nullo modo illam rerum communionem exercuissent. Quaedam gentes ab Diis se ortas esse praedicant, mihi non minor laus videtur ad tales viros, quales fuisse veteres Suevos intelligitis, vere posse originem referre, qua ad Herculem aut Martem. Non est instituti mei, laudes aliarum in Germania nationum extenuare, tamen hoc in confesso est, nullius maiores monumentis literarum, perinde ut Suevos celebratos esse, quod quidem argumentum esse mihi videtur, virtute etiam eos reliquis omnibus in Germania nationibus praestitisse. Pleraeque nomine veteri amisso, ne quidem coniecturam capere possunt, ex quibus orti sint maioribus. Et haud scio, an soli Suevi nomen vetus retinuerint, sed cum ita mutent gentes nomina, si vel patria pulsi, vel imperio deiecti, amissa libertate, in aliorum potestatem veniant, verisimile est Suevos, quia nomen retinuerunt, libertatem suam summa cum virtute defensam, nunquam amisisse. Nam quod sedes mutarunt, et a Balthici maris littore, quod olim tenuerunt, propius Rhenum accesserunt, id accidit, quia lacessiti Romanis armis, in ripa Rheni domo accita praesidia primum collocarunt, postea capti aëris coelique clementia, his in locis consederunt, et occuparunt eam Germaniae partem, longe promotis finibus, quae inter Rhenum, Alpes, Lycum et Moenum est, hi sunt Suevorum fines hoc tempore. Neque vero degenerarunt, mutato coelo a pristina virtute, sed his primum

locis magis inclaruerunt, et nova gloria Suevico nomini accessit. Nam ne omnia commemorem, neve historiam potius quam encomium composuisse videar, tantum insignia quaedam ornamenta attingam. Quid potuit contingere Suevis illustrius, quam Romani imperii titulus? non ille quidem scelere raptus, sicut antea saepe acciderat, sed delatus Germaniae atque Italiae populorum consensu. Quid potuit honorificentius accidere, quam hoc tot gentium iudicium, quae tantam vim virtutis in hac natione senserunt, ut non dubitarint suam salutem, suas fortunas et tranquillitatem totius imperii Suevorum Principum tutelae committere? Ea demum vera gloria est, et bono Principi maxime optanda, ut intelligant, existimentque homines, eum esse praeditum et ea charitate erga subditos, ut nihil ducat prius, quam illorum saluti consulere, et ea cum prudentia, tum animi magnitudine, ut defendere conservareque pacem, et arcere ac prohibere iniuriam, et legibus ac armis munire tranquillitatem publicam possit. Quos triumphos, quae trophaea mallent sibi decerni Principes, si saperent, quam hoc de se iudicium apud bonos viros fieri? Proinde, cum periculosissimis temporibus ad Suevos imperii summa delata sit, magnum quiddam illi nationi reliquae gentes tribuerunt. Neque vero non responderunt expectationi Fridericus, cui a Barba Ruffa nomen factum est, et huius nepos Fridericus, quem Siculum vocarunt, quorum uterque omni genere imperatoriarum virtutum cuivis laudatissimorum Principum conferri meretur. Ab avo Friderico Germania atque Italia maximis laboribus et periculis pacatae sunt. Arma in Asiam postea translata, Suladinus repressus est, et bona Asiae parte ad Armenias usque expulsus. Nihil hic libet attollere, aut amplificare, tantum extremis digitis leviter attingo res istius gestas. Verum vos ipsos cogitare hoc in loco velim, quantum beneficium id temporis in Europam contulerit, crudelissimis hostibus repressis, et procul ab Italia et Germania summotis. Nunc videtis quanto in periculo simus, quia diu neminem similem custodem imperii huius habuimus. Ille procul in Asia quaerendum sibi hostem esse duxit, sensitque serum tum auxilium fore, si pateretur Barbaros in nostros fines suas copias traducere. Nunc cum in ipso vestibulo Germaniae constiterint saevissimi Turcae, ac florentissimum Regem regno exutum fugientem ex acie pene ob oculos nostros trucidarint, intelligitis quam optandum sit Fridericum aliquem exoriri, cuius nomen hostibus terrori sit, quique opponere immanissimae genti praesidium ausit. Si Fridericus ille reviviscat, non de Hungaria vastanda, non de vexanda Germania iam Barbari cogitent, sed de retinenda Thracia, deque focis ac laribus suis propugnandis: siquidem Germanicis copiis iam, ut fuit illius et celeritas et diligentia, circumsessi summa vi oppugnarentur. Non vacat huius Principis egregia facta commemorare, verum quia bello meliorem quam pace fuisse aliqui putant, ut cognoscatis quanta severitas eius fuerit domi in dicendo iure, in latrociniis puniendis, et disciplina imperii retinenda, recitabo quam graviter animadverterit in Principem Palatinum et Moguntinum Episcopum, qui bellum ipso absente in Italia moverant. In Episcopum, quia parcendum dignitati Sacerdotum duxit, mitiorem poenam constituit, tantum enim pecunia mulctavit. Sed in Palatinum durius consuluit; nam coëgit eum per totam urbem Wormatiam canem ab humero pendentem gestare, ea fuit illis temporibus censoria nota nobilitatis. Idem exemplum in plerosque alios equestris ordinis viros, Palatini socios, constitutum est. Nullas ego victorias plus laudis mereri existimo, quam huiusmodi exemplum. Nam eum bene imperare putes, qui domi civilem disciplinam conservare norit. Nihil foris arma, nihil triumphi proderunt, si domi nimium liceat improbis. Is demum Imperatoris nomine dignus est, qui non tantum hostibus formidabilis est, sed etiam cives in officio retinere studebit. Quid de Friderico nepote dicam, cuius pulcherrima consilia, si non impedissent Romani Pontifices, non alium habuisset utiliorem Principem Germania. Ingenium in eo acerrimum fuit, magna etiam literarum scientia, et ut aliud boni nihil praestiterit, magnam illi gratiam debemus, quod curavit in Latinam linguam converti ex Saracenico sermone *τὴν μεγάλην σύνταξιν* Ptolemaei; nam absque eo libro tota Astronomia funditus interiisset. Itaque Suevis debemus, quod reliqua est illa Philosophiae pars, quam iure dixeris praestantissimam esse. Magna laus est invenisse artes utiles huic vitae, sed non minor est, vel restituisse vel conservasse. Siquidem in primis in literis hoc accidere videmus, ut non minus negocii sit conservare inventas, quam invenire. Videtis quales Imperatores Suevia nobis ediderit, qui nisi belli pacisque artes omnes apud

illos floruissent, minime idonei ad imperandum visi fuissent. Etenim ut non in quovis solo fruges nascuntur, ita non ubique boni viri proveniunt. Sed ibi tantum ubi bonis legibus ac moribus ad virtutem ac decus invitatur, et adsuefit iuventus. Quis putet enim Mileti aut Sibari in summo luxu, inter turpissima exempla, in maxima licentia, fortem virum, aut temperantem, aut iustum evadere potuisse? Quae tam excellens natura, quae tanta ingenii vis in ullo esse potuit, quae inter tot vitiorum illecebras non corrumperetur? Quare necesse est disciplinam fuisse in Suevorum civitatibus probabilem, qua tanquam in ludo Principes ad honestatem instituti sunt, quaque adducti exteri iudicarunt hanc nationem virtute ac industria imperii molem sustinere posse. Neque enim ignoratis, quid imponatur oneris cum isto titulo, aut quantum fidei, quantum consilii, quantum animi robur, quantam moderationem, quantam diligentiam in omni genere flagitent homines ab eo, cui libertatem suam, fortunas, salutem ac vitam committunt. Sed cum res foris gestae, et leges quibus domi pax stabilita est, quae quidem hactenus in publicis legum codicibus extant, multorum aliorum literis praedicentur, nolui hoc in loco diutius commorari. Propero enim ad nostra tempora, quae si diligenter considerabitis, videbitis profecto illos non solum respondere iam maiorum gloriae, sed etiam superiorum decora longe vincere. Esset autem infinitum totam Rempub. depingere, et omnia instituta, legesque pietatem in colendis religionibus, severitatem in coercendis delictis, bellicarum rerum peritiam, animorum magnitudinem, civium inter ipsos aequabilitatem, exponere. Quae cum angustia temporis praetermittere cogat, excerpam ex reliquis laudibus unam quandam partem, in qua videre est, quam bene de tota Germania mereri studeant. Cum annis iam aliquot nullum satis magnum aut firmum praesidium in Germania esset, adversus subitos tumultus, et quotidiana latrocinia, civitates Suevorum foedus inter se rite et Caesare autore fecerunt. Id foedus diu iam tanquam in statione est, defendendae publicae tranquillitatis gratia. Multos improbos metu continet, quosdam etiam tumultus armis et bello compressit. Quanta autem laus est, unam hanc nationem publicae pacis tutelam suscipere, et salutis omnium causa suas fortunas, suam vitam in discrimen adducere? Sed hoc plane divinum est, quod cum publico iure imperium sibi in alios vindicare possent, nam hoc ius imperii in terris semper fuit, cogere ad parcendum illos quos tuis laboribus tegas et serves, Suevi libertatem omnibus relinquunt, quibusdam etiam bello victis amissam restituerunt: et cum faciant infinitos sumptus, laboresque maximos subeant, nulla tamen commoda vicissim ab his, quos defendunt, recipiunt suis fortunis publicos sumptus tolerant, ne cuivis libertatem minuant, suo periculo omnium salutem propugnant. Quid honestius, quid moderatius cogitari potest, quam sine cupiditate arma tenere, et alios ita defendere, ut de libertate eorum nihil detrahas? Athenienses accepimus aliquandiu ad hunc modum Graeciae principatum tenuisse, ut cum permitterent aliis civitatibus libertatem, ipsi tamen in excubiis essent, suoque discrimine omnes tuerentur. Ea in re in primis magnum humanitatis, iusticiae et temperantiae exemplum suae specimen sapientissima civitas praebuit, quod sine cuiusquam incommodo publico pacem custodiit. Cum autem summos honores Athenis, ob eam causam reliqua Graecia decreverit, saepe enim missae ex servatis civitatibus coronae, positae statuae, data Atheniensibus civitas, pars agri, societas sacrorum et connubiorum, et hoc genus ornamenta alia: debemus et nos, si non ingrati esse volumus, pulcherrimum beneficium Suevicae nationis amplissimis laudibus vehere. Non satis intelligimus, quantum in pace insit boni, si publicae tranquillitatis custodibus nullam gratiam habemus. Quoties enim parvos liberos adspicis, quoties coniugem intueris, toties meminisse te oportuit, illorum incolumitatem aliqua ex parte te his debere, qui ocium nobis faciunt, cum aliarum honestarum rerum gerendarum, tum alendae et educandae sobolis. Populus Romanus non saepe victis gentibus libertatem seu *αὐτονομίαν* concessit. Graecis id honoris habuit, post bellum cum Philippo Macedone gestum immunitatem donaret, et ut singulae civitates suis legibus viverent, permitteret. Ea de re, cum decretum a Senatu populoque Romano factum, T. Quintius Imperator in Nemeis, quo ex more ad spectaculum tota Graecia convenerat, voce praeconis recitari iussisset, audissentque gratissimum praeconium universi, Dii immortales, quantis honoribus adfectus Imperator, quam gratis sermonibus Romanum nomen celebratum est, esse unam eam in terris gentem, quae sua impensa, suo labore ac periculo pro

libertate aliorum bellum gerat, detque operam, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, et ubique fas, lex, potentissima sint, ita indicarunt Graeci, non aliud maius beneficium homines hominibus praestare posse, quam quod accepissent a Romanis. Quid enim certa pace gratius est, praesertim si coniuncta sit cum libertate? Non minus igitur laudis in Germania merentur Suevi, qui suo praesidio pacem aliis gentibus sine iactura libertatis earum muniunt, quam merebantur, vel Athenienses, vel populus Romanus apud Graecos immunitate donatos: nam ter a Maximiliani morte Germaniam maximis periculis magna foelicitate liberaverunt. Favet enim Deus iusta bella pro publica salute gerentibus. Quare grata nobis memoria Suevici foederis esse debet. Hoc enim ocium, quo frui vobis hactenus licuit, et haec studia, quae omnia nobis de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus bellicum canere coepit, istorum armis defensa sunt. Quantum autem studium rei militaris sit in ea gente, quanta virtus, quanta scientia gerendi belli, non ignoratis; neque enim alia natio celebriores duces habet. Porro cum foris Suevi et fortitudine incredibili, et summa iusticia in defendendis vicinis utantur, quid dubitemus quales domi sint? Nisi enim domi civitates haberent bene moratas, nec sumptus, nec milites suppeterent: aut quomodo milites parere armati scirent, qui domi parere legibus non didicissent? aut quomodo tolerare militiae difficillimum laborem, et grave Martis opus, ut Vergilii verbis utar, si domestico ocio ac luxu effoeminati essent? Habent igitur et civitates, legibus ac iudiciis diligenter constitutas, et tranquillitatis urbanae tuendae cura non alibi maior est. Lex est enim in Suevicis urbibus, ut si in rixa aliqui gladios strinxerint, ac vel puer, vel muliercula, procul etiam inclamans pacem imperet, capite puniatur, qui audito nomine pacis, insuper ferire audet. Cum nulla tam severa lex in reliqua Germania sit, aestimari potest, quanta diligentia vulgus Suevorum coherceatur. Et ad tranquillitatem urbium hoc quoque facit, quod urbana multitudo minus aliquanto ocii habet, et frugalior est, quam in vicinis nationibus. Magnum ibi scelus est, et inusitatum, conspici ebrium. In diversoriis magna mundicies est, et fides hospitum summa, nec magis domi suae peregrini, quam apud illos tuti sunt. Quid autem gratius accidere peregrinanti potest, quam talis hospes, ad quem tutum sit diverti, apud quem securus acquiescat, qui comitate, qui mundicie itineris taedium leniat? Gens ipsa minime idonea ad fallendum, in primis gaudet fidem suam peregrinis probari. Sic inter suos etiam vivunt, nulla diuturna odia sunt, nullae insidiae; quanquam enim ingenia sint ferociora, tamen facile placantur, et quia nihil dissimulare didicerunt, insidiari non norunt. Caeterum non deesse eis ingeniorum acrimoniam, inde adparet, quod celeberrimos maximeque strenuos mercatores habent. Neque desunt ibi, qui et ament et colant literas; haec enim natio Albertum procreavit, quo ex nostris hominibus nemo uberiorem naturalium rerum cognitionem habuit. Nonnihil vero laudis intulit eo et Capnio, versatus in Graecis et Hebraicis literis difficillimis temporibus, et cum peregrinarum linguarum studia nondum in Italia satis florerent. Accepi enim ita Venetum quendam oratorem olim de eo praedicasse. Nam cum apud Caesarem Fridericum Legatus sui Principis esset Capnio, cumque Venetae civitatis oratoribus, qui per id tempus eo venerant, frequenter esset, accidit aliquando, ut Capnio forte pulcherrimae Graece scriptum Enchiridion novi testamenti in manibus haberet. Quod cum vidisset Venetus, et animadvertisset, non esse rudem Graecarum linguarum Capnionem, conversus ad suos collegas, ait: Videte quaeso in Germania hunc virum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter contemnunt. Et nobilitavit egregiis monumentis Sueviam Stofflerus Mathematicus, cum primis, et diligens et eruditus, cuius quia beneficio quotidie utimur, duxi eius hic mentionem esse faciendam; fastos enim multorum annorum confecit et digessit, in quibus componendis dici non potest, quantum laboris fuerit ei exhauriendum; est enim immensi negocii, motus syderum exacte supputare. Nulla temporum discrimina, nullas mensium vices nossemus, nisi hunc laborem vir ille optimus sumpsisset. Porro simile quiddam pecudum vitae fuerit, non habere descriptum annum in certa spacia, non arandi, serendi, plantandi, aut aliarum rerum iusta tempora nosse. Habent et artifices ingeniosissimos; hi enim plasticen sculpendi artem, quae prorsus amissa fuerat, renovarunt. Sed desino omnia persequi, nam ego non omnes laudes, sed praecipuas Suevicae gentis recensere volui. Magnam commendationem habet generis nobilitas et maio-

rum virtus, nam ex bonis viris natos, verisimile est, aliquam paternae virtutis similitudinem referre. Audistis autem vetustissimos Suevorum a Caesare praedicari, et praeclarum iudicium postea de Suevis Germania atque Italia fecerunt, quando ad eos imperium detulerunt. Nostris vero temporibus nullo modo tenere tantas Respublicas, tamque florentes et pacatas possent, nisi omnibus belli ac pacis artibus instructi essent, nusquam in urbibus tranquillitas maior, nusquam minus latrociniorum est, quam in horum agris. Vicinis adeo non sunt graves, ut saepe eos maximis periculis liberaverint, reddantque procul etiam istis tuta omnia. Domi vero pax perpetua multarum honestarum artium studia excitavit atque alit. Quae cum ita sint, faveamus illorum laudibus, easque sine invidia praedicemus. Nam cum virtute nihil melius aut pulchrius sit in quavis gente, iuxta meretur amari. Non enim unio minoris est precii argento insertus, quam si in auro gestetur. Sed ut superbi atque inhumani ingenii est, in privata consuetudine vitae, se tantum mirari et ita sibi arrogare omnia, nihil ut aliis reliqui faciat, ita iniustus est, qui unam gentem sic amat, ut nihil exteris tribuendum putet. Hoc potius ad mutuam inter nos charitatem et benevolentiam alendam faciet, si quae in unoquoque fuerint laude digna, ea candide miremur atque complectamur. Dixi.

No. 52. an. 1538.

Encomium Franciae.

Apud Craton. Myl. p. 578 sqq., in Declam. T. I. p. 742., in Servesl. T. I. p. 651. et apud Richard. T. I. p. 576. — Iter Irenaei cum Camerario in Franciam factum est anno 1538., ut ex Epistolis huius anni intelligitur.

Encomium Franciae, M. Irenaeo autore.

Nobilitate generis, virtute et dignitate praestanti, *Danieli Stibaro*, M. *Irenaeus* S. D.

Cum nuper in patriam venissem officii causa, virum optimum, tuique amantissimum, Ioachimum Camerarium comitatus, adeo amanter a te exceptus sum, ut multum me tibi debere iudicarim. Quare cum significationem aliquam mei erga te studii extare vellem, tibi potissimum hanc oratiunculam de Franciae laudibus dedicandam esse censui: quam eo tibi arbitrabar non ingratam fore, quod his exercitiis et literarum studiis te praecipue favere scio. Nec vero quidquam hoc tuo loco atque ordine cum in Reipub. gubernatione verseris, dignius est, quam civium studia excitare, et literas tueri atque ornare. Intuetur in te iuventus in patria, tuamque autoritatem existimat literarum studiosis magno praesidio esse. Nisi enim tui similes viri praestantes virtute et autoritate, literis opem ferrent, quae barbaries, quanta vastitas ad posteritatem futura sit, ipse optime intelligis. Itaque hanc oratiunculam ita tibi mitto, simul ut patrocinium meorum studiorum tibi commendem. Nihil dulcius, inquit Homerus, unicuique esse, patria sua: quare nemo non favet suae patriae praedicationi. Sed cum tam tenuis oratio argumenti amplitudini nequaquam respondeat, fortasse consilium editionis huius multi reprehendent. Nec id ego ambitiose defendam, illud tantum opto, exercitationem hanc meam, et in dedicando officium, tibi probari. Bene vale.

Etsi vereor, ut satis verecunde facere videar, quod in hunc ornatissimum coetum doctissimorum iuvenum produci me patior, cum neque a doctrina, neque ab eloquentia ita instructus sim, ut aliquid afferre possim dignum vestris auribus, tamen quoniam scitis nos autoritate praeceptorum cogi, ut in hunc locum prodeamus, quam detrectare nobis non est integrum, peto a vobis, ne me fiducia ingenii sed officio adductum, hoc onus suscepisse iudicetis.

Cum autem haec ipsa declamandi consuetudo potestatem nobis faciat de variis rebus dicendi, ego quoque, cum autoritate praeceptorum mihi hae partes mandarentur, non incommode me facturum existimabam, si de patriae meae, Franciae videlicet, antiquitate et laudibus quaedam colligerem.

Etsi autem videbam historiam nostrae gentis multo esse longiorem, quam ut una oratione explicari posset, tamen quia sciebam hanc totam declamandi consuetudinem ideo institutam esse a praeceptoribus, ut adolescentum ingenia exerceantur, et ad res maiores praeparentur, malui operam sumere in colligendis patriae laudibus, quam in alio quodam argumento. Primum enim neminem tam inhumanum aut ferreum esse exi-

stimo, qui non intelligat qualecunque studium ornandae patriae bono viro dignissimum esse, quemadmodum et Poëta inquit:

Et pius est patriae facta referre labor.

Deinde cum multarum utilitatum causa summo studio peregrinae historiae inquirantur, quanto magis decet nos operam dare, ut domesticas cognoscamus? Nam hae magis afficiunt animos nostros, propterea quod sicut aliarum rerum, ita etiam gloriae maiorum nostrorum haereditas ad nos pertinet. Magis autem afficimur nostris bonis, quam alienis. Minime igitur negligenda sunt nobis domestica exempla, praesertim cum multi Francorum Principes omni virtutum genere ita excelluerint, ut cum praestantissimis veterum Regum conferri possint. Prodest eo etiam res maiorum tenere, quia in hac imperii forma, multa ex recentioribus historiis indicari solent, in controversiis iuris publici et religionum.

Sed initio veniam a vobis peto, si expectationi vestrae non satisfacere potero. Est enim perdifficilis nostrarum historiarum explicatio. Nam si Graecas aut Romanas historias recitarem, quanto me labore levarent eloquentissimi et sapientissimi scriptores, a quibus et res et genus orationis mutuari possem? In nostris autem res procul ex variis et indisertis scriptoribus quaerendae sunt. Deinde et in elocutione mihi sudandum est: carent enim literarum lumine, ac pleraeque res honestae indignis modis contaminatae sunt scriptorum ineptiis.

Has difficultates cum animo prospicerem, diu mecum dubitabam, an hoc argumentum pertexerem; sed vicit amor patriae, ac perpulit, ut haec qualiacunque colligerem. Idque eo feci libentius, quod sentiebam me mirificam capere voluptatem, ex tractatione huius argumenti, et cogitatione virtutis maiorum nostrorum, a qua cum considero quantum Germanici Principes hac aetate degenerarint, non possum non deplorare horum temporum infoelicitatem. Nam maiores eorum non solum viribus quae non desunt nostrae aetati, sed multo magis animi magnitudine, consilio et concordia fines imperii protulerunt, et barbaris nationibus domitis totam Europam pacarunt, et pacem legibus, disciplina, religione munierunt et ornarunt, fuitque tanta admiratio sapientiae, iusticiae et fortitudinis eorum, ut exterae nationes nullis Regibus salutem suam committere mallent, quam nostris. Quam ob causam Italia illud Augustum nomen summi imperii a Graecis ad nostros homines transtulit. Hos voluit esse duces publici consilii inter omnes Reges, et praecipuos custodes, non solum regnorum omnium, sed etiam Ecclesiae, quibus iudiciis quid potest ullis Regibus contingere gloriosius? Hoc igitur decus nunc adeo non tuemur, non solum ut foris non retineamus antiquam imperii possessionem, sed ut Turcas in Germania, et ob oculos nostros impune grassari sinamus. Interim plerique aut per ignaviam dedunt se voluptatibus, aut impediti privatis adfectibus, non referunt consilia sua ad communem salutem, quod Principibus viris et heroico genere indignissimum est. Has quaerelas dolor mihi expressit, etsi sciebam eas non congruere orationis exordio.

Cum autem deceat nos Germanos vere Germanos, et mutuo amore devinctos esse, spero vobis quoque Franciae laudes non ingratas fore, cum haec natio communi Germanico nomini magno sit ornamento, et multas res gesserit, quibus Germaniam reddidit illustriorem. Ego quoque nostros homines ita ornabo suis praeconiis, nihil ut de aliena laude decerpam, sed potius ex Francicis aliqua praeconia ad alias nationes derivabo.

Equidem non valde improbo studium illorum, qui ignotas origines, ad clarissimos heroas, aut etiam coeleste aliquod numen, ut ipsi loquuntur, referunt, ut cogitet posteritas, divinitus constituta esse regna, amet patriam, maiore cura defendat leges a maioribus acceptas, ipsis etiam Regibus, tanquam propagatis a divina stirpe, numen aliquod inesse existimet. Nam et ipse ita sentio, regna divinitus constitui, nec gentem ullam, aut Regem, sine coelesti motu atque adflatu, Respublicas fundasse, et legibus ac disciplina muniisse, et saluti posteritatis foeliciter consuluisse. Haec enim sunt coelestia beneficia, quae Deus per summos heroas impertit humano generi, ut et sacrae literae docent, et sapientissimi Philosophi fatentur. Ita Lacedaemonii cum haberent Reges ab Hercule ortos, diligenter cavebant, ne qui propagati ab alia stirpe succederent. Fuit et Macedonicis Regibus Hercules generis autor. Sed omitto exempla, quae sunt innumerabilia.

Cum autem Franci tantos habuerint successus, et regnum in Gallia constituerint, quod legibus et institutis longe praestat omnibus regnis

totius orbis terrarum, nec vero aliud ullum regnum hodie est antiquius, ubi una gens possessionem sui regni, et quasi sedem maiorum suorum diutius tenuerit, quid dubitemus divinitus excitatam esse hanc gentem, et heroica virtute ac foelicitate tantis auctam incrementis? Hoc consilio arbitror quosdam ad Hectorem retulisse Francorum originem. Sed haec fabulosa omittamus, dum illud tamen teneamus, Deum fuisse ducem huic genti, in auspiciis regni, et maximis rebus gerendis, et subinde heroicos viros in hac natione extitisse, quorum singularis fuit virtus et foelicitas. Sunt autem heroicae naturae initium verae nobilitatis.

Verum si quid in universum habet commendationis patria, Francos vetustissimos scitote non peregrinam in Germania, sed vere Germanicam gentem esse. Sunt autem propriae quaedam dotes, ut aliarum gentium, ita Germanorum. Existimantur esse aperti, ingenui, amantes candoris, et veritatis, constantes, tenaces promissorum, reverentes religionum, excellunt fortitudine, et in primis delectantur gloria militari, abhorrent a crudelitate et a foedis libidinibus. Si qua igitur nobilitas est, quam in commune habet gens Germanica, aliquid laudis adferet Francis patria. Adeo enim non fuerunt dissimiles caeterorum Germanorum, ut aliquibus virtutibus etiam reliquas nationes superarint.

Sed quam initio regionem tenuerint, dicendum est. Porro ut in iudicio finium regundorum adiudicatione controversia dirimitur, cum certi fines ostendi non possunt, ita gentium sedes, cum origo ignota est, plerique attribuunt iis locis, ubi gentes rebus gestis magis inclaruerunt. Constat Francos, moto bello adversus Romanos, late in secunda Germania vagatos esse. Ideo quidam sedes eis tribuerunt vicinas Sicambris et Caucis, id est, Geldris et Frisiis. Itaque sub Constantio scribuntur occupasse Bataviam, et pyraticam in mari exercuisse, et longe lateque Galliae littora populati esse. Sed mihi posterius descendisse propius Belgicum videntur, ac propemodum adsentior iis, qui certam tribuunt sedem in ripa Germanica, supra Coloniam Agrippinam, in ea regione, quam Catti tenuerunt, sive ea est Hassia, sive etiam vicinia superior, ut ex Ptolemaeo apparet, quae nunc habet Franciae appellationem. Inde prolatis imperii finibus, partim Moeni ripam occuparunt, partim effusi sunt in Ubios ac in Belgicum, unde saepe repulsi a Romanis Imperatoribus, tandem tamen in Galliam pervaserunt. Nam Imperatorum primus Aurelianus cum Francis ad Moguntiam conflixit, cum nondum procul a patria discessissent. Quare credibile est, Francos tenuisse initio loca, non longe distantia a Moguntia. Postea late vagati circa Coloniam Agrippinam, penetrarunt in Westphaliam. Proinde Marcellinus Francis adiungit Camavos, quos fuisse Westphalorum partem constat.

Apparet et ex Ausonio, has gentes non procul dissitas fuisse, cum ait:

> Accedent vires, quas Francia, quasque Camaves
> Germanique tremant, tum verus habere limes.

Inde progressi populis ad Albim usque imperarunt. Quare Claudianus inquit:

> Ut iam trans fluvium non indignante Cayco,
> Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
> Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Conflixit et Iulianus cum Francis ad Iuliacum. Itaque sedem huic genti supra Ubios tribuimus seu in Cattis, seu in vicinia. Postea infra Coloniam Agrippinam late vagata est. Quod vero pars Francorum Salingi vocabantur, recentior est appellatio illorum, qui a Moeno ad Salae fontes progressi, penetrarunt in Turingiam, et cum Turingis diuturna bella gesserunt: Ptolemaeus enim ad Salam collocat Tyriohemos, quos esse Turingos nomen ipsum testatur.

Porro nomen videtur fuisse non unius gentis, sed multarum, quae coniunxerunt se ad defendendam Germaniae libertatem: constat enim hodie Francum dici liberum, a nostra appellatione, *die freien ancken*, id est, liberi iuvenes, sicut nunc appellamus milites *die freien knecht*. Ergo sive una gens fuit, sive multarum nationum bellicosissimi homines, apparet libertatis autores extitisse, non procul a Rheno et ab Ubiis, homines excellenti virtute et iusticia praeditos, qui imperium Romanum, quod illis temporibus erat alioqui tranquillum, et toti orbi terrarum formidabile, lacessere armis ausi sunt, et repressi toties, nunquam tamen animis fracti, fortunae aut virtuti Imperatorum cesserunt. Nec vero ulla gens dimicavit cum praestantioribus Imperatoribus quam Franci. Quae enim aetas habuit duces bellicosiores, quam fuerunt Aurelianus, Probus, Diocletianus, Maximianus, Constantius et Constantinus? Horum virtute et foelicitate cum aliae provinciae tumultuantes facile revocarentur ad officium, ta-

men Franci etiam victi, iugum nunquam acceperunt, nunquam arma abiecerunt, tantus amor patriae fuit, tantum servitutis odium. Quanta igitur virtus in maioribus nostris fuerit, inde facile aestimari potest, quod ut Romani bellum cum Carthaginensibus de imperio varia fortuna, annos circiter quadraginta, sed per intervalla, gesserunt, ita Franci Romanos, toti iam orbi terrarum dominantes, armis exercuerunt annis amplius centum, inde usque ab Aureliano ad Theodosium, donec non modo libertatem recuperarunt, sed etiam potiti Galliis, Belgica et Celtica, post Theodosium regnare ibi coeperunt. Nec minus negocii fuit tueri possessionem Galliarum, cum ferocissimae nationes eas appeterent, Burgundi, Alemanni, Hunni, quam antea fuerat, eripere eas Romanis. Quare nisi fortitudine, scientia rei militaris, tolerantia laborum, denique etiam iusticia et disciplina excelluissent, tanta certamina tot annorum sustinere non potuissent.

Recensui opinionem de Francorum ortu, auspiciis regni Francici, quae maxime probatur eruditis. Cum autem non modo Belgicum invasissent, sed etiam a Moguntia progressi, occupassent vicinas Moeni ripas, fuit ea regio propria Francorum sedes in superiore Germania, quam adversus Alemannos, qui Sueviam et Helvetios tenebant, non sine acerrimis praeliis defenderunt. Itaque illa Francorum arx opposita Alemannis, retinuit Franciae nomen. Haec est causa, cur regio ad Moenum Francia etiamnum adpelletur. Sed Aventinus negabat Francos ad Moenum novos esse colonos, et sentiebat hos esse primos autores gentis, hanc esse vera patriam gentis Francicae, propterea quod Strabo *βρέγχους* ponit inter Noricos et Vindelicos, quo in loco et Suetonius Brencos fuisse testatur, inde paululum progressos arbitrabatur ad Moeni ripas, et deinde Romanis bellis in Belgicum pertractos, a qua sententia profecto non multum abhorreo, nec invitus hunc honorem tribuo nostris civibus, ut *αὐτόχθονας* non colonos ex aliis ortos gentibus esse existimem. Contendebat etiam Aventinus apud Ptolemaeum pro Brennis quos inter Noricum et Vindelicium collocat legendum esse *βρέγχους*. Et citatur Parthenius vetus scriptor, qui Francos ait esse *ἔθνος ἀλπέων*.

Sed plus laudis est in virtute, quam in origine. Cum igitur res gestae ostendant fuisse gentis Francicae excellentem virtutem, simus hac laude contenti, et de generis origine disputare aliquando desinamus.

Occupata Gallia foedus cum Romanis sub Iustiniano fecerunt, quare non modo belli iure, sed etiam ex foedere Galliam tenent. Et virtute ac fide perfecerunt, ne Romanos poeniteret societatis Francicae. Nam Attila Francorum auxiliis ingenti praelio victus, et ex Narbonensi Gallia expulsus est, quam adhuc imperatorius praefectus Aëtius tenebat. Testantur igitur historiae, Francos tunc socios Romani imperii, non vectigales factos esse.

Accedit ad veterum Francorum laudes haec quoque, quod cum audissent doctrinam Christianam de vero cultu Dei, et admoniti agnoscerent barbaricos ritus et *εἰδωλομανίαν* plenam esse turpitudinis et sceleris, cupide amplexi sunt Christianam religionem, eamque magna pietate coluerunt. Nec sine coelestibus signis ad pietatem vocati sunt: nam Ludovicus, qui primus inter Reges amplexus est Christi doctrinam, hoc signo confirmatus esse fertur; habebat coniugem Christianam, quae cum eum sedulo hortaretur ad veri Dei agnitionem, et commemoraret, nullam esse virtutem digniorem Regibus, quam vera pietate Deum colere, etsi inflexit eius animum, tamen non statim persuasit, ut baptismo initiaretur. Gerebat autem Ludovicus ille bellum cum Alemannis perdifficile, cumque in postrema pugna, quae supra Coloniam Agrippinam commissa est, turbata et inclinata Francorum acie, victoria videretur penes Alemannos futura esse, ibi Ludovicus clypeum ad coelum tollens, inspectante exercitu, Christum invocavit, et Deum confessus petivit, ut ostenderet se exaudire invocantes, et profligaret hostes, votumque fecit, se statim parta victoria, baptismo initiaturum et se et exercitum, deinde fugientes revocavit. Testatus igitur Christus se implorantes opem ab ipso iuvare, reddidit animos militibus, ac restituto praelio, tanta strage Alemanni victi sunt, ut deditione facta Francis parere coeperint. Hoc initium fuit Regibus Francicis colendae pietatis Christianae, circiter annum Christi 470. quam quidem postea annos amplius mille, tanta constantia retinuerunt, ut Ecclesiae Christianae saepe dubiis temporibus magno praesidio fuerint, eamque ob causam Christianissimi appellati sint. Nec armis tantum defenderunt religionem, sed multo magis ornarunt eam scholis et propagatis studiis in Gallia et Germania.

Hactenus de auspiciis regni Francici, et quasi de prima aetate dixi. Posteri deinde non solum retinuerunt partas opes, sed etiam auxerunt, ac non modo potentia crevit, sed etiam accesserunt maiora studia civilium artium, religionis, doctrinae, iusticiae, disciplinae. Itaque cum facile aequitate et lenitate imperii pacem domi tuerentur, foris ad communem Europae defensionem bella necessaria gerebant. Carolus Martellus repressit Saracenos, deleta ingenti eorum multitudine, adeo ut Hispaniae partem tunc amitterent. Pipinus pacavit Italiam, et Parisiis constituit curiam iudicum, quam vocant Parlamentum, quo nullum est sapientius, ac melius constitutum iudicium toto orbe terrarum. Ab his summis viris ortus Carolus Magnus, auxit avitam et paternam gloriam. Neque enim tantum armis pacavit Italiam, sed etiam domitis Longobardis iura et leges dedit, ut ad posteritatem Italia quieta esset.

Cum igitur appareret Francicos Reges et magnitudine imperii et virtute caeteros Reges in Europa vincere, essetque aliquo custode publicae tranquillitatis opus universae Europae, ac praecipue Italiae, cuius possessione Graecos Longobardi depulerant, bono consilio Romana Ecclesia Carolum appellavit Imperatorem, ut ei defensionem Italiae atque Ecclesiae commendaret. Quod autem illustrius testimonium virtutis Francicae commemorari potest, quam haec iudicia exterarum nationum, quae non modo auxilium a Francis imploraverunt, sed etiam existimarunt se illis imperantibus libertatem suam posse retinere? Quare magnam fuisse insticiae opinionem de nostris hominibus necesse est. Fertur illud Graecum, *τὸν φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ οὔ*, acute fortassis: Nam crescentem Francorum potentiam formidabant Graeci. Sed tamen Italia non amicum modo ac vicinum, sed etiam dominum habere Francum propter virtutem et aequitatem imperii non recusavit. Ut autem Carolus belli gloria par fuit summis Imperatoribus, ita pacis artibus optimos aequat Principes. Academiam Bononiensem, antea a Theodosio constitutam, instauravit, duasque novas ipse addidit, alteram in Italia Papiensem, alteram in Galliis Parisiensem, ut fere extincta optimarum artium studia rursus excitaret, et doctrina religionem ac Respub. muniret et ornaret. Nec vero obscurum est, quam praeclare meritus sit de toto orbe terrarum his scholis constitutis, quarum praecipua opera iam annis septingentis conservatae sunt literae. Haec est vera laus summi principis, pacem restituere, religionem, iusticiam, disciplinam tueri, ornare, et ad posteros propagare. Quam dissimiles sunt ab hac imagine exercitus illi, qui his proximis annis Italiam foeda populatione dilacerarunt, nec gerunt bella hoc fine, ut postea religiones et literarum studia excitent, sed ut aeternam barbariem et vastitatem efficiant? Quanto fuerunt foeliciora Francorum imperia, qui saluti omnium gentium consuluerunt, et religionem ac literas magna cura provehere conati sunt?

Sequitur tertia Francorum aetas, cum Gallia a Germania avulsa est, post id tempus fuerunt tamen in Germania Francorum Duces, qui vetustam Francorum sedem in utraque Moeni ripa et magna parte regionis Rhenanae tenuerunt. Nam Francia nostra olim aliquanto latius patuit, nunc fere scalae non figuram efficit, cuius latus septentrionale porrigitur ab ortu versus occasum, a Salae fontibus usque ad ostium Moeni in Rhenum influentis. Latus meridianum ab ostio Moeni ad flumen Altmylium, a meridie magna ex parte praecingitur sylva, quae a vastitate nomen habet. Orientale latus ab Altmylio ad Salae fontes porrigitur iuxta montes Sudetes. Nec procul recessit a veteribus vicinis, quorum Strabo fecit mentionem. Nam et hodie Vindelicos a meridie attingit, et fere ab ortu aspicit Noricum. Habet ad Moenum sitas metropoles, Bambergam, Wirceburgum et Francofordiam. Hic tractus in ripa Moeni hodie retinet in Germania Franciae nomen. Olim bona pars ripae ad Rhenum a Spira usque ad Coloniam vocabatur Franciae Ducatus. Moguntiae enim quispiam e vetustissimis Ducibus sepultus est, cui nomen Meingos, et Cunradus, qui condidit templum Spirense, non procul a Spira regiam habuit Lympurgam.

Peperit autem et haec tertia Francorum aetas laudatissimos Principes, Henricum Bambergensem, qui Belgicum recepit, et expulit Italia Saracenos; deinde Conradus recepit Burgundiam et eam imperii partem, quam vocant Arelatensem, et domuit Pannonas. Posteri eius, artificiis Pontificum Romanorum, impliciti sunt civilibus bellis, sed tamen res gesserunt maximas. Henricus quartus saepius acie dimicasse scribitur quam C. Caesar. Postea extincta stirpe Ducum, nostra nobilitas et civitates, ne externos dominos acciperent, neve libertatem suam amitterent, summum Prin-

cipatum magna ex parte transtulerunt ad Episcopos, quorum diu fuerunt aequiora imperia, et minus periculosa libertati. Pars regionis et Burggraviis Noribergensibus parere coepit, invitata, ut opinor, et nobilitate et virtute familiae. Nam Burggravii Guelfis orti sunt, qua vix est ulla vetustior in Germania nobilitas, fuitque par nobilitati virtus: possem enim commemorare multos, qui res maximas gesserunt, sed praetereo caeteros. Alberti fortitudo et foelicitas in praeliis tanta fuit, ut Germanici Achillis cognomine celebretur.

Nec vero extincta sunt in nostris hominibus studia virtutis, etiam si fata imperium Europae ad alias gentes transtulerunt. Nam equitatus Francicus, peritia rei militaris, disciplina, fortitudine, genere armorum, non cedit reliquis nationibus Germanicis, quae equitatu pollent. In civitatibus vero iudicia legibus et iure constituta sunt, gens ipsa cum natura amat candorem, fidem, iusticiam, liberalitatem, tum vero domestica et publica disciplina ad virtutem et omnia humanitatis officia assuefieri solet. Cumque ingenia sint minime fucata, vix invenias alibi firmiores amicitias.

Etsi autem in tanta corruptione publicorum morum ubique plurimum est vitiorum, tamen ubi minor est ignavia, consuetudo laboris multa vitia arcet, et adfert hominibus duriciem, ut minus appetant inconcessas voluptates et luxum. Est autem utraque Moeni ripa admodum ferax et culta, quare Franci agriculturae dediti sunt. Hoc durati labore luxum aspernantur, ac magna ex parte est, ut ille inquit:

Nostra operum patiens, parvoque assueta iuventus. Nonnulli et mercaturam exercent, sed magis crebro oeconomicam, quae vitae necessaria est et plena humanitatis. Quid est enim laudabilius, et vitae utilius, quam devinciri inter se homines mutua rerum necessariarum communicatione? Huius rei copiam soli fertilitas suppeditat, quod frumenti tantum gignit, ut vicinis etiam impertiamus. Vinum autem uberius apud nos nascitur, quare procul in regiones longinquas evehitur. Pro hoc salem et metalla nostri revehunt. Etsi autem venae auri atque argenti apud nos interdum inveniuntur, tamen nostri contenti agricultura, non scrutantur eas. Ferrum tantum eruunt et excoquunt, quod magis necessarium est ad vitae usus, et copiosius gignit nostra regio. Extrema ora horridior est, itaque plerisque locis re pecuaria sustentantur homines. Noriberga vero, nam hanc quoque in ora Franciae recte collocari arbitror, floret cum excellentium artificum frequentia, tum mercatura, quae non absimilis est oeconomicae: evehit enim artificum opera, nec sine hac negociatione suppeterent artificum officinis sumptus. Quare et hoc genus mercaturae a Platone laudatum et autoritate legum in Digestis gravissime comprobatum est. In agro Bambergensi mira est hortorum amoenitas et fertilitas, in quibus si non, ut in Alcinoi hortis punica mala, fici et oleae nascuntur, tamen ingens est copia multorum fructuum, qui vitae sunt utiles. Et ut caeteros omittam, latissimos campos *γλυκυῤῥίζα* occupat, cuius magnus est usus in multis remediis. Cumque gentes propius ad Arcton accedentes, propter frigora et intemperantiam habeant crebriores tusses, et destillationes, et pulmonum incommoda, quibus medetur maxime *γλυκυῤῥίζα*, multum debent vicini nostrae regioni, quae remedium eis praesentissimum suppeditat. Est et ars ac ratio colendi digna admiratione, quae adhibetur in plantanda et propaganda *γλυκυῤῥίζα*: certat enim ars cum natura mirifica aemulatione.

Hactenus de gentis ingeniis ac moribus, et de soli bonitate breviter dixi, quae Physicam habet causam non obscuram. Ut enim caeterae regiones, quae tanquam valles praecinguntur montibus ac iugis, melius irrigantur defluenti ex saltibus pingui humore, ita et Francia fit uberior, procincta hinc saltu Turingico, istinc saltu Suevico. Et rigatur fluminibus ambitiose eam pervagantibus, Moeno, Tubaro, Laso, Regnicio.

Nonnihil et coelestes causae adiuvant soli bonitatem et hominum ingenia. Cum enim Ptolemaeus universae Germaniae attribuat primum trigonum, videlicet Arietem, Leonem et Sagittarium, ac adiungat *οἰκοδεσποτοῦντας* Iovem et Martem, horum vis maxima est in media Germania. Francia autem fere umbilicus est Germaniae. Quare et solum minus est horridum, cum a Iove, et ut oppositi trianguli natura fert, a Venere temperetur. Et studia moresque hominum non obscure imitantur Iovis et Martis naturam: sunt enim in gubernandis civitatibus acres et industrii, leges et disciplinam, si qua natio, nostri maxime amant, ignaviam indicant esse turpissimam, quare nobilis iuventus militiae cupida est, et passim castra

sequitur. Nec domi aetatem in ocio agunt, sed habent assidua equestria exercitia. Est item Francia sinistro humero Bootis recte subiecta, qui agriculturae studium excitat: et quoniam aliqua ex parte refert Mercurii et Saturni naturam, addit vim ingeniis. Proinde non solum in vulgaribus, domesticis, aut civilibus negociis, singularis est in nostris dexteritas, sed etiam in literis et reconditis artibus multi excelluerunt, quos enumerare longum esset. Sed tamen silentio praeterire illos, quorum extant monumenta utilia Reipub. esset hominis ingrati.

Quis vestrum non amat nomen Regiomontani? quis non veneratur eum, ut numen aliquod divinitus in terram missum, ad instaurandam veram Philosophiam de moribus coelestibus? Nullius enim industria plus praestitit in eo genere doctrinae restituendo nobis, quam Regiomontani: qui cum ingenio et eruditione in Mathematis excelleret, videretque sine cognitione Graecarum literarum praestantissimos scriptores Mathematum non posse intelligi, dedidit se Graecae linguae, ac secutus Bessarionem Graecum Cardinalem in Italiam, magna cum laude ibi et docuit suam Philosophiam, et homines Graece doctos vicissim audivit, lustravit bibliothecas, inquisivit optimos autores, ut Ptolemaeo, quem illustrare cupiebat, situm et squalorem detergeret. Itaque magna varietate monumentorum nos instruxit, enarravit autores veteres, difficiles artis quaestiones agitavit, edidit tabulas, ut posteritas retinere artis possessionem posset. Porro doctos homines intelligere decet, quantum sit beneficium, tradere doctrinam de motibus coelestibus. Amissa enim vera anni descriptione, qualis barbaries, quantae tenebrae in historiis, religionibus, imo in omnibus vitae actionibus secuturae essent? Quare Regiomontano gratiam omnes gentes debent, nosque ipsius causa Franciam, in qua tantum ingenium natum est, magis amare decet. Cumque haec natio minimum habeat servilium ingeniorum, in studiis etiam ostendit ingenuitatem, odit sordes et aucupia, quaestus in literis, ac plurimi amplectuntur honestas artes, doctrinae ac veritatis amore. Ideo multi apud nos etiam in iis artibus excelluerunt, quae vulgo iacent spretae, quia non faciunt, ut dicitur, *πρὸς τὰ ἄλφιτα*. Et quoniam nostri sunt in primis *κοινωνικοί*, eruditi non solum suae oblectationis causa doctrinam colunt, sed liberaliter impertiunt aliis etiam ea quae didicerunt. Virtutem esse ducunt, operam ad propagandas et conservandas artes conferre. Itaque nunc Schonerus magno cum labore provehit Mathemata. Quam multos in hac parte Philosophiae excellentes Noriberga genuit? cuius civitatis genius peculiariter favere huic Philosophiae videtur. Clari sunt editis monumentis Pircamerus, et alter Wernerius, quem vere artificem fuisse, eruditissimae ipsius observationes de motu octavae sphaerae testantur.

Sed dicam de aliis artibus. Poëticam in Germania excitavit primus Conradus Celtis, natus in nostra Francia: qui cum venam haberet satis foelicem, et esset expolitus iis literis, quibus ad carmen componendum opus est, non contentus vulgari eruditione, adiunxit Philosophiam, et cum excitandae iuventutis causa, tum vero etiam erudiendae, passim refersit sua poëmata physicis et astronomicis locis. Haec argumenta vel praecipue convenire poëmatis recte sensit, norat enim vetera exempla Hesiodi, Empedoclis, Arati, Manilii, viderat et luculentum poëma recens Pontani. Quare et sibi et patriae honestum fore putavit, si et ipse in versibus Philosophiam complecteretur.

Habuit recentior aetas Poëtam summo ingenio Huttenum, qui nisi immatura morte extinctus esset, ad scribendi facultatem plus eruditionis et iudicii adhibiturus erat. Sed quanta in eo vis ingenii et naturae ubertas fuerit, ostendunt et in inveniendo acumen, et in explicando verborum splendor et copia.

Praetereo plurimos, quorum eruditio et ipsis decus, et patriae ingentes utilitates attulit. Sed facerem iniuste, si non in hac commemoratione laudum patriae, complecterer praeceptorem meum, Ioachimum Camerarium, praesertim cum non solum eius studia, sed etiam optimi mores exemplo vobis esse debeant. Neminem enim vidi, in quo magis luceret id, quod proprie vocatur *ἠθικὸν*, hoc est, quaedam a vera ratione profecta in omni actione moderatio, quam in isto. Cumque iusticia, reverentia religionis et continentia eximia praeditus sit, tum vero maxime eminet in eo amor veritatis, quae virtus homine Philosopho maxime digna est. In disciplinis vero totum orbem artium complectitur, nemo ex nostris hominibus Graece doctior est. Quare pari facultate Graece et Latine, carmen et solutam orationem scribit. Et hanc

scribendi facultatem consumit non in materiis vulgaribus, sed philosophicis, edidit eruditissima poëmata, Aaeoliam et Phaenomena. Quanta autem virtus est, quod hanc suam industriam confert ad publicam utilitatem, et ad iuvanda studia, et ad ornandam Christi Ecclesiam? Ac ne quidem in caeteris rebus deest eius officium Reipublicae. Cum prudentia et diligentia excellat, multa civilia negocia sustinet. Hunc et in instituenda studiorum ratione, et in moribus imitandum nobis proponamus. Neque enim minus ornamenti literis addidit ipse vitae sanctitate, quam ei peperit eruditio. Porro nimis prolixa futura esset oratio, si recensere omnes conarer. Quare et si praetereo caeteros, tamen animo tacitus veneror omnes, qui aliqua egregia virtute de hominum vita et de patria bene meriti sunt.

Haec de Franciae laudibus collegi, nihil detrahens de aliarum gentium gloria, quare ut meam orationem boni consulatis, vos etiam atque etiam oro. Existimabo autem me non exiguum operae precium fecisse, si quis haec encomia audiens, magis amabit Franciam vel propter caeteras dotes, vel quia tot lumina doctorum virorum, qui de omnibus gentibus bene meriti sunt, genuit. Cumque nomen Francicum initio multis gentibus commune fuerit, hae laudes ad alias nationes etiam aliqua ex parte pertinent. Itaque opto, ut alant mutuam inter nationes benevolentiam, non accendant odia, quae debent abesse a Germanis, quos ipsa appellatio Germanitatis cum ad candorem, tum ad fraternum amorem adhortatur. Dixi.

No. 53. (an. 1538?)

Praefat. in Homerum.

Apud Crat. Myl. p. 385 sqq., in Declamat. T. II. p. 31., Servest. T. II. p. 31. et Richard. T. I. p. 185.

Praefatio in Homerum Viti Winshemii.

Cum interpretationem Homerici poëmatis paucos post dies auspicaturus essem, visum est hoc in loco eam praelectionem, atque haec ipsa studia, adolescentibus, ut possem, oratione commendare: idque ego tam commode me facere posse optarim, quam, ut res commendatione dignissima est, ita hoc praesertim tempore, atque in tam corruptis hominum iudiciis ea vehementer opus habet. Cum enim haec admiranda dona Dei literarum videlicet et humanitatis studia animo considero, quibus post Christi Evangelium hic orbis nihil praeclarius habet, nec divinius, et contra quanta caecitate, qua prodigiosis, et plusquam Cimmeriis tenebris involutae sint hominum mentes, quae haec vera et maxima bona adspernantur, atque ingenti contentione non modo deteriora, sed etiam perniciosa et exitialia sibi ipsis, cupiditatum suarum et voluptatum instrumenta sectantur: Haec, inquam, cum apud animum expendo, vehementer commoveor, venit enim mihi in mentem, quam densa caligine, ac velut atra nocte circumfusa sint hominum corda. Nec amplius miror, si in rebus divinis et supra captum humanum positis caecutiunt homines, cum haec sua et quidem propria bona, ad quae divinitus conditi sunt, quae agnoscere et amplecti poterant, ita pedibus proculcare video. Proiicimus haec studia humanitatis, proque nugis ea ducimus, quibus illa pars nostri, quae sola hominis adpellationem meretur, quae ad imaginem Dei ad immortalitatis et verae aeternaeque foelicitatis possessionem condita est, excoli atque excitari debebat, proque iis, nescio quas praestigias obiectas a Satana et inanes umbras insano caecoque impetu consectamur, et hunc solem adhuc intueri non veremur. Abducit ille perennis humani generis hostis animos nostros quibuscunque potest dolis, ab admiratione et amore veri boni, specieque falsa praestringit oculos, atque ita occaecat, ut quidvis potius videamus et amplectamur, quam quae praecipue videre et amplecti debebamus.

Acciditque Musis et his studiis hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidam cytharoedo olim apud Iassum accidisse memorat. Qui cum in theatro eius loci erudite ac suaviter caneret, audirentque eum Iassii, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum illis erat venum expositorum piscium, illico omnes cytharoedo relicto, ad pisces emendos dilapsi sunt, praeter unum surdastrum, qui cum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remanserat. Ad eum igitur conversus cytharoedus: O Homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo, cum propter Musicae studium, tum propter honorem erga me, quod non sicut caeteri statim ad crepitum tintinabuli foras proiecisti te, ut pisces emeres. At ille: Quid ais? num iam tintinabulum sonuit? Qui cum affirmaret: At tibi

bene sit, inquit, ac surgens protinus ipse quoque foras ad emptionem piscium procurrit, estque cytharoedus solus destitutus, nec in tanta urbe repertus est quisquam, qui pluris Musicam, quam putridos pisces faceret.

Ita his temporibus haec studia quoque et literae negliguntur. Proruit se quisque ad sordidas et quaestuosas artes, diris cupiditatibus et ventri serviunt, praeter illum nullum Deum norunt. Ut ingenium, ut partem meliorem ac diviniorem sui excolant ornentve, perpauci curant. Utque in turbulento et ebrioso convivio, homines nugantur, rident, vociferantur, perstrepunt, ludente aliquo insigni Musico, nec advertunt, nec auribus animisve accipiunt illam suavitatem Musices, aut perfruuntur ea, ita hoc seculum suis cupiditatibus velut ebrium et amens non exaudit voces Musarum, nec attendit animum. Qui vero sua autoritate et opibus praecipue haec studia provehere atque ornare debebant, hi cum plerique ipsi Barbari sint et inculti, impendio magis ea oppressa et deleta cupiunt. Utque Herodes Rex Iudaicae gentis cum ex humili et obscuro loco ad regios honores evectus esset, iussit omnes libros, in quibus genealogiae continebantur, incendi atque aboleri, ut ita discrimine nobilitatis et ignobilitatis sublato, sui quoque generis obscuritas minus infamis esset: ita homines ineruditi literas et oderunt, et abolitas cupiunt, sperantes hoc modo suam quoque inscitiam facilius posse latere. Sic fit, ut ab aliis infestentur, ab aliis destituantur literae: alios alio abripit caeca cupiditas, et quidvis potius quam vera bona admiramur, imo ea ne agnoscimus quidem. Ita Satanas mentes humanas suis compedibus constrictas tenet, et quoquo ipse vult, transversas abripit, ac revera nunc minima de malis inscitiae turpitudo ducitur, qua nisi vecordes et velut mente capti essemus, nihil tristius, aut magis fugiendum iudicaremus. Interim alii honores, alii foedissimas voluptates, plerique opes et pecuniam sectantur. Haec sola bona ingenti mercede licentur, vitam atque animam, ut ille ait, lucro vendentes. His foelicitatem metiuntur miseri, qui non expendunt, quam saepe levi momento infoelix illa foelicitas non interpellari modo, verum et prorsum everti soleat: Docuit hoc multos experientia stultorum magistra. Sed quid nos interim dicere oportet? videmus hoc communiter accidere rebus optimis, ut eaedem sint contemptissimae, et contra pessimis, ut maximi fiant. Ergo si idem literis et huic doctrinae humanitatis accidit, non novum aut mirum nimis id nobis videri debet, neque nos corruptissimo vulgi iudicio et errore ab his studiis amandis colendisque abduci decet. Haec ut praefarer cum de Homero et his nostris studiis dicturus essem, res ipsa et indignitas me movit. Quis enim non commoveatur, qui hunc tam insignem contemptum rerum optimarum videat? Vos pro vestra humanitate hanc nostram querelam, quam mihi expressit dolor meus et indignitas rei, boni consuletis.

Atque ut ad id, de quo in praesentia instituta est, se referat oratio, Homeri poëma, ut dixi, Diis bene faventibus, interpretari decrevi; de eo in praesentia breviter praefari constitui. Atque utinam ego illud tam possem adolescentibus oratione commendare, ac dignis laudibus ornare, quam nunquam satis potest pro dignitate celebrari, exuperatque Homeri splendor omnem orationem. Sed tamen ut magna numina nonnunquam farre et sale coli solent, ita nos si quid pro nostra tenuitate poterimus, ad tanti scriptoris praeconium conferemus. Nec vero hic de natalibus, patria, et vita Homeri nobis oratio erit, haec enim ab aliis satis accurate et fuse explicata, qui volent requirere poterunt: de poëmate ipso, et utilitate, quam studiosi inde capere possint, breviter, atque ut patietur haec temporis angustia, agemus. Nam qui ita evolvunt Homerum, ut nihil hinc nisi voluptatem venentur, et sententiolas quasdam ceu flosculos hinc inde collectas, hi perinde faciunt, ut si quis fertilissimum agrum tantum animi causa colat, ut floribus in eo natis aliquando se coronet, fructuum, quos inde uberrimos percipere poterat, curam plane negligat, hunc aliquis recte, opinor, oeconomum parum prudentem dixerit. Etsi enim voluptatem ex lectione Homeri tantam, quantam vix ullo alio ex autore, capere licet, quod natura fere ita comparatum est, ut cum summa utilitate, summa ac vera voluptas coniuncta sit, non tamen ea praecipua cura esse debet, sed est alia maior et potior, nempe, ut quemadmodum in sua re familiari cauti patresfamilias solent, ita initio statim nobisrum rationem ineamus, ecquod operae precium facturi simus evolvendo hoc vel illo scriptore. Quod idem si in Homero discendo faciemus, tum nobis statim se offeret infinitus utilitatum cumulus, et velut *μυρμηκία ἀγαθῶν,*

quae affatim, et pleno, quod aiunt, sinu ex hoc scripto petere possimus. Quae si quis singula oratione comprehendere aut enumerare conetur:

Libyci velit aequoris idem (ut Virgilius ait)
Dicere, quam multae Zephyro turbentur arenae,
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Ego igitur, ut verum fatear, etsi non ita oblitus sum mei, ut hoc mihi sumere ausim, me illas ingentes et innumerabiles Homerici poëmatis divitias omnes cernere aut cognoscere posse, cum haud dubie vix minima pars earum nota est, tamen hoc plane mihi accidere sentio, ut, quemadmodum ille ait, inopem me copia faciat. Multiplicia enim me hoc scriptum intuentem ab omni parte velut divina miracula occurrentia, attonitum, suspensumque tenent, ut difficile sit, unde exordiar, aut in quo desinam, statuere. Vereor enim, ne mihi accidat, quod iis, qui re multum ac diu deliberata ex ingenti rerum preciosarum acervo certa quaedam κειμήλια eligere debent, hi prae nimia cura et dubitatione nonnunquam deerrantes, optimis relictis, minus preciosa secernunt. Ita ego quoque vereor, ne melioribus, et quae alii fortasse magis admirentur, praeteritis, deteriora legam: verum utut hoc animadversum erit, non equidem in magno pono discrimine. Non enim me fugit, ut radiis solaribus oculorum acies sensusque vincitur, ita fulgore Homerici carminis ingeniorum aciem praestringi solere. Nos tamen velut mare angustis fistulis includentes, pauca quaedam de re infinita colligemus, et quae nobis praecipue admiranda in hoc poëmate visa sunt, strictim ac breviter recensebimus.

Ac primum quidem sic statuo, nullum unquam scriptum, inde usque a primum condito orbe, ulla in lingua aut natione, ab ullo humano ingenio editum esse, sacra ubique excipio, in quo vel doctrinae tantum sit, vel elegantiae et suavitatis. Audacem hunc esse sermonem, plerumque invidiae non ignoro: sed idem non dubito, quin liberaliter instituta ingenia, et quibus modo leviter, ac primoribus, quod aiunt, labiis est degustatus Homerus, vehementer in hoc mihi assentiantur. Nam ut nunc non dicam de ea doctrina, quae rerum naturam continet, quae coelestium orbium syderumque vices, ortus et obitus tradit, quae temperaturae humani corporis harmoniam, membrorum συμμετρίαν, variasque affectiones ostendit, non dicam de reconditis illis literis, quibus ubique plenum et confertum est Homericum poëma, non enim haec temporis brevitas singula nos recensere patitur, ad haec nostra et notiora veniamus. Quod enim dabitis mihi praeceptum ad mores, ad vitam bene ac foeliciter instituendam, unquam a viris sapientibus proditum, cuius non sit in Homero aliquod speciosum et illustre exemplum? Quod in vita officium, aut quod omnino negocium, cuius non in eodem expressa sit imago? Suntque de omnibus rebus et negociis cogitationes, quae quidem ab ulla humana mente concipi possunt, humanissimae, dulcissimae et simul sapientissimae. Quid enim suavius, aut magis ἠθικὸν cogitari, quid gravius moneri potest, quam quod ipse aliquot locis in suo poëmate, iis, qui nec iniusta de causa irascuntur, decantat, ἀμείνω δ᾽ αἴσιμα πάντα, hoc est, moderatione, placabilitate et clementia omnibus in rebus nihil melius esse? Quid iustius aut humanius illa voce Diomedis in 9. Iliados, in concilio illam primam legem sanciri, ut sit libertas dicendi, et patientia audiendi? Non videmus quam hoc seculum nulla re magis laborat, quam quod potentiorum aures non modo linguam liberam, sed ne cogitationem quidem libertatis memorem ferre possunt? Quid magis heroicum, quam quod Hector ait:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

unum auspicium foelicissimum, fortiter depugnare, et honeste cadere pro patria? Quam sententiam si ob oculos et in animis scriptam hoc tempore Principes haberent, non vidissemus Turcas toties iam Germaniae et Christiano orbi ita impune insultantes, nec eorum adventum adeo perhorresceremus. Quid divinius, quam quod praematura morte et inter primos cadere eum scribit, qui nutricationis gratiam parentibus non persolverat? Item:

οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα κιχάνει δὴ καὶ βραδὺς ὠκύν.

id est, non pervenire ad frugem, nec foelicem successum sortiri malefacta, et virum improbum, quantumvis celerem, et ad fallendum instructum, deprehendi tamen et quidem a claudo. Neque dubium est, quin hoc genus sententiae primum a sanctis patribus proditae, et ad posteros propagatae sint; deinde ab aliis ad alios successu temporum, velut per manus traditae, ad tales tandem viros permanaverint, a quibus his monumentis

insertae sunt, ut velut in illustri et perspicuo positae loco, ad omnem posteritatis memoriam retineri, et cum admiratione spectari possent. Plenum est poëma Homeri talibus sententiis, quae velut pondus et autoritatem legum habent, quaeque merito ut oracula aut divina responsa singulari cum religione observari, memoriaeque mandari, et semper ob oculos haberi debebant. Quodque de Euripide Cicero dixit: Se singulos eius versus, singula testimonia putare, id multo verius de Homero dici posse videtur, cum Euripides, reliquique Poëtae, velut rivuli ex Homero, ceu perenni fonte scaturiant.

Traduntur in una qualibet arte principia quaedam, et communes noticiae, ad quas, qui in iis versantur artibus, velut ad Lesbiam regulam cogitationes suas dirigunt. Meministis, Adolescentes, maximas in Dialectica vocari a Boëtio, id genus communes *προλήψεις*: Talibus, inquam, maximis constat totum poëma Homeri, hoc est, communibus et utilissimis regulis ac praeceptis morum, vitaeque et civilium officiorum, quarum in omni vita et actionibus usus latissime patet, multa docet, multa sapienter monet, instillat tenerae aetati honestissimas et suavissimas noticias, modestiae, verecundiae, ac reliquarum virtutum: suavitatis et humanitatis morum nullus eo melior Magister: praestat ac efficit quandam quasi experientiam rerum in iuvenibus, quae laus alioqui ut summa est, ita soli senectuti tribuitur. Nota enim est sententia Latini Poëtae:

non omnia tardior aetas
Quae fugiamus habet, seris venit usus ab annis.

Hoc vero divinum beneficium praestat lectio Homeri, nempe, quod ingenium iuvenile, senili prudentia imbuit, ea enim, quae senes per longi temporis usum deprehendere solent, quae illos docet numerosa series annorum, et varii rerum ac vitae humanae casus, ex hoc poëmate per compendium tanquam e thesauro aut fonte petere atque haurire licet. Non paulo enim foelicius hic traditur doctrina recte et beate vivendi, quam in ullis Philosophorum monumentis, ut vere de Homero dixerit Horatius, quod ille:

Quid sit turpe, quid pulchrum, quid utile, quid non
Plenius et melius Chrisippo et Crantore docuerit.

Involvit vero haec gravissima ac sanctissima dogmata dulcissimis et iucundissimis iconibus poëticis, ut ingenia liberalia et *συζητικὰ*, cum quadam, ut ait Plutarchus, *εὐμουσίᾳ* erudirentur.

Neque *τὸ ἠθικὸν*, hoc est, venustas et suavitas morum, ingenii quod moderatio ac humanitas ullo in scripto ita expressa est, ut in Homeri poëmate. Quapropter, si verum est quod dici solet, studia abire in mores, ita ut verum est, fieri non potest, quin humanissimi et dulcissimi Poetae tractatione, ingenia quoque mitescant, fiantque humaniora et magis placida. Hoc credo viri magni et praestantibus ingeniis praediti animadvertentes, alii poëma Homeri humanitatis officinam, alii fontem omnis suavitatis et venustatis adpellarunt. Plinius primum liberalioris doctrinae et antiquitatis parentem Homerum vocat, Plato optimum vitae magistrum. Atque ut intelligamus istos magnificos titulos vere Homero tribui, intueamur poëma eius, totum nobis corpus proponamus, ne ut in disiecta statua ex mutilatis partibus et membris, facienda sit coniectura.

Duplex est poëmatis Homerici argumentum: Alterum Ilias, alterum Odyssea inscribitur. In Iliade Plutarchus robur corporis, in Odyssea vires ingenii celebrari ab Homero existimat. Describitur autem in Iliade bellum, ut fama nobilissimum, ita honestum ac pium, quod Graeci contra Barbaros pro defensione pudicitiae coniugalis, ut ulciscerentur adulterium, et violatam hospitii fidem gesserunt. Odyssea continet errores Ulyssis, sub cuius imagine Poëta virum sapientem ac politicum, variisque fortunae procellis iactatum, et qui fortunam consilio regere ac moderari sciret, describere voluit.

De qua parte, cum eam prius interpretari decreverimus, pauca in praesentia mihi dicenda esse duxi. Ac primum hoc non est dubium, quin in Iliade militiae bellique artes, in Odyssea togae et pacis describere, atque ita in toto poëmate utroque genere artium tale ingenium, quod Rempub. aliquando gubernare deberet, informare, erudire, ac praeparare voluerit. Pingit igitur in Ulysse imaginem quandam civilis et togatae vitae, in Iliade vero militaria exempla proponit: his enim artibus Respublicae ac regna parantur, tenentur, reguntur que, et his artibus instructum esse oportet, quicunque Remp. est aliquando tractaturus. Notus est enim eiusmodi Homeri versus, quo Alexandrum Magnum ita delectatum ferunt, ut cum semper in ore habuerit:

ἀμφότερον βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής.

Sed age videamus, quid illi viro tribuat, quem politicum, quem Principem in Repub. quem iis ingenii dotibus, iisque artibus ac virtutibus praeditum fingit, quibus civitates in pace florere ac gubernari solent, id enim argumento nostro instituto propius esse videtur. Primum tribuit ei ingentem amorem erga patriam, cum enim post Deum primum gradum pietatis, primum iusticiae esse scimus. Et Solon apud Croesum, ut Herodotus refert, primum foelicitatis gradum adsignat illi, qui pro patria mortem oppetiisset: proximum ei, qui pietatem parentibus praestitisset. Ut igitur ille amor patriae, in hoc viro effunderet sese, et illustrior fieret, fingit Poëta multiplices occasiones, et varia impedimenta, quibus eius in patriam reditus interpellatur, cum quibus omnibus ille consilio, ratione, viribus animi pugnat, et ex omnibus his tandem eluctatur. At qualem ille patriam tanti facit? nempe sterilem, angustamque insulam, et ut Cicero ait, in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. Eius ille tanto desiderio et amore tenetur, ut fumum inde exeuntem, immortalitati praeferre non dubitet. Et videmus hunc affectum in omnibus magnis ac praestantibus viris fuisse singularem. Demosthenes cum in Calauria exularet, scribit se quotidie ad culmen eius sacelli ad quod confugerat, adscendere, atque inde diu eam regionem, quam versus Athenae sitae erant, ingenti desiderio et dolore, oculis metiri ac spectare solitum, cui patria etsi ingrata et impia erga ipsum, vita tamen ipsa et anima charior fuit. Porro proximus gradus, ut ad institutum revertamur, est pietas erga parentes, coniugem, liberos, et in Principe praecipue erga cives ac subditos, quam Homerus summam Ulyssi tribuit. Quam sancte enim ille parentes colit ac veneratur? quanto amore natum, quanto coniugem amplectitur, a quo nec consuetudine Dearum immortalium avelli se patitur? quanta vero cura et sollicitudine vitam sociorum, quanquam male merentium, tuetur? quam pro illis vigilat, et nullum genus molestiae vel laboris recusat, dum illorum saluti consulat?

Quia vero eum facit virum prudentissimum et constantissimum, varias fingit occasiones, quibus illae virtutes spectantur, variis casibus et periculis obiicit ipsum, in quibus et fortitudo eius ostenditur, et vis consilii exprompta elucescit. Scimus enim adversam fortunam velut campum et Gymnasium esse, in quo vis ingenii atque eximia virtus exerceri ac spectari solet. Memorabile et hoc est, quod eundem et prudentissimum facit et eloquentissimum, tribuitque ei orationem similiter fluminibus hibernis nivibus auctis fluentem, et opponit ac confert inter se duo perfectissima genera dicendi, in Menelao et Ulysse. Fingit item eum regi et custodiri a Minerva, ut ostendat magnos viros Deo curae esse, eiusque auxilio subnixos, res tantas efficere. Porro cum Cyclope et cum procis eum depugnantem facit, hoc est, cum tyrannis, et cum seditiosis pravisque hominibus, aliorum toro et fortunis insidiantibus, cum his enim duobus generibus hominum semper heroicis et praestantibus viris lucta ac certamen fuit. Et quod in primis est observandum, patientissimum eum ac pertinacem propositi fingit, quique dum cursum suum teneat, atque id quod velit consequatur, nullis molestiis ac laboribus, nullisque contumeliis vinci frangive se patiatur, perfert ille, cum iam perfunctus periculis ac malis videretur, adhuc domi suae multa intolerabilia, sustinet esse lacer, mendicus, ludibrio haberi, vapulare, osse peti a procis, irrideri a sua familia, omnia haec ad tempus dissimulat, expectans occasionem, qua domum recuperare, rebus suis potiri, illosque ulcisci posset. Est ea virtus singularis in praestantibus viris, non tantum magnas et memorabiles res ad salutem patriae ac multorum hominum, cum vitae et capitis periculo efficere, sed iniurias, ignominiam, contumelias, infamiam etiam perferre posse ac pati, atque interim institutum cursum urgere, idque unum quod honestum et salutare sit, spectare ac sequi. Nota est sententia Ennii de Fabio:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ea plane est Ulyssea sapientia, qua res afflictae et profligatae plerumque fulciri ac sustentari solent. Desino de Ulysse, quem Philostratus ἄθυρμα Homeri vocat: nam si singula persequi velim, dies me hic dicentem citius, quam dicendi materia deficiat. Innumerabilia enim sunt in Homero velut divinitus meditata atque inventa, quae non temere ab Horatio miranda sunt dicta, eaque ubique omnia incredibili elegantia et suavitate condita, variis affectibus, ἤθεσι tamen praecipue, multis mirabilibus et iucundis casibus variata, tali vero rerum ordine atque οἰκονομίᾳ digesta, ut omni humanitatis sensu carere eum, pecudem esse, non hominem existimem, qui non Homeri

lectione permulceatur. Ut enim in hoc scripto est quaedam perfecta et absoluta imago sapientiae humanae, quantacunque ea omnino esse aut cogitari potest, ita in omni genere doctrinae nihil dulcius eo est, nihil luculentius, nihil in quod maior eloquentiae splendor eluceat, ut recte dictum sit a Fabio: Quemadmodum ab oceano omnes amnium et fontium cursus initia capiant, ita Homerum omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse. Non enim pluvias ille aquas, ut ait Pindarus, colligit, sed vivo flumine exundat, dono quodam providentiae divinae ad hoc genitus, ut in eo totas vires suas eloquentia experiretur.

Etsi igitur post eius aetatem effloruit satis foelix Poëtarum proventus, ipse tamen semper suum, hoc est, summum ac principem locum tenuit, et unus omnibus quos ulla tulit aetas, Poëtis palmam praeripuit, longissimisque intervallis cunctos post se reliquit, idque effecit, ut magnum et magni ingenii habitum sit, eius virtutes non quidem aemulatione, quod impossibile est, sed saltem intellectu sequi. Canit de eo ut magnifice, ita non minus vere Manilius:

cuiusque ex ore profuso (inquit)
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est deducere rivos,
Unius foecunda bonis.

Et Theocritus ait, Musarum aves, hoc est, reliquos Poëtas, si cum Homero certare ausint, frustra laborare, et velut coccysmum edere ad dulcissimos lusciniae cantus. Testatur item Philostratus Homerum non sicut Euphranorem statuarium, qui quibusdam in sua arte virtutibus caeteris praestitit, sed in omnibus, quae quidem in unoquoque maxime laudata sint, eminentissimum esse. Et refert ille festivam de Homero fabulam, quam non alienum duxi breviter hoc in loco commemorare.

Achillem ait, cum adolescens esset, miro studio et amore Musicae ac Poëticae flagrasse, ita ut quotidie a Musis contenderet precibus, ut earum auxilio in excellentem Musicum posset evadere. Cumque nullum orandi finem faceret, tandem ex Musis Calliopen illi apparuisse, ac monuisse, ne cum fatis pugnaret, aliter enim superis visum esse, non vatem eum, sed praestantem bellatorem futurum, et qui tales res gereret, unde Poëtae materiam scribendi sumpturi essent. Post centum vero annos exoriturum quendam vatem, nomine Homerum, qui eius res gestas et fortia facta immortali carmine celebraturus esset. Haec de Homero Philostratus. Per hoc haud dubie significans, divinitus excitatum fuisse Homerum, et divina virtute afflatum haec cecinisse. Id quod multis in locis videre licet, cum velut ex adyto vel cortina altius quiddam et divinius, quam pro humano captu sonuisse. Indicant hoc nonnulla, quae in eius poëmate sparsa sunt, vaticinia, quae non absque afflatu numinis ab humana mente concipi potuerunt: quale hoc est de posteritate Aeneae, et aeternitate futuri Romani imperii, quod a Vergilio hoc versu redditum est:

Et nati natorum, et qui nascentur ab ipsis.

Quare non ab re Democritus dixit, Homerum sortitum fuisse divinantem animam. Sed ista persequi, non sunt huius loci aut temporis. Ad nostra igitur, atque ad ea quae nostris studiis et moribus propiora sunt, revertamur. Etsi vero mihi in praesentia non vacat colligere τὰ φιλοσοφούμενα illa recondita, de principiis rerum, de motu corporum coelestium et astrorum, de elementis, de mundo et eo duplici, de constitutione hominis, de anima et eius partibus, de sede potentiarum animae, de singulis potentiis, de affectibus, iisque laudatis et vitiosis, de ratione porro atque intellectu, sensuque et adpetitu cum eo perenni dimicatione depugnante, de illa diviniore et item bruta parte hominis. Haec, inquam, cum iam mihi recensere non liceat, tamen sciant studiosi, omnium harum rerum semina, et ceu fontes in Homero esse. Neque ullus melior aut praestantior pictor illius nobilioris ac divinioris partis nostri extitit, quam Homerus.

Quapropter Scipio apud Silium ingenti et non falsa laude vehit Homeri umbram apud inferos conspectam, et magnae foelicitatis loco suis temporibus talem vatem optat, quem locum propter adolescentes non piget hic subiicere, sic enim ait:

Atque hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem iuvenis, caste, cui vitta ligabat
Purpurea effusos per colla nitentia crinis,
Dic, ait, hic quinam virgo, nam luce refulget
Praecipua, frons sacra viro, multaeque sequuntur
Mirantes animae, et laeto clamore frequentant.
Qui vultus, quem si Stygia non esset in umbra,
Dixissem facile esse Deum. Non falleris, inquit,
Docta comes triviae, meruit Deus esse videri.
Et fuit in tanto non parvum pectore numen,

Carmine complexus terram, mare, sydera, maneis,
Et cantu Musas, et Phoebum aequavit honore,
Atque haec cuncta prius quam cerneret, ordine terris
Prodidit, ac vestram tulit usque ad sydera Troiam.
Scipio perlustrans oculis latentibus umbram,
Si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
Hic caneret vates, quanto maiora futuros
Facta eadem intrarent hoc, inquit, teste nepotes.
Foelix Aeacide, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi, crevit tua carmine virtus.

Haec de Homeri laudibus Africanus apud Silium.

Sed occurritur nobis et quidem a summo viro ac doctissimo Platone, qui Homerum velut iudicio capitis damnatum, sua Repub. excludit, in exilium exigit ac relegat. Quo in loco dicere possum, id quod Chrysostomus de eadem Platonis contra Homerum accusatione respondit: Difficile esse inter tantos homines disceptare, ut si duo viri, ambo boni, ambo graves et honesti, ambo amici, de re quapiam seria et gravi sententiis discrepent, difficile sit pronunciare, ne alterius sententiam videaris tua oratione damnare. Sed videamus tamen quid Platonem moverit, ut Homerum civitate a se constituta eiiceret: non enim temere id fecisse putandus est, praesertim quem ipse *ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν,* optimum et divinissimum Poëtarum vocet. Quid igitur tantum commeruit haec innocentissima luscinia, ut campis Platonicis pelleretur? Obiicitur quod de Diis immortalibus ac religione ridicula quaedam et absurda prodiderit. Audio, magnum et capitale crimen. Sed dicat mihi vel Plato, vel alius quispiam huius sententiae propugnator, quaenam alia de Diis, aut de religione, ut tum fuit in Graecia, Homerus potuerit tradere, et utrum Plato ipse multo meliora noverit vel prodiderit. Homerus de religione, de Diis immortalibus, ea quae tum usitata fuerunt, ipse quoque secutus est, nec illis quidem temporibus et apud illas gentes alia fuit religionis forma, quam qualem Homerus describit. Utrum ea vera an falsa, non hic disputo. In hoc nempe Homero cum Platone et praestantissimis quibusque viris convenit, quod sit Deus, quod res humanas curet: tot igitur Deorum consilia cogit, ut ostendat res hominum non temere nec casu fluere, sed a Diis immortalibus dispensari ac gubernari. Facit Deum *φιλάνθρωπον,* unde Iuppiter ab ipso introducitur, conquerens affici se humanis casibus, et dolere sibi hominum mala atque miserias: statuit item bonos defendi, cumulari bonis, divinitus malos puniri. Praedicat Minerva in primo Odysseae, Ulyssem primum propter virtutem ac honestatem, deinde et propter studium pietatis et religionis, seu cultum Deorum. Quid humana natura, si suis viribus nitatur de voluntate Dei melius aut sublimius cogitare potest, quam quod pios et bonos amet, foveat, iuvet, impios et sceleratos oderit, poenisque afficiat, res hominum curet, gubernet? Quod vero praeter haec allegorica quaedam admiscuit, facile intelligi potest, aliud ipsum egisse, allusisse ad mores hominum, ad naturam rerum, involvisse his poëticis iconibus seria et gravia dogmata, ut mos fuit illorum temporum. Quid quod et Plato nonnunquam ad hunc modum ludit de Diis immortalibus, cum aliud quiddam significet, qui si tam severus iudex in alios esse vult, eodem et ipse crimine damnari potest. Deinde responderi et hoc potest, quod Chrysostomus ait, Homerum *τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τάδε κατ᾽ ἀλήθειαν* posuisse. Atque haec mihi de prima causa dixisse satis sit. Obiicitur autem secundo loco, quod magnis ac heroicis viris lachrymas attribuerit: id cur reprehensionem mereatur, non video, imo vero praecipue laudandum hoc mihi videtur esse, quod non stultam illam et imaginariam Stoicorum *ἀπάθειαν* somniavit, sed tales rerum atque hominum imagines proposuit, quales essent in rerum natura et vita, non finxit prodigiosas, et a communi humano sensu abhorrentes opiniones, sed ea suo carmine expressit, quae quam maxime essent usitata in vita, et consentanea communi sensui. Voluit autem significare magnos viros cum gravissimis et tristissimis casibus conflictari, magnoque animorum motu percelli, ut de suo Aenea Romanus Poëta:

Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem.

Et alio loco:

Ingenti irarum fluctuat aestu.

Descripserunt enim Poëtae tales heroas, quales fuerunt, nempe qui et humanis casibus obnoxii essent, et iis moverentur. Proposuerunt nobis consiliorum, affectuum, actionum et negociorum in vita, hominum etiam usitatas imagines, non sunt secuti illa *ἀτοπώτατα παράδοξα,* quibus ex Philosophis nonnulli impendio sunt delectati. Porro quod inferos finxerit, id tertium, opinor, crimen Homero obiicitur a Platone, putatur enim metum mortis incutere hominibus, cum terribilia et qualia ipse pingit apud inferos, sibi post hanc vitam proponant, atque ita lectione Homerici

poëmatis animi robur enervari videtur. Sed nos ad hoc breviter respondebimus, Homerum voluisse celebrare illam sententiam de immortalitate animarum, quam omnium seculorum cordatiores et honestiores viri tenuerunt: voluisse significare locum ac sedem aliquam esse post hanc vitam, ubi bonorum et malorum animae viverent, bonis honor quidam haberetor, mali plecterentur. Denique secutus est illam usitatam, quae tum fuit de inferis, hominum opinionem. Non nova, aut inaudita, aut a communi iudicio illius seculi abhorrentia, quod Philosophi fecerunt, commentus est. Atque haec sunt illa capitalia crimina, propter quae a Platone Homerus exilio mulctatur, relegatur ab urbe Platonica in nescio quas solas terras, ad Scythas credo aut Garamantes, neque id temere, nam Chrysostomus testis est, etiam Barbaros et Graecarum disciplinarum rudes, permulctos Homerici carminis dulcedine, coepisse hanc unam ob causam Graecas literas degustare, ut hoc poëma perdiscere possent, et apud Indos id etiam decantari solitum. Ad quamcunque igitur gentem e Graecia sua relegaverit Homerum Plato, eam velut Dei alicuius adventu statim cultiorem humanioremque usu ipsius et consuetudine fecerit. Sed opponere nos etiam possumus, Platonis hac in re autoritati, consensum omnium optimorum et sapientissimorum hominum, qui omnibus seculis post Homeri aetatem, ingenii, doctrinae, virtutis, aut sapientiae laude floruerunt. Ex his enim nemo fuit, qui non pleno ore Homeri poëma laudaret, non amplecteretur, et velut divinum numen adoraret. Archesilaus optimus et sapientissimus Spartanorum Rex, nunquam cubitum ire, nunquam cum e lecto surrexisset, prodire, aut aliquid agere solebat, quin prius quasi solenniter aliquid ex Homero lectitaret, et quoties a negociis vacuum tempus dabatur, statim ad Homerum properabat, ad amasium pullumque suum ire se dictitans. Neque ignotum est, quantopere Alexander Macedo delectatus sit Homeri poëmate. Cui sive seria, seu iocos tractaret, etiam cum armaretur in hostem, carmina Homeri decantari solebant: cui cum ex spoliis Babylonicis ingentis precii scrinium ex auro et gemmis esset oblatum, et caeteri alius alii usui ad res preciosas adservandas id destinarent, respondit Alexander: Nulli rei magis idoneam esse eam arculam, quam Homerico poëmati asservando: nobilissimo enim thesauro non minus nobile vasculum, in quo reponeretur, convenire. At nos adolescentes, quibus aurea et gemmata vasa non sunt, quod poterimus tamen Alexandrum Magnum imitantes, interim in non paulo nobiliore, nempe pectorum nostrorum scriniolo, hunc tam preciosum thesaurum condamus, et illam partem praestantiorem ac diviniorem nostri eo pariter ornemus atque ditemus.

Quos tu mihi thesauros, quas divitias narras? dicet hic aliquis, nempe videmus et Homerum egentissimum fuisse, cum viveret, et ex discipulis suis adhuc neminem ditasse. Verum hoc esse, et his nostris temporibus nimis verum scimus. Sed meminerimus hoc quoque certum atque evidens argumentum esse publicarum calamitatum, cum ista studia ita contemni videmus. Nos vero nihil istae illiberales cogitationes, et isti sordidissimi sermones moveant. Non digni sunt, qui his Musarum sacris initientur, aut in hoc humanitatis et virtutis sacellum admittantur, qui sordidi quaestus gratia haec longe praestantiora bona adspernantur. Non distendit crumenam auro et argento Homerus, non ventrem pinguedine, non cingit digitos gemmatis annulis: at certe mentem, quae praestantior, quae immortalis pars nostri est, ingentibus ac longe nobilioribus, aeternisque divitiis cumulat, ornat, ditatque. Non nos absterreat, quod egens, quod contemptus fuit Homerus cum viveret, quod egentes sunt, qui hoc genus studiorum colunt. Communis haec est conditio rerum optimarum, ut sint contemptae in hac misera et plena errorum ac caecitatis vita. Concionatores verbi divini, ministri aeternae salutis, qui liberationem a morte, a peccato, ab aeternis inferorum cruciatibus, ab omnibus malis annunciant, quo illi modo ab impio et ingratissimo mundo semper accepti tractatique fuerunt, quo modo hodie tractantur? Non nobis mirum valde aut novum videri debet, si res bonae negliguntur, deteriores contra magni fiant, vetus hoc est in mundo, et consuetudine prava iam pene usitatum esse coepit. Nos contra sic cogitemus, non seruit quaestui Homerus, eo melior: dedignatur enim virtus, dedignantur Musae prostare, et in quaestu, ut ille ait, pro meretricibus sedere. Meminerint vero illi, qui ad utilitatem suam omnia referunt, qui possessione bonorum fortunae foelicitatem metiuntur amplecti se fragilia et inconstantissima bona, atque ipsi etiam possessori saepe exitialia, uniusque horulae momento universam illam foelicitatem, seque adeo ipsos funditus everti posse.

Nam si propter inopiam et contemptum excluduntur haec studia, excludatur eadem opera humanitas, excludatur virtus et honestas, quae sunt alumnae Musarum, quarumque parens ac nutricius Homerus est, excludatur quidquid vere bonum, sanctum, piumque est in mundo, his omnibus enim vere hoc *ἐπίγραμμα* inscribi potest, quod quidam aediculis suis praefixit:

οἶκος ὅδ' ἐστὶ μικρὸς τόδε γὰρ σημεῖον ἄριστον
τῆς πενίας μικρότης, τῆς δ' ἀρετῆς πενία.

Non est magna domus, quid tum? sub paupere tecto
Saepe etiam virtus ingeniosa latet.

Dixi.

No. 54. an. 1538.

De Platone.

Apud Craton. Myl. p. 263 sqq., in Declam. T. II. p. 353., in Servest. T. II. p. 347. et apud Richard. T. I. p. 517. — Cf. Epp. Vol. III. p. 596. et 598.

Oratio de Platone, habita a Cunrado Lago, cum decerneret titulum Magisterii quibusdam studiosis, anno 1538.

In deliberatione gravissima apud Thucydiden inquit rex Spartanus Archidamus, hanc esse patriae disciplinam, ut cives non studeant calliditate leges, aut vincere aut labefactare, sed sine tergiversatione obtemperent. Existimo autem non tantum Lacaedemoniis, sed omnibus civitatibus ubique terrarum, legum reverentiam salutarem esse. Quod cum ita sit, et mihi et vobis honestum est tueri gradus in scholis constitutos, ut legibus, quae non sine gravi causa nobis a maioribus traditae sunt, pareamus. Quare et vestrum officium laudo, quod publici moris conservandi causa huc convenistis, et peto, ut meam orationem aequo animo audiatis, praesertim cum non sumpserim mihi has partes ingenii fiducia, sed necessitatem dicendi hoc loco nobis imponat officii ratio. Nescio quomodo alii sint affecti, sed de meo animo hoc praedicare possum, hos coetus scholasticos et congressus nostros mihi multis de causis iucundissimos esse. Iuvat enim videre haec quasi praesidia Reipub. videlicet cum maiores natu, qui iam consilio et autoritate sua regunt Rempub. tum hunc florem iuventutis, quae posteritatem gubernatura est: cui in his congressibus bene precari debemus, ac vota facere, ut Deus haec ornamenta vitae, literas, leges, religionem conservet. Venit etiam in mentem, cum omnium disciplinarum professores intueor, quantum vitae decus sit, integer artium chorus. Quare hos coetus ita celebrandos esse meminerimus, ut nos de coelestibus donis, de Repub., de nostro officio admoneant. Quid autem magis decet in frequentia doctorum, quam de bonis rebus dicere ac audire aliquid? qua in re, quia mei muneris ratio postulat, ut hic orationem habeam, valde optarim me posse vobis satisfacere. Sed aequum est, vos dare veniam dicentibus, si tamen dent operam ut probetur vobis ipsorum studium, et ut argumenta adferant honesta ac scholasticis utilia. Porro magnopere prodest doctorum et excellentium virorum historias tenere, nam et exempla eorum, ac pericula et varii eventus multa nos monent, de vita et moribus, et opiniones eorum formant iudicia discentium. Probo igitur consilium illorum, qui antea hic doctissimorum hominum historias recitarunt. Et ut hos imitarer, orationem de Platone institui, cuius studia, peregrinationes, consilia in Repub. nosse et aliquo modo videre, quale sit genus Philosophiae quod tractat, et quid utilitatis adferat discentibus, profecto multum prodest. Omittam autem illa vulgaria encomia, quae a generis nobilitate, aut a patriae charitate sumuntur. Nam cum haec oratio habeatur ad utilitatem discentium, de doctrinae genere prolixius dicendum erit. Sed vitam antea breviter exponam: Natus est Plato Athenis, mense Martio eo anno, quo vir eloquentissimus Pericles mortuus est, ac fuit is annus tertius funestissimi belli, quod inter se Graecae civitates gerebant, quod Peloponnesiacum dicitur. Materno genere a Solone ortus est. Patrimonium habuit amplum, quare liberaliter institutus est, ac literas, Arithmeticen et Geometriam adolescens didicit: nam hae artes Athenis tradebantur initio pueris. Et quia ingenio valebat, scripsit Poëmata et Tragoedias, Euripidis admiratione excitatus, cui erat familiaris: incidit enim adolescentia Platonis in tempus civitatis, non quidem tranquillum, sed tamen non triste. Quanquam enim initia belli fuerant inauspicata, et magnae clades erant acceptae, tamen postea annos circiter viginti multae res secundae consecutae iterum erexerunt civitatem. Postea cum aetas Platonis pene matura esset, vel militiae, vel civilibus muneribus, fortuna civitatis mutata obstitit, quo minus ad Rempublicam

accederet: erant enim domi ortae inter cives perniciosae dissensiones. Has secuta est clades foris, ubi a Lysandro victi sunt Athenienses; deinde capta civitas, quo anno Plato fuit natus annos viginti tres. Tunc patria tristi servitute oppressa a Lacedaemoniis et a triginta tyrannis, Plato cum haberet ingenium abhorrens a civilibus discordiis, et ab armis, et doctrinae amans, secedendum sibi esse duxit, quia neque opem adferre ruenti et deflagranti patriae poterat, neque in tam immani saevitia triginta tyrannorum et assiduis tumultibus, futurus erat in tuto. Dicitur tamen ante patriae excidium, et ante civiles discordias militasse: sed quia breve tyrocinium fuit, commemorare nihil opus est. In secessu audivit Euclidem Megaris, cum opinor, cuius Geometria extat. Deinde cum eo tempore in Italia floreret doctrina Pythagoreorum, et magna in admiratione esset Architas Tarentinus, navigavit in Italiam, ubi Architam et Timaeum audivit, de naturae initiis et opificio, et alia quaedam Physica disputantes: quae qualia fuerint, ex libro quem inscripsit Timaeum, aestimari potest; sunt enim quaedam Physices initia, de ortu mundi, de duplici motu coelesti, qui efficit, ut ipse inquit, literam X de ordine Planetarum, de serie elementorum, de hominis generatione, de natura humorum, de humani corporis membris, de anima, de Deo opifice naturae. Haec breviter in Timaeo complexus est, ubi etsi sunt quaedam aenigmata arithmetica, tamen reliqua Physica indicat Galenus ab Hippocrate sumpta esse, et hae disputationes apud Platonem inchoatae magis sunt quam absolutae: nam nec motuum coelestium ratio explicatur, nec Anatomia est integra. Sed initia tamen laudo, et hoc genus Physices utile esse censeo, quod humorum naturas et membra humani corporis describit. Itaque saepe Galenus Platonicas descriptiones mutuatur. In Italia vero tantisper haesit, donec patriam recuperat Thrasybulus, et Conon adflictam rursus erexit, concussa potentia Lacedaemoniorum. Reversus igitur Plato, audire Socratem coepit, captus, ut videtur, eius sermonibus politicis. Viderat enim Socrates horribiles mutationes Atticae civitatis, quae hominem ingeniosum et cogitantem de hominum moribus, et de mirabilibus vitae casibus, multa monent. Vixit autem Socrates post restitutam patriae libertatem, ac Thrasybuli victoriam, annos circiter triginta, ac de futura Platonis magnitudine non obscure vaticinatus est Socrates, qui ait: Se pridie quam ad ipsum venisset Plato, somniasse, cygnum se in gremio tenere, qui deinde evolans in altum, dulcissimos cantus ediderit. Hunc cygnum ait Graecis Platonem futurum esse. Cum igitur Socratem aliquandiu audisset, nec contentus esset illis popularibus disputationibus de vita et moribus, sed adiungendam esse censeret doctrinam de rerum natura, petivit Aegyptum, habuitque comites peregrinationis Eudoxum et Poëtam Euripidem. Nec vero dubito, quin divinitus haec acciderint, ut hoc modo latius propagaretur vetus et erudita Philosophia de motibus coelestibus. Etsi enim Thales antea particulam quandam eius doctrinae Graecis tradiderat, tamen haec rursus extincta erat. Quare optime meriti sunt Plato et Eudoxus, qui eam non modo ex Aegypto in Graeciam rursus advexerunt, sed etiam ut propagarent, auditoribus tradiderunt. Eudoxus vero reliquit etiam tabulas motuum et anni ordinationem. Ita excitata haec doctrina, diu Graecorum studiis conservata est, cuius dignitatem atque utilitatem, si, ut debemus, magnifacimus, his primis autoribus profecto habenda est gratia. Digna est etiam admiratione eorum virtus, quod non dubitaverunt tam longinquas peregrinationes magno cum labore et periculo suscipere, veritatis quaerendae causa. Quam acres in illorum animis stimuli, qualis enthusiasmus fuit ad investigandas res cognitione dignas? Nos contra pudeat nostrae ignaviae, qui divinitus donatas, et magno labore repertas artes negligimus, et interire sinimus. Excitemur ergo Platonis exemplo, primum, ut artes honestas vere amemus, et pericula laboresque ad eas comparandas suscipere non recusemus: deinde consilium imitemur. Adiungamus, ut ipse fecit, ad morales disputationes, illam arcanam de motibus coelestibus doctrinam. Ac videre ad quem finem has artes expetiverit. Utilitates publicas ipse colligit alicubi: Opus esse in hac civili vita temporum serie et anni descriptione, sed proprium discenti finem hunc constituit, ut investigatio naturae ducat nos ad agnitionem Dei, et ostendat humanis mentibus inditum esse lumen quoddam divinitus, quo vita regatur, ut Deo obediat, et eorum animos, qui Deum agnoscentes, ei obtemperent, postquam ex hac vita discesserint, in luce admiranda atque aeternae apud Deum victuros esse. Haec sunt Platonis verba in Epinomide. Haec, Adolescentes, an non gravissime dicuntur? Nec

ego tamen has sententias Evangelio misceri volo, sed teneant suum locum doctrina rationis est, quae cum recte philosophatur, cum vestigia divinitatis in rebus quaerit, cum considerat humanae mentis naturam, pervenit ad has metas, divinitus propositas. Nam Epicuri deliramenta procul a via deerrant, et tollunt principia physica, et obruunt noticiam de Deo impressam humanis mentibus. Sed redeo ad historiam. Ex Aegypto reversus Plato, adfuit Socrati in iudicio: cumque publice pro eo dicere coepisset, clamore factionis adversariorum impeditus est: quare cum non audiretur, desinere coactus, praestitit in caeteris officiis Socrati fidem et constantiam dignam viro bono. Et quanta cum gravitate Socratem defensurus fuerit, si licuisset, indicat Apologia, quae adhuc extat, in qua multa sapientissime dicuntur, contra arrogantiam hominum, qui Deum contemnunt, qui negant providentiam esse. Deinde addit multa de immortalitate: sapienti gratissimum esse, discedere ex hac vita, ad illos viros, ubi de summis rebus certius doceri possit. Interfecto Socrate, cum accusatores ipsius insidiarentur amicis illius, Plato rursus secedendum sibi esse censuit. Profectus igitur in Siciliam, venit ad Dionysium tyrannum, patrem iunioris Dionysii, pulsi aliquanto post ex regno; nam Siculis erant crebra cum Atheniensibus commercia, horum leges, studia, Siculi imitabantur. Et tyrannus ipse ingenio pollebat, et Graecis studiis delectabatur. Sed erat civis Syracusanus summae autoritatis Dion: is Platonem hospitio excepit, ut eum disserentem de natura et de Rep. audiret, sed sicut naturale dissidium est multarum rerum, atque animantium inter se, vini et cicutae, cygni et aquilae, ita nativum et implacabile odium est inter se tyrannicarum naturarum et philosophicarum. Ideo cum Plato liberius reprehendisset in quibusdam rebus Dionysii violentiam, tyrannus eum interfecturus erat. Sed exoratus a Dione, vitam ei concessit, sed ita, ut in servitutem addiceret cuidam Lacedaemonio, iuberetque eum vendi. Avectus igitur Plato in Aegina, redemptus est a Dione minis triginta, hoc est, trecentis coronatis, ut nunc loquimur. Mortuo patre cum succederet adolescens Dionysius, et praecipue consilio Dionis regeretur, ac Dion iuvenile ingenium Dionysii ad virtutem, iusticiam et moderationem flectere doctrina et autoritate sapientis viri vellet, censuit vocandum esse Platonem. Etsi priore exemplo erat admonitus Plato, non posse coire amicitiam inter Philosophos et tyrannos, victus tamen adhortatione Dionis, in Siciliam redit. Erant auspicia aulicae consuetudinis laeta, cives omnes aureum quoddam seculum sibi promittebant, postquam gubernari adolescens a Platone coepit. Audiebat enim Philosophum magno studio de Deo, deque immortalitate disserentem, ut epistolae testantur quae adhuc extant. Porro haec fundamenta sunt verae virtutis, tenere rectam de Deo et de immortalitate animorum sententiam: Haec philosophia regibus digna est. Tantum igitur promovit Plato, ut illa atrox tyrannidis species prorsus tolleretur, prodibat in publicum, versabatur cum civibus Rex, non tyrannico satellitio stipatus, sed doctissimis et nobilissimis civibus. Domestica vita adolescentis non modo sine turpitudine erat, sed etiam in optimis studiis agebatur. In imperio nihil crudeliter, nihil iniuste, nihil sine consilio bonorum virorum Dionis et Heraclidae fiebat. Haec tanta bona non tam Dionysii natura, quam vulgaris aularum pestis invidia corrupit, improbi quidam, qui ut licentiam haberent scelerum, desiderabant statum tyrannicum, et ad se rerum habenas trahere conabantur, excusso Dione. Quantum autem valeant calumniae, non modo in aulis, sed etiam apud privatos, non est obscurum. Et quia sororem Dionysii Dion habebat, instillabatur regi, non esse concedendam nimiam potentiam affini, ne regnum aliquando concupisceret. Cum igitur tandem vincerent sycophantiae, pellitur ex regno Dion, frustra Platone omnibus modis annitente, ne quid in talem civem summa virtute et autoritate praeditum, iniuste constitueretur. Eiecto Dione paulatim improborum potentia crevit, et depravari regis animus coepit. Forte eo tempore Plato praedixit eclipsin futuram. Ibi Aristippus, qui una aderat, ait se de significatione divinaturum, ac iocans, inquit portendi inimicitiam inter regem et Platonem. Hoc ioco facete aulae mutationem Aristippus reprehendit, sed illud fuit addendum, Dionysium propter mutatos mores, regnum amissurum fuisse. Etsi autem tyrannus retinere Platonem arte conatur, tamen suspicans Plato, id quod erat, sibi propter Dionem nonnihil esse periculi, avellit se a Dionysio quibus potest modis: dimittitur ergo non sine munere; scribunt enim octoginta talenta ei donata esse, hoc est, octo et quinquaginta millia coronatorum. Redit igitur Athenas atque ibi

scholas habet, versatur una Dion, et multi nobiles adolescentes Syracusani, in quibus fuit Eudemus Aristotelis amicus. Postea excusso Platone, tyrannus grassari omni scelere coepit. Coniugem Dionis nubere alteri cogit. Haec fuit causa Dioni movendi belli, in quo egregie adiutus est a nobilibus civibus, Platonis auditoribus: ita Platonis schola de tyranno iustas poenas sumpsit. Nam, ut futurum Plato praedixerat, tyrannus regnum amisit. Consenuit deinde Plato non in ocio, sed quod est honestissimum docendo ac scribendo excitavit optimarum artium studia. Habetis historiam philosophi, quae continet vere philosophicum vitae curriculum. Cupiditate discendi adiit multas regiones longinquas, invexit in patriam optimas artes, excitavit studia, conflictatus est cum tyrannis; nam id quoque ad philosophum pertinet. Reliquit non solum scripta, sed etiam discipulos, qui posteritatem erudierunt et conservarunt artes vitae utiles. Quod vitae genus huic anteferendum est? aut quod munus in vita utilius est societati hominum, quam munus docendi? Itaque recte inquit, philosophos, etsi non gerant Magistratus, et abstineant a forensibus occupationibus, tamen eo iustos esse, quia artes vitae utiles inquirant et tradant. Non profecto melius meretur de Repub. aedilis qui molem aliquam aedificat, quam vir doctus, qui regit religiones, qui ostendit, quid sit iustum, qui naturam rerum patefacit, ac remedia necessaria hominibus monstrat. Quare etsi Plato suo quodam consilio non gessit Magistratus in patria, tamen de civibus, imo de tota posteritate, genere officii praestantiore optime meritus est. Ac commemorat ipse causam, cur abstinuerit ab administratione civitatis, quia praesentem statum non probaret, et tamen tolerandum esse sentiret, quia ut parentum, ita patriae mores etiam parum commodi ferendi sint. Sed arbitror, primum cladem patriae et servitutem in causa fuisse, quo minus accederet ad Rempub., deinde studia doctrinae animum eius a caeteris occupationibus abduxerunt, qua in re multo meliorem operam Reipub. ac universae posteritati navavit. Nunc aliquid addendum est de eius scriptis: Primum eloquentia tanta est, ut longe antecedat omnes Graecos et Latinos oratores, quorum extant literae. Nullius est oratio uberior ac splendidior. In aliis laudamus praecipue proprietatem, in aliis nitorem, ac figurarum delicias, Plato quae vult proprie efferre, ita signate dicit, ut nihil aptius cogitari possit. Rursus quibus vult addere splendorem et ornamenta, in his longe vincit varietate amplificationum et venustate figurarum omnes oratores. Itaque nonnulli dixerunt, Iovem, si Graece locuturus esset, Platonis usurum oratione. Fuerunt paulo superiores Platone Rhetores, Gorgias, Thrasymachus et alii quidam, qui adolescentes exercebant in dicendo; nam ea disciplina praecipue tunc existimabantur iuvenes ad Rempub. praeparandi esse. Hos quia nihil tradebant nisi rhetoricos libellos, et assuefaciebant iuventutem ad inanem garrulitatem sine rerum doctrina, passim Plato salse exagitat. Nam cum nihil sit Reipub. perniciosius, quam assuefieri tenera ingenia ad Sophisticen, Plato iure exarsit adversus eius aetatis Rhetores, quorum palestrae tantum alebant Sophisticen. Repressis igitur horum studiis, etiam eos qui Rhetoricen profitebantur postea, acuit et excitavit, primum ut fugientes Sophisticen, locos causarum vera quadam ratione constituerent et argumenta ex negociorum fontibus sumerent, non peregrina aut Poëtica, sed apta et consentanea rebus, de quibus dicendum erat. Hi sunt orationis nervi, sine quibus etiam si bella et varie picta dicuntur, tamen oratio et inanis et inepta est. Ac hos nervos secutae sunt etiam in elocutione, multae egregiae virtutes, gravitas et splendor: itaque Demosthenis oratio cum rebus tum elocutione longe praestat veterum scriptis. Habent quaedam lenocinia et flosculos Gorgiae oratiunculae sine veris argumentis, sine splendore, sine compositione; Lysiae vero argumenta etiamsi sunt apta, tamen sunt exanguia, et sine nitore. Etsi autem compositio et ratio ornandi videtur ab Isocrate primum mutuata, qui paulo fuit maior natu quam Plato, tamen nonnihil et Platonis elocutionem profuisse posterioribus apparet. Consilia vero in inveniendo nervi et amplificationes in Demosthene haud dubie Platonis doctrinam redolent. Nam Demosthenes non procul accersit argumenta aliena ab instituto, ut faciunt Sophistae, sed ex negociorum fontibus sumit proprias rationes, ut decet hominem eruditum, et has Dialectice, pene ut fit in schola, magna arte contexit, ac plerumque pugnans sententias non populares, sed, ut ita dicam, scholasticas, id est, ex doctrina quadam gravissima erutas profert. Quid dubitemus igitur Demosthenem, non tantum rhetoricis libellis, sed hac eruditiore doctrina expolitum fuisse? Ac significat ipse se Platonis

auditorem fuisse, de cuius Philosophia sic scribit ad amicum quendam: Video te disciplinam colere, et quidem Platonis, quae vere detestatur turpia lucra et imposturas, et iubet finem omnium actionum constituere, virtutem ipsam ac iusticiam: qua doctrina institutos, nefas est fraudes struere aliis, et non erga omnes esse iustos. Haec sunt Demosthenis verba, in quibus honorificum Platoni testimonium tribuit. Nec vero vulgaris prudentiae fuit, videre quid illa prior Sophistica Gorgiae et similium, haberet vitii, et cursum studiorum totius sui seculi commutare. Magni ea res ingenii et heroici significatio fuit: Vidit arma dari iuvenibus ad movendas Respub., cum non frenarentur ingenia graviore doctrina, sed una laus esset, dicendo conturbare, et concutere leges, et alias causas. Quare hortator Graecis fuit ad aliud doctrinae genus colendum, utile moribus et paci. Hanc suam sententiam non obscure ostendit in interpretatione Delii oraculi. Fessae enim Graecae civitates diuturno et luctuoso bello, quod inter se gerebant, consuluerunt oraculum in Delo, quibus modis Deus placandus esset, ut Graeciam praesentibus malis liberaret. Hic cum Deus respondisset, Aram in Delo totam, quae erat figurae cubicae, duplicandam esse, Graeci addunt aliam molem pari magnitudine, et efficiunt *τετράγωνον*, in quo longitudo vincebat latitudinem. Postea interrogant, an rite oraculo paruerint, Apollo negat. Quare perculsi, suspicantur aliquid arcani hoc involucro significatum esse, ac interpretem oraculi excellentem ingenio et doctrina quaerendum esse censent. Deferunt igitur oraculum ad Platonem, qui ostendit eis erratum in duplicanda ara, quod pro cubica fecissent *τετράγωνον*, et docet, quomodo cubus duplicandus sit, quaesito diametro cubi. Monet autem Graecos, non molem arae magnopere Deo curae esse, nec placari Deum lapidum strue, sed tecte significari alia meliora studia Graecis colenda esse, videlicet, Philosophiam, profuturam ad flectendos animos, ad modestiam, iusticiam, et amorem publicae tranquillitatis. His studiis excitandis nusquam Platonis opera defuit, et ut iuvenes eloquentiae cupidos moneret, non ad populares tumultus exercendam esse facundiam, sed ad alium honestiorem usum, inquit: Eloquentiae finem esse, non ut homines delectet, sed ut Deo grata dicat. Hoc praeceptum utinam infigant animis adolescentes, ut cum cogitabunt, hunc tantum finem horum studiorum sibi propositum esse, ut oratione gloriam Dei illustrent, multo diligentius se ad tam praeclarum opus praeparent, deinde videant etiam, quam turpe sit conferre eloquentiam ad parasiticam, ad scurrilem maledicentiam, ad calumniandas honestas artes, ad inflammanda odia adversus Christum. Haec qui faciunt, ut re ipsa morem diabolicum imitantur, ita non eloquentes, sed diaboli iure vocandi sunt. Nec vero pauci sunt tales in his publicis discordiis; est enim plusquam verum quod ait Menander:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερος
ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος.

E alunt has pestes illi, qui cohercere maxime debebant. Verum haec querela fortassis non est huius loci. Redeo igitur ad institutum. Ut Horatius Pindarum laudans, inquit:

Multa Dircaeum levat aura cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus.

Ita profecto hic cygnus, Plato videlicet, divinum quiddam canens, omnes Oratores eloquentia vicit. Passim in Cicerone, non modo in philosophicis scriptis, sed etiam in forensibus actionibus comparent ornamenta ex Platone decerpta plurima. Et quidem Cicero praedicat se in Academia Oratorem factum esse; poterimus igitur et nos ab eo multa ornamenta mutuari. Sed desino de eloquentia dicere, quae summorum Oratorum testimoniis satis celebrata est. Ingens autem decus est in homine eloquentia. De rebus ipsis et genere Philosophiae magnae sunt controversiae inter doctos. Primum illud constat, Platonem non scripsisse ordine integras artes, sed liberioribus disputationibus alias de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, ostendisse. Multae etiam sunt ut hominis ingeniosi et eloquentis, qui quidem et natura fuit *σκωπτικὸς*, ironicae et figuratae disputationes, qualis est, cum ludens disserit omnes magnos viros bene meritos de Repub. iuste plecti a suis civibus, quia beneficiis suis, vulgi cupiditates et licentiam auxerint. Est et *πολιτεία*, in qua fingit communem rerum usum, prorsus ironica; voluit enim salse et figurate infinitam rapacitatem potentum taxare. De ideis quae deliramenta finxerunt indocti, cum genus sermonis grandius in Platone non essent assecuti, nec vidissent ideas ab ipso dici imagines ac noticias erudi-

torum, quas in mentibus concipiunt, hoc est, ipsas definitiones, aut demonstrationes. Cum igitur eam, quam toties praedicat, methodum non saepe adhibeat, et evagetur aliquando liberius in disputando, quaedam etiam figuris involvat, ac volens occultet, denique cum raro pronunciet quid sit sentiendum, assentior adolescentibus potius proponendum esse Aristotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras, et methodum simpliciorem, ceu filum, ad regendum lectorem adhibet, et quid sit sentiendum, plerunque pronunciat. Haec in docentibus, ut requirantur multae graves causae sunt. Ut enim satis dentibus draconis a Cadmo, seges exorta est armatorum, qui inter se ipsi dimicarunt, ita si quis serat ambiguas opiniones, exoriuntur inde variae ac perniciosae dissensiones. Paulo ante hanc aetatem Bessarion et Trapezontius hostiliter inter se dissenserunt, cum hic Aristotelem, ille Platonem anteferret. Id certamen diremit Theodorus Gaza, inquiens suum cuique locum tribuendum esse: ita lectionem Platonis multum profuturam esse, si quis in Aristotele recte institutus, postea Platonem legat. Nam cum afferet lector Aristotelicam methodum, facile quasi intra certas metas includet eas res, quae apud Platonem late dissipatae sunt. Et hanc fuisse Aristoteli causam arbitror, cur methodum adeo exiliter consectaretur, ut ea quae a Platone acceperat, collecta, et quadam oeconomia atque ordine distributa, posteris integre traderet. Etsi quaedam limare etiam ac corrigere voluit, rerum tamen in summa non magna est dissimilitudo. Nec difficile est prudentibus videre, uter in qua parte praestet. Quanquam enim dicar ineptus, qui velut Midas de Apolline et Pane sibi iudicium sumpsit, ita ego de duobus praestantissimis Philosophis iudicare ausim, tamen ostendere adolescentibus utile est, quid autores, qui proponi solent, profiteantur. Uberiosa sunt ea, quae de civitatum administratione Plato scribit, et sunt ornata mirifico splendore orationis. Et cum dissimiles libros scripserit, politiam, et librum de legibus, in altero liberius lusit, sed in libro de legibus simpliciter et sine aenigmatibus suam sententiam exposuit et praecepta collegit utilia ad gubernationem civitatum, ex quibus tanquam ex fontibus multa Iurisconsulti Romani hauserunt. Apparet enim in multis legibus autores pene verba Platonis describere. De stupro vi facto sanxit Plato, ut stupratorem interfici liceat, non solum ab illis quibus vis infertur, sed etiam a patre, fratribus aut filiis. Id lex imitata de raptoribus, non tantum patri, sed etiam caeteris propinquis potestatem facit interficiendi raptoris. Sed exemplorum commemoratio longior est, quam ut conveniat huic tempori. Imo Iurisconsulti tantum huius scriptoris autoritati tribuerunt, ut eius verba etiam legibus inseruerint, ut in titulo de nundinis recitatur sententia quae adprobat honestam negociationem quanquam καπηλευτικήν. Caeterum plurimas sententias Cicero ex omnibus Platonis disputationibus de imperiorum vicibus et gubernatione recitat. Multa ornamenta et Aristoteles ex Platone decerpsit, quae adhibita methodo explicat. Nam divisiones iusticiae, quae sunt admodum utiles, sumpsit a Platone, easque magis inclusit dialecticis metis. Platonis etiam inventum est, discrimen specierum iusticiae, iuxta proportiones, Arithmeticam et Geometricam. Verum in Aristotele dialectica integra est. Et Physica sunt eruditius inchoata ab ipsis laribus, ut ita dicam, hoc est a primis initiis et perducta ad descriptionem naturae animalium. Ethica etiam simplicius traduntur. Amemus igitur utrunque: et cum in Aristotele mediocriter versati fuerimus, alterum etiam propter politicas materias et propter eloquentiam legamus. Habet suos quosdam locos, propter quos eruditos delectare potest. Disputat enim satis graviter de immortalitate animorum humanorum, et Philosophiae finem ubique constituit agnitionem Dei, sicut inquit in quadam epistola: ita recte philosophabimur, si Deum agnoscemus universae naturae patrem, causam et gubernatorem esse, eique iuste viventes obtemperabimus. Hanc unam ait, non ἄμουσον παιδείαν esse, et veram philosophiam. Et quia videbat haec derideri ab atheis, confirmat lectores, inquiens non satis esse, sic sentire, sed etiam animos ita confirmandos et corroborandos esse, ut contemnere eos possimus, qui nos ita sentientes derident. Vidit enim Philosopho hac fortitudine opus esse, ne se improborum iudiciis a recta sententia depelli sinat. Etsi autem has Platonis cogitationes et ipse amo ac suspicio, tamen error illorum acerrime reprehendendus est, qui propterea confundunt Platonicam Philosophiam et Evangelium. Haec confusio generum doctrinae eruditis cavenda et detestanda est, ac videndum, quis locus Philosophiae tribuendus sit. Dei dona sunt omnes bonae artes, sed suum singulae locum teneant. Vera Philosophia, hoc est, non deerrans

a ratione et a demonstrationibus, est quaedam noticia legis divinae, agnoscit esse Deum, et iudicat de moribus civilibus, videt hoc discrimen honestarum et turpium divinitus nobis insitum esse, iudicat puniri atrocia scelera a Deo, habet etiam quasi praesagium aliquod de immortalitate. Neque tamen illa videt aut docet, quae propria sunt Evangelii, videlicet, remissionem peccatorum gratis donandam propter filium Dei. Haec noticia non est orta ab humanis mentibus, imo procul extra conspectum rationis humanae posita est, sed Filius Dei qui est in sinu Patris, eam patefecit, ut alias copiose dicitur. Quare prudentia adhibenda est in discernendis doctrinarum generibus, et explodendi sunt inepti illi, qui offundunt caliginem Evangelio, imo obruunt ac delent Evangelium, cum transformant in Platonicam Philosophiam. Magis etiam taxandi sunt, qui ne Platonem quidem intelligentes, eius figuris depravatis, monstrosas opiniones genuerunt, easque in Ecclesiam sparserunt, ut Origenes et post eum alii multi fecerunt; flagitiose enim contaminata est doctrina Christiana veteribus illis temporibus, inepte admixta Platonica Philosophia. Haec breviter adieci; ut enim collatio doctrinarum aliquid lucis adfert studiosis, ita Ecclesiae plurimum refert, cavere, ne doctrinarum genera confundantur. Dixi.

No. 55. an. 1539.

Querela Lazari.

Prodiit: „Querela Lasari pronunciata a quodam Scholastico Vitebergae. Anno M. D. XXXIX.

Hic recitat cunctis iustamque gravemque querelam
Confectus morbo Lazarus atque fame,
Et mala deplorat, quae nunc Ecclesia perfert,
Parte aliqua, nemo cuncta referre potest.
Quem non ista movent est divite durior illo,
Ianua cuius erat Lazare clausa tibi."

Recusa est haec oratio apud Crat. Myl. 32 sqq., in Decl. T. I. p. 70., Richard. III. p. 847. et in Servest. I. p. 60. ubi versus in titulo archetypi sunt praetermissi, adiectum vero est longum carmen, historiam Lazari referens, quod archetypon non habet neque a Melanthone profectum, eaque de causa hic praetermissum est. Vid. etiam Epp. Vol. III. p. 743. 745.

Querela Lazari, pronunciata a quodam scholastico Vitebergae.

Pergrata nobis haec dicendi consuetudo esse debet, non tantum eo quod Latinae linguae exercitium conservat, propter quod praecipue instituta est, sed etiam quia nobis quidem adolescentibus hic locus imago quaedam est Curiae, aut Synodi. Hic enim de Repub., de imperiis, de Ecclesia, multa monemus auditores: saepe querelas nostras exponimus, saepe sententias dicimus, perinde ac si in senatu, aut in consessu Synodi oratio haberetur. Ac magnam gratiam Academiae debemus, quae etiamsi petulantiam ac maledicentiam lege prohibuit, tamen honestam et piam dicendi libertatem nobis concedit, fortasse maiorem, quam haberet Synodus ulla Pontificum. Ut Poëtae finxerunt Astream fugientem ex urbibus, paulisper adhuc in rure commoratam et concionatam esse agricolis: ita pulsa veritas ex Pontificum collegiis et conciliis, nobiscum adhuc Dei beneficio philosophatur. Et ex his scholasticis coetibus eius oracula ad aliquas Ecclesias perferuntur. Sed cum hic saepe aliae causae pertinentes ad communem salutem actae sint, nunc nostram causam agam: deplorabo nostras miserias, et omnes gubernatores Reipub. de suo officio admonebo, quod nobis, quod Ecclesiae, in hoc negocio debent. Christus narrat fuisse divitem quendam, fortassis etiam dignitate praestantem, qui non tantum sine metu egestatis, sine sollicitudine suaviter vixerit, sed etiam splendorem amaverit in omni apparatu, comitatu, aedificiis, quo homines opulenti dignitatem augeri putant. In hoc divitias, tranquillitatem, ac voluptates, ut fit, secutus est fastus, et neglectio rerum divinarum ac pauperum. Quare cum ante aedes eius quispiam pauper, cui Lazaro nomen fuit, iaceret, aegrotus, squalens ulceribus, destitutus omnium hominum ope, peteretque pauxillum cibi, dives sua fortuna ebrius, et oblitus coelestis mandati et communis naturae, quae nos ad certa officia obligat praestanda calamitosis, miserum illum negligit. Cumque quotidie ad vestibulum iacentem in magnis cruciatibus videret, praeteriit tamen ferreo animo, non ali, non sanari curat, fortassis etiam arbitratur alienum esse gravitate viri tanti, alloqui miserum, aut eius causa angi. Interea stipem porrigunt aliqui de populo homines pii, et ulcera canes medicantur, lingua detergunt ac mitigant. Sed post mortem Lazarus donatur coelestibus donis, dives ille superbus et crudelis abiicitur in cruciatus aeternos. Hanc historiam recitat Christus, ut exemplum universae Ecclesiae omnium temporum proponat. Lazarus erat Ieremias sua aetate, quem Principes ac Pontifices non modo superbe contemnebant, sed etiam acerbe oderant.

Lazari erant Apostoli, quos toto orbe terrarum omnes potentes tanquam καθάρματα execrabantur. Quaerendum igitur et hoc tempore qui referant Lazarum, qui imitentur divitem. Si vere hoc et simpliciter dicendum est: Nos inopes Scholastici, deinde omnes Sacerdotes, qui vulgo invisi ac spreti, cum aliis aerumnis conficiuntur, tum vero cum uxoribus et parvis liberis fame contabescunt, Lazari sunt. Horum coetum animis atque oculis proponite: Nos, inquam, inopes Scholasticos, et illos miseros Sacerdotes cum suis familiis. Quis est tam ferreo pectore, qui sine lachrymis hunc coetum aspicere, aut cogitare animo potest, cum quidem nulli in vita munus administrent praestantius ac coelestius? nulla militia Deo gratior, ac Ecclesiae magis necessaria est? Econtra imitatores illius opulenti, qui sunt praecipue? Pontifices, Episcopi, Canonici, Monachi, et horum satellites tyranni. Hoc agmen totum animis intuemini, et cogitate ab Ecclesia ingentes ac regias opes Episcopis et collegiis eorum commendatas esse, quibus alendi erant pastores pii ac Scholastici, quae ad piae doctrinae et earum artium, quae Ecclesiae sunt ornamento, conservationem conferendae erant. His illi ignavi ventres, Sardanapali, parricidae suavissime in ocio et tranquillitate fruuntur. Ac non modo nos defraudant illo munere, quod nobis Ecclesia attribuit, sed etiam tyrannico fastu nos contemnunt, et summa odii acerbitate adversus nos inflammati sunt, trucidare ac delere nos conantur. An non superant etiam illum divitem, qui tamen Lazaro lucis usuram non eripiebat, qui locum ad vestibulum concedebat. Deinde dives suo patrimonio fruebatur: Episcopi, Canonici et Monachi, aliena intervertunt, eaque turpissime per luxum et libidines dissipant ac profundunt, non secus ac sponsi Penelopes Ulyssis facultates dilacerabant. Nec ego nunc de singulorum moribus dicam. Sunt inter Canonicos aliqui modestis ingeniis praediti, sed genus vitae reprehendo. Prodigiosum est in Ecclesia esse sodalitia, regiis opibus donata ad hoc, ut ibi homines ociosi saginentur. Haec sodalitia etiamsi veterem disciplinam revocarent, tamen Ecclesia tolerare non decet; non enim de moribus praecipua est querela. Illud queritur Lazarus totum illud vitae genus contaminatum esse idolatria, ac propter hanc negligi pios Scholasticos, ac pastores Ecclesiarum, debitasque illis mercedes in istis sumptuosis sodalitiis devorari, deleri studia doctrinae Christianae, ac aliarum literarum. Non compono satyram, non commemorabo eorum flagitia, quae verecunde nominari non possunt; nam modesta ingenia non tantum in moribus, sed etiam in sermone obscoenitatem fugere decet. Nihil dicam de coenis Tyberianis quorundam, qui nudas puellas saltare ad epulas iubent. Multa prodigiosa praetereo. Ac ne fieri quidem potest, quin ocium, opulentia, inscitia, contemptus religionis, pariant omnis generis vitia. Maxima pars tantum gulae et obscoenis voluptatibus dedita est: alii magis strenui, et occupati negociis politicis, aut oeconomicis, alunt equos, certant sumptu et splendore cum satrapis: quidam etiam non abhorrent a literis, non ut Ecclesiae serviant, sed ut aditum habeant ad dignitatem in aulis, inter proceres: nonnulli eruditionem conferunt ad perniciem Ecclesiae. Certe isti generi hominum ac ordini, non est curae ministerium Evangelii, nec pastores quaerunt idoneos, nec discentes adiuvant, nec ad hunc usum decidi et abradi aliquid de suis facultatibus patiuntur: denique conspirarunt ad delendam doctrinam Christianam, accendunt Regum crudelitatem, ac postea se nominant Ecclesiae gubernatores: imo constat omnes sic adfectos esse, potius ut malint nomen Christianum funditus deleri, quam aliquid de tyrannide remittere. Et literas omnes oderunt hanc unam ob causam, quod suspicantur literatis tyrannidem displicere. Quam multae sunt autem in Prophetis conciones acerrimae, quae proprie tale vitae genus vituperant. Meministis Esaiam, qui inquit: Vae vobis qui mane ad convivia surgitis, nec opus divinum respicitis. Et Ezechiel: Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, ocium, et manum egenti non porrigebant. Nullum autem hodie genus hominum duriore fortuna conflictatur, quam pastores Ecclesiarum et scholastici amantes doctrinae Christianae. Similis concio est apud Zachariam: Ecce pastor erit, qui deseret gregem, et carnes pinguium comedet. O pastor et idolum. Sed has propheticas et coelestes comminationes securissime derident illi Sibaritae. Verum est enim quod Cato dicebat: Venter caret auribus. Nec tamen interea prorsus extingui coelestem doctrinam Christus patitur, sed habet ipse quoque suum coetum pauperum, qui Evangelium et discunt et propagare student. Adversus hos etiamsi omne genus crudelitatis exerceant divites illi, qui tenent

Ecclesiae opes, tamen eis non deest hospitium, et vel canes, id est, de populo aliqui, eos complectuntur, adiuvant, lenire aerumnas cupiunt. Habent et custodes Angelos, qui viventibus et morientibus adsunt. Haec affirmant oracula coelestia, et comprobant ipsi eventus; servat enim Deus suam Ecclesiam, frementibus illis hypocritis, qui sanguinem piorum exorbere cupiunt. Sed non tantum institui querelam, praesertim cum haec vulnera Ecclesiae nemo non deploret: remedia quaerenda sunt. Quae utinam salubria et ἀνώδυνα monstrare possem. Sed vere inquit Demosthenes: Reprehendere quilibet potest, dare consilium pauci possunt. Cum autem haec scholastica consuetudo, ut initio dixi, concedat nobis, ut de Ecclesia, tanquam in Synodo, sententias dicamus, monstrabo, ut vocat Demosthenes, τὴν εὐσεβῆ καὶ δικαίαν ψῆφον: nec si in Synodo in suffragium eundum erit, aliam sententiam dicam. Bona ingenia adhortor, ut deserant illa impia sodalicia, polluta idolatria, sicut praecipit Deus: Fugite idolatriam. Deinde hoc addo, Reges et Principes debere haec officia Deo, ut impios cultus tollant, ad pios usus, ad alendos pastores ac scholasticos, transferant facultates Ecclesiarum. Hanc sententiam non ipse nunc fingo, divinitus tradita est in sacris literis, et multa habet luculenta Principum et Synodorum testimonia, quae vetant res donatas Ecclesiae, ab ociosis et ignavis devorari, qui non sunt usui Ecclesiae. Extat lex Theodosii in Codice, quae diserte prohibet, ne fruantur reditibus hi, qui cum titulos functionum ecclesiasticarum habeant, officium non faciunt. Tulerat legem Theodosius, ut facultates ecclesiasticae, quas Donatistae tenebant, transferrentur ad pias Ecclesias. Novum exemplum odiose calumniabantur Donatistae, vociferabantur alienum esse a pietate, facultates aliorum appetere, propter certamina de doctrina nemini facultates eripiendas esse. Sed Augustinus Theodosii decretum recte defendit, affirmat illas possessiones donatas fuisse Ecclesiis piis, et ad piae doctrinae conservationem. Has cum impii ac hostes verae doctrinae tenerent, fuit Imperatoris officium, dominis restituere, hoc est, verae Ecclesiae. Nec magis licet idolatricis collegiis huius aetatis, res donatas ad ministerii evangelici conservationem tenere, quam Regi Babylonio licuit in convivium proferre sacra vasa templi Hierosolymorum. Quid horum in quaestionem vocari potest? Si Episcopi tuentur impios cultus, si veram doctrinam opprimunt, ut palam faciunt, falso titulum usurpant Ecclesiae. Ac Regum officium est, facultates ecclesiasticas transferre ad coelestis doctrinae praecones, ad eos qui gloriam Dei vere ornare student. Utinam Principes intelligerent, hanc rem ad officium suum pertinere, quorum praecipuum est munus, religionem ornare, defendere Ecclesiam. Haec sunt vere heroica, propter quae Deus impertit societatem nominis sui bonis Principibus, ut ait: Ego dixi Dii estis, hoc est, res divinas custodientes, Evangelium, pios cultus defendentes, gloriam Dei, adversus Diabolum, qui spargit impias opiniones, qui incendit tyrannos ad exercendam saevitiam. Non tantum corporibus nostris seruit Magistratus, sed multo magis gloriae Dei. Quod si essent alicubi, qui palam Epicureas opiniones profiterentur, an non Magistratum oportuit summa severitate in tales animadvertere? Non est contemnendum praeceptum, quod inquit: Blasphemus morte moriatur. Et rursus: Non usurpabis nomen Dei vane. Harum legum custos cum sit Magistratus, haud dubie abolere impios cultus debet, restituere pios, et ministris Evangelii stipendia dare, quae ipsis in Ecclesia constituta sunt. Nec putent se leviter peccare Principes, si id officium negligant; nam apud Esaiam vocantur nutritores Ecclesiae. Et Aggeus ac Malachias severe obiurgant populum non solventem pensiones debitas templo, ac Sacerdotibus: et minantur sterilitatem, ac famem, nisi liberalius solvant. Cum igitur iniuste teneant haec stipendia Episcopi, Canonici et Monachi, cum pastores pios et horum coniuges et liberos fame perire sinant, cum defraudent scholasticos, cum studia deleant, Deus postulat, ut Principes verae Ecclesiae et studiorum curam suscipiant, et illas pestes Ecclesiae removeant ab administratione. Prospicere debent Principes, et ut in praesentia alantur boni pastores, et ut posteritas habeat eruditos viros, idoneos ad Ecclesias regendas. Historiae veteres commemorant, mirificum fuisse luxum Sibaritarum, qui quidem ita creverat, ut praemia etiam turpitudini et inventoribus novarum voluptatum constituta essent. Sed tantam disciplinae corruptionem Deus non diu toleravit. Itaque exitium civitatis varia prodigia denunciarunt. In his spectrum fuit: Iuno veniens in forum clara luce, et vomens magnam copiam bilis et sanguinis, quo prodigio significatum est fore, ut brevi

civitas evomeret suas delicias, et sanguinem bonorum, quos tyranni iniuste trucidaverant; paulo post Sibaris deleta est. Ita evoment tandem Episcopi, qui nunc Sibaritarum more vivunt, rapinas et sanguinem piorum Sacerdotum. Monachus quidam in concione publica, audiente Imperatore Carolo, dixit, Deum non futurum propicium, nisi totum cubitum lavet in sanguine Lutherano. Perhorresco referens hanc vocem auditu crudelem. Quae enim fuit unquam adeo fera barbaries, in qua tanta immanitas, tanta sitis extitit civilis sanguinis, quanta est in istis hypocritis, nulla de causa, nisi quod non applaudimus omnibus eorum opinionibus, quarum multas ipsi fatentur esse impias et erroris plenas, et defendunt eas tamen quadam pervicacia, quod existimant labefactari autoritatem, si quid mutent. Talia qui dicunt, utrum Ecclesiae gubernatores, an furiae et Erynnes rectius dici debent? Sed Deo dabunt poenas, qui solet insignibus exemplis manifestum religionis contemptum punire. Interea vos commilitones adhortor, ut Lazari exemplo forti animo praesentes aerumnas feratis. Aderit nobis Deus, nosque alet, ut scriptum est: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te enutriet. Nec deterreri vos a rectis studiis, a pia sententia sinite, vel inopiae, vel aliarum aerumnarum metu. Quidam languidioribus animis praediti, deficiunt a Christo, et adiungunt se hostibus Evangelii, nec vident, quam miserum, quam turpe sit, assentari tyrannis. Hesiodi versiculus extat, qui praeceptum gravissimum continet, quod saepe inculcant et Prophetae:

μηδὲ κακῶν ἕταρον μηδ' ἐσθλῶν νεικεστῆρα.

Ne fias socius improborum, nec conviciator honestorum. Hic versiculus admoneat vos, ne ad societatem eorum vos adiungatis, qui cum veritate belligerantur, ac ne adplaudatis conviciis, quae dicuntur adversus piam doctrinam. Haec petulantia habet tristes exitus. Deum autem rogemus, ut honesta et pia studia gubernet ac tueatur.

No. 56. an. 1539.

De officio Principum.

Prodiit separatim: „De officio Principum, quod Dei praecipiat eis tollere abusus Ecclesiae. Viteb. 1539. 8. 3 pl." (Vid. Strobel. bibl. Mel. Nr. 213.) Recusa est anno 1541. sic inscripta: Oratio habita a D. *Laur. Zochio.* Viteb. 1541. 8. 1 pl. — Ex exemplari huius posterioris editionis hausit orationem Gerbelius in Sel. Decl. T. I. p. 616 sqq., in Servest. T. I. p. 538. et apud Richard. T. II. p. 421. Ex Epistolis intelligitur Melanthonem Zochio hanc orationem scripsisse in itinere et misisse. Vid. Epp. Vol. III. p. 701. 773. 803. 824. et 924.

De officio Principum, quod mandatum Dei praecipiat eis tollere abusus Ecclesiae; recitata a D. Laurentio Zoch, Doctore Iuris, in promotione D. Casparis Ezelii.

Saepe in his spectaculis de legum dignitate, gravissimae orationes habitae sunt, ut reverentia Iuris, et disciplinae inseratur animis iuventutis, et iniustae ac rabiosae cupiditates frenentur. His adhortationibus, si ullo unquam tempore opus fuit, nunc profecto in hac postrema et plusquam ferrea aetate, non modo voce et sententiis bonorum et doctorum, sed multo magis autoritate, imperio et armis Regum et Principum leges tuendae et retinendae sunt. Videmus enim hanc aetatem inimicam esse modestiae, disciplinae, pudori, iusticiae, religioni, quarum rerum custodiam, cum Deus summis gubernatoribus commendaverit, rogandus est, ut aliquando excitet eos ad coercendos furores, et frenandas libidines improborum, ad restituendam et sanciendam disciplinam, ad renovanda virtutis studia, sicut orat David in Psalmo: Exurge Deus ad tuendam legem, quam dedisti. Nunc iacent leges oppressae audacia et petulantia multorum, ut sine divina ope, et summorum Regum autoritate, nostra vox parum proficere possit.

Ideo iam quaedam de Regum officio disputabimus, videlicet: An in tanta religionum, legum, morum, et disciplinae dissipatione, cessantibus Pontificibus, Romanus Imperator Synodum indicere, et iudices controversiarum idoneos legere, et ea, quae recte et pie constituentur, armis tueri debeat. Hanc quaestionem nec indignam cogitatione eruditorum, imo summorum Principum, nec alienam ab his temporibus esse iudico. Nec profecto aliud ullum est maius in terris munus, quam doctrinae gubernatio ac diiudicatio, et disciplinae restitutio. Nec quisquam de genere humano melius et gloriosius mereri potest, quam si liberet Ecclesiam erroribus, sanet ambigentes animos, honestis et sanctis legibus ac moribus consuetudinem vitae ornet. Nullae victoriae clarissimorum Ducum, nulli triumphi plus verae laudis habent, quam salutaris emendatio dogmatum ac morum.

Proinde quisquis est, qui hoc tantum munus in Ecclesia, vel inter homines sustinet, videlicet, qui est in excubiis, ut doctrinae puritas et boni mores conserventur, is iure summum gradum inter homines tenet. Et tantae rei curam Romanis Pontificibus olim Synodi commendarunt. Nunc autem in hoc tanto dissidio orbis terrarum, et ingentibus religionum ac legum periculis, nulla aequa cognitio hactenus instituta est. Audio etiam contendere multos, nihil opus est nova cognitione, quia hae res antea in Synodis iudicatae et constitutae sint. Quare non sit permittendum, ut rursus in quaestionem vocentur. Nullum inquiunt finem fore movendi dogmata, si Synodorum decretis assuescant homines refragari. Sed haec facile refutari possunt.

Primum multae nunc agitantur controversiae, de recentium temporum abusibus, quae nunquam in veteribus Synodis agitatae sunt. Nondum enim in Ecclesiam hi morbi invaserant. Deinde quaedam in veteribus Synodis decreta, quae ad causas praesentes quadrant, magis patrocinantur Ecclesiis nostris, quam adversariis. Postremo quaedam antea agitata sunt propter alias circumstantias, quae saepe variant negocia. Tempore Synodi Nicenae erant in usu satisfactiones: sed tunc erant castigationes, vel exempli causa institutae, vel ad explorandos mores eorum, qui lapsuum suorum veniam petebant. Nemo tunc affingebat spectacula illa mereri remissionem peccatorum. Haec recentior aetas vestigium retinet antiqui ritus, sed pleraque mutavit, et multas adfinxit absurdas opiniones. Cum igitur controversiae pleraeque huius temporis, non sint agitatae a veteribus, et in quibusdam adversarii marii magis discesserint a veterum Synodorum decretis, quam nos, iniustum et crudele est defugere cognitionem, nec legitimo Ecclesiae iudicio tollere errores, ac discordias. Quid respondebunt Pontifices, qui praesunt, cum filius Dei in postremo iudicio palam apparebit, eosque accusabit praetermissi officii, ostendet ipsorum vel pertinacia, vel negligentia infinitas animas a Deo avulsas esse ac periisse.

Sed si non faciant officium Pontifices, oportebit ne Romanum Imperatorem Synodum convocare, et iudices idoneos deligere suo et Synodi, ac partium iudicio? Respondeo.

Ad munus pii Imperatoris maxime pertinet, in tanto periculo cessantibus Pontificibus, convocare Synodum, et constituere legitimum iudicium. Nec est Synodus sine capite, etiamsi non accedat autoritas Pontificum, qui officium suum negligunt. Etsi enim Episcopis sua reverentia debetur, tamen tota Ecclesia mandatum habet, ut caveat pravas opiniones, et dogmata diiudicet, ut inquit Christus: Cavete a Pseudoprophetis. Hoc praeceptum ad universam Ecclesiam pertinet. Ergo, etiamsi Pontifices id negligant, tamen reliqua Ecclesia obtemperare debet, instituere cognitionem et diiudicationem. Id ut fiat, praecipua membra Ecclesiae caeteris anteire debent.

Adhaec, etsi interest inter officium civilis Magistratus, et potestatem ecclesiasticam, tamen Magistratus civilis custos est totius legis in externa disciplina. Ut prohibet ac punit armis iniustas caedes, furta, et similia delicta pugnantia cum secunda tabula Decalogi, ita multo magis prohibere ac punire debet externa scelera pugnantia cum prima tabula, videlicet idolorum cultus, blasphema dogmata, periuria, prophanationes manifestas ceremoniarum divinitus traditarum. Errat qui nullum esse discrimen iudicat inter Armentarium et Magistratum, qui custos est civilis societatis. Armentario satis est pecudum ventri prospicere. Sed custos civilis societatis non tantum corpora, pacem, et (ut ita dicam) ventris bona tueri debet, sed meminerit se esse Dei ministrum. Huius gloriae primum serviat, intueatur finem humanae societatis, et hunc praecipue sciat sibi tuendum esse. Tota enim haec societas divinitus praecipue instituta est ad hunc finem, ut in ea innotescat ac celebretur Deus. Id fieri non potest, nisi una viventes alii alios de voluntate Dei, de officiis Deo gratis, de vita aeterna, de praemiis piorum, de impiorum poenis doceant. Ideo tam multa sunt vincula societatis, generatio, educatio, institutio, imperia, contractus, iudicia, ut in hac tanta varietate negociorum ostendamus nostram de Deo sententiam, nostram professionem, et praestemus obedientiam. Sit igitur prima cura Magistratuum omnium, ut religiones sint purae, luceat in imperiis mandatum de confessione, quod certe non solum ad privatos pertinet, sed etiam ad summos gubernatores, ut vox coelestis in Psalmo testatur: et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Haec semper praecipua cura fuit piorum Principum, qui arma pro Ecclesia Dei gerebant, ut Moisi, Iosuae, Davidis, Iosaphat, Ezechiae. Horum victoriae non eo spectabant, ut populus in ocio voluptatibus frueretur,

sed pacis finis erat, ut certa sedes maneret Ecclesiae, ubi propagaretur doctrina coelestis. Opus est pace non solum ad educandam sobolem, sed etiam ad docendam iuventutem, et reliquam multitudinem, et ad disciplinae ac religionis conservationem. Hos esse fines praecipuos gubernationis in imperiis, nihil dubium est.

Sint sane magni et laudati Duces Alexander, Iulius, et alii. Sint gubernatores domestici excellentes prudentia, Solon, Augustus; sed multo essent illi ipsi maiores, si partis victoriis, constitutis imperiis curassent Deum recte invocari, celebrari, coli. Id praecipue efficere bonus gubernator debet, sicut bonus paterfamilias non tantum quaerere patrimonium liberis debet, sed etiam tradere Dei noticiam, et mores eorum regere. Ut autem pauci patresfamilias omnia sua officia complectuntur, ita pauci Principes in hoc summo opere elaborant. Rara est haec perfectio, ut rarae sunt gemmae inter caeteros lapides. Subinde tamen aliquos excitat Deus Duces, aut politicos viros, qui suas actiones ad verum finem referunt. Tales fuerunt Ioseph, David, Iosias, et inter monarchas Cyrus, Constantinus, Theodosius, et alii quidam. Horum exempla nota sunt. Quanta fuit animi celsitudo in Constantino, qui cum haberet collegas inimicos Christiano nomini, viros acerrimos, et instructos potentia, (nam maior imperii pars adhuc adhorrebat a Christi doctrina), unus se opposuit illis grassantibus in pios, compescuit saeviciam, postea deletis tyrannis, vetuit sacrificari idolis, nihil metuens odia tantae multitudinis, quae Evangelium aversabatur. Idem postea sedatis civilibus bellis, etiam sustulit dissensiones ecclesiasticas, convocata Synodo, nec adfuit tantum, ut vim prohiberet inter partes, sed disputavit ipse, et veritatem inquiri voluit. Nam cum Synodi totius Ecclesiae iudicia sint, non tantum Episcoporum, concedenda sunt suffragia etiam aliis piis et doctis, qui non funguntur ministeriis ecclesiasticis. Constantini exemplum postea Theodosius imitatus est: ut prorsus deleret idola, eorum templa solo aequavit, indixit Synodum, ostendit formam dirimendi certaminis, videlicet, ut proferrentur certa testimonia probatorum autorum, nec permitteretur ulli ex sese fingere novas interpretationes. Aliquanto post secutae sunt Synodi, Ephesina convocata a iuniore Theodosio, et Chalcedonensis convocata a Martiano. Sed utranque arbitror indictam esse consilio foeminae sapientissimae Pulcheriae, quae cum esset soror Theodosii, et postea Martiani coniunx, et propter eximiam prudentiam et gravitatem plurimum polleret autoritate, res eo tempore maximas domi singulari virtute gubernavit.

Iustinianus deinde Synodum alteram Byzantium convocavit. Idem mos fuit piis Regibus Hispanicis et Gallicis, convocare Synodos in suis regnis, etiam non consulto Romano Pontifice. Norant enim imperia imitari debere Decalogum, qui ut primum concionatur de conservanda puritate religionis, ita Principum hanc esse primam curam oportet. Decalogus enim est forma piae et honestae gubernationis. Extat apud Aristotelem definitio Magistratus eruditissime cogitata, et mira proprietate ac brevitate complectens officia omnia. Inquit enim Magistratum esse custodem legis. Ergo cum totius legis custos sit, tueri etiam primam Decalogi tabulam debebit. Iam cum extent exempla piorum Regum, cum argumenta gravissima praecipiant Regibus convocare Synodos, et constituere iudicia ecclesiastica, non dubitari potest, quod sit Romani Imperatoris hoc tempore officium. Sentiat igitur hoc gratum Deo sacrificium fore, si nunc recte diiudicari controversias ecclesiasticas, et sanciri disciplinam curet. Idque si non fecerit, graviter offendi voluntatem Dei: praesertim cum videatur secutura infinita dissipatio et vastitas Ecclesiae, et morum confusio, nisi vera et salutaria remedia in tempore quaerantur.

Haerent veteres morbi in Ecclesia multi, ad hos, ut fit in discordiis, etiam novi quidam accedunt. Ergo in utriusque partis negotiis delectus adhibendus est. Nec sunt armis stabiliendi veteres abusus, sed praecedat vera diiudicatio, quae, si modo velit Imperator, non difficilis est. Adficiatur miserrima Ecclesiae specie: discordia parit in utraque parte plurimum vitiorum, confirmat audaciam in malis. Alibi trucidantur pii et eruditi, retinentur idolorum cultus, stabiliuntur flagitiosae libidines, templa muta sunt, nec habent idoneos concionatores: et quia doctrina consilescit, multi incipiunt amare prophanas et epicureas opiniones. Haec pestis diu in Italia grassata est, nunc etiam caeteras nationes invadit. Alibi emendatis abusibus succedunt nova mala, propterea, quia boni doctores non adiuvantur ab iis, qui disciplinam tueri debebant. Crescit igitur licentia et legum contemptus. Non frenat animos pudor, non modestia, non iuris reverentia, sed vincit

hanc impudentia, quae in quadam tragoedia vocatur omnium morborum humanorum saevissimus.

Quid quod in multis locis, etiam ubi emendatae sunt Ecclesiae, nunc negliguntur studia literarum, nemo opitulatur pauperibus scholasticis, fame necantur pii et docti Sacerdotes, et eorum coniuges et parvi liberi. Quare aliquanto post et his defuturi sunt idonei Pastores, et secutura est barbaries, et horrenda vastitas Ecclesiarum. Haec mala quis potest sine lachrymis vel cogitare, vel commemorare, quorum magnitudo ut tandem Reges excitet, ad vera remedia quaerenda, omnes pii ardentissimis votis optent. Profecto iam circumit Christus, esuriens, sitiens, laceratus, flagris vulneratus, ac implorat opem doctorum et gubernatorum omnium, orat, ut corporis vulnera obligent, ut alimenta suppeditent, quem si non respicient, haud dubie in postremo iudicio haec fulmina audient: Esurivi, et non dedistis mihi cibum, etc. Ite maledicti in ignem aeternum. Si consulere Principes Ecclesiae vellent, non deesset consilium. Sed privatis et iniustis affectibus impeditur publica utilitas. Tanti fecit Ecclesiam suam filius Dei, ut eam vitae suae praetulerit. Multi nunc stultissimos affectus anteferunt saluti totius Ecclesiae, ac funditus eam perire malunt, quam paululum frenare ambitionem, aut avaritiam, aut libidinem. Et tamen hi se defensores Ecclesiarum dici volunt.

Cum igitur tanta sit hoc tempore dissipatio, et impendeat maior omnium rerum confusio, nisi Deus gubernatorum animos ad salutaria consilia flexerit: Primum orandus est Deus, ut ipse labentem Ecclesiam fulciat; deinde hortandi sunt Principes, ut curent rite diiudicari controversias, et disciplinam restitui. Postremo, quia publicae opiniones et mores aliqua ex parte imitantur scholasticorum iudicia et exempla, vos quoque quantum possum vehementissime adhortor, ut Cyclopes illos, qui sibi omnium scelerum licentiam permitti volunt, qui leges et vincula honestae et civilis vitae quodam non solum barbarico, sed etiam diabolico furore perrumpunt, fugiatis ac detestemini, vos vero ad amorem legum et disciplinae, ad modestiam, ad studium iuvandae Ecclesiae et communis societatis adsuefaciatis. Falluntur tyranni, si nulla Ecclesiae iudicia metuunt, quia nunc sperant impunitatem. Erit Ecclesiae iudicium subeundum, cum filius Dei apparebit, in quo petulantiae et contumaciae tristissimas poenas luent improbi: modesti vero et legum amantes praemia virtutum ferent, et perpetuis laudibus in Ecclesia ornabuntur, et fruentur dulcissima consuetudine Dei filii eius, optimorum Principum Adae, Nohae, Prophetarum et Apostolorum. Horum de nobis iudicia boni iam intueantur animis, et ita vivant, ut illis sua consilia, studia et mores probent. Dixi.

No. 57. an. 1539.

Vita Rodolphi Agricolae.

Apud Crat. Myl. p. 306 sqq., in Declam. T. II. p. 450., in Servest. II. p. 444. et ap. Richard. I. p. 594.

Oratio de vita Rodolphi Agricolae, Frisii, mense Iulio habita a Ioanne Saxone Holsatiensi, cum decerneret titulum Magisterii quibusdam honestis et eruditis iuvenibus, in Acad. Vitebergensi.

Plurimum refert nos ipsos recte intelligere genus vitae in quo versamur, et hoc munus quod divinitus nobis attributum est, videlicet, conservationem ac propagationem rectae doctrinae de religione et de aliis rebus honestis. Etsi enim splendoris plus habent alii vitae gradus atque ordines, tamen si vere volumus aestimare, summa dignitas est scholarum. His praecipue servire imperia et omnes politiae debebant. Cum enim ad hunc finem homines conditi sint, ut luceat in hoc mundo noticia Dei, et propter hanc causam societas civilis divinitus instituta sit, ut coetus sint docentium ac discentium, ut accendi et late spargi noticia Dei possit, satis apparet summum esse officium omnium gubernatorum, Ecclesias ac scholas tueri. Cogitate quaeso quam augusti et venerandi coetus sint Angelici. Horum imagines in terris Scholastici conventus esse debent, munus certe idem est et officium. Profitentur idem quod canunt Angeli: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et hominibus laeticia. Sic scholae celebrare Deum, doctrinam paci et concordiae Ecclesiarum utilem, et quae coelestem laeticiam pariat hominibus, propagare debent. Hanc tantam dignitatem nostri muneris, si cogitabimus, et animo metiemur, et studia et scholas magis amabimus, et his ritibus et congressibus scholasticis magnopere

delectabimur. Si quis est autem qui tam gravi causa non movetur ad amandas scholas, hunc vere

genuit duris e cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera Tygres.

Decet igitur nos hunc promotionum morem, quem prodesse ad ordinem discendi comperimus, conservare.

Cum autem hic de studiis oratio haberi soleat, et alii in quibus plus est autoritatis, saepe vel monstrent quod iter ingrediendum sit, vel vos ad expetendam optimarum artium doctrinam adhortentur, ego vitam Rodolphi Agricolae, quantum explorare eam potui, recitare decrevi. Exemplorum enim magna vis est, et bonae naturae cogitatione atque admiratione virtutis in viris praestantibus maxime exuscitantur ac incenduntur. Deinde historiae eruditorum de multis rebus iudicia iuventutis formant. Cumque Rodolphus primum in Germania emendaverit genus sermonis et Dialecticam, ac meliorem discendi rationem monstraverit, consentaneum est plerisque eius dictis ac disputationibus utiliter commonefieri studiosos. Etsi autem nemo non amat Rodolphi nomen, propter eius eruditionem ac merita, tamen privata me quaedam officii ratio invitavit, ut de eo dicere maluerim. Nam cum mea patria non solum Frisiis vicina sit, sed etiam Frisiorum colonia, quae etiam hodie nomen retinet Frisiae minoris in Holsatia, et in gubernatione Reipub. vetustam iuris aequabilitatem non sine laude tuetur, iudico Rodolphi laudes aliqua ex parte ad meos etiam cives pertinere, quod cum ita sit, spero vos meum consilium de recitanda historia Rodolphi probaturos esse. Tametsi et ipse optarim colligi eam uberius ab aliis, qui apud eos vixerunt, qui Rodolphi vitam et studia melius norunt. Nos pauca collegimus, sumpta partim ex ipsius scriptis, partim ab iis qui meminerunt sermones senum, quibus in Academia Heydelbergensi cum Rodolpho familiaritas fuit. Nec institui encomium; nam cum ingentem gloriam eloquentia sua consecutus sit, quae ex scriptis eius iudicari potest, nil ei opus est laudatione, praesertim hominis indiserti. Tantum historicam narrationem texo, in qua ea quae sciscitatus sum de vita, moribus et opinionibus eius, vere recenseo, et testes gravissimos citabo. Porro haec commemoratio studiorum atque opinionum, non minus conducit studiosis, quam bellatoribus stratagemata et consilia veterum Ducum nosse. Accedo igitur ad historiam.

Natus est Rodolphus Agricola in Frisia, in rure quodam non procul ab urbe Groninga, honestis parentibus, quorum facultates, ut sunt ibi, mediocres fuerunt, et unde liberis ad studia sumptus liberaliter suppeditare poterant. De primae pueritiae studiis cum nihil audierim, non putavi aliquid fingendum esse. Nemo autem excellentem virtutem consequi potest sine magna vi ingenii et sine enthusiasmo aliquo, qui cum sit accerrimus stimulus in bonis naturis, haud dubie Rodolphus celeriter primas artes arripuit, ut ille inquit de heroica natura:

Ante annos animumque gerens curamque virilem.

Nam et ex scriptis ipsius et consiliis apparet ingenii vis et impetus.

Cum Germania corruptissimo genere sermonis uteretur, tantaque literarum inscitia esset, ut quid esset recte loqui, ne quidem suspicari nostri homines possent, imo etiam insulsitas admirationem haberet, unus Rodolphus primum auribus atque animo sentire illa vitia, et desiderare meliorem orationis formam coepit. Haec fuit singularis prudentiae significatio: Illa virium ingenii et doctrinae, quod genus orationis effinxit purum, splendidum, sonans, sine ineptiis, rerum etiam pondere et gravitate probandum. Nec tantum prudentia fuit, sed etiam quaedam animi celsitudo et mira discendi aviditas, quod in Italiam cum patrimonium haberet mediocre, profectus est, ut melius doctrinae genus quaereret. Ac si de ingenii laudibus multa dicturus essem, amplificare eas etiam patriae praedicatione possem. Nam Frisia, ut olim magnitudine rerum gestarum floruit, ita nunc quoque gignit ingenia nequaquam vulgaria, sed cum ad literas, tum ad gubernationem magnarum rerum idonea, et ut mihi videtur, non solum sagacia et sana, sed etiam ingenuitate et animi celsitudine singulari praedita: sed, ut dixi, Rodolphi ingenium ex scriptis aestimari potest. Lovanii audio eum tyrocinium primum deposuisse, ubi cum Gallorum appeteret familiaritatem, seu vitans nostrorum commessationes, seu quod illi essent eruditiores, statim inter illos simul Gallicam linguam didicit. In dialecticis et Philosophia cum percepisset celeriter illa, quae in scholis tradebantur, ipse animo meliora requirere solebat, seque in bibliothecas abdens, suo consilio bonos scriptores legebat; multa interim cum prudentio-

ribus disputans de eruditiore Philosophia. Audierat autem renovari tunc Graecae et Latinae linguae studia in Italia. Nam post captum Byzantium, Graeci pulsi patria, in Italiam multi venerunt, qui Philosophiam et eloquentiam ibi renovarunt, cuius studia post collapsum imperium, prorsus in Italia conticuerant. Intelligebat autem sine Graecis literis Philosophiam percipi non posse. Coepit igitur impetum proficiscendi in Italiam, ut et disertorum consuetudine ac exemplis genus orationis emendaret, et Philosophiae fontes cognosceret. Venit Ferrariam, ubi tunc quidem magis florebant studia Philosophiae ac eloquentiae, quam in caeteris Academiis Italicis. Nam Hercules Dux Ferrariae sentiebat ad boni Principis officium pertinere curam iuvandae rei literariae, ac delectabatur ipse eruditorum scriptis. Erat Ferrariae Theodorus Gaza, qui eruditione et eloquentia facile antecelluit Graecis omnibus qui tunc in Italia erant. Ibi Guarinus Graece et Latine docebat, vir in primis diligens. Aderant et Strozae Poëtae, cum quibus apparet magnam fuisse familiaritatem Rodolpho. Extant et Mathematicorum scripta, qui apud Herculem tunc vixerunt. Denique omnes artes ibi foelicissime tradebantur. Quid potest autem homini ingenioso, incenso verae doctrinae amore, avido discendi, qualis erat Rodolphus, contingere optatius, quam ut in tali coetu Doctorum vivat? Hic soluta oratione certabat cum Guarino, versu cum Strozis, de Philosophia disserebat cum Theodoro Gaza, et caeteris summis viris. Audiebat professores omnium artium. Cumque pariter excoleret ingenium doctrinae varietate, et in eloquentia elaboraret, totius in se Italiae ora oculosque convertit. Magna cum laude disputavit, enarravit autores utriusque linguae in illa ipsa Academia, habuit orationes magna cum approbatione eruditorum. Porro magna laus fuit homini Germano, non solum eruditione et genere sermonis, sed etiam venustate actionis satisfacere Italiae, morose ac fastidiose iudicanti. Nec opinor ulli Germanorum praeter hunc, Italos tribuisse tantum, ut publice docentem cum admiratione audirent, ac pariter eruditionem, genus sermonis et actionem probarent. Audio saepe rogatum esse Erasmum in Italia, ut specimen suae eruditionis ac facundiae publica praelectione praeberet. Sed ut hac in re amicis morem gereret, adduci nunquam potuit, metuens ne ab Italis pronunciatio hominis Germani derideretur. Ac saepe praedicavit Rodolphi naturam, quem imitari Italicam venustatem sine ineptiis potuisse ferebat. Verum Musicae naturae ad pronunciationem et actionem, aptiores sunt caeteris. Constat autem Rodolphum ita excelluisse in Musicis, multas ut cantilenas composuerit: imo ut Italis fuerit iucundior, propterea quod interdum cythara luderet in conviviis eruditorum. Quanta fuerit eius sedulitas, inde aestimari potest, quod Quintilianum sua manu integrum descripsit. Ipse significat se in Italia naturalem historiam Plinii diligenter legisse, fortassis occasione invitatus, quod in eo loco facilius inquirere plantas potuit, et haud dubie vidit Aristotelem et Theophrastum, conversos a Gaza, quos cum legeret, Plinium adiungendum esse duxit, ut unde Gaza Latinas adpellationes sumpsisset, observaret. Haec collatio plurimum ei profuit, ad augendam et rerum cognitionem et verborum copiam. Porro cum se diligenter expoliisset inter doctissimos homines, tandem in patriam rediit, ubi non diu haesit: nam aliquanto post reditum, accersitus est Heydelbergam a Dalburgio Episcopo Vangionum, et Pleningero, quem ipse Plinium nominat. Cum his enim in Italia Rodolpho familiaritas summa fuerat, qui postea ambo pervenerant in aulam Principis Palatini Philippi, qui ut erat splendidus, et non rudis literarum et magna comitate praeditus, volebat aulam habere ornatam literatis hominibus. Dalburgius Cancellarius deinde factus est Vangionum Episcopus. Is Heydelbergam vocavit Rodolphum, seu ut eius consuetudine se ipse ad recte scribendum assuefaceret, seu ut iuventus haberet styli formatorem. Huius Dalburgii contubernio usus est quoad vixit. Et quanquam licuit esse ocioso, tamen propter utilitatem iuventutis, in Academia publice docuit Graece et Latine. Nec duxit sibi parum honorificum esse, quanquam aulico, scholas habere. Ut scholasticas operas nunc multi leviter tincti literis fastidiunt, ut est huius perversissimi seculi superbia. Adiit crebro disputationes omnium disciplinarum. In Philosophia emendabat ineptas persuasiones scholae. Ibi etiam scripsit libros dialecticos, ut artem repurgaret, eamque e tenebris in lucem et in aciem educeret, usum videlicet monstrans. Senes Heydelbergae narrant mores eius honestos et castos fuisse, et a livore, malevolentia ac petulantia alienissimos. Non est solitus irritare morosos, intempestivis reprehensionibus,

ne quid sereret certaminum in schola, saepe recitans, hospiti multa dissimulanda esse, ut Graecus versus inquit:

ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Consulebatur saepe ab eruditioribus et in Philosophia et in aliis artibus. Multa ex Aristotele vertebat et interpretabatur iis qui eius sententias sciscitabantur. Nemo tunc viderat libros Aristotelis de animalibus. Itaque pergratum erat eius officium doctioribus, si quando aliquem insignem locum inde proferebat, ut cum de immortalitate humanae animae disputaretur, quid sensisset Aristoteles, magna cum admiratione excepta est illa sententia, prolata ex libro de generatione animalium: mens extrinsecus accedit, non nascitur ex materia corporum. Interdum aliquid ex Arato de syderum positu, ortu et occasu studiosis impertiebat.

Nec deerat eius officium professoribus aliarum disciplinarum. Forte inciderat disputatio inter Theologos et Iurisconsultos de hoc dicto: Frustra servat Evangelium, qui non servat canones Synodorum. Hoc cum alii ad confirmandam superstitionem in ceremoniis detorquerent, alii τὸ ῥητὸν esse durius quererentur, et mitigandum aliqua interpretatione dicerent, Rodolphus inquit: In universum in Iuris interpretatione multum prodesse cognitionem historiarum et antiquitatis: ac praesertim Ecclesiae historias et veteres contentiones debere notas esse omnibus, ex quibus saepe peti possit interpretatio veterum dictorum. Synodi veteres, inquit, vocabant Canones tantum articulos doctrinae diiudicatos in Synodis, non traditiones de ceremoniis: nec dubium esse, quin haec primum fuerit sententia huius dicti, sed postea errore depravatum esse. Verum est, Evangelium non servari ab iis, qui aspernantur decreta contra Samosatenum, aut Arrium, aut Macedonium facta: nam vetustissimae Synodi propter controversias dogmatum convocabantur, non de ceremoniis cumulandis. Quam indigna vox esset, dicere, Christi fidem inutilem et inanem esse, sine observatione omnium rituum humanorum? Lucem et vitam aeternam in mentibus inchoatam extingui, si aliqua ridicula ceremonia negligeretur? Addebat, tales ritus saepe sine ullo peccato omitti posse. Hac tam dextra interpretatione facile satisfecit omnibus. Saepe et in Iure civili ea quae ab historiis petenda sunt, explicabat interrogantibus, ut locum de usuris centesimis: Item quid sit ἐρήμη δίκη, denique qui fuissent gradus veterum Romanorum iudiciorum. In Theologia quid desideraverit, memini huc scribere Iosquinum Groningensem senem, pietate et gravitate excellentem, se adolescentem interfuisse sermonibus Rodolphi et Wesseli, in quibus deplorarint Ecclesiae tenebras, et reprehenderint prophanationem in Missis, et coelibatum: Item disputaverint de iusticia fidei, quid sit quod Paulus toties inculcat homines fide iustos esse, non operibus. Scribebat Iosquinus, aperte reiecisse eos Monachorum opinionem, quae fingit homines operibus iustos esse: Item sensisse eos de humanis traditionibus, errare eos, qui affingunt illis opinionem cultus, et non posse violari iudicant. Nihil fingo, nam haec fere ad verbum huc scripsit Iosquinus. Ac satis credibile est, eum diligenter disputasse de doctrina Christiana, praesertim cum esset familiaris Wesselo, cuius fuit summum ingenium: ad quod amplissimam eruditionem in omnibus disciplinis adiunxit, et Graecae et Ebraicae linguae cognitionem. Ad haec exercitatus fuit in certaminibus religionis. Lutetia pulsus propter taxatas superstitiones, venit Basileam: ibi pro Wesselo dixerunt Basilium Groningum; narrabatque Capnion eum Theologiam, Graecas et Ebraicas literas eodem tempore tradidisse studiosis, si qui eum audire cupierant. Inde cum in Belgicum rediisset, saepe adiit senem Rodolphus natu minor, sed in literis Latinis et Graecis eruditior, et flagrans studio Christianae doctrinae. Idque ipse saepe de se praedicat, se quod reliquum esset aetatis, collocaturum esse in sacras literas: qui si vixisset, haud dubie egregiam operam Ecclesiae navasset. Quanquam et illa studia Ecclesiae profuerunt, quod nostros homines ad meliorem discendi rationem revocavit. Id meritum non est leve ducendum. Sed redeo ad historiam.

Cum ita viveret Heydelbergae, ut eruditis et bonis omnibus charissimus esset, non solum in noticiam venit Ducis Palatini Philippi, sed etiam familiaritate eius Princeps delectatus est, ac saepe eum ad graves deliberationes adhibuit. Cumque, ut fit, mentio interdum incideret veterum imperiorum, ac Rodolphus commemoraret vel Graecas historias, vel Romanas, Princeps et verti sibi multa non solum ex historiis, sed etiam ex Poëtis iussit, et petivit sibi contexi integram seriem quatuor monarchiarum, ut ordinem rerum melius videre, et incrementa atque inclinationes, et ho-

rum causas considerare posset: nam haec exempla praesertim Principes monere de plurimis rebus possunt. Contexuit igitur Rodolphus eruditissimam epitomen ex Bibliis et Herodoto, de Assyriorum et Persarum imperio, de civilibus discordiis Graecarum civitatum ex Thucydide et Xenophonte, de Philippo et Alexandro et successoribus ex Diodoro et Polybio. Deinde lectissima quaeque excerpsit ex historiis Romanis. Postremo et Germanici regni res praecipuas collegit. Ac in eo scripto non solum laboravit, ut res tantas perspicue narraret, sed etiam ut obiter legentem Principem pleraque moneret: qua in re apparuit eum non modo literis, sed etiam civili prudentia excellere. Sed cum iam aetas maturuisset, cum iam lucubrationes theologicas inchoasset, non multum supra quadragesimum annum egressus, rebus humanis exemptus est. Spero enim immortali laeticia donatum esse, cum legamus eum pie sensisse de Christo, ac studia ad gloriam Dei destinasse, et mores fuisse pios et honestos audiamus. Habetis historiam vitae Rodolphi.

Nunc reliquum est, ut talis viri memoriam grati conservetis. Cogitetis quantum fuerit ornamentum Germaniae, quam bene de literis meritus sit. Primus enim in Germania emendare genus sermonis coepit, et accendit Latinae et Graecae linguae studia: quare ei plurimum omnes debemus. Adolescentes etiam eius admoniti tum exemplis tum dictis, prudentius de studiis iudicare discant et ipsius imitentur diligentiam et sedulitatem, qua infirmioribus ingeniis multo magis opus est, quam illis heroicis naturis, quibus, ut ita dicam, multa proveniunt ἀνήροτα. Consilium etiam ipsius in studiis considerare, quod videlicet non divulsit artes natura copulatas, rerum doctrinam et eloquentiam, sed in utroque genere summa animi atque ingenii contentione elaboravit, quod ut vos quoque faciatis, quantum possum, omnes adhortor. Et in hoc instituta sunt haec scholastica exercitia, ut in utroque genere elaboremus, quod quidem eo faciendum est, ut Ecclesiae ac Reipub. usui esse possimus. Nam nec rerum cognitio recte comparari potest sine exercitatione dicendi, nec destituti rebus, idonei sunt ad seria negocia explicanda. Porro, si officium nostrum diligenter fecerimus, Deus etiam ornabit nos praemiis: ut Ecclesias, ita scholas, quae sunt praecipua pars Ecclesiae, conservabit, etiamsi negliguntur ab iis, qui praesunt, qui quidem longe errant. Propter Ecclesias et scholas, ipsi, et politiae servantur. Quare vicissim nobis gratiam referre debebant: quod si non facient, Deus illos puniet et tamen aliquem portum Ecclesiae, scholis et nostro ordini ostendet, sicut promisit: Se non defuturum iis, qui doctrinam Ecclesiae utilem propagare et ornare student. Dixi.

No. 58. an. 1539.

De vita Augustini.

Apud Crat. Myl. p. 291 sqq., in Declam. T. II. p. 263., in Servest. II. p. 257. et ap. Richard III. p. 651.

Oratio de vita divi Augustini, mense Sept. habita a Ioanne Saxone Holsatiensi, cum iterum decerneret quibusdam honestis et eruditis iuvenibus Magisterii titulum, in Academia Vitebergensi.

Video morem esse scholae, ut mihi quidem videtur, laude dignum, ut in his congressibus alias de artium aut virtutum dignitate dicatur, alias historiae clarorum virorum recitentur, quae multa monent iuventutem vel de studiis vel de moribus. Cum autem de artibus alii saepe luculenter dixerint, quorum cum sit oratio subtilis et arguta, magis idonea est illis materiis, quam mea, rursus delegi historiam, non eo tantum, quod exempla prodesse iuventuti statuo, sed etiam ob hanc causam, quod hoc genus narrationum mihi quidem texere facilius est, quam illas argutas de artibus disputationes. Ac me nuper dies Augustino dicatus, cogitantem de ipsius ingenio, pietate, scriptis, admonuit, de ipso ut maxime dicendum putarem. Opinor omnes pios ubique terrarum huius viri recordatione delectari. Sed in hac schola praecipue gratam eius mentionem esse decet, in qua Augustinus quasi renatus est, et eius doctrina, quae iacuit obruta densissimis tenebris, non solum restituta est, sed etiam lumen accepit: quae cum sit necessaria Ecclesiae, merito Augustinum amare debemus, qui coelestem illum thesaurum praecipue conservavit. Et nonnihil historiae cognitio momenti adfert, ad intelligendas controversias, quae ab eo tractantur. Si in talibus spectaculis cum quadam approbatione auditae sunt historiae Platonis et Aristotelis, quanto magis convenit favere adferentibus pia exempla guberna-

torum Ecclesiae? Quae cum ostendunt qualia fuerint doctrinae certamina, formant studiosorum iudicia, nosque de Ecclesiae periculis admonent, et discendi curam exuscitant. Ac praecipue Augustini contentiones exemplo esse possunt, quanta doctrinae varietate et copia, quanta vigilantia opus sit iis, qui in hoc munere uno omnium in terris maximo difficilimo versantur, videlicet in diiudicatione et gubernatione doctrinae ecclesiasticae. Lucent in illis certaminibus exempla harum communium artium, quae iuventuti proponuntur, quare non est intempestivum, cum de nostris artibus dici solet, decerpere aliquid ex ecclesiasticis materiis, praesertim cum omnia studia nostra praecipue debeant eo spectare, ut nos instruamus, ut Ecclesiae usui esse possimus. Hic finis, hic scopus omnibus bonis mentibus propositus esse debet. Quare spero vos non improbare hoc genus argumentorum. Quanquam autem video prolixiorem esse Augustini historiam, quam ut hic recitari tota possit, etiamsi velim eam nudam et sine ullis ornamentis proponere. Verum in hac materia quoquo modo elaborare pium esse duco: quod si vos quoque sentitis, ut arbitror, peto mihi veniam dari, quod orationis sonum ac splendorem non adhibeo, quem varietas argumenti postulat. Non solum pulcherrimae virtutes boni Doctoris et gubernatoris Ecclesiae hic monstrandae erant, et oratione illustrandae, sed etiam magno motu animi deploranda Ecclesiae calamitas, quod diu iam pro Augustinis regnant Pontifices, Caligulae et Nerones, et extincta veteri doctrina, ac luce Evangelii, horrendae tenebrae Ecclesiam oppresserunt. Doctrina de fide et vera invocatione Christi deleta est, idolatria manifesta recepta, et in scholas et conciones invectae sunt impiae persuasiones plurimae et nugacissimae rixae. Hae querelae addendae erant his narrationibus de Augustino, quae cum propter temporis brevitatem omittendae sint, initio orationis breviter admonui adolescentes, ut cum audient historiam, ipsi conferant exemplum apud sese ad alia tempora. Audio ante annos duos et viginti habitam esse orationem de Augustino, a reverendo D. Doctore Martino Luthero, instauratore purioris doctrinae Evangelii, praeceptore nostro summa pietate et observantia colendo, in qua historiam Augustini contulit ad Psalmum: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum etc. In quo Psalmo pius Doctor describitur, qui verae Ecclesiae sententiam contra impios Doctores propugnat. Eam orationem non dubito complexam esse et Augustini laudes, et universam Ecclesiae causam, quae si extaret, iure vituperari possem, si idem argumentum retexere ausus essem. Sed quia desideratur, spero vos mihi aequiores fore. Amo studia sacrarum literarum, et propter haec Augustinum admiror. Quare de eo potissimum libuit dicere, cum dies ei dicatus me nuper, ut de eius vita et certaminibus cogitarem diligentius, admonuisset. Venio igitur ad historiam.

Natus est Augustinus honesto loco in municipio Africano, quod ipse Tagastam vocat; opinor autem Thebestam a Ptolemaeo vocari, non procul distantem a Madauro. Parentes fuerunt Patricius et Monica, Christianae religioni addicti, etsi pater sero matris pietate ad Christi agnitionem pertractus est, vir alioqui gravis, honestus et in primis liberalis in fovendis filii studiis, ut Augustinus ipse praedicat. Matris vero magna pietas et excellens in omni matronae officio virtus fuit. Omitto hic, quae de suae puericiae moribus recitat ipse, quae sunt communia omnibus etiam bonis ingeniis, etsi voluit his exemplis imbecillitatem humani generis depingere; sed humani generis corruptio habet alios maiores morbos, quam ibi recensentur. Dicam igitur, ut coepi, de eius studiis.

Postquam domi percepit Grammaticen, missus est ad Rhetorices professores in oppidum Madaurum, quod a Thebesta distat miliaribus nostris opinor septem. Praecipua tunc in scholis cura erat adsuefacere adolescentes ad declamandum et ad extemporalem facundiam. In eo genere cum aliquandiu exercitatus esset et foeliciter promovisset, Carthaginem mittitur, quae a Madauro abest circiter decem nostra miliaria. Ibi cum et eloquentiae et Philosophiae operam daret, magnae, opulentae, et ociosae urbis illecebris, ac licentia narrat, et suos mores corruptos esse, ac nominatim queritur sibi spectacula et prava sodalicia nocuisse, quae sunt communes corruptelae iuventutis: nondum enim baptismo initiatus erat, etsi Christianam religionem amplexus erat. Fuit enim vitiosa consuetudo iis, qui liberius vivere cupiebant, differre baptismum usque ad senectam, ut postea semel deleret baptismus omnes priores lapsus. Quanquam autem nonnihil laxavit frenum cupiditatibus, tamen mores erant placidi, et non pugnabant cum legibus civitatis, nec prorsus abductus est animus a studiis. Ibi cum

in Ciceronis Hortensium incidit, cum a natura impetus ad virtutem et decus, ardentes haberet, commotus Ciceronis scripto, revocat ipse sese, et maiore severitate regere mores incipit, licentiam priorem cohercet, seque ad continentiam, ac ad pietatis studium exuscitat et componit. Prava ingenia, praesertim si absit metus, non facile emendantur literis et doctrina: quare cum illius Ciceroniani scripti lectione potuerit in viam revocari Augustinus, satis apparet indolem bonam fuisse, nec defuisse ei illa virtutum semina atque initia, quae vocat Aristoteles *φυσικὰς ἀρετάς*. Etsi autem Ciceronis Hortensius non extat, tamen quod fuerit argumentum libri, Cicero alicubi commemorat: Defensio est Philosophiae adversus eos, qui, ut nunc sunt iudicia aulica, contendebant nihil opus esse illa subtili eruditione. Hic Cicero ostendit, quae sit vera Philosophia, ac ad eam colendam bona ingenia hortatur, declarat quas utilitates ad vitam adferat, in hac esse legum et omnium honestorum officiorum fontes, hac vocari et invitari homines ad agnitionem Dei, ac aeterni metum numinis: ex hac doctrina descriptionem anni certam sumptam esse, qua remota, quantae essent in vita tenebrae? Denique complecti Philosophiam multas artes vitae utiles. Hanc fuisse summam illius scripti Ciceroniani, et ex aliis locis Ciceronis, et ex Lactantio apparet, qui inde sententias quasdam excerpsit. Harum iucundissimarum disputationum lectione ita motus videtur Augustinus, ut qui natura Musica sunt, etiamsi adhuc rudes sunt artis, et aliud agunt, tamen dulci cantu mirabiliter ad Musices amorem ac studium extimulantur. Nondum autem legerat sacras literas, nec, ut videtur, conciones magnifecerat, nec de doctrina pia multum disputaverat cum piis et eruditis, ut iudicare posset, quid praecipue profiteretur Evangelium, et quae esset pura et incorrupta doctrina. Fatetur etiam sibi lectionem sacrarum literarum insuavem fuisse, propter genus sermonis, alienum a Latina consuetudine; habebant enim versiones admodum ineruditas. Verum ut mihi videtur, omnes qui a sacris literis abhorrent, nulla enim aetas non habet prophanos homines, offenduntur non tam genere sermonis, quam inscitia rerum. Non vident genus doctrinae dissimile esse Philosophiae, non intelligunt disputationum consilia et seriem. Haec inscitia reddit insuavem lectionem, ut dici solet: Ignoti nulla cupido. Cum igitur ignarus doctrinae Christianae non posset iudicio eligere Doctores, fecit quod solet vulgus facere: Ut statuas, ita Doctores aestimant ex vestitu, torvitate frontis, barba. Erat enim Africa plena Manichaeorum, qui magnam vitae puritatem simulabant. Abstinebant a carnibus, improbabant coniugia, damnabant imperia et alios mores politicos, ut ab ambitione longissime abesse viderentur. Praedicabant se habere adflatus divinos et enthusiasmos. Hae praestigiae offusae oculis hominum, mirifice capiunt animos: suscipimus enim eos, qui cum Deo putantur habere commercia, ut Orpheum, aut Numam homines admirati sunt; denique naturaliter homines ad superstitionem propensi sunt. Significat etiam Augustinus se admiratione ac studio prodigiosarum disputationum invitatum esse, potissimum ut Manichaeis se adiungeret. Nam ardentia ingenia facile capiuntur novis et involutis disputationibus. Talium plena erat secta Manichaea, quae erat quaedam confusio ex Stoicis deliramentis, et ex veteribus haeresibus ac superstitionibus conflata. A Stoicis sumebant duos Deos, Lucem et Hylen: defendebant fatum Stoicum, ineptias de astris contra artem de motibus coelestibus docebant, prorsus tollebant libertatem humanae voluntatis. Reliqua ex haeresibus erant addita. Nec de Christo, nec de Spiritu sancto recte sentiebant, scelerate fingebant, autorem suae sectae Manichaeum, fuisse illum ipsum Paracletum, quem Christus promisit: iactitabant se suis ritibus consequi enthusiasmos. Haec pestis late vagata est, praesertim in Africa. Tanta est diaboli potentia, ut omnibus aetatibus horribiliter dilaceret Ecclesiam. Cum igitur Augustinus errore aetatis, tanquam ventis in has syrtes Manichaeorum delatus esset, paulatim, ut erat amans veritatis, attentius considerare dogmata coepit. Deprehendit igitur vanitatem sectae in materiis philosophicis, ut ipse inquit, quia Manichaei sine Arithmetica tradebant motus et congressus syderum commenticios et fabulosos, ac pugnantes cum vera computatione. Quare cum annos novem in ea secta versatus esset, et exercuisset Doctores, ac nominatim Faustum, errores refutans, non ille quidem tunc eluctatus est, sed tamen probare et amare sectam desiit. Mater interea assiduis lachrymis a Deo petebat filii emendationem. Et ostendit Deus se pios gemitus et vera vota exaudire. Divinitus enim accidit, ut Augustinus cum Romam traiecisset, mitteretur

a Praefecto Romano Mediolanum, ut exerceret ibi adolescentes in dicendo. Quanquam autem animo iam erat alieniore a Manichaeis, tamen portum tenere nullum adhuc poterat. Et ex dubitatione illa, ut fit, in Academicas opiniones incidit, diu nihil affirmans de religione. Quam multi nunc quoque cum se evolvere ex disputationibus non possunt, prorsus fiunt *ἄθεοι*? Sed divinitus ex hoc naufragio Augustinus ereptus est, quod et matris lachrymae pro eo interpellabant, et ipse, quanquam in dubitatione versabatur, audire tamen bonos Doctores, ac legere sacras literas non destitit. Narrat se tunc in Plotini libros incidisse, in quibus fuerint quaedam de natura Dei et de verbo aeterno, quae imitati sunt Philosophi, et astute transtulerunt ad sese, ut Christianae doctrinae autoritas extenuaretur. Sed tamen Augustinus ait se deprehensa fraude, eos libros abiecisse. Mirum certamen in hac historia conspicitur animi inquieti, omnia exquirentis et explorantis, ut veritatem inveniat. Multa monet hoc exemplum, videlicet, doctrina et meditatione opus esse, et ad agnoscendam et ad retinendam veritatem. Audiens igitur Ambrosium attente ac diu, cum una esset etiam mater, tandem Manichaeam sectam aperte relinquit, et sententiam Evangelii amplectitur. Cogitat etiam de ducenda uxore, ablegata concubina. Aliquanto post relicta artis professione totum se dedit sacrarum literarum studiis, et veris lachrymis deplorat priores suas tenebras. Tam diu mater una manet, donec baptismo initiari filium vidit. Postea cum redire in patriam cuperet, non voluit ipse ab ea divelli. Cumque mater in itinere mortua esset, multa prius cum filio de immortalitate, de doctrina Christiana, de Ecclesiae aerumnis collocuta, ipse susceptum iter non omisit, rediensque in Africam cum suis sodalibus, in patria aliquandiu tanquam in secessu vixit. Inde propter doctrinae famam evocatus est ab Episcopo Hipponensi Valerio ad munus presbyterii: in qua functione cum scholae eius Ecclesiae praeesset, dicitur sodalitio illam regulam morum et exercitiorum praescripsisse, quae extat. Nec aliud tunc fuit illud Collegium, nisi coetus scholasticus, ex quo liberum erat discere omnibus, qui aliud vitae genus appetebant. Etsi autem soli Episcopi concionabantur cum aderant, tamen Valerius iussit Augustinum, se praesente, concionari: quod quanquam gravatim faciebat Augustinus, ne Episcopi existimationem minueret, tamen postquam vidit serio hoc petere Episcopum, obtemperat. Ibi cum Manichaeos et Donatistas ita refutasset, ut plerique redirent ad sanitatem, reliqui vero oppido excederent, constituta tranquillitate eius Ecclesiae, Valerius se vivo curat hunc eligi Episcopum, ut prospiceret huius Ecclesiae incolumitati etiam in posterum. Id munus administravit circiter quadraginta annos, quo tempore varia ei cum multis haereticis certamina fuerunt. Magnam multitudinem ex Ethnicis etiam ad Evangelium pertraxit, quos facilius flexit, cum viderent eius doctrinam divinitus comprobari miraculis. Delevit reliquias Arrianorum in tota vicinia, publice revincens Foelicem Arrianum coram Magistratu. Profligavit et Manichaeos: sed omnium durissimum certamen ei fuit cum Donatistis, qui non tantum concionibus et scriptis turbabant Ecclesias, sed manifesta vi grassabantur. Erat factio Circumcellionum, qui per illam oram Africae passim seditiose vagabantur, et a se dissentientes alios interficiebant, aut male mulctabant. Hi tumultus edictis et severitate Imperatorum, vix tandem sedati sunt. Maxime autem Augustino infesti erant Donatistae, et quia ab ipso acerrime refutabantur, et quia eius diligentia perfectum erat, ut Imperator saevitiam eorum coherceret, et facultates quas Ecclesiae ipsorum tenebant, transferrentur ad pias Ecclesias, ne impii Doctores et eorum satellites, qui in provincia grassabantur, illis fruerentur. Cum autem saepe cum illis congressus sit Augustinus, disputando in publicis Synodis et coram Magistratibus, cum saepe insidiis vita eius petita sit, haec negocia et pericula duriter eum exercuerunt. Quare non existimemus fuisse ociosum Episcopum, aut tantum ceremoniis suis occupatum. Longe aliter de eo viro sentiendum est, qui tunc fere solus in excubiis fuit pro Ecclesia Christi, qui puritatem doctrinae contra tot impias factiones, quae multitudine et potentia instructae erant, et cum piis assiduum et *ἄσπονδιον* bellum gerebant, defendit, qui consilia Ducum et Imperatorum in multis rebus, quae ad publicam pacem pertinebant, gubernavit. Extant enim multae eius ad praesides epistolae graviter scriptae: cuius indicium et Italicos Episcopos reveritos esse videmus. Ut igitur Homerus boni Principis officia complexus est hoc versiculo:

Ἀμφότερον βασιλεύς τε ἀγαθὸς κρατερός τε αἰχμητής.

sic de bono Episcopo dici potest:

Ἀμφότερον συνετὸς κοσμήτωρ ἠδ' ἀγορητής.

Utraque arte opus est ei viro, qui praeest Ecclesiae, ut sit ad docendum idoneus, ac prudens in iudicandis negociis, in cavendis insidiis adversariorum, in tuenda tranquillitate Ecclesiae. Haec cum praestiterit Augustinus, fateri necesse est, bene meritum esse de Ecclesia Christi; lucent enim eius fides, constantia, prudentia, vigilantia, in illis turbulentis negociis omnibus, eius temporis.

Sed incidit tunc quaedam causa, in qua maxime eminet eius eruditio spiritualis, et ad quam reliqua certamina videntur quasi quaedam rudimenta fuisse. In hac peculiare beneficium Dei conspicitur, quod per Augustinum Deus Ecclesiae praestitit. Fuit quispiam Pelagius, Philosophiae, ut arbitror, studiosus, qui dum accommodare Christianam doctrinam ad Philosophiam conatur, astute corrupit piam doctrinam. Docuit legem Dei posse impleri: gratiam Evangelii, tantum esse legis cognitionem: naturam hominis integram esse ac sine peccato: homines iustos et beatos esse legis impletione, et hac mereri remissionem peccatorum. Haec, quia videbatur Evangelium pulchre congruere cum Philosophia et iudicio rationis, magno cum plausu excipiebantur in Italia, Gallia et Africa. Posidonius narrat, Innocentium Romanum Episcopum initio etiam non iniquum fuisse Pelagio. Sunt enim ex eo genere, quae vocat Paulus πιθανὰ, quae blandiuntur rationi. Sed unus Augustinus non solum vidit quid esset mali, sed etiam magno studio refutare errorem coepit. Coëgit Synodos, edidit plurima scripta, in quibus pene sepultam doctrinam de gratia Christi renovavit, ac restituit illam peculiarem Ecclesiae sapientiam, de iusticia fidei, ignotam mundo. De peccato originis clarius scripsit, quam ante ipsum scriptores omnes. Origenes invexerat perniciosas interpretationes in Ecclesiam de lege: Ex lege non iustificabitur omnis caro, id est, ex ceremoniis. Item: litera, id est, historica interpretatio, occidit; Spiritus, id est, allegoria de moribus, vivificat. Hos lapsus Origenis tunc quoque magnum periculum erat reprehendere: erant enim hae interpretationes passim receptae, et mordicus tenebantur. Quare plane prophetici spiritus fuit, unum virum et videre hos errores, et Paulo reddere genuinam sententiam, et audere a iudiciis superiorum dissentire: sicut plurimi ei obiecerunt, cur unus auderet refragari superiorum sententiis, magno consensu confirmatis.

Ornatus est Augustinus miraculis quibusdam, expulit Daemones, et quosdam aegrotos sanavit. Sed haec sunt longe praestantiora miracula, successus in gubernatione, et haec iudicii rectitudo, et fidei constantia, quod vidit Pauli sententiam de lege, de peccato, de iusticia fidei, et magno animi robore contra receptas persuasiones defendit. Tanta fuerat caligo, ut nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Haec ipsa vocabula, quae sunt praecipua in Ecclesia, quas res proprie significarent, ignorabatur, Lex, Evangelium, peccatum, gratia, fides, litera, spiritus. Hae tantae tenebrae depulsae sunt Augustini opera, qui quidem illas tantas res perspicere et iudicare non potuisset, nisi exercitia peculiaria spiritus degustasset. Cum autem maxime opus sit Ecclesiae, vera illorum locorum explicatione, decet nos omnes agnoscere Dei beneficium, cuius donum erat, doctrinae renovatio. Debetur et ipsi Augustino gratia, qui literis mandavit veram interpretationem ut posteritatem admoneret. Dixi de praecipuo Augustini merito, sed brevius quam magnitudo rei postulabat. Quod autem in tam difficilibus disputationibus interdum improprie aut incommode loquitur, venia ei danda est: Temporum ista erant. Nam aetas illa magis ad declamatoriam rationem dicendi, quam ad accuratas disputationes assuefacta erat, et difficile erat ex tantis tenebris materias illas evolvere. Rebus vero haud dubie prorsus congruit, cum sententia, quae Dei beneficio rursus illuxit in hac schola, et quidem ipso monstrante. Omitto quam multa prudenter et dextre responderit de variis negociis: Reprehendit superstitiosas opiniones de traditionibus humanis, monet non esse cultus Dei, et sine peccato omitti posse. Apparet tunc quoque dubitasse multos, quid de militia et civilibus officiis sentiendum esset; interrogatus igitur Augustinus recte et dextre respondit.

Hactenus tantum ut Doctorem laudavi, etsi haec quidem praecipua Episcopi laus est, non de caeteris virtutibus dixi, quae in gubernatione necessariae sunt, nondum de privatis moribus: de utrisque brevissime dicam. In gubernatione praecipua laus est iusticiae, quae vel severitate utitur cum causa postulat, vel lenitate, cum haec est utilior. Etsi autem nihil fuit in Augustini natura tyrannicum, tamen ita lenis fuit, ut non nimis esset indulgens aut lentus, ut satis declaravit in multis causis. Calamensibus qui seditiose impe-

tum fecerant in Ecclesiam, non remittit omnino poenam, etiamsi pro eis deprecabatur Nectarius. Et quidem inquit loquens de Ethnicis, se nolle ab iis rogari, a quibus Christus non rogetur. Bonifacium Comitem severe obiurgat, quod duxit ethnicam coniugem. Rursus multa leniter fecit. Non vult interfici militem, qui templum violaverat, sed iubet eum admoneri et ad poenitentiam invitari. Quidam donaverat certum fundum Ecclesiae, post annum mutata voluntate, repetit tabulas: Augustinus ne cum homine perfidioso litigaret, tabulas reddit. Fuit et privata vita plena optimorum exemplorum, pudicitiae et temperantiae. Odit maledicos, ut eius versiculi testantur. Fuisse amantem veritatis, indicant libri retractationum, quod suos errores ingenue fatetur et recantat. Egressus septuagesimum annum aetatis suae mortuus est, cum praefuisset Ecclesiae annos quadraginta foeliciter. Accessit illa calamitas in ultima senecta: vidit a Vandalis vastari Africam, qui cum passim omnia populari essent, cinxerunt obsidione urbem Hipponensem, in qua erat Augustinus, qui tunc luculentum illud opus scribebat, cui titulum fecit, contra Iulianum. Rogavit autem Deum, ut vel depelleret hostes, vel se ex his miseriis evocaret ad immortalitatem, quia non posset esse spectator expugnationis. Decessit igitur Augustinus anno Domini quadringentesimo tertio durante obsidione, ante captam urbem. Nec excussit ei fidem illa calamitas publica. Cum enim consuluisset eum vicinus Episcopus de fuga, an quaerendae essent latebrae, iussit eum Augustinus non deserere Ecclesiam; etsi enim ruebat imperium, tamen Deo Ecclesiam curae futuram esse. Atque ita accidit. Nam preces Augustini et aliorum piorum non erant irritae. Quanquam enim urbs Hipponensis capta est, tamen paulo post, hoc bellum sedatum est, cum Vandalis datae essent sedes in Africa, ac durarunt ibi Ecclesiae annos fere ducentos post Augustinum. Alii solent addere comparationes in epilogis laudationum, quorum consilium non admodum probo, nisi docendi causa fiat collatio. Prodest considerari, quid cuiusque scripta nobis conducant. Augustini lectio prodest in illis materiis, quas tractavit, nec vero quisquam tractavit plures materias. Scripsit diligenter de Trinitate, refutavit Manichaeos et Arrianos. Docet nos de gratia, et de insticia fidei in refutatione Pelagii. Docet de Ecclesia in refutatione Donatistarum. Tantum de dogmatibus, et tam utilia, nec Hieronymus nec quisquam alius scripsit. Caeterum alii sancti viri aliis virtutibus excelluerunt. Sed tamen anteferendi sunt illi, qui in administratione, in periculis, in acie versati sunt, cum caeteri essent ociosi. Recitavi historiam Augustini propter adolescentes. Quod enim exemplum magis hortari nos ad discendi curam potest, quam haec ipsa historia? Videmus qui fluctus excipiant eos, qui Ecclesiis praefuturi sunt, nec posse gubernatores tantam molem sustinere, sine magna doctrinae copia et varietate. Tot ac tam varias controversias tractavit Augustinus, quibus nullo modo par esse potuisset, nisi et multiplici eruditione instructus fuisset, et assiduum studium adhibuisset, ut promoveret. Docet pia pectora Spiritus sanctus, sed dona Dei discendo excitanda et cumulanda sunt, sicut Paulus hortatur Timotheum, ut sit assiduus in lectione, et addit: Non negligas donum Dei. Ignavis dona Dei effluunt, sicut ostendit parabola de talento. Tempora etiam nos moveant, ut in omnes bonas disciplinas, quae sunt Ecclesiae necessariae, maiore impetu incumbamus: Videtis enim non posse sine acerrimis dimicationibus puritatem doctrinae retineri. Conantur eam adversarii multiplici Sophistica obruere. Nec desinit diabolus subinde falsas opiniones serere, ut offundat incautis aliquid erroris, ut fecit in Paradiso. Quare subinde exoriuntur novae discordiae, ac plane fit, ut in veteri Comoedia dicitur:

ἅτερὸς πρὸς ἅτερὸν ἀλείφεται χεῖρε τε ὑπακονίεται.

Est igitur opus Ecclesiae bonis et doctis viris, quorum voce et scriptis propugnari gloria Dei possit. Ad haec certamina vos praeparate, nec vos iudicia indoctorum deterreant. Midae, Centauri, et vulgus partim contemnunt, partim oderunt literas: verum eo maiore diligentia ab omnibus piis et amantibus Ecclesiam, tuendae et ornandae sunt. Quare intueamur in exempla piorum, Pauli, Augustini, Ambrosii, et aliorum, qui cum fuerint studiosissimi, excitemus nos quoque ad discendi curam, quam quidem praecipit Spiritus sanctus, inquiens: Verbum Dei inter vos abundet. Dixi.

No. 59. an. 1539.

De Sebaldo Munstero.

Apud Craton. Myl. p. 460 sqq., in Declam. T. II. p. 466., in Servest. T. II. p. 458. et apud Richard. T. II. p. 640. — Mortuus est Seb. Munster d. 26. Oct. 1539.

Laudatio funebris Doctoris Sebaldi Munsteri, scripta a Vito Winshemio.

Abstulit atra dies nobis mortalia membra
Sebaldi, mergens funere saeva virum.
Spiritus aeternae sanctorum sede receptus,
Perfruitur laetus iam propiore Deo.
Ingenii decus, et virtus non occidet unquam,
Iuris in hanc solam mors habet atra nihil.
Hic igitur studia et vitam moresque pudicos
Dicemus simul et tristia fata viri.

Optarim equidem, si ita Deo Opt. Max. visum fuisset, ut vivo potius Doctori Sebaldo Munsterer, optimo et doctissimo viro, eam, quam pro ipsius virtute, atque ingentibus erga nos et hanc scholam meritis debebamus, observantiam et gratitudinem praestare possemus, quam mortuo hunc qualemcunque honorem habere. Neque enim parvam iacturam haec schola fecit, viri tanti interitu, nec mediocre vulnus omnes boni acceperunt, orbati hoc tam fideli consiliorum et laborum socio, et amico syncero ac iucundissimo.

Nos quidem hic acerbissimus casus tanto luctu ac moerore adflixit, ut vix quidquam in vita tristius nobis acciderit. Sed cum Deo visum sit, hoc tempore animam ipsius ex illius corpusculi sepulchro, et his mortalitatis tenebris evocare in lucem suam coelestem, nos nostra quidem causa dolere possumus, quibus huius viri dulcissima consuetudo adempta est. Illius autem vicem si doleamus, parum fortasse pie id facere videamur, in eoque diligendo magis nostrae quam illius utilitati servire; nam sacrae literae nos prohibent queri de eo, quod Deus de vita aut rebus nostris vel amicorum statuit, cum constet eius voluntatem ut immutabilem, ita clementem ac paternam erga nos esse. Et adeo praeclare cum illis agitur, qui hoc praesertim tempore vitam cum pia morte permutant, ut qui illorum interitum gravius doleat, magis sua, quam illorum causa id facere, magisque seipsum quam illos vehementius diligere videri possit.

Sed cum in tam tristi casu lachrymas tamen tenere non possimus, et illa commiseratio a natura animis nostris infixa sit, ut dictum est a Poëta:

Sunt lachrymae rerum, et mentem mortalia tangunt.

ignoscet id nobis Deus, quod subito hominum charorum interitu commovemur, et imbecillitati potius nostrae illud quam diffidentiae adscribet. Non enim id eo facimus, quod de benignissima divini patris voluntate erga illos vel nos dubitemus, aut quod male cum illis agi putemus, qui humanis rebus eximuntur, hoc est, infinitis aerumnis ac miseriis liberati, in illam coelestem patriam transferuntur; sed quia vel hunc affectum, ut dictum est, nobis a natura tributum, non facile exuere possumus, vel hoc officium amoris et benevolentiae illis praestandum ducimus, quorum nobis memoria merito grata et iucunda est, vel eum honorem virtuti illorum deberi censemus, quibus nullus honor tribui non debitus potest.

Etsi igitur inane hoc nostrum vel studium vel officium videri potest, et ob eam causam in reprehensionem fortasse quorundam incurret, nos tamen non pigebit hanc qualemcunque benevolentiae et gratitudinis significationem praebuisse, in eorum saltem morte utcunque decoranda, quibus nullam aliam gratiam referre iam possumus.

Olim adolescentes, ut ingeniorum aut industriae specimen aliquod exhiberent, propinquos in funere pro rostris laudare solebant, multisque id laudi fuit, et ille velut primus aditus ad noticiam et famam hominum atque honorem habitus est. Ego vero mihi non aliquam ex hac re ingenii laudem capto, quod intelligo, quam in me vel nullum, vel perexiguum sit, verae eloquentiae, quae in id aetatis hominem ne quidem cadere potest, nisi quis, officii hanc laudem, aut obedientiae esse putabit, quam equidem non repudio. Scio enim quam nullum sit maius ornamentum adolescentiae, quam verecundiae et obedientiae laudem. Sed quia mihi haec velut funebris oratio instituta est, omissa longiore praefatione, ad rem ipsam, ut potero, accingar.

Ac primum de moribus et vita Doctoris Sebaldi nihil attinere puto, ut pluribus dicam, cum ea maiori parti vestrum nota sit. Scitis enim eum his lenioribus virtutibus, modestia, temperantia, iustitia, verecundia et innocentia summe ornatum fuisse, his ille ducibus vitam placidissime exegit, utque vixit nulli mortalium molestus, ita et mor-

tuus est. Ingenium illi fuit mite ac placidum, dixisses hominem ad humanitatem et mansuetudinem, quasi divinitus sculptum et factum. Hanc ipse naturae lenitatem studio quoque et meditatione tuebatur, summa diligentia cavens, ne quod duriter a se aut aspere non modo fieret diceretur ve, sed ut et in aspectu, incessuque, et omni denique animi corporisque habitu ac motu eandem suavitatem ac lenitatem conservaret. Et si, ut est, verecundia recte ornatus vitae, et custos omnium virtutum a Cicerone dicitur, hanc ille virtutem vel potius virtutum omnium reginam ac moderatricem inde usque a puero in omni vita et actione illibatam summa cura retinuit. Adeo ut nonnullis parum animosus, et ob eam causam ad id genus doctrinae, quod tractabat, minus idoneus videretur, at ille non tanti ducebat ullum adplausum, ut propterea verecundiae septa transilire vellet, non enim profanae multitudinis iudicio, sed recta ratione, quid deceret metiebatur, atque si etiam peccandum esset, malebat iuxta regulam Isocratis in hanc quam illam partem peccare; minus enim turpe putabat plusquam conveniret timidum se quam impudentem indicari. In reliqua vero vita et moribus nihil erat illo pudicum magis, nihil ab omni turpitudine remotius. Et quod in talibus ingeniis accidere solet, quae ad humanitatem et clementiam cum natura ducuntur, tum vero per omnem vitam adsuefacta sunt, ut sint, *ἠθικώτερα* et ad omnes illos leniores motus, ac praecipue *στοργὰς* molliora, ita quoque Doctore Sebaldo nihil erat magis *φιλόστοργον*, nihil amore et benevolentia in suos profusius.

Sunt nonnulli, praesertim ex Satrapis illis, qui errore mentis eam fortitudinis laudem ducunt, si vel erga uxorem et liberos duriores sint, vel saltem esse videantur, laedi suam existimationem rentur, si quod erga suos amoris aut benevolentiae signum ostendant: sed ut apud Euripidem Amphitryo praeclare dicit, se parvorum nepotum curam non adspernari, sed illos secum velut *ἐφολκίδας* manu ductare, seque hoc officium viro bono dignum indicare, ita Doctor Sebaldus in optimam coniugem et dignos tali patre liberos clementissimum se ac benignissimum praebebat parentem, ita tamen, ut nihil prius nec antiquius haberet, quam ut liberi ad pietatem, virtutem, ac optimarum rerum studia erudirentur; erat igitur eius domus, quaedam modestiae ac verecundiae, et sanctissimae disciplinae schola.

Res familiaris illi, ut scitis, non ampla fuit, imo ne mediocris quidem, sed tenuis et pene affecta, planeque talis, qualem Salomon a Deo optat, cum ait: Demensum meum da mihi. Atqui scimus non paulo maiorem virtutem esse, re modica et sua contentum vivere: fortunam, qualiscunque a Deo contigit, boni consulere, eaque pie ac honeste uti, non inhiare alienis facultatibus, nemini invidere, nullius cursum impedire, quam ingentibus opibus quocunque modo quaesitis, splendide uti. Patrimonium ille hoc pulcherrimum et amplissimum suis relinquere studebat, nempe, famam paternae probitatis et vitae, liberorum piam ac rectam institutionem: alterum quidem plenissime consecutus est, alterum praeclare inceptum immatura mors interrupit. Atque utinam multos tales patresfamilias iam civitates haberent, quorum domus, ut Doctoris Sebaldi fuit, essent velut parvae quaedam Ecclesiae, in quibus Christiana disciplina ac doctrina vigeret, tum procul dubio melius et Respublicae essent habiturae, et minus horribilium exemplorum haec aetas paritura.

Dixi de moribus et vita huius viri, ut potui, breviter quidem, de studiis et doctrina eadem brevitate experiar. Prima enim aetas illi acta est in iis literis, quae si ullo in homine, in illo certe, nomen, vimque suam comprobarunt; nihil enim illo humanius, nihil suavius, nihil mitius fuit, aut tractabilius. Atqui ab eo effectu studia humanitatis dicta esse constat, quod, ut Cicero ait, ad percipiendam colendamque virtutem adiuvent, atque illud *ἠθικὸν*, hoc est, suavitatem et mansuetudinem, in animis, moribus et vita hominum efficiant. Ut vero alia terra cultui magis obediens est, alia minus, ita ingenia quoque alia aliis facilius flectuntur, formanturque doctrina. At Doctori Sebaldo inde usque a pueritia ingenium contigit lene ac humanum, quod postquam disciplina et literis excoli coepit, facile omnes venustate ac suavitate morum superavit.

Deinde progressus aetate, de sententia amicorum Ius civile discere coepit, in eiusque tractatione non quidem infoeliciter, fideliter certe versatus est. Quumque natura a litibus et strepitu fori abhorreret animus, tranquillitati et quieti natus, quique magis benevolentiae, quam litium iura exercere consuevisset, non ille quidem foro prorsum abstinuit, sed tamen in interpretatione iuris ac docendo potissimum operam consumpsit,

in qua re praecipue integritas ipsius, innocentia et iusticia eluxit: non enim ad calumniam, non ad acerbitatem, non ad cupiditatem, non denique ad quaestum id studium contulit. Non igitur ille magis Iuris consultus quam iusticiae dici potuit, qui, ut de Servio Cicero praedicat, quae a legibus et a Iure civili proficiscebantur, semper ad facilitatem aequitatemque referebat, neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. Hoc vero cum in omni vita tum in studiis, et illo doctrinae genere, in quo versabatur praecipue sibi propositum habuit, ut se, quantum posset, contraheret, suoque, quod aiunt, pede metiretur, et quod ille de Mecoenate dicit:

Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras.

id de Doctore Sebaldo verissime dici potuit; sua enim sorte, utut esset, summe contentus fuit, sublimes et splendidas conditiones, ut molestiarum, periculi, atque invidiae plenas, fugere solebat, subinde hoc subiiciens, quod est a Poëta sapienter dictum:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Huius igitur voti sui prolixe compos factus, id consecutus est, quod paucissimis contingit, nempe, ut et in negociis sine periculo, et in ocio cum dignitate viveret. Planeque eum vitae cursum tenuit, quem cum omnes docti ac sapientes viri semper sibi exoptaverint, pauci tamen tenere potuerunt, praeclare enim ille dixit, quicunque fuit:

Foelix ille animi divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuae tranquilla silentia vitae.

Cum igitur illi vitae instituto, quod sibi certo iudicio delegerat, praelegendi ac docendi munus maxime convenire statuisset, statim ad id coepit animum adplicare, multumque ea in re ingenii dexteritate, multum fide, plurimum vero diligentia et assiduitate discentibus profuit. Non pauci velut aditu ianuaque ab ipso patefacta, ad intima penetralia eius scientiae foeliciter introgressi sunt, quique in hac schola non infimo loco sunt inter Iureconsultos, hi se Doctori Sebaldo debere, quidquid in ea doctrina profecerint, ingenue fatentur, ab ipsius enim diligenti ac fideli institutione progressos, haud difficili cursu eo quo voluerint, pervenisse.

Id si quis in parva laude ponendum censet, is mihi haudquaquam res eo quo merentur pondere metiri videtur. Nam qui ingenia praeparant, ut Reipub. possint esse usui, quique illud seminarium politiae, nempe, iuventutem fovent atque excolunt, ut tempestivos inde fructus civitates possint percipere, hi non paulo melius de rebus humanis mereri existimandi sunt, quam qui ad ipsa rerum gubernacula sedent. Hi enim, quantum forte in uno Nestore est, Reipub. commodant, at illi decem pluresve Nestoras ex sua schola producunt. Regunt hi ac tuentur unam aliquam civitatem, illi multis civitatibus gubernatores instruunt. Denique eorum, qui Rebuspub. utiliter praeesse possent, brevi vel nullum, vel perpaucos habituri essemus, si docentium industria laborque cesset.

Etsi igitur vulgus vilem operam Reip. eos navare putat, qui iuventutem erudiunt, tamen si quis istā vera ratione, et pro magnitudine utilitatis expendat, intelliget nullum genus hominum non Respublicas modo, sed et Ecclesiam perinde continere ac stabilire, ut eos qui primam illam aetatem sana doctrina et optimis opinionibus imbuunt, praesertim si quis cum reliqua doctrina studium verae pietatis ac religionis coniungit, id quod Doctorem Sebaldum enixe scimus fecisse: eam enim doctrinam, qua Christiana religio continetur, cupidissime amplectebatur, ad eamque et studiorum suorum, et universae vitae cursum dirigebat, a librorum sacrorum lectione quotidie sua studia auspicari, in eaque desinere et conquiescere solebat. Et ut ipse in omni vita pie affectus erat erga Deum ac Christum, ita familiam quoque suam, liberosque ac discipulos ad eandem pietatis curam summo studio nitebatur transferre. Neque id modo sanctissimis cohortationibus, verum et exemplo suo, moribusque ac vita efficiebat, quam cum pie, sobrie, casteque exigeret, vel tacitus suis tamen calcar addebat ad eandem sanctimoniam amplectendam.

Dedit vero illi Deus, ut vitam placidam ac tranquillam, ita animum ad omnem fortunam ferendam aequissimum. Solitus erat subinde, si quid forte tristius, ut sunt humana, accidisset, seipsum hac voce consolari, ut diceret, se ista, qualiacunque essent, boni consulere, quod sciret nomen suum adscriptum esse numero sanctorum in coelo. O vocem piam, et quam nullum aliud nisi Christo devotum pectus potest emittere: qui-

que sic affectus est, eum nulla quantumvis saeva tempestas concutiet. Et si, ut ille ait, fractus illabatur orbis, ferient impavidum ruinae.

Praestitit vero erga quoscunque potuit benignitatem homine Christiano dignam, summa voluntate quibus potuit, et re, et consilio, et officio inservivit, omnem sibi diem periisse ratus, quo non beneficio quopiam aliquem sibi demeruisset. Denique in eo ipso beneficentiae cursu vitam reliquit. Nam dum eos qui pestiferi morbi contagio infesti erant, in domum suam benigne accipit, dum etiam a mensa non arcet, dum vitae eorum ac saluti consultum cupit, dum morientibus adest, dum famularum eodem morbo correptarum congressus neque ipse nec uxor vitant, eas benigne fovent curantque, contrahunt sibi eandem luem, qua et intra paucos dies ambo consumpti sunt. Quibus quid aliud vitam abstulisse dicamus, quam ipsorum fidem et benignitatem?

Porro pietatem suam erga Christum, et fidem, Doctor Sebaldus vel praecipue declaravit, in hoc extremo rerum suarum actu, qui qualis cuiusque anteacta vita fuerit, plerunque solet ostendere. Non enim illum coniugis optimae et dilectissimae interitus, quae paucis ante ipsum horis elata est, non violentia morbi ingravescentis, non tot parvorum liberorum orbitas, solitudo, egestas, non haec, inquam, tam multa tamque gravia vulnera illum ab eo, in quo constiterat, gradu, Christianae constantiae et patientiae potuerunt deiicere: imo insultabat ille dolori, insultabat morbo, insultabat denique morti. Cum enim amici quidam consolandi causa ipsum adiissent, paucis ante obitum horis, ostendit illis anthraces et pestifera hulcera quae in manu et brachio eruperant: Et quam vobis, inquit, istae armillae et preciosae gemmae placent, quibus me Christus meus exornavit? Cumque illis hoc dictum lachrymas excussisset: Atqui, vos haec, inquit, neutiquam vilia ornamenta iudicaveritis, cum hoc enim nuptiali vestitu ad coeleste convivium cum Christo meo in perpetuum celebrandum sum iturus. Sic ad illud aeternum praestantissimarum ac sanctissimarum animarum concilium migraturus, sic denique Deo redemptori meo placiturus sum.

Hae voces satis declarant, illi iam ante mortem, omnem sensum morbi mortisque exemptum fuisse, et ipsum iam tum cum haec diceret, oculis suis in illam aeternam sedem foelicitatis respexisse. Quidquid enim doloris in animo haeserat ex optimae uxoris interitu, quidquid cruciabile vel in aegrotatione, vel in morte fuerat, quicquid curae aut moeroris illi filiorum orbitas afferre poterat, id universum tolerabile sibi reddiderat, planeque superaverat, quia se totum tradiderat divinae voluntati.

Laetus igitur ac velut triumphans ex hac vita emigravit, imo vero ex tenebris et morte, in lucem, veramque ac aeternam vitam commigravit. Atque talem quidem vitae exitum soli sancti, Christoque per fidem uniti sortiuntur, ut de divo Stephano praeclare dictum est:

Ibat ovans animis et spe sua damna levabat.

Hi enim soli mortem, ad cuius saltem nomen vel mentionem totus orbis contremiscit, contemnere didicerunt. Hi dolori, aegritudini, moerori, in summis et acerbissimis adflictionibus medium unguem ostendere norunt. Sic Christus in suis cum maxime infirmus videtur, fortissimus victor existit. Sic ille semel morte, peccato, et inferorum portis expugnatis, gloriosissimum egit triumphum: sic adhuc quotidie per sanctos suos triumphat.

Sed redeo ad Doctorem Sebaldum, cuius interitus, vel potius transitus in meliorem vitam, ipsius quidem causa nobis dolori esse non debet. Nam eo quidem tempore, eoque statu rerum vitam reliquit, quo nihil admodum ipsum ad vivendum potuit invitare. Ita vero sancte pieque mortuus est, ut tam nobis certum esse debeat ipsum iam cum Abrahamo, Davide, divo Paulo, aliisque sanctis, cum Christo denique frui aeterna sapientia, aeternoque splendore ac veritate Dei. Hoc, inquam, tam certum nobis esse debet, quam certa ea sunt, quae oculis cernimus, quaeque manibus palpamus. Et ut magna haec est consolatio Christianis mentibus, cum fratres suos vident, tam foelici fato defungi, sibi quoque mortem talem, et eandem aeternae foelicitatis haereditatem animo proponentes, ita huic mundo Deus gravissime minatur, cum sanctos suos ad se revocat, cum per mortem eripit ingentibus malis, quibus impios est puniturus.

Esaias ait: Iustum interire, et homines id minime considerare: sanctos colligi a Deo, nemine id observante. Cum ipsi atrocissimis poenis, quae sunt oppressurae impios, morte sua liberentur, et post hanc vitam aeterna quiete ac tranquillitate perfruantur, caeteros et in reliqua vita maneant horribiles plagae, et post eam sempiterni infero-

rum cruciatus. Ita sub tempus excidii populi Iudaici, Deus Apostolos et sanctos suos, alios alio casu, partim ad se transferebat, partim ex iis locis abducebat, per quae illa horrenda tempestas itura erat. Et fuerunt haec semper haud obscura indicia maximarum calamitatum impendentium, cum boni atque pii paulatim suo quisque fato sublati sunt, ne tantum dolorem caperent ex ruina et vastitate rerum, neve in ipsos quoque aliqua pars eorum fluctuum redundaret. Non tantum enim per defectiones solis, aut lunae, per stellas crinitas, per columnas ignis in aëre volantes, per alia id genus ostenta, mundo exitium Deus praenunciat, sed et per sanctorum suorum interitum, quos cum velut triticum separat colligitque in horreum suum, significat se paulo post incendio daturum esse paleas.

Debebant igitur saltem haec exempla ad poenitentiam revocare homines, si non plane excordes, et obsessi a Satana essent. Sed nimium vere dixit Esaias, ista non curari a mundo, ruunt in exitium suum, et quidem horribile atque aeternum, homines, non secus ac qui rabie conciti ferro ac propriis dentibus viscera sua lacerant, et totus mundus tristissimum spectaculum est ista consideranti. Pii vero his exemplis fidem suam confirmant, ac velut e propinquo spem suam contemplantur, vident iam portum tranquillitatis atque aeternae salutis, in quem et ipsi ex hoc turbulento mari foeliciter sint ingressuri. Vident contra horrendas procellas et charybdes, quae impios sint absorpturae, illos monent, multisque cum lachrymis obtestantur, ne ita miserabiliter pereant, praedicunt illis exitium, revocant, servare conantur. Sed surdo canunt, neque id tantum, verum et pro gratia saevissimum odium, persecutiones et dira supplicia lucrifaciunt, talia σῶστρα reddunt homines sanctis, reddiderunt et ante Christo salutis autori. Non igitur mirum, si ira et poenis divinis inundat hic mundus. Nihil enim tam saevum aut horribile cogitari potest, quod non ista impietas longe exuperet.

Sed desino queri de pravitate mundi, cuius, sicut verissime dictum est, ea est natura, ut neque vitia sua, nec remedia ferre possit. Ad Doctorem Sebaldum redeo, de quo mihi haec instituta est oratio, cuius interitus, etsi nobis quidem luctum ac moerorem attulerit, qui optimo viro, fidelissimo amico, homine utili in hac schola orbati sumus, tamen id nos vicissim consolari debet, quod ut illum ad aeternae foelicitatis sedem hinc translatum esse non dubitamus, ita nos quoque, ubi miseriis huius vitae perfuncti erimus, eodem perventuros esse scimus, ubi cum eo, aliisque praestantissimis ac sanctissimis viris de rebus coelestibus, de infinita bonitate ac sapientia Dei, et praecipue de hoc inenarrabili beneficio ipsius, quod Filium suum pro nobis peccatoribus redimendis tradidit, commentabimur, quaeque nunc tenebris huius carnis involuti, obscure ac velut per transennam cernimus. ea tunc clarissima in luce non videbimus tantum, sed et in aeternum iis in summa laeticia et foelicitate perfruemur. Praeclare divus Bernardus: Mors, inquit, impiorum pessima est, quorum et nativitas mala, et vita peior. Sed preciosa mors est sanctorum, plane inquam, preciosa, ut quae et finis laborum est, et victoriae consummatio, aditusque et ianua ad vitam ac aeternam securitatem. Dixi.

No. 60. an. 1539.

De Guelpho etc.

Prodiit haec oratio simul cum alia: „Oratio I. Ionae de studiis theologicis. Declamatio scripta a Vito Winsemio, in qua recitatur, quomodo Guelphus — — —." Viteb. 1539. 8. Cf. Strobel. bibl. Melanth. No. 216. — Recusa apud Crat. Myl. p. 346 sqq., in Declamat. T. II. p. 606, in Servest. T. II. p. 595. et apud Richard. T. II. p. 858.

Declamatio scripta a Vito Winshemio, in qua recitatur historia, quomodo Guelfus Dux Bavariae liberatus sit periculo in obsidione Winspergensi, coniugis suae honestissimo et tamen vafro consilio.

Quod facere solent hi, qui vel apud eos dicunt, quorum de voluntate incerti sunt, vel causam dubiam et parum firmam agunt, vel nulla officii necessitate coacti, tantum ἐκ περὶ οὐσίας ociose ludunt, ut auditorum benevolentiam initio dicendi sibi sollicite et accurate, ad id elaborato exordio venentur, id ego in praesentia penitus praetermittere, et iuxta Atticas leges ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων protinus ab ipsa re incipere constitui, quod ut faciam, duplici ratione adducor. Primum quod mihi persuadeo, vos Adolescentes, tam favere his scholasticis exercitiis, quam ea scitis ad publicam scholae, ac vestram utilitatem, non minus salutari, quam fideli consilio instituta esse.

Deinde quia eiusmodi argumentum affero, quod ipsum per se delectare auditores potest, etiam si sine Oratorio splendore recitetur. Nihil enim efficacius est ad movendos animos bonorum, ipsa virtute. Commemorabo autem, quoddam factum Imperatoris Chunradi Suevi, quod utinam ego tam dicendo ornare possem, quam exemplum memorabile est, et plenum humanitatis, summaque laude dignum. Plurimum vero moribus, haec moderationis et clementiae exempla conducunt, quia in eis τὸ ἠθικὸν, quod ut suavissimum, ita in primis amabile est, praecipue lucet. Et nescio an unquam magis opus fuerit, proponi talia, quam hoc nostro vere calamitoso et turbulentissimo seculo, quo tanta est hominum atque ingeniorum feritas et violentia, quantam vix credi potest ullis retro temporibus fuisse. Merito vero nos magis nostra, quam externa movent: nam ingratitudo quaedam est, tantum peregrina et procul adscita admirari, sua ac domestica negligere. Quemadmodum enim quidam homines hoc vitio oculorum laborant, ut tantum quae procul posita sunt, videant, proxima vero, quaeque ante pedes sunt sita, non animadvertant: ita quidam hoc animi morbo affecti sunt, ut nihil ament nisi peregrinum et procul petitum: fastidiant atque adspernentur, quidquid vernaculum, et domi natum est. Qui vero rectius mente valent, hi sua primum bona agnoscunt et amplectuntur. Nam cum oraculo iubemur nos ipsos nosse, id eam opinor vim habere, ut tum vitia, si qua in nobis haerent, tum etiam bona nostra noscamus, illa ut corrigamus ac vitemus, haec ut excitemus, et augeamus, iuxta veteris proverbii sententiam: Spartam, quam nactus es, eam ornes. Est vero operae precium videre, quanta fuerit simplicitas, probitas, et humanitas maiorum nostrorum veterum Germanorum, quorum facta, si literis prodita, si ab historia lucem accepissent, ut quae a Romanis et Graecis gesta sunt, cum utrisque haud dubie, essent omni genere praestantissimarum virtutum certatura. Sed fuit illa aetas literarum et eloquentiae rudis, quae nec describere commode, multo minus ornare tot insignia facta, et res praeclare gestas potuit; Principes vero ipsi magis effectores magnarum rerum, quam ostentatores esse studebant. Hinc factum est, ut multa illustrissima, et admirabilia virtutis opera, diuturnitas temporis et oblivio aboleverit: quaedam tamen, velut ex incendio aut ruina erepta, ad nostrae usque aetatis memoriam permanarunt. Ex quibus facile adparet, quam multa praeclara, et immortali fama atque admiratione digna, interierint, et vel hinc aestimari potest, quantum sit in rebus humanis literarum beneficium, quibus debemus, quod aliquid, quidquid est, adhuc eorum restat, quodque non ad unum omnia, una cum corporibus, eodem pulvere obruta ac sepulta sunt. Nos vero iis, quae extant, perfrui decet. Quapropter historiam quandam rei, a Chunrado Suevo Imperatore gestae, hoc in loco, ut potero, commemorare decrevi, in qua videre est insigne exemplum pietatis, humanitatis ac summae moderationis. Eam dum breviter expono, vos benigne spero, pro vestra facilitate atque aequanimitate auscultaturos esse. Gessit hic, quem dico, Imperator Chunradus Suevus, cum alia multa bella, propter legum et insticiae defensionem, et componendam ac stabiliendam in Imperio pacem, tum vero contra Guelfum diuturnum, varioque eventu bellum gessit. De cuius belli causis, non dicam in praesentia, ne mihi, dum singula persequor, accrescat oratio, quam ego, ut brevis sit, in pauca redigere studeo, sed tamen satis graves ac necessarias fuisse constat; nam nostri homines non temere, nec levibus de causis, bella suscipere, aut arma movere consueverunt. Erat autem ille Guelfus Bavarorum Princeps, et nonnulla Sueviae oppida tenebat. Atque ab ea familia Comites a Zollern, deinde originem duxisse, argumento est, catulus insigne gentilitium eius familiae, quem et Marchiones Brandenburgenses, qui eosdem sui generis ac sanguinis autores ferunt, ut vetustae originis monumentum in galeis gestant. Inter hunc igitur Guelfum et Chunradum Suevum, cum per aliquot annos, variante fortuna eventum, belligeratum esset, et ancipiti saepe Marte pugnatum, vulnera multa nunc illata, nunc vicissim accepta, tandem constitit id bellum ad oppidum Winsberg. Quem in locum Guelfus omnes vires suas contulerat, eumque communierat, ut, cum armis tutare impar esset, vallo ac moenibus sese tutaretur. Obsessus est igitur a Chunrado, et post multas ac difficiles oppugnationes, quas sustinuit fortiter, tandem armis, et extremo humanorum malorum, fame expugnatus, coactus est irato victori, quibuscunque conditionibus, se et suos dedere. Ibi Imperator praecepit, ut Guelfus, caeterique, qui cum eo obsessi fuerant, Barones et equestris ordinis viri vincti in custodiam traderentur, ut in eos iure belli propter

rebellionem animadverteret, oppidum a militibus diriperetur, cives vitam ac libertatem retinerent. Tunc Guelfi, caeterorumque nobilium uxores, antequam portae aperirentur, petiverunt, ut sibi salvis abire liceret, portantibus de suis rebus, quantum unaquaeque posset. Quod cum a clementi victore et optimo Principe facile impetrarent, capiunt mulieres consilium, pium ac memorabile: nam cum hostes, eas aurum et gemmas, mundumque muliebrem, aut pecuniae aliquid secum elaturas putarent, illae omnibus his rebus militum praedae relictis, maritos suos in humeros sublatos, et parvos liberos in sinu atque amplexu tenentes, urbe exportabant. Vidisses agmen mulierum, cuius agminis Dux erat Principis Guelfi uxor, per media hostium castra et tela incedere, gestantium dulcissima pignora sua, et lachrymis profluentibus, atque hoc ipso facto suam pietatem testantium. Fiebat concursus ex totis castris, ad hoc mirum novumque spectaculum effundebantur certatim omnes, varii interim sermones serebantur, ita ut fieri solet, aliis humanam sortem, tristemque casum miserantibus, aliis pietatem et neutiquam muliebre inceptum matronarum pleno ore praedicantibus, nonnullis et indignantibus, ac leges deditionis isto dolo violari frementibus: prodierat et Imperator, militum per tota castra concursatione motus. Qui, ut ingeniosam philostorgiam mulierum vidit, subito ad hoc spectaculum ira, etiamsi non iniusta, optimi Principis resedit, amplectitur toto animo illam pietatem, miseretur afflictorum, memoria suae quoque conditionis, hoc est, mortalitatis et fragilitatis humanarum rerum animo eius subit, non potest amplius irasci, non potest odisse eos diutius, quos tanta virtute ac pietate praeditos videbat: foelices quidem, quibus a tali victori vinci contigit, at multo foelicior ipse, qui antea hostem, nunc seipsum, quod non paulo difficilius erat, multo generosiore ac praeclariore victoria superavit. Optabile est, inquit Euripides, in hostem sapientem, nec stolidum incidere, cum hic superior factus tantum saevire soleat: apud illum verecundiae, iusticiae, veniaeque locus sit. Hoc, ut in rebus adversis, neutiquam adversum contigit Guelfo, ab eo enim hoste victus est, a quo illi etiam optabile erat vinci. Falisci, cum se ultro dederent Senatui Romano, non quidem armis eorum, sed iusticia et humanitate Camilli superati: Victi sumus, inquiunt, P. C. a vobis vestroque Imperatore victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam invidebit. At nunquid haec quoque Chunradi victoria talis fuit, quae haud dubie Deo summe placuit, et cui livor ipse nihil detrahere potuit, nec eius ullam partem sibi fortuna vendicare? Et tamen non decrant ex aulicis, qui id graviter acciperent, quique Imperatori saeviendi autores essent, ut sunt Principum domus fecundae crudelibus consultoribus. Et saepe fit, ut Principe nihil melius sit in aula. Circumsonabant iam aures eius impiis atque inhumanis vocibus, iubentium eum suo iure in victos uti, et collo mulierum detrahere maritos, amplexu matrum liberos avellere, non enim corpora illis virorum et liberorum donata, sed quantum de ornatu aut rebus aliis quaelibet auferre posset, leges pacis per fraudem violari. At tua, inquiunt, Imperator existimatio, et imperii dignitas ac maiestas agitur, ne his impune sit, arma contra te movisse: quos si ita aperte tibi illudere, et incolumes hinc abire patieris, non dubium est, quin importuna haec clementia plures ad rebellionem sit invitatura. Magnifice haec, nec prorsus falso iactabantur, et poterant mentem etiam per se placabilem irritare, praesertim cum callida haec et speciosa conditionum ac iuris interpretatio crudelitati praetexeretur. Sed erat Chunrado pectus non penetrabile telo calumniae, aures non admittentes, nec ad animum perferentes istos sermones, et quemadmodum de Latino Virgilius ait:

Ille velut pelagi rupes immota resistit,
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quae sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, scopuli nequicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Utque sagittae a duro firmoque scuto resiliunt, ita isti sermones in pectore virtute roborato non haerebant, sed animus tantum in huius pietatis admiratione defixus erat, et ut oculos suaviter virens color, aut aures dulcis concentus, ita animum generosum totum ceperat, occupaveratque conspectus virtutis: Egone igitur, tantae virtuti ac pietati iram meam non condonem, qui saepe multo levioribus causis condonaverim? plusque apud me valebit offensio prior ad perniciem horum, quam praesens admiratio virtutis ad salutem? Scio quam dulce sit ulcisci inimicos, praesertim eos, quibus iuste irascaris, sed hoc quoque scio praeclarum et laudabile esse, illum impetum cohibere ac refrenare. Scio decere Regem severitatem, sed idem non ignoro, quam non deceat eundem

30 *

saeva, et inexorabilis ira, mihi vero horum tacita pietas supplicat. Graviter illi in me deliquerunt, commeruerunt poenam, esto, sed Rex debet se talem praebere civibus, qualem sibi Deum velit: ego autem quam saepe, et quam multo gravius contra Deum pecco? cui si quoties causa est puniendi, toties et voluntas esset, quae illi fulmina, quae tormenta inferorum in meas unius poenas sufficerent? Nam quod conditiones pacis quasdam durius atque inclementius interpretari audio, quanto honestius est nos audire vocem nostrarum legum, quae odia restringere, favorem vero ampliare iubent? Quanto aequius conditiones pacis flectere ad laudem, non ad fraudem? quantoque Principe dignius, magis ad clementiam quam saevitiam ingeniosum esse? Cum his atque aliis hoc genus sermonibus eos refutasset, qui illius crudelis sententiae autores fuerant, iubet mulieribus nunciari, bonum animum haberent, nec a se quidquam triste metuerênt, daturum se operam, ut praemium pietatis apud se positum sentirent: imperat deinde ad se acciri victos, et ut res etiam suas salvas retinerent, pronunciat: Deque foedere ac pace cum eis aequissimis conditionibus egit. Et cepit uberrimum fructum illius clementiae suae, neminem enim deinde fideliorem aut amantiorem sui in imperio habuit Chunradus, quam Guelfum, et qui cum eo capti, vitam ac res suas beneficio Imperatoris retinuerant. Et dignus erat, quem omnes mortales benignissimi ac mitissimi parentis loco amarent, omnique genere observantiae ac pietatis colerent, qui iram et ius suum in victos remisit, condonavitque virtuti ac pietati, quem non offensae priores, non praesens dolor et ira, quae clementiae, aequitati, moderatis consiliis inimicissima est, eaque neutiquam iniusta, non ipsa victoria, quae natura insolens et superba esse solet, non multipliciter circumsonantes auribus crudeles instigantium voces perpellere potuerunt, non speciosus ille conditionum praetextus invitare, ut saeviret, retinuit eum, non ut Achillem, apud Homerum Pallas, sed pietas, ad eius conspectum statim ira conquievit cessitque subiit in locum illius mitis ac placida animi affectio, induitque eum ipsum habitum, quem in victis perspexerat: tanta vis est virtutis, ut etiam in hoste habeat ingentes stimulos admirationis et amoris. Praestitit igitur animum plane paternum erga hostes, indicavit pro peccato magno paululum supplicii satis esse, ostendit iram et severitatem in abdito, clementiam vero in promptu se habere, ad vindictam non nisi coactum, ad clementiam sponte currere; et declaravit re ipsa verum esse, quod dicitur *ἐσθλῶν φρένες εὐακέσταται.* Nam hoc certissimum argumentum est bonae mentis non esse, *μνησικακὸν*, non tenacem offensarum, haec proprie divina virtus est, et qua homines quam proxime ad similitudinem Dei accedunt. In magnis igitur et heroicis animis ea praecipue lucet, sicut contra pusilli animi et indomitae irae laxare frenos, eaque pro duce, non pro milite uti, et vindictae nimis cupidi esse, muliebre, neutiquam virile, multo minus heroicum est. Pallas apud Sophoclem ostendit Ulyssi Aiacem inimicum, in media strage pecudum, quas pro Principibus Graeciae per furorem mactaverat, discursantem, et duos e grege grandiores arietes, cur alterum Ulyssem, alterum Agamemnonem putaret flagris caedentem, et interrogat ipsum, ecquam voluptatem capiat, cum inimicum suum ita in furorem actum, miserumque ac calamitosum videat. Cui Ulysses respondet, sibi neutiquam laetum, sed triste magis id spectaculum videri: Primum, quod cum commiseratione spectet huius viri, et si inimicus sit, tamen tanta virtute praediti, miserandam sortem; deinde quod suae quoque conditionis hoc exemplo admoneatur, et videat, quanta sit humanarum rerum fragilitas, et quam homines, qui vivant, nihil aliud sint, quam velut inania simulachra et levis fumus. Laudat hunc sermonem Minerva: Et tu si hoc, inquit, animo fueris, superis charus eris, et vitam foeliciter exiges tuam. Nam Deus insolentes et vindictae cupidos odit, mites vero, et moderate agentes, diligit. His vocibus Ulyssi clementiam modestiamque Minerva commendat, quae virtus non ab re tantopere praedicatur, quam enim divina ac praeclarissima est, tam rara, et id quod dicitur revera heroica virtus est, utpote quae paucis et non nisi heroibus contingit. Magna enim vis est irae, imperiosa cupiditas vindictae, praesertim si cum nocendi facultate coniuncta est. Has igitur pestes, haec monstra in nobis ipsis grassantia vincere, nonne id Herculeum est opus? Quam impotenter ira sua utitur Sylla, qui tot inermium ac deditorum civium millia crudeliter post victoriam occidit, tantum sanguinis in urbe fudit, luctu ac terrore omnia complevit? Is cum in vicino ad aedem Bellonae sedens, Senatum haberet, et miserabilis clamor ac comploratio, tot millium sub gladio ge-

mentium exauditus consternasset Senatum, hoc agamus, inquit, P. C. pauculi seditiosi foris meo iussu interficiuntur. Addit crudelitati mendacium, nisi forte pauci visi sunt tyranno, cui quenquam bonum adhuc vivere dolebat. Theodosius Imperator, ob unius equitis, nec omnino iniuste interfecti necem, septem hominum millia in urbe Thessalonica contrucidari iussit. Quem cum ob id factum divus Ambrosius excommunicasset, tandem ad corpus Ecclesiae iterum recepto, hanc poenam imposuit, ut quotiescunque se iratum sentiret, nullum verbum prius quam alphabetum Graecum ordine recensuisset, proloqueretur, futurum ratus, ut hac mora interposita, prima rabiosi affectus violentia nonnihil defervesceret, et memoria admissi per iram crudelis facinoris, per iram patrati delicti, animo subiens, ad saniorem mentem eum et placabilitatem revocaret. Hoc remedio usus est divus Ambrosius ad sanandum morbum Theodosii. At Chunrado Suevo nihil talibus ad iram frenandam remediis opus fuit, quem naturae suae bonitas, et conspecta in hoste virtus statim placavit: vicit non minus fortiter se ipsum quam antea hostem vicerat, et ex illa, quam ex hac victoria, multo nobiliorem ac gloriosiorem triumphum reportavit Philippus Macedo, pater Alexandri Magni, cum Olynthum, quam diu magno conatu et periculo obsederat, tandem expugnasset. Potitus difficili victoria, dicitur ludos festi ac laeticiae causa fecisse, quorum ludorum die cum sacrificasset, et convivio amicos suos ac Duces accepisset, in vinum et hilaritatem effusus, iussit unumquemque convivarum aliquid a se petere, quod cuique commodum et dignum esset a Rege peti. Aliis igitur aliud petentibus ac impetrantibus, prout cuique usus erat, solus iam restabat Satyrus Comoedus, qui propter artem et ingenii dexteritatem praecipua apud Regem gratia erat. Eum cum nihil adhuc petivisset, invitant caeteri primum, deinde ipse Philippus, ut quemadmodum alii fecissent, ipse quoque aliquid peteret, nec donum aut benevolentiam Regis adspernaretur. At ille: Quando a te iubeor, inquit, Rex, petam id, quod et mihi petere, et tibi largiri maxime honestum iudico. Fuit mihi vetus amicitia et hospitium cum Apollophane Pydnensi, qui cum ex insidiis interiisset, metuentes cognati iram regiam, filias eius parvas adhuc Olynthum, ut ibi tutior vita illis esset, transmiserunt: hae nunc capta urbe captivae tenentur, nubiles iam, atque ea aetate existentes, quae praecipue est oportuna iniuriae. Has igitur a te Rex peto, ut eas mea pecunia elocem, ne quid turpe aut indignum nobis atque illo parente suo per fortunae iniquitatem patiantur. Alii quod sibi lucro arbitrati sunt fore, id a te optarunt, et optatum abstulerunt: ego si impetravero dotem, insuper de meo addidero, hanc fidem memoriae extincti amici, et relictis ab eo filiabus, debere me existimans. Ad hunc sermonem a toto convivio plausus cum approbatione excitatus est, victusque Philippus iussit puellas Satyro adduci, atque in manus tradi, admiratus hominis fidem et in colenda amicitia constantiam, et insuper dotem Rege dignam adiecit. Etsi Apollophani ac toti familiae ipsius non immerito irascebatur, is enim ex coniuratis unus fuerat, a quibus Alexander Philippi frater per insidias interfectus fuerat, condonavit tamen iram, ac ius suum in captas pietati Satyri, atque eum deinde magis charum habuit. Digni laude uterque, ille, quod fidem amicitiae propria utilitate potiorem duxit, maluitque cum periculo amicis, quam tuto sibi consulere: hic quod dignam tali Principe placabilitatem atque clementiam erga inimici filias praestitit, nec iram apud se plus valere, quam virtutis admirationem passus est. Sed non paulo maiorem laudem meruerunt Germanicae matronae quam Satyrus: hic enim aliquid commodi amici causa proiecit, venit in periculum ne excideret benevolentia Regis: illae in humeris maritos liberosque per medios hostes extulerunt, in quibus indolem longe maiorem illo sexu, ac veterum heroinarum similem fuisse adparet, quas non tot armatae manus, tot gladii ac circumstantia tela retinuerunt, quin una cum suis, si quid periculi esset, subirent, et potius semel unaque perirent, quam solae in orbitate ac luctu, quod reliquum esset vitae, exigerent. Laudantur in historiis Romanis priscae Sabinae, quod precibus et intercurso suo praelium inter maritos ac parentes diremerunt. At quanto iustius laudantur nostrae, quae longe pulchriore facinore pacem confecerunt? Illustri et ad omnem posteritatis memoriam celebri facto pietatem suam erga coniuges declararunt Minyarum uxores; cum enim viri ex ea familia omnes, numero circiter XXX, propter affectati suspicionem regni a Spartanis publicae custodiae inclusi, et supplicio capitali iam destinati essent, quod cum vetere instituto Lacedaemoniorum nocturno tempore passuri essent, coniuges eorum ex nobilissimis familiis

natae, cum velut postremum allocuturae perituros viros a custodibus aditum impetrassent, carcerem ingressae, commutataque cum maritis veste, per simulationem doloris velatis capitibus eos abire passae sunt, sua corpora pro illorum salute, supplicio et praesenti periculo offerentes, digne quidem, quae in eam familiam Principum nuberent, quae vetustate, nobilitate et virtutis fama olim clarissima fuit. Nec minus periculoso, ac non paulo generosiore consilio suos maritos Guelfi et Germanorum coniuges liberarunt. Hae enim non nocturno dolo fallentes, sed aperta et plane Germanica virtute, media luce palam, inspectante toto exercitu, tantum facinus tantoque cum periculo ausae sunt. Varias occasiones declarandae virtutis ac pietatis saepe casus et fortuna, saepius huius miserae vitae multiplex vicissitudo ac necessitas offert. Quaedam suos parentes, ne fame perirent, cum alia vitae subsidia deessent, suis uberibus lactasse dicuntur. Quemadmodum de Cimone quodam memorant, qui vir iam magnus natu, cum capitis damnatus, atque in custodiam ut ibi fame necaretur, traditus esset, filia, impetrato a custodibus aditu, quotidie patrem invisere solebat, sed nonnisi prius excussa, ne quid ei quod esui esset, afferret. At illi tandem admirati senem tam diu absque cibo vitam sustentare, cum mulierculam curiosius observarent, animadverterunt eam exerta mamilla patrem lacte suo alere, perculsique tam mirabilis spectaculi novitate, rem iudicibus ac Magistratibus indicant, qui tantae pietati eum honorem habuerunt, ut patrem filiae condonarent. Quem non commoveat ista omnem laudem ac praedicationem exuperans ἀντιπελάργησις? At nostrae, quae maritos et liberos per media hostium arma extulerunt, si quod tale tempus incidisset, haud dubie nullum, quod ab humana mente cogitari potuit, amoris aut pietatis officium pro redimenda suorum salute recusassent. Nam si quis ipsam pietatem pingere vellet, quam aliam eius imaginem apud animum concipere posset aptiorem, quam si matronam, liberos et coniugem per media hostium arma ex capta urbe efferentem pingeret? Ita Aeneam suum Virgilius confectum senio parentem ex incensa urbe in humeris exportantem fingit, cum hunc haud dubie summum pietatis gradum ei tribuere vellet. Praedicat etiam Tacitus virtutem ac constantiam foeminarum Germanicarum, atque ex hoc facto satis apparet, quae fuerit gravitas, pietas, vitaeque ac morum sanctitas in hoc sexu, apud maiores nostros. Caeterum omnem laudem exuperat incredibilis, ac plus quam heroica placabilitas et clementia Chunradi, quem cum consiliarii, commemoratis haudquaquam vulgaribus offensis, ad saeviendum invitarent, respondit, non sibi placere odio et ira, sed potius pietate ac benignitate cum hostibus certare, quemadmodum apud Sophoclem Antigone humanissime ait: *οὐ πρὸς τὸ συνέχθειν ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφιλεῖν* se natum esse, ita Chunradus proposuerat sibi inimicitias mortales, amicitias vero immortales esse debere. Merito praedicatur moderatio Thrasibuli in victoria, qui urbem Athenarum a triginta tyrannis liberavit, quod multum de iure suo, quo sine reprehensione ut victor uti potuisset, multum de iustissimo dolore remiserit. Sed magis etiam laudatur, quod praeclaram illam *ἀμνηστίαν* sanxerit, qua concussum ac labentem civitatis statum in pristinum habitum nonnihil restituit. Sed multo stabiliorem *ἀμνηστίαν* sanxit Imperator Chunradus clementia sua, et parcendo ignoscendoque arctius sibi animos hominum devinxit, quam ullis legibus, viribus, aut ulla severitate potuisset. Hoc fuit firmissimum atque immortale foedus, quod ortum a pietate et a clementia firmavit iusticia, adprobavit ipse Deus. Sed haec quoque laus non dissimulanda est, plane digna Germano Principe, quod non passus est illa callida conditionum interpretatione, et specioso iuris praetextu sibi imponi. Ex quo facile adparet, quantopere nostri maiores veteres Germani delectati sint simplicitate et probitate, quamque longe abfuerint ab huius calamitosi et tragici seculi versuta et perplexa sapientia: placebat illis nuda et Germana veritas, callida, insidiosa, fucataque omnia peius oderant quam mortem et infernum. Et cum vera virtute niterentur, hoc studio habebant, ut non vi, sed clementia, non metu, sed fide, amore, ac benevolentia civium stabilirent imperium, sapientia illis erat omnia in meliorem partem interpretari, non calumniose et vafre invertere. At haec unica hoc tempore ingenii laus est, si quis quod simpliciter ac recte factum dictumve est, arte contorquere, et malitiose versuteque interpretando depravare novit, idque eo indignius est fieri, ac prope iam pro virtute haberi, in ea gente, quae semper candoris, probitatis ac simplicis veritatis amica fuerit, eamque laudem prae omnibus totius orbis nationibus, inde usque, ab antiquis tempo-

ribus obtinuerit, unde et hoc nomen sortiti putantur Germani, quod natura simplices, aperti, candoris, ac libertatis amantes essent, nunc vero veneno peregrinarum ac pessimarum gentium, nostrorum hominum ingenia inficiuntur, et Deum immortalem, quam longe degenerant a maiorum virtute? Quos si veteres illi Germanici heroes, Caroli, Henrici, Othones, Friderici, atque hic ipse, de quo nobis in praesentia sermo est, Chunradus, ita moribus et ingeniis mutatos corruptosque videant, quam eos miseraturos putemus Germaniae suae statum, quam illi omni genere ornamentorum belli ac pacis decoratam munitamque reliquerunt? Non tuti fuerunt olim Turci ab eorum armis in intimis Asiae ac Syriae angulis, quos nunc in vestibulo Germaniae omni genere immanitatis impune grassari videmus: sed desino commemorare publica mala horum temporum. De laudibus Chunradi Suevi et veterum Germanorum mihi instituta est oratio, quorum si nos integritatem ac virtutem imitaremur, nec eam peregrinorum morum colluvione misceri corrumpique pateremur, haud dubie successum quoque foeliciorem omnibus in rebus essemus habituri, et Remp. non minus florentem posteris nostris tradituri, quam a maioribus accepimus. Psylli gens Libyca soli ex omnibus mortalibus dicuntur, a natura vim insitam contra venena habere, ita ut impune in mediis serpentibus et atrocissimis venenis habitare possint, eam vim in sanguine retinent, ac inter se propagant, nec cum aliis hominibus miscent aut communicant, sedulo tamen conferunt ad salutem hominum, ut Lucanus ait:

> Nec tantum gens illa sua contenta salute,
> Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
> Psyllus adest populis.

Cumque puer apud illos in lucem editus est, statim eum abreptum a matre in medio aspidum collocant. Ita τὸ γνήσιον generis et sanguinis explorantes, a quo venena fugere vident, eum agnoscunt et amplectuntur pro suo. Quemadmodum et aquilae marinae suos foetus contra adversos solis radios sistere dicuntur, quique per diem eos recto obtutu ferunt, pro suis fovent ac nutriunt, quos vero ad lumen solis connivere vident, ut adulterinos et nothos in mare abiiciunt. Ita Germani nostrum nativum candorem, naturam apertam veri rectique ac lucis amantem, velut sanguini nostro generique tueri ac conservare debebamus, et si quem inter nos ingenio tecto, obscuro, perplexo, ambagum ac tenebrarum amanti esse videremus, eum ut degenerem ac nothum odisse atque detestari.

Ita in hoc exemplo quod recensui, trium praeclarissimarum virtutum imaginem expressam videmus, nempe, pietatis, clementiae et candoris. Quibus cum hic mundus nihil pulchrius aut praestantius habeat, nec homine dignius, nos quoque eas amplecti et colere decet, praesertim cum a maioribus nostris veteribus Germanis tam sancte cultas videamus. Dixi.

No. 61. an. 1540.

De emendato latrone.

Apud Crat. Myl. p. 46 sqq., in Declamat. T. I. p. 87., in Serv. p. 76. et in Richardiana T. III. p. 263. — Vid. de hac oratione Epist. Vol. III. epist. p. 958.

De exemplo emendati latronis propugnantis gloriam Christi in cruce, Declamatio recitata a Ioachimo Moller, Hamburgensi.

Multis de causis semper in conspectu nobis crux Christi esse debet. Quanquam enim hic pulcherrimus orbis, dierum ac noctium gratissimae vices, anni circuitus, Solis et caeterorum syderum mirandi cursus, terrae foecunditas, denique tota rerum natura nobis ad agnoscendam Dei voluntatem ac praesentiam proposita est, tamen multo est illustrius testimonium ingentis et verae erga nos benevolentiae Dei, supplicium filii, quod illum perferre nostra causa voluit. Itaque ab hoc pignore divini amoris nunquam oculi deiiciendi erant. Hic discendum quam horribilis sit ira Dei adversus hominum scelera, cum nulla eam victima nisi filii mors placare potuerit. Hic et magnitudo consideranda est misericordiae, quod filium pro nobis piaculum fieri voluit, ac propter hanc tantam hostiam certam salutem promisit. Haec capita sunt coelestis sapientiae, quae ibi nobis proponuntur; deinde accedunt alia multa. Cumque omnes Christi gestus aliquid significent, praecipue illa epitasis certaminum ipsius, Ecclesiam de multis maximis rebus admonet. Non temere pendet inter duos latrones, quorum alter est maledicus, alter ex latrone fit propugnator Christi. Multa docet nos cum ipsum spectaculum, tum maxime duorum altercatio, et Christi velut agonothetae

concio interposita, quae ut ipsi latroni salutaris fuit, ita non ad ipsum tantum pertinere indicanda est. Evangelii vox est communis omnibus piis omnium aetatum, quae quidem dulcissimam consolationem proponit. Itaque hanc imaginem animo intuens, et illam gravissimam disputationem cogitans, videor mihi videre Ecclesiam omnium aetatum, audio omnium Prophetarum et Apostolorum conciones, quarum summa in illo brevi colloquio comprehensa est. Etsi autem non dubito plerisque vestrum has ipsas res melius esse notas ac meditatas, quam mihi, tamen cum hoc loco dicere iussus essem, et me pericula horum temporum his diebus de hac imagine admonuissent, libenter hoc argumentum elegi, ut exemplo latronis, qui semivivus ac laceratus, tamen gloriam filii Dei tuetur, et meum animum confirmarem, et adolescentes ad idem decus excitarem. Nec id argumentum alienum est ab hoc loco, aut his temporibus. Diu iam Pontifices exercent immanem saevitiam in membra Christi, ac nunc, ut universam Ecclesiam deleant, inflammare civile bellum conantur, Christum omnibus probris onerant, multo rabiosius quam latro maledicus. Applaudunt Pontificum furori Reges, et praecipui viri omnium ordinum, quadam inani utilitatis umbra capti. Adsentantur his docti, ut Silenus Cyclopi in antro, ut est in fabulis Euripidis. Et ut horum serviant cupiditatibus, stylum adversus Christum acuunt. Aliqui saniores dolent vicem Ecclesiae oppressae horribili tyrannide, sed minis potentum perterrefacti iacent, ut Apostoli dilapsi erant, cum Christus afficeretur supplicio. Tali tempore, etsi nos quidem privati, oppressi tyrannide, parum prodesse Ecclesiae possumus, tamen imitemur exemplum semivivi latronis, qui conviciis respondet, et gloriam Christi sua voce quantum potest, cum iam animam inter dentes teneret, defendit. Cum igitur haec oratio maxime conveniat huic tempori, quaeso ut non solum aequo animo historiam latronum audiatis, sed etiam excerpatis exempla vobis utilia, et animos excitetis ad imitandam virtutem pii latronis, qui et fide hunc medium Iesum supplicii socium, agnoscit esse autorem vitae perpetuae, et fortiter eum adversus latronem conviciatorem propugnat. Repetam igitur totius spectaculi significationem paulo altius. Duo latrones pariter affecti supplicio cum Christo, significant universum genus humanum destinatum esse morti propter peccatum. Hic igitur non duos tantum latrunculos pendere cogitabitis, sed omnes homines omnium aetatum. Cogitabitis et illud, omnes esse latrones: multa enim sunt et atrocia singulorum scelera, multi adiuverunt mala consilia adversus pios suscepta; denique omnes aliquo modo manus attulimus filio Dei. Porro cum in media morte versaremur, filius Dei nobis donatus est, ut victima fieret pro nobis, ac placata patris ira, aboleret peccatum et mortem, et redderet vitam aeternam. Id beneficium offert et impertit omnibus, quos erratorum poenitet, quique veniam ab ipso petunt, et freti ipsius promissis, liberationem expectant. Hic iam distrahuntur hominum iudicia ac voluntates. Maxima pars aspernatur hoc beneficium, praesertim cum videant Christum perinde ut caeteros calamitatibus communibus conflictari, rapi etiam ad supplicium, interfici. An Epicuraei ab hoc cadavere pendente in cruce peterent aut expectarent novam et perpetuam vitam? qui in tanta confusione vitae, casu omnia ferri arbitrantur, nec statuere possunt, Deo humana curae esse? Rident igitur tanquam poëmata aut aniles nenias omnia testimonia, quae Deus et de sua voluntate, et de immortalitate omnibus aetatibus ordine tradidit, et tandem misso filio, et post mortem revocato in vitam, confirmavit. Hic ille sarcasmus est maledici latronis: Age liberator egregie, tibi et nobis salutem reddito. Sic impii etsi sunt in media morte, tamen non sentiunt malorum magnitudinem, non quaerunt causam aerumnarum, non metuunt Dei iudicium, ludunt etiam deridendis religionibus, et cum offecturae sunt ipsorum commodis, delere Evangelium conantur, et expromunt impietatem ac saevitiam adversus Christum et eius membra. Ut tunc latro virulentis ironiis exagitabat filium Dei, ita videtis impios ludere omnibus aetatibus. Ac ne putetis novum fuisse exemplum. Alius est hostis Christi multo infestior, scilicet Diabolus. Is primum odio Dei avulsit ab eo primos parentes. Is similibus ironiis in paradiso miseram mulierem fefellit, cum promitteret fore similem Deo: Eritis, inquit, sicut Dii. Idem calumniator habet fascinatas impiorum mentes omni tempore falsis de Deo persuasionibus. His abutitur tanquam organis, ad explendam infinitam odii sui acerbitatem adversus filium Dei. Latro igitur, ut caeteri impii, actor est harum ironiarum, sed ille superbissimus spiritus hostis Dei, est earum poëta.

Quam misera est autem servitus, organum esse tanti furoris ac tanti odii adversus Deum? Talis est vita Neronis et impiorum omnium, qui cum in cruce pendeant, hoc est, sint in media morte, nam voluptates eorum non sunt diuturnae, tamen liberatorem aspernantur. Et confirmat errorem Diabolus, qui postquam mentibus eorum offudit densiores nebulas, postea pro libidine sua illis abutitur, accendit in eis odium Dei, et saevitiam adversus membra Christi. Non igitur liberantur a morte, sed ruunt in aeternos cruciatus, cum quidem iam bis latrones sint, habent communia scelera toti generi humano. His addunt contemptum beneficii Christi, et crudelitatem, quam in Christum et eius membra exercent. Huius impii agminis universi εἰκὼν est maledicus latro. Nunc de altero dicam, qui emendatus significat Ecclesiam, quae est altera pars generis humani, quae et ipsa latrocinio contaminata est, ac destinata morti, agnoscit se habere peccata, et calamitatibus ingentibus ac morti obnoxia est, ut caeteri homines. Sed redditur ei post mortem nova et perpetua vita, lux, sapientia, iusticia et laeticia. Haec quomodo fiant, ex hoc colloquio discamus, quod, ut ante dixi, omnium propheticarum et apostolicarum concionum summam complectitur. Agnoscit sua peccata hic latro, et ingenti motu animi confugere audet ad liberatorem. Audierat de hoc socio supplicii Iesu, quid docuisset: audierat eum testimonia doctrinae suae non vulgaria exhibuisse, et senserat eum iniuste, scelere Pontificum raptum esse ad supplicium. Audierat et quasdam eius voces in cruce, quas animadverterat non proficisci a vulgari homine. Videt naturam rerum, terrae motum, subitas tenebras solis de eo testimonia edere: quare statuit hunc vere esse liberatorem et Christum. Hac fide excitatus, inquit: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Considerate autem, quam miranda lux in hoc latrone fulserit. Non deterretur foeditate supplicii et morte Christi, quo minus iudicet eum esse promissum liberatorem. Deinde longe aliter de Messia sentit, quam vel Pharisaei, vel Apostoli, utrique expectabant imperia et opes. Hic latro iam Prophetas interpretatur, docet Messiam liberaturum nos esse a veris et aeternis malis, a peccato, a perpetuis cruciatibus, ac regnaturum non in hac calamitosa vita, sed post hanc vitam, ubi fruemur Dei consuetudine, liberati ab omnibus erroribus et miseriis. Videtis hanc esse summam, et sententiam omnium promissionum, quae Patribus et Prophetis traditae sunt. Lucet ergo in latrone vera fides: et fidei proprium est petere veniam propter ipsum liberatorem filium Dei, nec deterreri nostris delictis, quo minus ad eum confugiamus, ac beneficium eius expectemus. Latro agnoscit sua scelera, non adfert ad Christum benefacta aut merita, sed sentit hunc esse hostiam pro omnium delictis: videt voluntate Dei, huic tantam poenam irrogatam esse innocenti, ut fiat hostia pro toto genere humano. Talis fides certo impetrat promissa a Deo. Quare Christus clara voce eum absolvit a culpa, ac promittit ei novam et perpetuam vitam, confirmans iam interpretationem promissionum propheticarum: Hodie, inquit, eris mecum in paradiso. Corpora relinquebant, et tamen una futuri erant in coetu piorum Angelorum ac Prophetarum, qui Dei consuetudine fruuntur.

Audistis duas perspicuas Evangelii conciones, de beneficiis Christi, de reconciliatione, de vita perpetua. Latro petit veniam fretus non benefactis suis, sed Domini clementia et sacrificio. Christus promittens ei veniam et vitam perpetuam, testatur haec beneficia hoc modo credentibus dari. Possent haec multo uberius exponi, sed cum apud eruditos habeatur oratio, nolui esse prolixior: dixi summam Evangelii in his concionibus comprehensam esse. Hortor etiam ut exemplum imitemur, ac simili fiducia ad filium Dei confugiamus. Haec est, ut scitis, doctrinae summa, de iusticia fidei, seu de regeneratione et aditu ad vitam aeternam. Videamus reliqua. Ne fieri quidem potest, ut Ecclesia sit sine cultu Dei, sine sacrificiis, sine bonis operibus, sine certaminibus. Ideo enim Deus restituit genus humanum, ut inter homines ipsius noticia luceat ac celebretur: quare cultus et officia certa postulat. Num haec neglexit latro emendatus, num quia pendebat nudus ac vinctus, nulla officia Deo praestitit? Ille vero praecipuos honores Christo tribuit, quos Deus in primis flagitat: agit poenitentiam, agnoscit suum scelus, recte sentit de hoc liberatore, nihil deterritus illa miserabili specie morientis, invocat eum. Haec sunt vere pia opera. Accedit et dimicatio. Quanquam enim pendet semivivus ac laceratis membris, tamen venit in certamen cum conviciatore, quo severe castigato et obiurgato, defendit Christi gloriam. Haec est confessio, quam quanti faciat Deus, saepe monet scriptu-

ra, ut cum ait Christus: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre coelesti. Breviter indicavi bona opera emendati latronis. Nunc quaeso, ut universam Ecclesiam eius temporis consideretis: Filius Dei pendet in cruce, non iam ostendens potentiam suam admirandis factis ut antea, quare deridetur ac despicitur ab impiis. Apostoli seu dubitatione, seu metu dilapsi erant. Multos auditores movit et illud quod dicitur: Exitus acta probat, qui cogitabant hunc nequaquam Messiam esse, cum in tanta calamitate videretur a Deo desertus et abiectus esse. Sola reliqua est Maria mater, in qua lucet fides: Haec expectat aliam catastrophen: Nec enim spectatrix esse poterat huius supplicii, nisi fide animus erectus fuisset. Sed quia Apostoli et caeteri homines tacent, iam tota rerum natura incipit concionari, et testimonio suo filium Dei ornare, et in tanta Ecclesiae trepidatione, ne desit concionator, excitat Deus latronem de sublimi concionantem toti orbi terrarum. Hic latro testatur hunc Iesum esse promissum liberatorem, et autorem novae et perpetuae vitae. Desinant iam Pontifices, Episcopi, Monachi gloriari, suos coetus, quos vocant Ecclesiam, errare non posse, cum videant tantam Apostolorum trepidationem. Sed quoniam historia mortis Christi haud dubie significat praecipue calamitates Ecclesiae postremi temporis, latronum concertatio quaedam est imago certaminum huius temporis. Conviciantur Christo Pontifices, Canonici, Monachi, et horum satellites tyranni, qui etsi exiguo tempore fruuntur suis voluptatibus, tamen re ipsa pendent in cruce impii latronis, brevi poenas scelerum daturi. Interea cum ante finem mundi renovare doctrinam et confessionem Deus vellet, excitavit, doctis et timidis cessantibus, Germanos milites, homines sine hypocrisi sapientiae aut iusticiae. Non potest enim dissimulari aut negari multos articulos doctrinae evangelicae ita repurgatos esse per hos, ut satis appareat divinitus hanc lucem Ecclesiae redditam esse. Idem igitur in doctrina nostrarum Ecclesiarum traditur, de reconciliatione et de fide, quod ibi sentit latro. Nec pudet nos hunc audire Apostolum, cuius sententiam et fidem Christus perspicuo testimonio approbat. Utinam Christum etiam simile fide invocemus. Etsi nihil dubito multos esse, in quibus similis fidei scintillae ardent. Non enim dubitandum est, in eo coetu esse membra verae Ecclesiae, in quo recte traditur Evangelium, et abolita est εἰδωλομανία. Et nostris Ecclesiis non desunt testimonia Spiritus sancti; videmus enim, quanta constantia multi pii supplicia perferant. Meminimus honestas matronas luctatas cum terroribus mortis, egisse Deo gratias, quod agnoverint Christi beneficia, et magna tranquillitate animi, dum recitant laudes ac hymnos Deo, spiritum exhalasse, ut satis appareret in eis coelestem laeticiam inchoatam esse, antequam e corpore discederent. Addit Deus et alia testimonia, quod mirabiliter servat has Ecclesias: aspernantur veram doctrinam hostes nostri, et deesse testimonia miraculorum seu prodigiorum clamitant, cum ipsi nec recte facta, nec miranda habeant. Ut Christus nunc pendens in cruce, non ostendebat potentiam suam. Nihil inusitati conspiciebatur in latrone, praeter illam pietatem, quam ridebant ἄθεοι. Ita nunc Ecclesia infirma est: et tamen mira res erat, illa ipsa latronis emendatio. Talia miracula non desunt his temporibus. Sed si volunt audire adversarii sua prodigia, pauca commemorabo. An eum coetum putemus Ecclesiam esse, qui flagitiosas libidines tanta pertinacia defendit, ut interficiat eos, qui sunt hortatores, ut anteferant honesta coniugia? In qua unquam barbarie auditum est interfici homines propter reprehensas vagas libidines, propter laudem coniugii? Prodigia quaeruntur: haec prodigiosa turpitudo est certum testimonium, totum illum coetum contaminatum εἰδωλομανίᾳ, periuriis, libidinibus, parricidiis Ecclesiae, agitari a Diabolo. Possem alia Pontificum prodigia multa recitare, quae nunc omitto: ac redeo ad illum Apostolum de sublimi concionantem et defendentem gloriam Christi. Non poterat semivivus ac ligatus pietatem suam declarare iam aliis officiis, gubernare Ecclesias, et late spargere doctrinam: hoc unum poterat, castigare conviciatorem. Ita nos, cum habenas Reipub. teneant adversarii, cum toties frustra rogaverimus Reges, ut de concordia deliberent, cum revocare eos ab errore non possimus, hunc tamen cultum Deo praestemus, lingua et stylo celebremus Christum, refutemus adversarios, taxemus impias eorum leges, ac hypocrisin, ut pii admoniti caveant, ne eorum societate polluantur. Tot iam annos omnia moderata consilia repudiant Pontifices, tantum de caede cogitant, faciunt impia et sacrilega foedera. Quam ad rem? ad defensionem manifestae idolomaniae, periuriorum, flagitiosa-

rum libidinum ac parricidiorum. Haec vera esse, ne ipsi quidem negare possunt. Nec ullius tanta est eloquentia, haec ut excusare vel in speciem queat. Tonet licet ac fulmina torqueat Pericles, ut dicebatur, tamen in hac causa veritas ita perspicua est, ut non possit *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. Viderint igitur pii, ne se ad tantorum scelerum societatem adiungant. Cogitent exemplum emendati latronis, ostendant voce, literis et caeteris officiis, se toto animo ab illa gigantea impietate abhorrere, se nolle administros esse furoris illius Diaboli. Nam illa scelera non ab humanis ingeniis, sed vere ac proprie a Diabolo oriuntur. Est quidem in magnis cruciatibus latro, qui Christum veneratur. Sed cogitate, quanta sit beatitudo, tenere certam spem vitae aeternae. Ita nos etsi multis exercemur aerumnis propter confessionem, tamen hanc ducamus esse magnam foelicitatem, quod absumus a consiliis Pontificum, a Diaboli foedere, qui ut Deum contumelia afficiat, ut quam plurimos perdat, incendit Pontifices, agitat tyrannos, ut stabiliant *εἰδωλομανίαν* et caetera flagitia. Nihil potest dici atrocius, quam quod inquit Paulus: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Omnes diras atque imprecationes complexus est voce anathematis. Et repetit verbo tristiore eandem sententiam alibi: Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema maranatha. Quo nomine intelligit certam speciem anathematis, ob quod prorsus deleri, et e medio tolli necesse est, ut parricidas, et propter quod Deus toti rerum naturae irascitur, terra fruges negat, sol refugiens sistit currus, amittit splendorem, denique quod contagio suo nocet toti generi humano, ut ille inquit in Tragoedia:

Discedite a me, ne umbra mea noceat bonis.

Est enim vox Paulina facta ab haerem motha, quod significet rem devotam ac destinatam exitio et morti: nisi quis mavult esse haerem et hatta, quod est peccatum seu scelus, ut Graeci dixerunt *καθάρματα*, seu *ἀλάστορας*. Sic igitur Paulus nos de hostibus Christi sentire iubet. Et saepe repetitum est hoc praeceptum in concionibus propheticis, quod quidem si quis contemnet, reipsa comperiet Erynnas ac furias vagari per omnes complices, adflare etiam mediocribus peiores impetus, implicare eos erroribus et horrendis calamitatibus. Has poenas et considerare pii et cavere debent. Quanquam enim parricidae illi aliquandiu florent, ut Dionysius, Nero, et similia portenta aliquandiu regnarunt, tamen exitus fuerunt tragici. Et interim multi poenas dederunt familiaritatis ipsorum. Pendent una omnes tyranni in cruce maledici latronis, etsi cruciatus nondum omnes sentiunt. Nemo sanus libenter versatur apud eum, quem scit iniustam caedem fecisse. Quanto magis isti fugiendi sunt quorum mentes contaminatae sunt idolomania, lingua periuriis, manus imbutae cruore piorum, caetera membra conspurcata libidinibus. Ac ut de aliis obscurioribus sceleribus non dicam, quis sanus volet se parricidiorum societate polluere, quae ab istis fiunt quotidie? Quam multi docti et pii ab Episcopis et Monachis ubique terrarum interficiuntur? Aiunt nihil saevius esse Pantheris, et tamen saepe leguntur in circo quasi reverentia quadam pepercisse sanctis Pantherae. Has superat rabies Fabri, Mezentii, Nauseae et similium, qui adeo non parcunt ullis, ut civile bellum accendi, et tot nationes deleri, tot honestas matronas, tot infantes iugulari, vastitatem Ecclesiarum effici cupiant aeternam; verum est enim illud Poëtae:

Alta sedent civilis vulnera dextrae.

Ut autem maledicum latronem castigat alter noster Apostolus, ita haec flagitia singulis temporibus a piis, et praesertim eruditis fortiter taxanda sunt. Quod ita demum gráviter et vere facietis, si eruditione instructi eritis, ut Paulus inquit: Sit sermo vester sale conditus. Non ut scopulos aut littora feriunt undae ingenti tantum sonitu, ita solo clamore certandum est: Erudite refutandi sunt adversarii, ut aliqui sanentur, boni confirmentur, ut in latronis obiurgatione gravissimae insunt sententiae, de gubernatione divina, de providentia, quibus Epicuraeas in altero persuasiones refutat. Apud Aristophanem lex dicitur certaturis, *ἔλεγχε καὶ ἐλέγχου*. Causa cum causa congrediatur, veris argumentis certetur, dicatur *πρὸς ἔπος*, et revocetur antagonista intra metas. Videtis enim quam varias rimas quaerant nunc ad elabendum, quantum technarum et Sophistices excogitent ad eludendam veritatem. Antagonistas habemus, astutos, intentos, instructos literis et eloquentia, ac dimicantes non de lana caprina, sed pro focis suis, hoc est, de opibus, dignitate, voluptatibus, quarum rerum causa acerrimae contentiones inter homines existere solent. Vos contra vere pro aris pugnatis, hoc est, vobis commendata est defensio puritatis Evangelii et gloriae Christi. Haec mi-

litia non concedit vobis ocium, sed postulat acerrimum studium cognoscendae coelestis doctrinae, flagitat animum non mollem, non detrectantem certamina. Haec ut saepe multumque cogitetis, vos etiam atque etiam adhortor, ut officium vestrum recte intelligatis, et agnoscatis vobis non leve munus a Deo mandatum esse, vosque in extremo iudicio spectantibus omnibus hominibus atque Angelis, rationem administrati muneris reddituros esse: ubi etiam hic noster latro inter iudices assidebit, et strenuos milites Christo commendabit, de ignavis ac desertoribus supplicium sumi petet. Quare nunc date operam adolescentes, qui huius Signiferi tyrones estis, ut vos diligenter exerceatis ac praeparetis ad vera certamina, in quo gloriam Christi aliquanto post defendere vos oportebit. Hunc honorem Deus flagitat, ut heri in versiculis significavi:

Vult adsertores laudum nos esse suarum,
Idque magis poscit, quam nova thura Deus.

Dixi.

No. 62. an. 1540.

De restituendis scholis.

Apud Crat. Myl. p. 848 sqq., in Declamat. T. I. p. 527., in Servest. T. I. p. 459. et ap. Richard. T. I. p. 671.

De restituendis Scholis oratio, habita ab Alexandro Alesio Scoto, in celebri Academia Francofordiana ad Oderam. 1540.

Ut Paulus inquit: Incertis vagamur sedibus, ita Ecclesia vera Christi exulat in hoc mundo, nusquam certam ac durabilem sedem habet: diabolus enim odio filii Dei incendit ubique impios ad eam pellendam et dissipandam. Ita summos illos heroas, Abraham, Iacob, Moysen, hostes fugere, quaerere alia hospitia legitis. Davidem et Heliam vix remotae solitudines, et specus in saxis adversus tyrannos texerunt. Apostoli toto orbe terrarum vagantur. Ipse etiam Filius Dei veniens in hunc mundum ex coelesti patria, exulare se fatetur, cum ait: Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Quare etiamsi de exulibus graviter suspicari homines solent, tamen Christianos communem Ecclesiae fortunam cogitare decet, nec exilium inter probra ducere, si causa sit honesta. Fateor me iam annos octo abesse a patria, vere divina ope crudelitati cuiusdam saevissimi tyranni ereptum, qui me, cum quaedam errata doctrinae Ecclesiasticae manifesta taxassem, iam vinctum adservabat, et diram necem mihi minabatur. Etsi autem postea multis periculis conflictatus sum, tamen res ipsa ostendit, Deum vere mihi adfuisse ducem in illis longis peregrinationibus, meque clementer servasse, ut spero, ad aliquam Ecclesiae utilitatem.

Primum ex patria discedens, veni in Academiam Saxonicam, eo tempore, quo omnes articuli doctrinae diligentissime disputabantur, ubi consuetudine eruditorum excitatus, multo maiore cura conferre dogmata coepi. Postea Britanniam adii, ubi et docui aliquandiu in Academia, et rursus cum iis qui excellunt eruditione, de doctrina Christiana collocutus sum accurate. Estque perspecta mea mens in ea insula praestantibus viris, Episcopo Cantuariensi, Latimero et aliis. Cumque iam defessus tot peregrinationibus, quasi in portum venissem, manereque ibi decrevissem, ecce rursus prodeunt atrocissima edicta contra doctrinam Evangelii. Itaque cum aut subeunda esset impiorum crudelitas, aut cedendum, secutus sum consilium multorum bonorum virorum, qui et mihi et aliis piis, qui palam dissentiebant ab illis decretis sanguine scriptis, hortatores erant, ut discederemus. Redii igitur in Germaniam ad eas Ecclesias, cum quibus sentire me profiteor, quae mihi hospitium hoc semestri pergratum praebuerunt. Cumque eximia liberalitate Ducis Saxoniae adiutus sum, tum hoc accessit, quod iterum de doctrina licuit cum hominibus piis et peritis conferre. Deinde mihi Illustrissimus Princeps Marchio Elector locum in Academia vestra clementer tribuit, ac munus commendavit re ipsa amplissimum, videlicet, doctrinae Ecclesiasticae explicationem. Haec eo commemoravi, ut sicut meipsum series mearum aerumnarum et exitus movent, ut divinitus me servatum esse ad aliquam Ecclesiae utilitatem existimem, ita et vos bene et amanter de hospite sentiatis, nec me propter exilium aspernemini. Laudatur vetus Germania propter singularem fidem et humanitatem, qua excipere et tegere hospites solita est. Et vos arbitror adhuc retinere plurimum priscae et antiquae virtutis, ad quam accedere etiam pietas debet.

Praecipue autem hoc officium Christus flagitat, ut eos qui vagantur vel docendi, vel discendi Evangelii causa, caeteri amanter complectantur,

ac promittit mercedem inquiens: Amen dico vobis, si quis dederit vel aquae potum alicui ex minimis propter doctrinam, mercedem accipiet. Quare et vobis spero Deum benefacturum esse, si nos complexi fueritis, qui qualescunque sumus, tamen ex illo coetu sumus, de quo Christus loquitur, Evangelium enim circumferimus, etsi fateor me vere esse omnium qui docent, minimum.

Sed cum ordinis, ac functionis dignitatem Christus magnifaciat, erit vestrae pietatis, me non gravatim audire. Maiores vestri reverenter exceperunt multos ex insula Scottorum egressos, Gallum, Bonifacium, et alios, qui in Germaniam intulerunt Evangelium, horum vos honesta exempla imitari decet, praesertim cum his miserrimis temporibus doctrinam Christianam ubique terrarum horribili amentia Pontifices ac Reges delere conentur. In tanto publico periculo credite vos Deo gratissimum officium facere, quod Evangelii Doctores benigne excipitis, tuemini, et auditis. Haec de me ipso praefatus sum, nunc in genere de scholis et de professione mea dicam. Nam si quis cogitabit, quantum referat, hoc praesertim tempore, restitui emendatas scholas, hunc mihi quoque et caeteris mei ordinis hominibus aequiorem fore spero. Nemo tam est impudens ac sine fronte, qui negare ausit multos non dissimulandos errores a Pontificibus et Monachis in Ecclesiam invectos esse. Quam multi boni et docti viri ante aliquot secula deploraverunt Missarum nundinationem, idolomaniam in invocatione sanctorum? Reprehendunt ipsi veteres Ambrosius et Augustinus errores satisfactionum, et renovant doctrinam de poenitentia, et de fide. Quam multi deploraverunt libidines sacrificulorum? Episcopi quid agunt dignum suo munere? Haec cum iam iterum reprehendi Deus voluerit, ac instaurare Ecclesiam, ne prorsus omnes homines pereant, videtis quantum certamen exortum sit: Epicuraei Pontifices et Monachi, ventri metuentes, ad eo fremunt se reprehendi, ut deleri nomen Christi, et universam doctrinam Evangelii, et omnes Ecclesias in vastitatem redigi cupiant. Res ipsa loquitur eos sic affectos. Pergunt enim defendere suos errores, moliri bella civilia, cumulant flagitia, negligunt Ecclesias et scholas. Tali tempore necesse est bonos et pios Principes providere, ne funditus intereat religio Christiana: quare ut Ecclesias restituere, ita et scholas instaurare debent; nunquam enim vera Ecclesia sine scholis aliquibus fuit, ac nec potest quidem diu conservari doctrina, nisi scholastici coetus adiungantur ad Ecclesias. Haud dubie primis patribus Adae, Nohae, Sem, ideo propagata est vita tot seculis, ut auditores haberent testes ἀξιοπίστους de prima origine generis humani, deque initio doctrinae. Postea familiae Abrahae, Isaac, Iacob, prorsus scholae fuerunt. Deinde cum lex Moysi data est, iam clarum mandatum de scholis additum est. Constitutum est enim, ut ad tabernaculum semper essent coetus docentium et discentium. Ita Samuel traditus est in disciplinam illi collegio, perinde ac si esset in Academiam bene constitutam missus. Postea cum negligerent studia sacerdotes, Deus excitavit Prophetas, qui magnas catervas discentium secum traxerunt, ut tantum agmen erat auditorum Elisei, ut cum antea in Iericho habitassent, propter eius loci angustiam, quaererent ad Iordanem aliam sedem. Nec putate ociosos greges Monachorum fuisse, sed illos summos viros audiebant de promissionibus disserentes, de regno Christi, de peccato, de lege, de gratia, de iusticia, de veris cultibus Dei, de maximis mutationibus orbis terrarum. Extant adhuc vetera quaedam dicta, quae ab illis scholis quasi per manus accepta fuerunt, ut dictum de sex millibus annorum mundi, id habet titulum domus Eliae, hoc est, scholae Eliae. Meministis enim sententiam: Sex millibus annorum durabit mundus, postea destruetur: duo millia inane, duo millia lex, duo millia Messiae; etsi qui anni deerunt, propter peccata nostra deerunt. Ex huiusmodi dictis existimari potest, in illis sapientissimis sodalitiis fuisse disputationes de rebus maximis. Ac cogitate quanta foelicitas fuerit, etsi erant Reges impii, etsi erant omnia plena bellorum ac seditionum, illi coetus Ecclesiam regebant, nam ita alii aliis succedebant, quasi in acie, ut aliquo excellenti Propheta extincto, Deus mox alium, quasi in id vestigium collocaret. Cum Elias docuisset annos circiter viginti, successit Eliseus, qui annos circiter septuaginta gubernavit Ecclesiam in Israel. Huic successit Ionas, quem arbitrantur fuisse filium mulieris Sareptanae, ab Elia revocatum ex morte. Deinde abductis decem tribubus, successit Esaias in Iuda, qui docuit annos circiter octoginta, et regnum liberavit ingentibus bellis, nam quilibet Propheta habet aliquot insigne *πολίτευμα*. Post Esaiam excitatus est Ieremias, qui annos circiter quadraginta concionatus est. Fuitque eius *πολίτευμα* in speciem triste,

sed omnium maxime salutare eo tempore: fuit enim hortator faciendae deditionis, atque ita servavit reliquias gentis, cum alii antea depulsis hostibus patriam servassent. Ideo cum hic novo exemplo deditionem suaderet, quae videbatur turpis et exitiosa, valde contemptus est a Pontificibus. Sed Deus non humanis consiliis, sed suo gubernat Ecclesiam, castigat, et castigatam mirandis modis restituit. Quid in exilio Babylonico? an tunc defuerunt scholae? Imo cum Iudaici Reges non aluissent Doctores, iam alunt Babylonici. Daniel cum collegis instituitur doctrina Chaldaeorum, sed vicissim, hunc postea Reges omnium maximi, tanquam discipuli, audiunt, Nabugdonosor, Evilmerodach, Darius, Medus et Cyrus. Quem virum ex omnibus aetatibus nominare quisquam potest, qui tantos heroas discipulos habuerit? Post Danielem extiterunt Esdras et Nehemias, qui attigerunt Alexandri Macedonis aetatem. Post Alexandrum celebrat liber Sirach Simonem Oniae filium, qui doctrinae puritatem conservavit. Deinde paulo ante Machabaeorum tempora, cum Pontifices certarent inter se ambitione, emerent Pontificatum a vicinis Regibus, doctrinam negligerent, collapsis scholis, magnum vulnus accepit religio: voluit tamen Deus superesse aliquas reliquias. Machabaei restituerunt doctrinam. Post hos crevit impudentia in populo Dei, repudiatis Prophetarum monumentis, coeperunt prophana ingenia amare Graecam Philosophiam, hinc extiterunt sectae diversae Pharisaeorum et Zadducaeorum, qui palam Epicuraeas opiniones professi sunt. Itaque cum diu horribiles essent tenebrae in populo Dei, rursus excitavit Deus scholas per Ioannem Baptistam, deinde per Christum. Hos habuisse scholasticos coetus, historia Evangelii non obscure testatur. Postea exempla Prophetarum, et Ioannis, ac Christi imitantur Apostoli. Nam hos quoque sumas scholas habuisse apparet ex Irenaeo, qui ait Ioannem habuisse assiduos auditores multos, et in his Polycarpum. Hunc morem postea servavit et ipse Polycarpus Smyrnae. Fuit autem frequentissimum Gymnasium Alexandriae, ex quo multa lumina Ecclesiae exorta sunt. Inde mittebantur pastores ad Ecclesias vicinarum regionum. Hae scholae consulebantur de doctrina: ibi enim extabant testimonia dogmatum ab Apostolis accepta, ut certo constaret, quae fuisset apostolica sententia. Cogitate autem quam gratum piis, quam utile fuerit ad confirmandas mentes, scire veteres Apostolorum sententias, scire pers quos autores propagata doctrina fuerit. Clemens ait se pervagatum esse totam Asiam, et de singuli. doctrinae articulis consuluisse eruditos ubique Sed postquam venit Alexandriam, fuisse se contentum iudicio Pantaeni, quem ait eruditione et pietate eximia praeditum fuisse, ac ornatum testimoniis Spiritus sancti, seu miraculis. Ut igitur hae scholae ab Apostolis inchoatae conservarentur, Collegia in Ecclesiis Episcoporum instituta sunt, et donata victu. Sed postquam opes creverunt, in Collegiis doctrina extincta est. Quid enim nunc sunt illa agmina Canonicorum, nisi sodales Apicii? Quarum rerum studia in illis locis vigeant, non ignoratis, sed de his non dicam hoc tempore. Caeterum haec tam longa commemoratio de propheticis et apostolicis Academiis quo pertinuit? Illud ostendere volebam, Deo placere conservationem scholarum, nec posse florere Ecclesias sine scholis, et quidem magna artium ac literarum varietate opus est. Nam etiam illi veteres Prophetarum auditores, etsi praecipue discebant coelestia oracula, tamen alias artes etiam adiungebant, discebant aliquid de natura rerum, quaerebant historias, alii Musicam, alii Medicinam profitebantur. Ita nunc videtis sine literis, sine linguarum cognitione, sine Dialectica, sine aliqua liberali eruditione, profecto neminem satis idoneum esse ad explicandas controversias religionis. Ergo in scholis multarum artium exercitia instituta sunt, quarum pleraeque etsi multiplicem in vita usum habent, tamen praecipue conducunt ad ecclesiasticam doctrinam illustrandam. Haec cum ita sint, cum scholae necessariae sint Ecclesiis, ardentissimis votis optare omnes pii debent, ut Deus exuscitet Principum animos ad restituendas et ornandas Academias, ad excitanda et provehenda literarum ac bonarum disciplinarum studia. Cumque ea in re optimam voluntatem Princeps Marchio ostenderit, gratulari hanc foelicitatem Reipub. debemus, ac precari Deum, ut auspiciis honestissimae atque utilissimae rei faveat. Profecto melius de suis populis et de tota posteritate hac in re meretur, quam si novas auri argenti venas tam largas, quam fuerunt venae Lydiae, quae Croesi opes tantopere auxerant, reperiret. Hoc munus praecipue flagitat Deus a Principibus. Ideo enim Deus ad societatem condidit homines, ut alii alios de religione doceant, ut quidam venustissime scripsit:

Utque alios alii de relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos.

Cum autem Principes sint custodes humanae societatis, certe hoc efficere debent, quantum ipsi possunt, ut Deus recte celebretur. Armentariis satis est, pecudibus pabulum curare. Hi qui hominum coetus regunt, non tantum custodes sunt vitae corporum, sed legis ac disciplinae: ideo Deus eis impertit societatem sui nominis, ut Dei dona, id est, religionem, iusticiam, disciplinam, pacem inter homines tanquam vicarii Dei tueantur. Oro igitur Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, ut gubernet et augeat hanc scholam, et studia harum gentium exuscitet ad salutem Ecclesiae, quam Filius Dei sic amat, ut eam sanguine suo redemerit. Vos etiam qui hanc urbem et hanc Academiam regitis, obtestor, ut cum operam scholasticam Ecclesiae necessariam esse intelligatis, me hospitem, et versantem in difficili munere, vestra benevolentia confirmetis. Sumus nos quidem longe inferiores illis summis viris, de quibus antea dixi, qui olim Ecclesiae studia rexerunt, Elia, Eliseo, Esaia, Ieremia, Daniele, Esdra, sed in munere prorsus eodem versamur. Nec raro ego ipse toto corpore perhorresco, cogitans magnitudinem oneris, quod sustinemus, et intuens animo illos veteres duces nostros, quos longo intervallo sequimur inertes et ignavi, atque hanc dissimilitudinem cum reputo, non solum docentium imbecillitatem, sed Ecclesiam deploro, quae quasi senectae imbecillitate, omnia membra habet languidiora, et tamen postremis temporibus plurimum periculi habituram esse Christus praedixit. Nam quo propius instat dies extremi iudicii, eo diabolus furiosius irascitur Christo, iam scilicet formidans sententiam, in qua omnibus creaturis patefiet turpitudo immensa superbissimi spiritus, et cruciatus ipsius horrendi augebuntur. Itaque odio Christi incitat Turcas, Pontifices, impios Reges, denique omnia sua organa adversus Ecclesiam. Eo magis vigilandum et pugnandum est nobis, ut furor diaboli impediatur: reges turpissime sinunt grassari Turcas, Episcopi negligunt Ecclesias. Quare pios Principes et caeteros qui praesunt, anniti decet, ut quantum suo quisque loco potest, sarciant illorum negligentiam, bonos doctores quaerant, constituant Ecclesias, curent ad posteros propagari Evangelium. Auditores etiam propter Christum Dominum, ac officii dignitatem amanter tractent fidos Evangelii interpretes, inter quos me quoque vobis commendo. Nam et fidem ac diligentiam praestabo, et genus doctrinae pium profiteor. Amplector enim vere et ex animo consensum catholicae Ecclesiae Christi, hoc est, doctrinam Christi et Apostolorum, et explicationem traditam in Symbolis, Apostolico, Niceno et Athanasiano. Et cum inciderint discordiae, fateor me sentire cum Ecclesiis, quarum extat confessio Augustana, et has iudico tueri perpetuum consensum verae Ecclesiae omnium temporum, Prophetarum et Apostolorum. In his iudico multos articulos doctrinae Christianae recte et pie renovatos et illustratos esse. Cum his iudico etiam vere congruere scriptores puriores dextre intellectos, Ambrosium, Augustinum, Hilarium, Basilium, Epiphanium, Nazianzenum. Et quanquam odiosum est nomen discordiae, tamen sentio haec certamina, quae de doctrina mota sunt, necessaria et divinitus excitata esse. Quia Daniel et Paulus vaticinantur postremis temporibus hos futuros esse agones piorum adversus impios Pontifices in Ecclesia, defendentes manifestam *εἰδωλομανίαν*, et exercentes Neronianam saevitiam in membra Christi. Ac praemonuit nos Spiritus sanctus, ut cum inciderint certamina, cogitemus ubi sit vera Ecclesia, non terreamur titulis sceleratorum Pontificum, nec simus socii et administri impiae tyrannidis. Non igitur novum doctrinae genus comminiscar, una est perpetua Ecclesia, in qua Filius Dei per patres, Prophetas et Apostolos veram Dei noticiam tradidit, et taxat persuasiones contumeliosas adversus Deum, quas spargit diabolus odio Dei. Ad illam veram Christi Ecclesiam, nunc quoque belligerantem cum diabolo, et dissentientem a Pontificibus, qui idolomaniam defendunt, et trucidant membra Christi, ut omnes pii adiungere se debent, ita me quoque tota mente et toto pectore adiungo, ac precor ex animo Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut ministerium meum gubernet, ac per me sit efficax, ut adfuit patribus, Prophetis et Apostolis; ipsius enim laus victoriae, ipsi triumphus debetur, qui vincit diabolum: nostra infirmitas non est par tantae dimicationi, sed ipse vult piis adesse, et conculcare caput serpentis, hoc est, ut Ioannes interpretatur, destruere opera diaboli.

Fuit Ecebolus quidam rhetor tempore Constantii, is ut gratiam aucuparetur Principis, baptizatus est, et ut fuit in dicendo vehemens, acriter solitus est taxare idolomaniam. Postea sub Iu-

liano cum videret hunc abhorrere a Christi nomine, et restituere idola, defecit et ipse a Christianis, eisque in gratiam Imperatoris rabiose maledixit. Ita animi sententiam de religione inflexit ad Principum voluntates. Non fuit autem diuturna tyrannis Iuliani, sed statim successit Iovianus bonus et pius Princeps, ubi cum videret multo maiore in odio esse illos, qui ut assentarentur Iuliano, defecerant a Christo, quam caeteros Ethnicos, rursus ipse sese retexit, redit ad Christianos, abiicit se ad templi fores, iubet se pedibus conculcari, ut sunt hypocritae tanquam histriones ad has praestigias idonei. Nec nulli sunt hoc tempore tales Eceboli, qui alia aliis temporibus et apud alios probant.

Ego igitur simpliciter professus sum quid sentiam, et opto ut in hac me sententia confirmet Deus, et ut Filius Dei gubernet meum ministerium. Certe illud Eceboli nunquam facturus sum, non stringam stylum adversum veram Ecclesiam, non deformabo eam calumniis, sed ingenium meum serviet gloriae Dei et Domini nostri Iesu Christi. Dixi.

No. 63. an. 1540.

De vita Galeni.

Apud Crat. Myl. p. 252 sqq., in Declamat. T. II. p. 402., in Servest. II. p. 395. et Richard. II. p. 252.

Oratio de vita Galeni, in promotione Doctorum Medicinae a Doct. Milichio recitata.

Iure Hesiodus ignaviam et stuporem humani generis taxat, inquiens, stultos mortales ne quidem malvae et asphodeli utilitates nosse. Quid est enim indignius ac turpius, quam quod conditi ad aspiciendam hanc rerum naturam, et quasi collocati divinitus in hoc theatrum homines, ut intuentes mirificam coelestium motuum et nascentium rerum varietatem, agnoscamus Deum opificem, et quaeramus salutaria vitae praesidia, obliti huius muneris, et quasi caeci in theatro, non nos ipsos, non alias res vulgares, quae sunt in manibus, aspicimus atque consideramus? Ac huic pulcherrimo spectaculo vulgus antefert beluinas et obscoenas voluptates, aut sordissimas stultissimasque curas, quibus occupati animi non admittunt honestiores cogitationes. Etsi autem haec socordia vel amentia potius hominum, vituperatione digna est, tamen magis illi qui destinati doctrinae ac Philosophiae, contemnunt naturae inquisitionem, reprehendendi sunt. Quanquam enim non postulandum est, ut uni studio omnes dediti sint, nam vitae opus est multis ac dissimilibus artibus, et suus cuique locus, suus honos tribuendus est, tamen est humani animi, primum hanc doctrinam, quae naturam quasi evolutam nobis spectandam proponit, amare, et magnifacere, decerpere etiam inde aliquid, nec prorsus expertem esse velle huius dulcedinis, quam haec cognitio parit, deinde favere aliorum studiis, et adolescentes Philosophiae destinatos hortari, ut meminerit se divinitus ad naturae considerationem atque contemplationem vocatos esse. Quid homini convenientius est, quam meminisse solum hoc genus collocatum esse in mundum, ut hoc admirandum opificium contempletur? Deinde quid dulcius est quam lustrantem singula, videre ordinem atque harmoniam corporum ac motuum? considerare nascentium varietatem, et videre singula ad certos gigni usus, ut ratiocinari possimus, haec omnia a quadam aeterna mente mirabili consilio atque oeconomia ita distributa esse. Et quidem ad hanc considerationem acres stimulos natura omnium mentibus indidit, et voluptates adfert longe uberrimas cognitio. Quare si qui hoc studium vituperant, aut secum ipsi pugnant, aut a natura hominum degenerarunt: tametsi certas herbas norunt ac meminerunt pleraeque bestiae ac volucres, cervi dictamum, muli asplenum, elephantes oleastrum, mustelae rutam, apri hederam, ciconiae origanum, hirundines choelidoniam, corvi aron, cygni viticen, quae vulgo vocatur agnus, expetunt: quod ab ea in partu adiuvantur, serpentes feniculum norunt, et nobis usum monstrarunt, ut Nicander scribit:

> Exuvias postquam siccas, pigramque senectam
> Deposuit serpens in vere, et tardus ab antro
> Caligansque oculis quaerit medicamina nota,
> Et cum feniculi se germine paverit, ipsi
> Clara acies oculis redit inde vigorque iuventae.

Denique exempla sunt innumera bestiarum, quae vincunt plerosque homines, ut ita dicam, solertia in inquirendis et explorandis naturae miraculis. Turpe est autem hominibus non modo vinci diligentia atque industria a bestiis, sed tantum addere furorem, ut contemnant etiam haec studia. Quare

studiosos quantum possum adhortor, ut debent facere omnes boni viri, ut hanc doctrinam et ardenter expetant et colant, cuius cognitio non modo iucunda est, sed etiam infinitas utilitates adfert vitae. Imo et mores naturae inspectio consideratioque flectit ad moderationem, et ad pietatem, ac mentes ad Dei admirationem exuscitat. Cum enim Deus nos in hoc spectaculo collocarit, nosque iusserit opificium suum intueri et considerare, non existimemus hoc studium inutile esse nec sine culpa contemni. Hic quid dicam de Cyclopibus illis, qui non solum inquisitionem aspernantur, sed etiam usum et remedia: cum saevitiam exerceant in sua corpora immani ingluvie, immoderatis vigiliis et aliis modis, postea, sicut Stoici, fato aiunt regi valetudinem et vitam, nec accersi morbos nostris vitiis, nec depelli diligentia ac remediis, sed fato. Hae voces cum manifestum furorem significent, indignae sunt refutatione, sed tamen interdum exempla nocent imperitis. Ideo adolescentes admoneo, ut haec barbarica convitia artis detestentur, quae contumelia afficiunt Deum, qui et leges tradidit quibus regi vita debet, et praesidia ac remedia addidit, quibus admirabilem et vere arcanam vim indidit iuvandi corpora, monstravit et artem ut his beneficiis apte uteremur. Itaque Dei ordinationem, ac Dei beneficia aspernantur Cyclopes illi, si putant nihil esse virium, in rebus divinitus conditis ad hominum salutem: ut certi cibi ac potus humano corpori propositi sunt, qui cur in sanguinem vertantur ut alant corpora, dicere non possumus, sed mirabilis indita vis est talibus rebus, et cognatio et *συμπάθεια* cum humano corpore, ut misceri et in unam naturam confluere possint. Ita in re mediis inest *συμπάθεια* arcana in certis membris aut humoribus, quorum efficacia manifesta et certa est. Tanta est efficacia therebinthinae in vulnerum simplicium curatione ut res fateri cogat arcanam vim illi remedio inesse, ac divinitus donatam esse generi humano ad vulnerum curationem. Quam efficacem et gratum usum fuisse balsami arbitramini? Ac mihi saepe in mentem venit, ideo balsamum et myrrham Ebraeis donatam fuisse, ut cum ad perpetuam militiam gens destinata esset, nec res peregrinas inveheret, domi haberent efficax et praesens remedium vulnerum. Compertum est scorpios subito extingui imposito raphano. Longum esset dicere de singulorum membrorum remediis, sed quotidiana beneficia Medicinae tantum considerate, haec testantur remedia efficacissima esse. In destillatione vehementiori exhauriri ex pulmonibus lenta, acris et tenax pituita non potest sine medica ope. Ad hunc usum res peculiares destinatae sunt, nec licet sine discrimine quibuslibet pharmacis uti. Quantus usus est cicorii et absinthii in epate medicando? quoties mulieribus certum exitium depellunt absinthium et arthemisia? Sed omitto hanc commemorationem. Quaesita sunt remedia contra venena, estque in hoc genere manifesta vis rutae, quare ad arcendam pestilentiam magnam vim habet: et scribit Atheneus Ponticum tyrannum solitum venenis necare invitatos ad convivia cives, id cum animadversum esset, postea accessuri ad ipsius convivia, praemunierunt se ruta, atque ita sine incommodo venena hauserunt. Magis mirum est quod narrat de citrino pomo, et allegat testem qui fuit spectator eius eventus: in Aegypto cum ducerentur quidam sontes ad aspidas ut eorum morsibus interficerentur, forte muliercula quae erat apud custodem carceris quadam misericordia mota, illis trementibus ac sitientibus dat pomum citrinum, ut vires reficerent, quo gustato ducuntur ad aspidas, quarum morsu cum essent sauciati, vis veneni non fuit efficax, nec extinguuntur vulnerati: novitate rei obstupefactus Magistratus diligenter inquirit causas, cumque inter caetera interrogasset quid eo die comedissent, fit mentio pomi citrini. Itaque vim pomi experitur: ducuntur alio die rursus ad aspidas, sed iubetur alter praemandere citrinum, alter prohibetur, ibi utroque sauciato, extinguitur is qui abstinuerat a citrino, alter manet incolumis, qui gustaverat. Ac non modo historiae, sed quotidiana experientia suppeditat innumerabilia exempla, quae satis testantur certam vim remediorum esse. Quare Deum contumelia afficiunt qui beneficia ipsius quadam immanitate morum aspernantur. Haec initio in summa praefari volui et de doctrinae ac Philosophiae huius dignitate, et de utilitate remediorum, ut cum artem cogitaveritis amandam et magnifaciendam esse, de ipsis etiam artis scriptoribus, qui suum studium in illustranda natura et in iuvanda hominum vita consumpserunt, honorificentius sentiretis. Cum enim aliquid pro more dicendum esset, collegi quaedam de Galeni vita et laudibus recitanda, quem scitis nos habere copiosissimum Medicae artis autorem. Arbitror autem natu maioribus ac prudentibus gratam esse commemorationem de viri summi stu-

diis, prudentia et diligentia, in arte cum tradenda tum exercenda. In medicando, iuvenibus profecto utilissimum est, tenere optima exempla, quae imitentur et in discendo et in iudicando. Est autem Galenus Pergami natus, patre architecto civitatis eruditissimo, ut Galenus praedicat in Grammaticis, Dialecticis et Mathematicis: ac narrat ipse, magnopere sibi hoc profuisse, quod tali natus sit patre, qui non solum amarit disciplinas, ut filium ad eas in tempore adhibuerit, sed etiam ipse domi docuerit. Ab hoc ait elementa artium didicisse, quibus perceptis, cum iam natus esset annos quindecim, ad professores philosophicos deductus est: ubi cum exerceretur in Dialecticis et reliqua Philosophia, nam pater eum non Medicinae, sed tantum professioni philosophicae, ut tum vocabatur, destinarat, adolescens cum biennium audivisset Philosophum, somnio, ut ipse inquit, maxime illustri monitus est, ut medendi artem disceret. Nec vero dubito, quin divinitus ei species illa oblata sit, et additus impetus divinitus ad hoc studium. Erat illis temporibus dissipata ars, et ut ex Plinio intelligi potest, exorti erant impostores plurimi, qui depravabant artem, non modo in exercenda Medicina, quod omnibus aetatibus accidit, sed multo magis in docendo, novas praestigias ostentabant, immittebant in aquas ferventes aegrotos, quocunque genere morbi laborantes. Deus igitur, cum et retinere artem, et conservare ad posteros vellet, daturus orbi terrarum excellentem artificem, excitavit Galeni ingenium ad haec studia. Deus enim conservat veras artes in vita, quod ex eo apparet, quia nulli existunt excellentes artifices sine divino afflatu. Itaque cum esset iam puerili doctrina praeparatus in Dialecticis et elementis Philosophiae, et ingenio valeret, et flagraret animus discendi cupiditate, et quodam enthusiasmo, magno studio pariter in Philosophiam et Medicinam incumbere coepit. Primum audivit Medicum, cui nomen fuit Satyro, qui fuerat Quinti auditor, celeberrimi inter professores, qui scholas habuerunt ante Galeni aetatem, ac studiose versati in enarrando Hippocrate. Postea audivit Pelopem Medicum, cuius et si reprehendit quaedam errata anatomica, tamen apud hunc in anatomicis diligenter se exercuit. Magna frequentia tunc erat hominum doctissimorum in urbe Aegypti Alexandria, quare eo profectus, studia illorum ac iudicia exploravit. Denique ipse inquit accessisse se atque audiisse omnes suae aetatis Medicos doctissimos ac celeberrimos. Et quanquam ingenio admodum excelluit, tamen gravissime obiurgat eos, qui sine praeceptoribus arbitrantur se futuros artifices. Romam bis profectus est, primum suo consilio, et ut Medicos ibi audiret, et ut ingenii specimen praeberet in tanta luce ac frequentia Doctorum, qui erant Romae. Sed dissentiens interdum a caeteris, animadvertit se odia eorum incurrere, eamque ob causam disputationes omisisse se inquit, praesertim cum in concionibus plus gratiae et opinionis colligere posset; ait enim sibi singularem adfuisse foelicitatem in artis usu et curationibus, ut credibile est; erat enim divino et heroico impetu ad Medicinam incitatus, quem comitari singularis foelicitas solet. Venit Romam natus annos quatuor et triginta, ac plurima ibi scripsit, et in his quaedam philosophica de demonstrationibus, ut refutaret amentiam quorundam praestigiatorum, qui eo tempore, ut artes everterent, contendebant nihil esse certi, et omnium artium praecepta sophisticis disputationibus labefactabant. Magna illis impostoribus ingenii laus videbatur, non explicare vera, sed receptas opiniones petulanter evertere. Itaque adeo exercuerunt Galeni ingenium, ut fateatur se quoque illam Pyrrhoniorum dubitationem fuisse secuturum, nisi fuisset puer ad Geometriam et ad demonstrationes assuefactus: qua disciplina non tantum hoc assecutus est, ut certa ab incertis discernere posset, sed etiam illud, quod multo maius est, veritatis ut esset amantior, et freno quodam regeret ingenium animadversis demonstrationibus. Euripides linguae petulantiam vocat turpissimum morbum, sed nullis turpior est illa cavillandi licentia, et ut veteri Graecorum vocabulo utar *σοφιστομανία* et studium evertendi veras et utiles sententias, quam Philosophis, qui veritatis amorem ac defensionem profitentur. Iure igitur laudanda est voluntas Galeni, quod illas praestigias Pyrrhoniorum acriter insectatus est. Scripsit autem eo tempore plurima, quae Romae in incendio perierunt, cum ignis late vagatus, etiam templum pacis, ubi scripta reponebantur, absumpsisset. Roma discedens, anno septimo et tricesimo aetatis suae, rediit in Asiam, in quo itinere arbitror eum navigasse in Lemnum, ut naturam terrae Lemniae vere inquireret, qua in re diligentiam eius considerare licet; nam cum Dioscorides scripsisset, hircinum sanguinem misceri Lemniae terrae, cuius magnus in remediis

usus fuit, ipse ea loca unde eruitur, adiit, ut certe exploraret quomodo appararetur, comperitque naturam esse metallicam, sine mixtura sanguinis hircini. Est autem hodie in tanto usu, tantaque admiratione apud Thraces et Graecos, ut Turcicus tyrannus Legatis terram Lemniam inter peculiaria dona dare soleat; vidimus enim anno superiore aliquot *σφραγίδας* tales donatas Cornelio Scepero.

Sed non multo post reditum in patriam, revocatus est in Italiam literis Imperatorum Veri et Marci Antonini, cum quibus ei magna fuit familiaritas, ut ex aliquot ipsius narrationibus apparet. Et iudicium Imperatoris de eo hac in re maxime apparet, quod filii Commodi Caesaris valetudinem praecipue Galeno commendavit, proficiscens in Germaniam ad bellum Marcomannicum. Hoc tempore inquit se scripsisse divinos illos libros anatomicos qui extant, qui quidem non solum Medicinae studiosis, sed omnibus Philosophiae amantibus in manibus esse debent; profecto enim praecipua pars est Philosophiae, doctrina de partibus humani corporis et earum officiis. Cumque sit plena suavitatis, ingentes etiam utilitates adfert, magnopere conducit singulis ad tuendam valetudinem: mores etiam regit, cum monet quid cuiusque partis natura postulet. Denique cum hanc admirandam texturam humanorum membrorum proponit, docet hanc naturam non casu extitisse, sed ab aeterna quadam mente conditam esse, quae non frustra voluit esse adeo occupata in formando homine, sed significare, sibi genus humanum curae esse. Itaque sapientissime Galenus inquit, doctrinam anatomicam initium esse Theologiae, et aditum ad agnitionem Dei, suntque eo magis amandi hi libri studiosis Philosophiae, quia ea quae desiderantur in Aristotelica anatomia, adiecit Galenus, quaedam etiam erudite correxit, multis etiam locis Aristotelis lumen addidit. Cum autem in bono Doctore non minus fides quam eruditio atque industria requiratur, magnopere amandus est Galenus, qui, ut res ostendit, non solum industria et dexteritate excelluit, sed etiam fide. Quis est enim eo in docendo diligentior ac uberior? Ac de fide sua ipse inquit in tertio de locis affectis. Deum igitur testem facio, me dicturum esse, quod post longam inquisitionem in ipso artis exercitio et in disputationibus cum doctissimis viris comperi et verissimum esse statuo. Quis talem animum tam et veritatis amantem et iuvandi generis humani cupidum non perpetua laude dignum esse iudicet? Post interitum Antonini Philosophi, qui in expeditione illa mortuus est, cumque adolescens Imperator Commodus magis delectaretur gladiatorum consuetudine quam Philosophorum, rediit Galenus in Asiam et in patria aetatem consumpsit in docendo, in exercenda arte et in scribendo, seque diligentia produxisse vitam ait usque ad ultimam senectam. Praeclare igitur non solum de suae aetatis hominibus, sed de omni posteritate meritus est, et erudiendis aliis et scribendo, totam enim complexus artem, ingens vitae praesidium posteris reliquit. Etsi enim postea Medicinam magna cum laude exercuerunt et Arabes et Graeci nonnulli, tamen fontes esse apud Galenum constat utriusque generis, disputationum artis seu dogmatici generis, et remediorum. Ac ut multa omittam, quantum illud beneficium est, quod ea doctrina, quae vocatur Physica, nusquam extat aut eruditius aut uberius tradita, quam in plerisque Galeni libris, et tamen scripsit multo plura, quae partim propter barbariem quae in Asiam et Graeciam pervasit, partim propter alias causas interciderunt. Recitarem etiam quasdam ipsius divinationes, et curationes admirandas, si temporis brevitas id pateretur. Laesis nervis in corpore humano et motus amittitur et membra contabescunt: primus autem Galenus rationem invenit saucios nervos curandi. Quam sagax fuerit in inveniendis remediis, observatis rerum qualitatibus inde aestimari potest, cum in Alexandria in patriam rediret, divertit in itinere in quoddam rusticum praedium, ubi forte aegrotabat dominus ac pene suffocabatur uvulae et glandium tumore. Cum autem deessent alia remedia, et iam maturescerent nuces, considerata corticum natura acri et astringente, ex illis corticibus expressit succum, cui mel addidit, hoc remedio subito liberavit aegrotum, quo quidem postea se semper foelicissime usum esse narrat, ita in re vili magnam utilitatem reperit. In praesentia non adiiciam plura exempla.

Porro cum de vita hominum optime meritus sit hic scriptor, cum rerum naturam copiosissime descripserit, cum remediis plurimis nos instruxerit, cum veterum medicorum inventa collegerit et nova adiecerit, sciant studiosi universam posteritatem plurimum ei debere. Eumque sic ament ut cognoscere etiam cupiant, sic enim sentio eos qui

in Philosophia versantur nequaquam sine Galeno tueri suum munus posse, nam et Aristotelis pleraque sine Galeni enarrationibus intelligi non possunt. Denique, si quis alius, Galenus certe propter utilissima monumenta quae reliquit de natura et de remediis, hoc preconio dignissimus est, quo Homerus celebravit Aesculapii filium, vir Medicus multis aliis praestantior unus. Dixi.

No. 64. (anno?)

De Hippocrate.

In Declam. T. II. p. 391., apud Richard. T I. p. 544., in Servest. II. p. 385. — Quo anno scripta sit, definire non potui. Sine dubio autem pertinet ad annos 1540 — 1543.

Oratio de Hippocratis vita.

Excusat me publica consuetudo, quod in hoc loco de nostra professione dico. Etsi arbitror vos eruditissimos homines, nulla de re libentius audire, quam de ea arte, quae propter doctrinae varietatem ac suavitatem longe princeps est omnium philosophiae partium, et de humano genere optime meretur: ego tamen ut quantum possem, levarem fastidium, institui hoc tempore orationem, de principe nostrae artis, Hippocrate. Ideo feci, quod arbitrabar hoc argumentum non minus, vel ad delectandos eruditos, vel ad excitandos adolescentes, cum ad medicinae, tum vero ad universae philosophiae studium accommodatum esse, quam ipsius artis Encomia, quae de more hic recitari solent. Delectat enim per sese historia, propter admirationem eximiae virtutis, et exuscitat recta ingenia, tum ad cognitionem, tum ad amorem summarum artium: multo etiam monet, quae in ipsis artibus exercendis usum habent. Nam excellentium artificum exempla, multo illustriora sunt ipsis praeceptis. Utinam vero effigiem Hippocrate dignam, oratione fingere possem! Sed quoniam id non potest breviter fieri, deumbrabimus imaginem hoc tempore, et quasi primas eius lineas ducemus, et pauca quaedam illius summi viri preconia colligemus, quae quidem spero vos audituros esse libentius, si cogitabitis, vos plurimum huius artis autoribus debere. Omittam autem pervulgata illa de patria Hippocratis, quae nota sunt omnibus. Sed quoniam perfectae atque heroicae virtutes existere non possunt, sine aliquo divino afflatu, ut convenit inter omnes doctos et prudentes, non possum hoc loco praeterire quod verissimum esse res loquitur ipsa, a diis ortum esse Hippocratem, hoc est peculiari quadam et heroica vi divinitus ad hanc infinitam naturarum varietatem cognoscendam et patefaciendam, excitatum esse; aut si hoc magis placet, quemadmodum de Homero venustissime dicunt, fuisse eum non hominem, sed deum quendam missum in terras ex superum concilio, ut hoc divinum carmen ad homines perferret: ita videri potest Hippocrates non tam homo, quam deus quispiam missus in terras, ad ostendendam medendi artem salutis hominum causa. Neque enim dubium est, quin haec ars divinitus ad homines pervenerit; nam tanta varietas rerum in natura perspici ac deprehendi non potuisset, nisi monstrante Deo. Quae autem homini maior laus, quam divinitatis cognatio tribui potest? quae sine controversia omnium praestantissimarum virtutum semina continet; ac talis cognatio in heroicis naturis esse solet.

Caeterum historiae testantur Hippocratem in familia medica natum esse, in qua perpetua serie maiores ipsius hanc artem, et tractaverunt et exercuerunt. Itaque quod plurimum refert, accessit ad excellentem naturam institutio et doctrina, quanta potuit esse ante Hippocratis monumenta. et quidem inde usque a prima pueritia versatus est apud Medicos, et audivit in hoc genere principes, et in his etiam suum patrem. Postea pervagatus est universam Graeciam, regiones Graecis vicinas, primum, ut ubique peritorum iudicia exploraret, deinde etiam, ut aegrotis opem ferret. In hac peregrinatione, cum errata empiricorum plurima deprehenderet, ut ipse in Epidemiis significat, Medicinam ad rationem revocavit, ac non solum servavit singulos, sed saepe etiam civitates universas.

Cum in Illyrico et Peonia ingens pestilentia orta, grassari iam in vicinis regionibus coepisset, remedia publice proposuit, quibus contra id malum muniit Thessaliam ac reliquam Graeciam. Misit non solum discipulos, sed etiam filios ac generum passim ad civitates, ut monstrarent remedia et rationem arcendae pestis, sylvas etiam incendit, prudenter observatis ventis, ut aërem flamma purgaret, incitata adversus pestilentis regiones.

In bello sociali Athenis subito novum quoddam et inusitatum morbi genus ortum est, qui contagione latissime vagari cepit. Thucydides maiorem fuisse morbum, inquit, quam vi describi possit, et asperiorem quam quantum humana natura tolerare potest; tantus enim in febri ardor fuit, ut plerisque oculi, manus, aut pedes, velut incendio quodam in cinerem redacti, perierint, intra octavum diem, plerosque omnes necavit. Tentata sunt remedia omnis generis; vota etiam publice facta, ut exposcerent auxilium a Deo. Postremo cum nulla, neque divina, neque humana ope curari ac depelli malum posset, accersitus est ex Thessalia Hippocrates, qui cum venisset Athenas, morbi natura diligenter observata, remedia Atheniensibus ostendit, quibus primum mitigari malum cepit. Itaque Athenienses publice ei coronam auream in theatro decreverunt, dederunt et Ius civitatis: mansitque Hippocrates postea Athenis, donec Alcibiades exercitum traiecit in Siciliam, ibi novo beneficio sibi devinxit Athenienses. Cum enim Medicum quaererent exercitui adiungendum, ipse filium Thessalum iussit una cum exercitu in Siciliam navigare. Expetitus est et a Regibus: nam Rex Persarum propositis maximis praemiis accersivit eum, sed huic respondit, se patriae natum esse, quae cum ipsius opera indigeat, non debere se eam deserere: qua in re ostendit, se non habere artem in quaestu, sed humanitate adduci ad homines iuvandos.

Macedonicis Regibus familiaris fuit, nam maximam partem aetatis Larissae in Thessalia egit, quae Macedoniae vicina est, ibique domum et coniugem et liberos habuit. Estque ex hac familia postea in universam Graeciam Medicina propagata. Et ut hoc obiter dicam, duxit ex eadem familia originem et Aristoteles, patre natus medico regum Macedoniae. Ferunt Hippocratem hoc modo in noticiam regum Macedoniae pervenisse. Cum Perdicas deperiret patris Alexandri pellicem, adeo ut tabe absumi videretur, pater frustra expertus alios Medicos, vocavit ad se Hippocratem, qui cum nullam aliam probabilem morbi causam cerneret, deprehendit iuvenem, tum exhilarari, tum ingemiscere, tum rubescere, tum pallescere, conspecta patris pellice. Interrogatus igitur iuvenis, amorem confessus est, ita prudentia Hippocratis regius adolescens servatus est. Sed suspicor hanc fabulam ex Erasistrati historia huc translatam esse, quem constat hoc modo servasse Seleuci filium contabescentem amore concubinae patris.

Nos illa sumamus, quae et propria sunt Hippocratis, et veram habent in artifice laudem. Exercuerunt Medicinam in Graecia ante Hippocratem empirici et gymnastae, qualis fuit Prodicus, qui, ut annotavit Hippocrates in Epidemiis, cum exercitiis febres depellere conaretur, interfecit aegrotos hac ipsa ratione curandi. Horum errores cum animadvertisset Hippocrates, Medicinam revocavit ad rationem, atque artem effecit. Neque vero ut Democritus et alii quidam, qui se Physicos appellari voluerunt, tantum ociosis disputationibus se dedidit, sed ad experimenta atque observationem, adiunxit causas et rationes, haec est laus ipsius propria Hippocratis. Cumque natus esset ad benemerendum de universo genere humano, et docuit ipse plurimos sua aetate sine invidia, et artem scriptam eruditissime reliquit.

Plato ait veteribus hunc morem fuisse, brevibus quibusdam sententiis tanquam oraculis, tradere suam Philosophiam. Ideo videtur et Hippocrates hac usus brevitate, in qua tamen tanta est rerum copia, ut appareat eum et aspexisse animo universam rerum naturam, et omnes Physicae partes complecti voluisse. Quidquid enim de corporum naturis, de morborum causis, de signis, de sym̄ptomatibus, de remediis reliqui philosophantur, qui ingentia volumina reliquerunt, id quasi praemonstrant Hippocratis sententiae, quas quidem quoties lego, mirabiliter afficior, cum illam, et doctrinae varietatem et sapientiae magnitudinem apud me considero. Et quidem non solum hinc extiterunt Medicorum disputationes, sed etiam Plato et Aristoteles plurimum ab eo sumpserunt, neque id dissimulant, praedicant enim honorifice, quoties eum citant. Et mihi quidem Aristotelis Physica, hoc est, disputationes de generatione et corruptione corporum, de naturis elementorum, de animantium naturis, aut ex ipsis Hippocratis libris, aut certe ex eius doctrina, quae floruit in Hippocratica familia, ex qua diximus Aristotelem ortum esse, magna ex parte nata est.

Porro quanta laus sit ingenii, tantam varietatem rerum in natura potuisse perspicere, quantum hic labor afferat utilitatis universo humano generi, nemo pro dignitate eloqui potest. Illud tantum dicam, vos qui huic studio vos dedistis,

in hunc virum tota mente, totoque animo intuemini: et cum doctrinam ipsius diligenter excutite, tum vero etiam exemplum sequimini, ac statuite ad excercendam Medicinam non solum afferri debere vulgares observationes, aut experimenta, sed multo magis rationem ac doctrinam, id quod Hippocrates et praestitit ipse princeps, et ut idem faciant alii gravissime praecipit, et quidem inquit Medicum Philosophum virum divinum esse, seu ut ipsius verbum exprimam, Deo similem. Id certe ob eam causam dicit, ut hortetur nos ad naturae et causarum cognitionem, quae cum ipsa per sese res eiusmodi, nihil ut contingere homini melius, ac divinius possit, tum vero ita necessaria est in exercenda arte, ut illi, qui non adhibent doctrinam, carnifices, non Medici iudicandi sint. Non enim fieri potest in tanta causarum, et circumstantiarum varietate, ut idem experimentum ubique valeat, quod cum non sit obscurum, tamen si quem nihil haec eruditorum iudicia movent, exempla consideret, qualem carnificinam illi sicarii exerceant, neque enim aut rara sunt, aut obscura talia exempla. Ac debebat quidem bonos ipsa doctrinae dignitas, et suavitas ad discendum invitare, quod enim homini non monstrosa mente praedito, iucundius esse spectaculum ullum potest, quam ipsa naturae contemplatio? cum nihil aut pulchrius, aut melius sit, ipsa rerum natura: delectat enim videre, mirabili ratione omnia distributa esse, neque quidquam esse ex quo non magnae existant utilitates. Sicut et Aristoteles inquit, nullam rem in natura esse, in qua non insit quiddam admiratione dignum, neque quidquam esse casu factum, sed omnia finis alicuius gratia nasci. Harum rerum cognitio et per sese est suavissima, eo quod ad eam proprie conditi sumus, et habet utilitates infinitas. Sed si quos haec parum movent, illud saltem considerent, non solum impudentes, sed etiam improbos eos esse, qui cum salutem hominibus in discrimine vitae polliceantur, non sunt in arte ne mediocriter quidem instructi, quam profitentur. Idque peccatum, leges etiam plecti iubent; sed tuetur eos, vel stulticia, vel perversitas hominum. Sed desino hac de re longius dicere, pleni sunt enim libri nostrorum authorum, qui vos ad verae doctrinae studium hortantur. Quoties hac de re praecipit Hippocrates? quoties Galenus? qui integrum librum in hanc sententiam adversus Thessalum scripsit.

Haec nos obiter tantum diximus, ad castigandam segniciem huius aetatis, quae ita versatur in artibus omnis generis, non ut solidam doctrinam percipiat, sed ut opinionem quandam auferat, qua se venditet apud imperitos. At ea opinio hominum leviter doctorum in nostra quidem professione plurimum affert periculi, seu ut liberius dicit Hippocrates perniciem adfert his, qui tales consulunt. Idem video accidere in aliis professionibus.

Redeo igitur ad Hippocratem, huius sequi authoritatem vos praecipue decet, qui Medicinam profitemini. Hic vos et vocat ad solidam doctrinam, et instruxit suis eruditissimis scriptis. Vir dignus, quem propter ingenii divinitatem, et maxima merita, et amemus et praedicemus. Ac veteres quidem suo more retulerunt eum inter Deos, quod genus honoris habebant tantum summis viris, et optime meritis de humano genere. Quales fuerint mores, facile est iudicium, nulla professio plus habet humanitatis, quam nostra, quia opitulatur vitae: ac ne fieri quidem potest, quin hominum calamitatibus afficiatur Medicus, cum adest aegrotis, cum imbecillitatem humani generis contemplatur, haec flectunt animos ad humanitatem. Videmus autem in Hippocrate summum fuisse studium benemerendi de hominibus: deinde non possunt in tanta sapientia mores esse non optimi; neque enim fieri potest, ut mens occupata malis studiis, pariter se intendat in tantarum rerum inquisitionem. Et heroicae naturae divina quadam vi, non solum ad magnarum rerum cognitionem, sed etiam ad omnes virtutes excitantur: et in hoc uno genere verum est, quod Philosophi dicunt, virtutes esse connexas. Quanquam quid opus est longa disputatione, extat eius Iusiurandum, in quo cum dira imprecetur sibiipsi, si eas leges non observet, non dubitari potest, quin illis suis legibus diligenter et religiose paruerit.

Proinde cum caeteri omnes, tum vero praecipue vos, quos hoc tempore in amplissimum ordinem Medicinae professorum recipiemus, proponite vobis Hippocratem et cognoscendum et imitandum. Nemo fidem et diligentiam in medendo praestare potest, quam et requirit ipse et praestitit, nisi ad vulgarem usum adiungat etiam eam doctrinam, quae causas scrutatur: quemadmodum censuit Hippocrates esse faciendum, qui propterea Medicinam ad rationem revocavit, quod sine ea doctrina periculose exercere Medicinam videbat.

Nihil maius est quam vitae auxilium ab homine petere: quare decet nos et fidem summam et industriam quantam consequi acerrimo studio ac labore possumus, ad exercendam artem plenam humanitatis afferre. Dixi.

No. 65. an. 1540.

De imperatore Ottone I.

In Declamat. T. II. p. 483., in Servest. II. p. 475. et apud Richard II. p. 803. — Epistolam dedicatoriam etiam hic dedimus, quia dubio caret, Melanthonem eam concepisse. Ex Epistolis satis intelligitur, Henricum Luneburgensem cum Melanthone, suo praeceptore, familiariter coniunctum fuisse.

Oratio de Imperatore Ottone primo, ab Henrico Smedenstedt Lunaeburgensi facta, et pronunciata mense Sept. anno **1540**, *cum decerneret insignia magistrorum Philosophiae honestis et eruditis viginti duobus scholasticis in Academia Vitebergensi.*

Illustrissimo Principi Domino *Francisco Ottoni* Brunsvicensium et Lunaeburgensium duci, generosissimi Principis Ernesti filio, *Henricus Smedenstedt* Lunaeburgensis.

Satisfacturus amicis aliquot, editionem orationis de Imperatore Ottone primo valde flagitantibus, existimavi meas operas tibi, clarissime Princeps, potissimum nuncupandas esse. Etsi enim non ignorarem, quod a Graecis dici solet, nihil referre, sis ne plane inimicus, an importune benevolus, in neminem perinde atque in me nunquam tibi cognitum posse dici, tamen non defuerunt maiores causae, quae ne hoc praetermitterem, plurimum hortabantur. Nam cum ad hanc primam mei noticiam viderem non admodum profuturum mihi, quod non magis te suspexerim, quam ut tam vile hoc munusculum tibi vel invito obtruderem, persuadebar non minus proditurum in vulgus Ottonem a me tibi iure dedicari, quod et nemini eum destinari rectius putaverim, quam posteris suis ad eundem sanguinem pertinentibus, et hoc officio tibi, ut magistratui meo, eisdem literis, in quibus nos versamur, studioso, plurimum me arbitratus sim esse devinctum. Accessit, quod existimaverim in accipiendo etiam liberalitatem quandam inesse, nec minus regium haberi, parva interim ab amicis tenuioribus hilari animo, cum offeruntur, accipere, quam vel maxima beneficia in homines inferioris fortunae collocare. Quod ego ut et te facturum nunc sperem, tua isthaec summa voluntas facit, qua pulcherrimarum artium communia nobiscum studia amplecteris, atque effecisti etiam, ut nequaquam videaris fefellisse, quam apud nos diu habuisti, futurae eruditionis tuae opinionem.

Probarunt enim id mihi non aliorum de te honestissimi sermones solum, verum, quam mihi nuper quidam amicus, a te scriptam ad se, praebuit legendam, epistola etiam latina et splendida, qua facile potuit persuaderi mihi, utilem operam toti Germaniae navaturum te, quod summo studio visus sis versari in liberalissimarum artium studiis, ad retinendam publicam pacem Germaniae, et propagandam Evangelii doctrinam pertinentibus. Quod si probare possent, ut haud dubie non sine pernicie sua hodie experiuntur plerique magistratus, haberemus profecto Germaniam pacatiorem, atque Ecclesiam nullo modo tot calamitatibus oppressam. Quare laudari satis institutum vestrum non potest, quod instructus et ornatus liberali doctrina, nihil in administratione reipublicae vestrae atque iuvandis Ecclesiis, cupias facere contra consuetudinem maiorum tuorum. Patris tui sapientissimi principis pulcherrimam operam, quam ante aliquot annos bonis artibus in Galliis dedit, nequaquam opus est tibi ad imitandum a me proponi.

De Ottone Imperatore dicam. Hunc accipio tanta vi ingenii atque contentione in discendis literis elaborasse, ut nunquam ante cognitis elementorum figuris, cum priorum amisisset uxorem suam Edittam, paucis mensibus bonam latinae linguae, artium liberalium et sacrarum literarum assecutus sit cognitionem; postea doctrina etiam non aequasse solum, verum superasse facile, qui tum erant principes et vulgus Episcoporum. Hoc Imperatoris Ottonis exemplo, ut debebis plurimum, ita poteris acriter impelli etiam ad bonarum literarum cognitionem, quod memoria earum virtutum, quibus Henricos, Ottones, ad quos vestra spectat origo, excelluisse fama est, necesse sit incitari vos plurimum et accendi. Originem vestram ad Ottonem primum dico propterea spectare, quoniam avus vester Henricus nuper mortuus patrem habuit Ottonem, filium Frederici, cuius pater Bernhardus fuit, filius Magni principis Brunsvi-

censium et Lunaeburgensium: hic patrem habuit Magnum, Brunsvicensium principem, qui consanguineo successit Wilhelmo, Lunaeburgensium duci. Magnus patrem habuit Albertum Crassum, filium Alberti Magni, cuius pater Otto fuit, filius Wilhelmi, nati ex Henrico Leione, qui matrem habuit Gerdrudem, filiam Imperatoris Lotharii Saxonis, cuius uxor Rixa et patre Henrico Crasso nata fuit, filio Ottonis, ducis Bavariae. Huius Ottonis patre reperio Henricum fuisse, fratrem Ottonis primi, Bavarorum ducem, filium clarissimi Imperatoris Henrici primi, qui ex Saxonibus primus hunc tantum imperii honorem propter egregiam virtutis opinionem, est assecutus. Cum itaque ex hoc praestantissimo Imperatore Henrico primo, eiusque bellicosissimis filiis Imperatore Ottone primo, et Henrico Bavarorum duce excellentissimo Principe sitis vos procreati, legetis historias maiorum vestrorum, qui praestanti eruditione instructi, nullam operam passi sunt Ecclesiae deesse. Quinetiam inter arma id maxime conati sunt efficere, ut illustraretur doctrina Christi, constitutis in Germania pastoribus, qui praeessent Ecclesiis, atque religiones interpretarentur. Hoc inquam Ottones studuerunt, fecit Imperator Henricus Ottonis primi parens, praestitit Carolus Magnus, qui vos posteros et consanguineos suos ad honestissimum hoc praescriptum suum imperaturos esse non dubitavit. Decebit igitur te quoque, clarissime Princeps, maiorum tuorum res gestas cognoscere, ut lectione talium historiarum maior paulatim innascatur alacritas tibi, atque studium imitandi facta excellentissimorum Principum, quorum ut apud te plurimum valeat autoritas, in causa tibi erit etiam hoc, cum legeris poetae carmen:

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas, et avunculus excitet Hector.

Non minus idem hoc consilium adiuvabit etiam, quod Deus totum mundum imperiis magistratuum obtemperare propterea voluerit, ut in hac communi societate conserventur Christianae religiones et Ecclesiae, quod qui in his maximis et infinitis difficultatibus summa fide non praestant Principes, nihil existimabuntur institutis et conatibus impiis differre a Gigantibus, quorum tantam in fabulis est fuisse amentiam, ut coelo etiam bellum inferre nihil veriti sint. Talium certe tu clarissime Princeps aditum sermonemque defugies, ut hostium Ecclesiae Christi, ne quid ex contagione incommodi accipias, atque si quando Ecclesia hoc sibi a te in loco patris tui constituto, voluerit praestari officium,

Ignavum fucos pecus a praesepibus arce.

Hortabitur te ad eam rem etiam autoritas divini mandati: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, servite Domino in timore. Nec dubitabitis etiam, quin, si hoc praecepto diligentissime observato, rationem habueritis officii vestri, nequaquam in eum deducamini casum, ut quamvis fortunam ab hostibus pati cogamini, si ad arma ventum fuerit, Christus pro sua clementia praeter omnium hostium opinionem, te tuosque conservaturus est, nihil vobis inter arma erit impeditum, hostibus nihil tutum, ut qui a fortuna facile et virtute deserentur. Omnia quaecunque illi reliquerint, tuis reservabuntur, tuorum erunt praeda. Semper enim praesidium in divino auxilio quam amicissimum, si quid opus facto fuerit, estis habituri. Illos, quanquam nihil ante non providerint, omnia deficere videbuntur, pertinacia ipsorum augebunt periculum, donec desperata salute impietatis suae poenam persolverint, quam effugere eos non oportuit, quod scriptum sit ab Esaia: Si audire nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. Rem nosti praeterea testimonio esse, quod pro defensione nominis sui gloriosis saepe victoriis ornaverit Deus Davidem, Salomonem, Ezechiam, Constantinum, Ottonem primum, et nostra memoria Principes periculosissimum bellum cum rusticis gerentes, quam Dei voluntatem erga vos quoque haud dubie cognoscetis, quoties praesidio et ornamento Ecclesiae esse studueritis.

Iam quod inopiae rei frumentariae, aliarumque rerum omnium, qua plerique propter ingratitudinem hodie plectimur, facilius vestra pietate mederi quoque potueritis, eodem existimabitis pertinere. Nam, quod multa, quibus opus est ad tolerandam famem, hoc anno partim tempestatibus deperierint, partim propter siccitates angustius provenerint, nequaquam dubitabitis Principum culpa id maxime accidisse. Maxima enim pars Principum, et sceleratorum Episcoporum ad rabiem a Diabolo redacta, doctrinam de remissione peccatorum non ridet solum, sed damnat, et crudeliter in miseros Christianos, cum potest, statuit. Hinc accidit hodie, ut quicquid delirant Reges, plectantur Achivi: quod et Aegyptiis accidit propter Pharaonis caecitatem. Verum, quia

potentissimi Reges, ut Rohoam, Nabuchdonosor, elabi manus Dei viventis non potuerunt, non est, ut nostri admirentur, se tam diu impune tulisse iniurias, cum Deus velit saepe impunitatem esse diuturniorem, ut gravius ex rerum commutatione doleant impii. Nos itaque, quod non ignoremus, plurimum in extremis periculis valuisse apud Deum maximorum Regum, ut Davidis, Salomonis, poenitentiam, singulare studium erga iuvandam ornandamque Christi Ecclesiam, speramus te quoque in his tantis difficultatibus singulari timore Dei et amore Evangelii futurum nobis subsidio esse, quam rem iamdudum nobis demonstrant honestissimi tui conatus, quibus in liberalissimarum artium studiis versaris, nequaquam neglecturus autoritatem Imperatoris Ottonis vestri. Quae quidem res in causa etiam fuit, cur tibi potissimum hanc meam orationem de Ottone scriptam dedicare voluerim, ut illi quem propter similem virtutem in Ottone monstratis multorum existimatio in locum maiorum tuorum sit restitutura. Hoc igitur, si intellexero non fuisse omnino ingratum tibi munus, causa erit profecto, quamobrem ipse mihi debeam non immerito gratulari, ut ab illo factum est, cui Rex Persarum Artaxerxes memor, quod ingens quoddam pomum ab eo donatum accepisset, per Solem, respondit, tu videris is esse, qui ex parva etiam urbe magnam possis efficere, animum videlicet, a quo dabatur, magis spectandum ratus, quam quod offerebatur munus. Idem si mihi iam in te acciderit, tanto ea res futura est gratior mihi, quanto minus a te hoc munus nostrum fuerit exclusum. Vale.

Wittenbergae. XIII. Novembris. M.D.XL.

Sapienter ab Imperatoribus existimo factum esse, quod certa virtutis insignia contulerint iis, quorum opera cum Respub. tum Ecclesias plurimum iuvari posse intellexerunt. Nam summae profecto sapientiae est, cernere homines ad pacem Rerumpub. atque ad illustrandam gloriam Christi esse conditos. Minime hoc animadverterunt Philosophi, qui tamen sapientiae nomen arrogare sibi non sunt veriti, atque in sapientia summum bonum collocarunt, quos propterea non immerito ridet Horatius, cum ait:

Ad summam, sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Sed taceo Philosophorum stulticiam: Imperatorum veram sapientiam miror et praedico, qui noticiis de Deo mentibus impressis admoniti, homines animadverterunt natos esse ad cognitionem Dei, et, quod in coelis canunt Angeli, in terris ab hominibus rectissime cantari, Gloria in excelsis Deo. Cum enim ad doctrinam religionis et ad gloriam Christi plurimum scholae pertinerent, voluerunt hos titulos artium liberalium ornamenta esse, et gradus officiorum Imperatores, nequaquam vero magnis opibus comparandis, aut retinendis destinatos esse, ut vulgi est opinio, nec in his honoribus ultimum bonum reponi, ut Philosophi sunt opinati. Et est profecto pernecessarium retineri in Ecclesiis ordinem docentium: hoc enim neglecto necesse est plurimum dissidiorum oriri in Ecclesiis, quod concordia esse non possit, ubi docti et indocti autoritate sunt pares. Qua de causa cum hi publici bonarum literarum honores a summis imperatoribus sint instituti, decebit propter autoritatem Magistratus, seu divini mandati, haec ornamenta doctorum virorum ab omnibus bonis maximi fieri. Si quis est autem, qui tam gravi causa non movetur ad amandas scholas, et magnifaciendos hos pulcherrimos docentium gradus in Ecclesia, huic respondeo:

Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

Cum autem sit hoc consuetudinis huius scholae, ut, vel de artium studiis hoc tempore dicatur, vel clarissimi alicuius Philosophi, aut Principis historia proponatur, delegi ad praestandum illud officium, quod hoc in loco publicis legibus debeo, historiam quandam Ottonis primi, Imperatoris Saxonis. Etsi enim artes Philosophiae dignas existimem, quae a nobis ornari semper, et illustrari plurimum debeant, tamen iure vituperari possem, si idem argumentum retexere ausus essem, de quo diserte hoc in loco doctissimi viri, in quibus plus est autoritatis, dixerunt.

De Ottone vero, ut dicerem hoc tempore, haec mihi in causa fuerunt. Cum enim de Platone, de Aristotele, de Rodolpho Agricola, de Augustino ornatissime a viris excellentibus sit antea hoc in loco declamatum, placuit sequi exemplum doctissimorum virorum, quos de summis Principibus hoc in loco ante me dicentes non moleste

audivistis. Et profecto, ut exemplorum in omnibus artibus magna vis est, ita clarissimorum Imperatorum et Regum historiae plurimum momenti afferunt ad veram virtutis cognitionem. Bonae enim naturae cogitatione, et admiratione virtutis in viris praestantibus maxime exuscitantur et incenduntur.

Sed de Ottone dicam, ad cuius historiam recitandam cum reliquis causis haec quoque ratio me deduxit, quod putem hoc pietatis officium propter communem patriam magis praestandum mihi esse Ottoni Imperatori, quam de eo a me hic haberi orationem, cui me communis natio non tam fecit obstrictum, quam Ottoni Saxoni. Est enim ingratitudo quaedam, magis homines moveri externis bonis, quam propriis. Quare eleganter dixit Lucianus, cum ait: *καὶ ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τῷ παρ' ἄλλοις πόροις.* Hoc est, patriae fumus igni alieno luculentior esse videtur. Etsi autem praeclarissimas res gesserint, et caeteri Imperatores Saxonici, ut pater Ottonis primi Henricus, et qui Ottonem primum sequuti sunt Saxones, tamen, qui accipio huius Ottonis inter Saxonicos Caesares virtutis opinionem esse singularem, existimavi posse a me non sine causa caeteris Imperatoribus anteferri Ottonem primum, cuius praeclara facta, ut nequaquam poterunt a me hic omnia exponi, ita digna quidem essent, ut a viris doctrina, et usu dicendi praestantibus omni orationis gratia, atque, qua possent, Venere ornarentur.

Quoniam si veterum Saxonum facta literis essent illustrata, ut Romanorum et Graecorum res gestae ab historia lumen acceperunt, non existimo dubitandum esse, quin veteres Saxones, quorum opera Romani saepe gravissima bella adversus Saracenos, Ungaros, aliosque exteros suscepta sine labore et periculo confecerunt, haudquaquam cernerentur fortissimis Romanorum et Graecorum Principibus esse inferiores. Quare cum reperiamus hoc iniquiorem esse nostrorum hominum fortunam, requirere hoc a nobis pietas videtur, ut nostrorum Principum facta ornare conemur, quorum memoriam paucorum prodidere historiae. Ego itaque eandem ob causam, tum etiam propter temporis angustiam (posteaquam attigero saltem, quae ad originem Ottonis et possessiones eius spectant, tum alia nonnulla in Ottone nequaquam tacenda) pauca adferam de rebus ab Ottone praeclare gestis in Italia, ex quibus summum eius studium propugnandi Romanum imperium, praecipue vero illustrandi nomen et gloriam Christi cognosci poterit. Haec itaque dum breviter expono, rogo vos doctissimi viri, ut me patienter audire velitis. Ego, quod ad me scio pertinere, dabo operam, ut brevitate orationis taedium levetur auditoribus.

Obtinuit Otto Principatum Saxoniae (ut hi, qui Ottones, Henricos, Lotharios descripsere, autores sunt) anno ferme ab hinc sexingentesimo. Erat autem in possessionibus Ottonis tota Saxonia. Paruit enim Ottoni ea pars, quae ad Occidentem spectat: haec complectebatur Westphaliam, Phrysiam, Vandalicam regionem ad Albim et mare pertinentem, in qua hodie sitae sunt maximae et copiosissimae urbes Saxonum, quas Vandalicas vocant. Tenuit et superiorem Saxoniam Otto, id est, Wittenbergensem una cum Marchia Brandenburgensi, Misnia, Turingia.

Patrem habuit Henricum primum, qui inter Imperatores primus fuit Saxo, natus ex patre Ottone, duce Saxoniae, filio Ludolphi, ducis Saxonum, cuius pater Bruno fuit Saxonicus Princeps, natus ex Wilgberto Britanniae duce, filio Wedekindi Magni summo loco in Saxonibus nati, et ducis Saxonum in bello Saxonico triginta annos gesto a Carolo adversus Saxones, propter religionem Christianam nondum translatam ad hos populos. Ex matre vero idem Henricus, pater Ottonis, natus est Lucarda, filia Imperatoris Arnulphi, cuius pater fuit Carlomannus, frater Imperatoris Caroli Crassi et filius Ludovici regis Germanorum, qui patrem habuit Imperatorem Ludovicum primum, filium Caroli Magni. Propter aviam itaque ad sanguinem Caroli Magni pertinuit Otto primus, propter avum vero Ottonem ad stirpem Wedekindi Magni spectavit. Matrem habuit Otto Mathildem, filiam comitis Theodorici Saxonis, ad eiusdem Wedekindi Magni familiam pertinentis.

In imperio etiam propinquitatibus et affinitatibus praestantissimis principibus fuit coniunctus Otto. Rex Galliae gener erat: Britanniae rex socer Ottonis: Filius Ottonis Ludolphus Rex Suevorum erat: Dux Bavariae Henricus fuit frater Ottonis: Coloniensium episcopus Ottonis frater Bruno fuit: Moguntinus erat Ottonis filius Wilhelmus: Otto filius Ottonis Imperatoris, ex secunda uxore natus, a patre, cui postea in regno suc-

cessit, Rex Germaniae est constitutus, deinde nactus uxorem Imperatoris Graecorum Ioannis sororem Theophaniam. Taceo reliquos Principes, quorum propinquitas multa Ottoni ad copiam et ad usus largiebatur.

Imperator Romanorum et Germanorum, propter insignem virtutis opinionem, dictus est a morituro patre Henrico. Quotquot enim Carolum Magnum antecesserunt, et secuti sunt boni Imperatores usque ad tempora Ottonis tertii, non ambitione (ut plerique Imperatores Graeci) sed opinione singularis prudentiae, iusticiae, temperantiae, imperium sine autoritate Pontificis obtinuerunt. Quam quidem consuetudinem etsi accepisset a maioribus Otto, tamen, quod vereretur fortasse existimationem multorum, quibus errore quodam persuaserant Itali, non habendos esse numero Romanorum Imperatorum patrem Ottonis, Henricum primum, et, qui hunc antecessit, Conradum Francum, quia autoritatem pontificis neglexissent, cum primum pater Henricus mortuus esset, coronatus Otto a summo Germanorum pontifice Maguntino Hildeberto monacho, excellenti doctrina praedito, Aquisgrani, Romae etiam coronam imperii accepit a Leone octavo.

Declaratus vero Imperator regnasse dicitur annum tricesimum sextum. Longe in hoc magistratu principes suorum temporum excelluit insigni pietate, egregie animi magnitudine et constantia, mira severitate vitae regiae, excellenti acumine mentis, sapientia, iusticia, clementia, quibus virtutibus hinc maior accessit autoritas etiam, quod moles corporis in Ottone ea esset, quae regiam maxime decuerit dignitatem, quod capilli cani, prolixior barba, habitus patrius, ut qui nunquam sit peregrino usus.

Versavit hunc Ottonem, postquam imperium adeptus esset, in tantis contentionibus et certaminibus fortuna, ut propter rerum a se gestarum magnitudinem, agnomine dictus sit Otto Magnus, Universalis, Augustus. Et accidit certe Ottoni, quod fieri necesse fuit in tantis calamitatibus Romani imperii, illatis ab Ungaris, Saracenis, Longobardis, Gallis, Vandalis, nullum finem iniuriis Ottone iam Imperatore facturis: Horum alii, quod imperio Romano suam potentiam diminui viderent, fortunam, quaecunque accideret, experiri maluerunt, quam Romanorum imperia sustinere. Alii, quorum plerique necessarii erant et consanguinei Ottonis, quod summam imperii ad Ottonem delatam ad se pertinere arbitrarentur, Ottoni non erant amici. Hinc factum est, ut cum Bohemis quindecim annos continenter bellum gesserit, propter amplitudinem gravitatemque civitatis Bohemiae multo, quam nunc est, maiorem. Cum Ungaris Saxoniam stipendiariam facturis, quod inimici imperii Romani cum patre Ottonis Henrico eadem de causa armis quoque contendissent, diu et acriter decertaverit. Magna etiam apud omnes hodie autoritas est eius belli, in quo triginta duabus legionibus ex omni Saxonia coactis, cum Hugone Gallorum duce, novarum rerum, et magni imperii (ut est Gallorum natura) cupidissimo conflixit.

Non minus etiam rem ad arma deduci studebant Ottonis necessarii, in quibus maiorem fidem esse oportuit. Nam quod Imperator Conradus primus, Francus, discessurus Imperatorem dixisset, non fratrem Everhardum Palatinum, sed Henricum primum, patrem Ottonis primi, diu et acriter pugnatum est adversus Ottonem ab Everhardo et Ottonis fratre Henrico, qui captus et ex Germanis abductus a Gallis, consenserat adversus fratrem cum hostibus, persuasus non difficile esse, obtineri a se imperium, Ottone fratre pulso. Reliquas historias, ne longius ab instituto videar digressus esse, praetereo. Galli certe, quod nulla causa Imperatori bellum fecissent, merito suo in his bellis multo humiliores infirmioresque sunt effecti, non tamen propter clementiam Imperatoris Ottonis redacta Gallia in provinciam, nec civitatibus imposito stipendio, cum ius belli fuerit, ut qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent. Qua quidem clementia usus postea est erga Romanos etiam, quorum Italiam haud dubie vectigalem fecisset, ut Galliam potuisset, si nihil contra iusticiam fuisset facturus redigendo sub imperium suum Italiam. Ut enim quisque maxime potens est, ita eum late dominandi cupiditas angit plurimum et agitat. Tum nemo facile, quod sciam, ex Principibus a conatu amplificandi imperii est deterritus, quod aut luminis, aut manus, aut cruris aut alterius membri iacturam fecisset. Talis est fere omnium regum voluntas, etsi non omnium talis sit audacia. Verum Otto his rebus, tum aliorum quoque exemplis, qui, egressi Italiam et Gallias, belli fortunam contra iusticiam in Germania tentassent, minime motus, iusticiae suae et autoritatis multum iudicavit interesse, dignitatem Romani imperii

nequaquam a se male faciendo minui: sed iustis de causis augeri et ornari plurimum, atque omni studio defendi publicam pacem ad defensionem imperii Romani necessariam. Tum etiam nequaquam committendum esse, ut, qui suas fortunas ipsius fidei permisissent, ab Imperatore per fidem circumventi dicerentur.

Venio ad historiam rerum Italicarum, quam hoc in loco maxime statueram exponere. Hoc Ottone Imperatore, Ecclesiam moribus improbis, et vitae turpitudine plurimum deformabat Romae Octavianus pontifex. Erat homo deditus luxui et aleae, quodque consequi necesse fuit, ganeo, scortator, periurus, blasphemus. Damnabat coniugium in sacerdotibus, quos comperit repugnare suae libidini, his regionibus et omni Italia interdixit. Fuerunt autem tum forte ex Cardinalibus duo Romae, quos vel grandior aetas, vel conscientia etiam meliorum admonebat, qui ferebant graviter hanc Epicuri vitam in pontifice, cuius amentiam cum hoc longius progredi viderent, quo saepius admoneretur, et Italiam alioqui graviter quoque premi tyrannide Berngarii tertii, ducis Longobardorum, quod magnam partem Italiae, nihil ad suas possessiones pertinentem, redegisset in provinciam, atque propter eam potentiam Henricum ducem Bavariae in Italiam ad pellendum Berngarios vocatum, Italia decedere atque exercitum deducere coëgisset: statuerunt auxilium per literas adversus Berngarium et pontificem ab Ottone Imperatore implorandum esse, qui iam adversus Bohemos, Ungaros, Bavaros, Gallos, Danos, Vandalos gesserat bella, quorum tanta ad Romanos perlata fuerat opinio, ut nomine Ottonis venturi uterque propemodum Berngarius et Pontifex ab instituto consilio deterreri potuerit. Quare communicato cum Principibus aliquot Italiae consilio, literis rogant Ottonem, uti auxilium ferat laboranti Ecclesiae et oppressae Reipublicae. Coërceri a magistratibus Berngarios et Pontificem non posse. Quinetiam, quod necessariam rem enunciarint Imperatori, intelligere se, quanto id cum periculo fecissent, et ob eam causam, quamdiu potuerint, tacuisse.

Ottonem cum multae res hortarentur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret, in primis, quod Ecclesiam, quam sui nihil deperdere voluit, non abesse a periculo arbitraretur, omnibus rebus ad bellum comparatis, exercitum, quam potest maximum, curat conscribi: et coactis militum quinquaginta milibus, qua proximum erat iter, in Italiam contendit. Huc cum venisset, statuit primum cum Berngariis praelio decertare, quos cum reperisset oppidis se continere, non facturos sui potestatem Imperatori, captis oppidis, imperat Berngarium Italia decedere cum filio Alberto.

Pulsis Italia Berngariis recta cum exercitu Romam contendit, de rebus Ecclesiae collocuturus cum Pontifice Imperator. Ubi, cum praesidia disponi curasset, quo facilius, si quid adversus imperatorem conaretur pontifex, prohiberi posset, secreto cum Pontifice colloquitur, simul commonefacit, quae ex bonorum virorum literis de flagitiis Pontificis cognovisset, et quae palam quisque de eo apud se dixisset. Primum benigne appellando rogat hominem, uti Ecclesiae ornamento et praesidio esse velit, non detrimento vel dedecori, cogitaretque vitae sanctimoniam decere Pontificem cum religione prae se ferre. Postremo, cum reperiret sua admonitione non effici, ut ad sanitatem reverteretur Papa, ostendit, si non pareat, se Ecclesiae iniurias non esse neglecturum. Imperat itaque in diem certum concilium indici, vocatis ad hoc omnibus episcopis, quos integros et bonos esse sciebat, ut horum decreto cogeretur stare Pontifex. Die concilii constituto, Pontifex memor adagii, quod est, Vulpinam pellem assuendam esse, si leonina non sufficit, noctu praeter omnium opinionem elabitur, latuitque in Hernicis, bellum aliquando sui defendendi causa facturus Imperatori. Ter autem ad Synodum publice vocatus, non paruit edicto, nec abest suspicio, ut quidem arbitrantur, quin sub idem tempus in adulterio deprehensus, sit interfectus.

Imperator itaque cum animadverteret negligi autoritatem concilii a Pontifice profugo, quae in pontifice reprehendat, coram concilio ostendit, quae ipse intelligat, quae alii querantur, proponit, efficitque ut e communi consensu novus declaretur pontifex Leo Octavus. Iam Pontificis amentia sublata, cupit et in reliquis difficultatibus subsidio esse Ecclesiae. Quare, ut et possessionibus iniustis, opera, quem fecerat Pontificis liberaret Ecclesiam, plurimum avaritia Pontificum oneratam, et in reliquum tempus multo maiora ad illustrandam gloriam Christi conferre posset, dat operam, ut, priusquam discedat a Pontifice, donationes Imperiorum, quas fabulantur factas Papae Sylvestro ab Imperatore Constantino a Pon-

tificibus, dominis iniustis, transferantur ad Imperatores, ad quos pertinuerunt. Nequàquam enim arbitrabatur hoc tantum totius Occidentis imperium civilibus Magistratibus a Pontificibus eripi debere. Non respuit conditionem Pontifex, quod arbitraretur, se pro beneficiis Imperatoris, quibus ab eo esset ornatus, plurimum Imperatori gratificaturum esse in rebus, quarum se dominum haudquaquam iure fore existimavit. Permittit igitur has donationes Constantini Ottonis potestati Pontifex, confirmatque literis omnium Cardinalium consensu approbatis, totum Occidentem imperio Ottonis, posterorumque eius, iure obsecuturum, et nequaquam Pontificum. Addidit hoc quoque: Summam autoritatem in electione Pontificis debere Imperatoris esse, non Episcoporum, quod videret vulgus Clericorum propinquitatibus et utilitatibus in decernendo Pontifice moveri magis, quam doctrina et innocentia.

Otto vero his rebus confectis, reliquis duodecim annis imperii sui sic Magistratu hoc defunctus est, ut exemplum fortibus et bonis Principibus defendendae religionis egregium proposuerit, quod, quia accrevit oratio magis quam volui, lubens, praetereo.

Alexander Magnus hunc versum inter Homericos maxime dicitur probasse:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Dux bonus ac miles praepollens viribus idem.

Quanquam mea quidem sententia non magnum habeat momentum in Principe corporis robur, plurimum autem consilium, insticia, studium pietatis, illustrandique nominis divini, quas equidem virtutes de Ottone primo iure existimo praedicari posse. Ecclesiae profecto (nam eam rem, ut brevior sim, hoc loco explico solum) quod Pontificem represserit, eiusque minuerit potentiam, magnam operam navavit Otto. Prius autem, quantopere, cum Pontificem deponeret, Ecclesiam iuverit, ostendam: postea de donationibus imperiorum breviter dicturus. Erant igitur Ottoni non tantum gravissimae causae Romam proficiscendi in Pontifice, quod helluo esset, scortator, periurus, blasphemus, verum adiuvabat haud dubie idem consilium is etiam, quo fungebatur, Magistratus, qui mandatum habebat communicandae doctrinae, abolendi impios cultus, auferendi autores scandalorum, et maxime cogendi in ordinem Pontifices discedentes ab officio, quod quidem etiamsi non legisset, ut legerat, monere tamen et lex naturae ipsum potuisset, ad quam non doctus, sed factus erat, ut custodem se intelligeret non ventris esse, aut imperiorum tantum, sed Ecclesiae etiam: cui profecto magnam praestitit operam, quod vitam Pontificis impii, omnium scelerum plenam, emendandam sibi eo tempore statuerit, quo primum ab Imperatoribus ad Occidentales populos doctrina de Christo fuerit translata. Multi enim ex Vandalis et Cymbris (qui a Carolo Magno coacti baptismum acceperant) a Christiana religione ad Idola defecerant, quos Henricus et Otto primus non sine magno negocio leguntur retraxisse. Quare, si de amentia Pontificis hae gentes cognovissent, perfacile omnibus his tota doctrina de morte et resurrectione filii Dei in suspicionem venisset: qui enim iam ante inimico animo in Christianos fuerant, facile ab instituto his tantis Pontificum sceleribus deterriti fuissent, quae certe ab iis etiam, qui de Christo nihil cognoverant, in turpissimis rebus haberi necesse fuit. Quod Pontifex etiam, qui totius Ecclesiae caput, et Christi vicarius esse vult, summa vitae innocentia coram mundo lucere debuerit, eodem ipsis pertinuisset. Multi etiam Epicurei, quorum Deus venter erat, tanta vitae libertate in summo Pontifice delectati, facile se in eam consuetudinem adduxissent, ut nullo officio, aut disciplina assuefacti, Epicurei crapulas, adulteria in peccatis haudquaquam numerassent. Taceo furta, latrocinia, aliaque innumera scelera, quae eadem de causa nullam apud ipsos infamiam habitura fuissent. In Pontifice enim omnis facinoris cuilibet fuisset exemplum, et ab eodem omnium scelerum impii homines sumpsissent sibi excusationem. Tantum profecto scelus erat labi Pontificem, in quo peccandi causam nemini tum esse oportuit.

Illustris est memoria Constantini, quod iusserit claudi idolorum templa, prohibuerit sacrificia Ethnicorum, iusserit publice doceri Evangelium, dederit stipendia doctoribus, denique magnam partem veteris formae in imperio Romano propter Evangelium mutaverit, cum acerbe adhuc odisset nomen Christi maxima pars imperii. Magnam praeterea apud omnes semper habuit virtutis opinionem Carolus Magnus, quod triginta circiter annis gravissimo bello persecutus sit Saxones, Danos, Vandalos, priusquam cogere eos ad approbandam doctrinam de Christo potuerit.

Digni certe Imperatores, quorum res gestae in singulis harum gentium urbibus publice quotannis decantentur, quod ipsorum opera Christiana religio ad hos populos primum sit translata. Quid autem Elemosinae Constantini, quid immensi labores Caroli, magnopere profuerint Ecclesiis, in quibus impiorum et sceleratorum Pontificum libido anteferenda sit Imperatorum legibus, atque Magistratibus adempta potestas sit animadvertendi in doctores impios, soli Magistratui in reliquis mandatis a Deo data? Multi perpetuo ocio et luxuria effecti fuissent Epicurei, derisissent iudicium Dei, indicassent Evangelium fabulosum esse. Postea, cum animus impurus esset, non temperassent se ab apertis maleficiis etiam: nonne satius fuisset servatis cultibus idolorum, quibus assueverant ante Carolum Magnum Vandali, Dani, caeterique idolatrae Germani, populum retineri in officio, atque certa disciplina assuefieri, ut statuisset hos deos (quorum opibus se iuvari opinabatur) homines pro scelere ipsorum ulcisci velle: contra vero obtemperantibus praemia non defutura esse? Praestat enim omnibus modis aliquam retineri disciplinam, quam Pontificum amentia totam e mundo tolli iusticiam.

Certe hoc tantum incommodum satis perspexerat Otto, et viderat haud dubie hos utilissimos Constantini et Caroli labores facile perituros Ecclesiae, nisi et suo exemplo doceret posteros, ius animadvertendi in Pontifices penes Imperatores esse: et lege etiam sanciri curaret, autoritate Leonis octavi, neminem loco Pontificis habendum esse, nisi autoritate Imperatoris esset constitutus, quo Ottonis decreto, quia non stetit Imperator, qui Ottonem secutus est, Henricus quintus, quod omnia rursus donaverit Calixto, iure ab Ottone Pontificibus detracta, eorum numero habebitur, qui propter imperitiam lapsi maximas calamitates Christianae intulerunt Ecclesiae.

Magnum igitur laborem, ut Ecclesiam iuvaret, sumpsit sibi Constantinus, magnum item Carolus, sed minorem Otto nequaquam. Non enim minor est virtus, quam quaerere parta tueri, ut ille ait. Imo si audiendus Demosthenes est: *πολλάκις δοκεῖ γὰρ φύλαξαι τ' ἀγαθὰ τοῦ κτίσασθαι χαλεπώτερον εἶναι.* Hoc est, maioris saepe negocii est, retineri, quae habentur bona, quam quae non habentur, parare.

Quam igitur, si viveret Otto, vellet sibi amicitiam esse cum Principibus nostrorum temporum, qui non tam opinione quam metu patriam virtutem proiicientes, quinetiam vino caeterisque rebus ad luxuriam pertinentibus effoeminati, papisticae factionis crudelitatem horrent: et quanquam bonam partem doctrinae intelligant, tamen quia imperiis suis periculosum esse arbitrantur, propter Evangelii doctrinam Pontificis gratiam repudiari, magna amentia impulsi, adiuvant saevitiam, defendunt impietatem contra conscientiam, praetexentes studium retinendae ecclesiasticae autoritatis. Et, quod turpissimum est heroico generi, non tantum Ecclesiam Christi oppugnant, verum propter metum etiam destitui a se religionem et iusticiam haudquaquam pudet, quod alia ratione pacem factionis pontificiae sentiant se redimere non posse.

Historiae affirmant, quod Romanos pro scelere ipsorum tantopere ultus sit Otto, ut agros Italiae vastare non dubitaverit, oppida expugnare, consules Roma capta proscribere, senatores suspendio mulctare, quia Leonem consensu totius concilii Episcopum Romanae Ecclesiae factum, et toties ab Imperatore restitutum in pontificiam dignitatem, civitate eiicere non desisterent, qui Octavianum profugum in antiquum locum honoris restitui cupiebant. Si igitur tam graviter in manifestos religionis hostes animadvertit Otto, quo dolore adversus illos exarsisset, quos in Ecclesiae causa desertorum ac proditorum numero fuisset habiturus, si incolumis esset?

Quod autem non solum opposuerit se Pontifici, verumetiam acriter pro Leone pugnaverit, probari potest, id factum esse ab Ottone, quod impias Pontificum opiniones in tot occupationibus non satis deliberatas reliquisset existimandas toti concilio: et quod opinaretur ex usu Ecclesiae esse, ut, quia Synodi toties cogi non possent, in Ecclesia caput esset, a quo controversiae, quae saepe magnae et graves incidunt, minuerentur. Accipio enim Ottonis opinionem nequaquam fuisse eam, quae est Pontificum, hoc est, deprecari homines iram divinam invocatione et opera sanctorum debere. Docere haec poterunt res ab Ottone gestae in bello quodam Gallico. Principes enim Gallorum natione Germani, id est, Franci, et propinquitatibus coniuncti Imperatori Conrado Franco, cui successerat Henricus Saxo, pater Ottonis primi, ingens dicuntur, fratre Ottonis Henrico capto, bellum fecisse Ottoni Imperatori, quod magno ipsis dolori esset, superiori Francorum

gloria diminuta, honorem imperii Ducibus Saxoniae communicatum esse. In hoc bello Gallus cum toto Imperatoris exercitu, veritus uno tempore praelium committere, locis sylvestribus in ripis Rheni, quem traiecturus erat Imperator, exercitus suos occultabat, ut milites Imperatoris, qui Rhenum traduci omnes uno tempore, propter navium inopiam, non poterant, navibus expositos et imperatos inopinantesque aggrederetur. Quod cum accidisset, et Saxones, absente Imperatore, in ipso negocio consilium capere coacti, nihil iam Caesaris imperium expectarent, sed per se, quae viderentur, administrarent, ancipiti praelio aliquandiu atque acriter utrinque pugnatum est. Otto vero, cum animadvertisset magno in periculo suos versari, quod suos, qui flumen transierant, virtute et numero pugnandi hostibus non esse pares sciret, quod ferre suis eodem tempore in tanto periculo auxilium, propter fluminis altitudinem latitudinemque non posset, plurimum commotus, et nullius iniuriae sibi conscius, toto exercitu pronunciari iubet: Nullum bellum sine divino auxilio foeliciter confici, atque hominis iusti orationem autoritate Iacobi plurimum coram Deo posse: et a Mose orationibus effectum esse, ut in bello adversus Amalachitas suscepto victoria sine magno labore sit potitus. Quare milites omnes in his extremis rebus, divina autoritate iussi, auxilium a Deo implorarent. Statuere sese, Deum invocantibus se, in pio et iusto negocio, haudquaquam defuturum esse. Quibus denunciatis descendit ex equo Imperator, atque corpore inclinato clariore voce pronunciat orationem dominicam, ut ab omnibus, qui praesto essent, exaudiretur. Hac oratione facta, non fefellit spes sua Imperatorem. Saxo aliquis pugnans, cum reliqui Saxones victoriam conclamarent, Gallorum lingua fuge Galle fuge exclamat. Hanc vocem cum Galli putarent a Gallo efferri, atque Ottonem cum reliquo adesse exercitu, omnes, omnibus rebus desperatis fugam petierunt.

Dixi historiam, petiit Otto victoriam in nomine filii Dei, non Ursulae aut Georgii, qua causa factum est, ut, paucissimis militibus Ottonis dimicantibus, pugnandi causa ex hostibus postremo resisteret nemo. Quare satis, ut opinor, demonstrant, Christiana Ottonis oratio, et inopinatus belli eventus, Ottonis sententiam de remissione peccatorum multo saniorem fuisse, quam est Romani Episcopi. Eodem pertinebit etiam, quod vivendi finem facturus utranque speciem Coenae Dominicae voluerit sibi communicari, rem minime gratam monachis et Pontifici. Et, quod ad doctrinam attinuit, praestitit profecto, quod potuit etiam, cum universale concilium cogeret propter Pontificem, maiora haud dubie, si potuisset, praestiturus. Ut enim externae disciplinae cura ad Ottonem pertinuit, ita iudicium de religionis doctrina totius fuit concilii, cui cum ipse ut legisperitus praescribere non posset, laudandus est, quod libidini saltem Pontificis impii fortiter repugnaverit, ne Deum in tot scelerum dissimulatione afficeret contumelia, et plurimis autor scandali esset. Exposui quo pacto coërcendos, atque deterrendos Otto voluerit Pontifices esse. De donationibus non dicam multis propter temporis angustiam. Magno et impudentiore iactat donationem Constantini Pontifex: Suam ait esse urbem Romam, suum regnum Siciliae Neapolitanumque, suam universam Italiam, tres Gallias, duas Hispanias, Germanos, Britannos, suum denique Occidentem, alteram partem orbis terrarum. Cuius possessionem cum obtinere non possint Pontifices, ius tamen possidendi iactant suum esse, et licere sibi quavis ratione patrimonium Ecclesiae a Constantino donatum, ab occupantibus extorquere. Hinc accidit, quod omnium ad se opes traxerint, rapiendique nullum modum fecerint, in remissione peccatorum precium statuerint, vendiderint infiniti generis bullas, praesertim Germanis, utpote quos cerebrum non habere credebant. Taceo possessiones mille artibus occupatas a coniuratis Pontificum, ut, Episcopis, Canonicis, monachis, qui propter intolerabilem avariciam, non sine summo scelere omnium fere facultates in suam potestatem redegerant.

Hoccine fuit ex Petro Iudam fieri, miserum populum amore pecuniae in summum deducere periculum corporis et animae? Hoccine est Ecclesiam, imo ipsum etiam Spiritum sanctum habere quaestui? Recte ne ad hos lupos voraces dixeris Paulum scripsisse, nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Qui alios docetis, vos ipsos non docetis. Qui praedicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, sacrilegium facitis? Maximam itaque laudem inter Imperatores ferat Otto, quod in tanta tyrannide impedire voluerit Pontifices: cum nec donaverit ea imperia Constantinus, nec, si donasset, iure id diceretur fecisse. Quo pacto enim donasset Sylvestro dimi-

dium honorum vel imperii pro baptismo, quem historiae ante Sylvestrum a Melchiade baptizatum esse confirmant? Aut quo iure Constantinus imperium deposuisset, ut donaret sacerdotibus, cum horum imperiorum possessor, vicarius Christi, aut Petri non sit, iuxta illud: Regnum meum non est de hoc mundo. Quare, cum Ecclesiae ministros a Repub. scriptura velit abesse, laudandus est Otto, quod, in tanta Pontificum insania memor officii sui, nullam sibi amicitiam esse cum Pontifice voluerit, qui de possessionibus magistratuum decedere nollet. Quodque monachos etiam (ut in historiis est) bello voluerit persequi, quia existimaverit nihil eos, voluptatibus in coenobiis deditos, pro sano facere, multoque esse satius, paucos, eosque pios et doctos, ali bonis ad Ecclesiam pertinentibus, quam ea, quae Ecclesiae donata sunt, scelerate profundi a tanta multitudine ociosorum hominum, qui nullo officio aut disciplina assuefacti, neque Ecclesiae, neque Reipub. utiles essent, sed fruges tantum consumere nati, ut Horatius inquit. Addo, quod, tantis restitutis imperiis et infinita Pontificum avaritia repressa, voluerit pro consuetudine maiorum suorum Ecclesias in Germania non modo sui nihil amittere, sed opibus, dignitate et honore auctiores esse. Ut enim plurimum beneficii collocaret in Ecclesias, celebrium aliquot pontificatuum autor fuit, ex quibus vocari possent ad docendas Ecclesias, cum opus esset, docti viri et Christianae doctrinae periti. Multum enim sua interesse sciebat, dare operam, ut retinerentur scholae, recte doceretur iuventus, magnoque in numero et honore apud omnes haberentur, in quibus liberalis esset bonarum artium cognitio, atque ex iis quam plurimi pii constituerentur doctores verbi, quorum copia ne deficeret, pontificatus constituit, quos nequaquam voluit teneri ab hominibus indoctis et improbis, quibus nulla honesta disciplina, nulla religio, nulla peccatorum remissio, nulla denique futura vita, prae summo odio Dei et Evangelii, curae esse, vel in mentem venire potest. Taceo reliquos episcopatus, qui Ottonis opera, causa discendarum artium, et illustrandae doctrinae Christi, facti partim in Cymbris sunt, partim vero in Vandalis. Magdaeburgensibus non solum, quam possident, urbem praeclarissimam extruxit, auxit, liberam effecit, verum pontificatum in ea celeberrimum haberi curavit, in quo ali magnum numerum eorum bonis Ecclesiae voluit, qui in literis versarentur, et diligenter cognoscerent doctrinam de Christo, ut suppeteret copia Episcoporum, hoc est pastorum, qui evocati ad docendas Ecclesias populum recte docerent de lege, de peccato, de beneficio Christi omnibus gratis proposito. Quam quidem summam conditoris sui autoritatem, in iis, quae ad habendas scholas et recte docendam pueriiam spectant, detrectari ab ea civitate minime decebit. Reliqua, quae opera Ottonis accesserunt Ecclesiae, quia longum est enumerare, relinquo ex hac brevi historia auditoribus existimanda.

Otto in bello Gallico, cuius iam facta mentio est, partim a militibus aliunde in auxilium vocatis, quod, quia non magnum usum in re militari haberent, Gallos metuerent, partim a fratre Henrico, quod cum hostibus consensisset, plurimum destituebatur. Hoc cum animadverteret comes quidam homo vafer et potens, qui, quod tam necessario tempore, et tam propinquis hostibus, suo auxilio plurimum putaret sublevari Imperatorem, sperabat se nihil ab Imperatore iam non impetraturum esse, rogat, ut monasterium quoddam nobile et copiosum cum fructibus sequentium temporum sibi attribuat Imperator, non satis ostendens suppetere alioqui copias sibi, ex quibus dari militibus oporteret. Imperator, quod intelligeret qua de causa ea dicerentur: Non, inquit, in his difficultatibus ita circumventurus es Ottonem vulpes. Mihi mandatum est Deo obedire magis, quam hominibus. Itaque cum prohibeat scriptura, sanctum dari canibus, nequaquam permitto ea a te occupari, quae nosti ad Ecclesiam spectare. Si igitur nihil apud te pudor et officium valent, deserito et prodito hostibus dominum tuum. Ego certe meum Reipub. officium praestitero. Et quanquam tu non sequaris, ipse tamen cum Saxonibus meis, de quorum virtute non dubito, ad hostes sum iturus.

Probat haec historia plurimum religionibus deditum fuisse Ottonem, atque omnes propterea conatus suos eo voluisse spectare, ut privatarum rerum omnium dispendio etiam, si res tulisset, summa a se semper haberetur Ecclesiarum ratio, quod, quia tempus postulat, desino pluribus demonstrare, et precor Christum, ut spiritu Christi adiuti horum temporum Magistratus imitentur Ottonis factum, in procurandis rebus ad religionem pertinentibus. Nam hoc Ottonis exemplum, si nostrorum temporum Principibus probaretur

nequaquam haec Romana et barbarica servitus in Ecclesia toleranda esset, quae vetat discerni veram doctrinam ab adulterina, quae nefarios abusus confirmat, quae summa acerbitate suppliciorum defendit invocationem sanctorum, prophanationem coenae dominicae, nundinationes missarum, impuros coelibatus et pleraque alia scelera pontificum, quibus se principes nostri tantopere adiungunt hoc tempore, ut sententias et linguam iis addicere non vereantur, nescii, quod turpissimum sibi sit, tanto assentari depeculatori, qui etsi in possessiones ipsorum aperta vi non veniat, tamen fraudibus innumeris suorum coniuratorum ita retinet eos circumventos, ut et principibus parum reliqui sit, si subditis stipendium remiserint: et subditis domi fere nihil sit, quo tolerare famem possint, si dependerint. Unde consequi deinde oportuit, quod omnibus apertum est, ut, posteaquam reges, principes, cives pecunia ita despoliaverit haec Romana factio, necesse sit illos vicissim, sive pessimo exemplo induci, sive necessitate cogi (licet non sit vera necessitas) ad auferenda ea, quae sunt Ecclesiae.

Taceo, quod nequaquam etiam iam annis circiter sexcentis haec Romana tyrannis bella intulisset pacatis populis: et inter civitates Principesque discordias saevisset, neque hoc nostro tempore ubique tantopere arderent impii et scelerati Principes in delenda funditus Germania, propter Evangelium Christi, si Ottonis Imperatoris autoritas valeret. Otto certe, quod rivi amari sunt, fontem iudicasset obstruendum esse, quod rami sunt immundi, e radice intellexisset vitium venire, quod massa sancta non est, delibationem putasset abominandam esse: et, ut semel dicam, Principatum potentiae papalis non ex Deo, sed ex Diabolo originem habere iudicasset, quod tantorum scelerum, tantorumque omnis generis malorum cerneret causam esse in Pontifice, superbe et crudeliter imperante. Quanto rectius igitur Principes horum temporum secuti fuerint Ottonis sententiam, atque hos depopulatores, Magistratuum possessionibus pulsos, tot tantisque rapinis prohibuerint, dederintque operam, ne tot horrendis scandalis obscuraretur doctrina Christi, de remissione peccatorum, et vita aeterna? Sunt enim omnino sine cerebro, quotquot Principes esse ignavos opinantur, qui in religionibus emendandis plus operae sumant quam in administrandis imperiis, cum nulla in re plus possit esse virtutis et gloriae, quam est in ornanda et illustranda Christi Ecclesia. Lucere enim ea in re fortitudinem et magnitudinem animi Principum omnino necesse est, quod sine maximis periculis et plurimorum odiis receptae religiones nullo modo mutentur. Sed quid attinet de hac re magnopere contendere, quam nemo negat, nisi quis Constantinum, Davidem, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, fecerit ignavos, quod acerrime fortissimeque pro Ecclesia pugnaverint, quos una cum Ottone veteribus etiam Romanis longe iudico praeferendos esse, qui sunt Camilli, Decii, Scipiones, Fabii. Etsi enim Decii morte sua pacem Deorum immortalium redimere non dubitaverint, Camillus vero tanta virtute pro salute patriae dimicaverit, ut secundus Romae conditor sit appellatus: tamen illustriorem reliquit de se virtutis, et bellicae laudis opinionem, Otto, quod non tantum patriam, et Romanum imperium, sed Ecclesiam et Christi gloriam acriter propugnaverit, nec eundem casum ferre, aut pro Ecclesia mori recusasset, si quid per vim accidisset. Decertantibus enim pro religione non cum armato hoste tantum, sed cum perpetuis devastatoribus Ecclesiae Diabolis res est, quorum viribus pares certe nulli Imperatores sine divino auxilio esse unquam potuerunt. Ecclesiae etiam autoritas anteferri omnium patriae eo debebit, quod, cum Christus et Ecclesia unum corpus sint, omnibus studium propugnandi Ecclesiam in priore tabula sit mandatum: patriae vero defensio eorum numero habeatur, quae posterioris tabulae esse dicuntur. Merito itaque apud Ottonem valuit autoritas Ecclesiae, ut verae patriae. Et quid Ottoni magis fuisset gloriosum, quam omnibus sui imperii nervis tueri venerabile concilium illud credentium, cui praeest Dei filius, Dominus noster Iesus Christus, una cum praestantissimis Patribus, Prophetis, Apostolis, multisque hominibus piis, excellentibus donis a Deo ornatis, ut docere Ecclesias, et regere imperia possint? Hunc sanctissimum coetum decuit venerari Ottonem, decebitque omnes, quotquot ex hac misera vita in aeternum Christi regnum cupimus transferri. Dixi.

No. 66. (an. 1540.?)

De Alfragano.

In Declam. T. III. p. 270 sqq. et in Servest. T. III. p. 256.

Oratio de Alfragano et mathematicis disciplinis Ioannis Regiomontani.

Nisi primitias lectionum facturo mihi mansuetudo vestra aspiraret, orationisque tremebundae filum dirigeret, praestantissimi viri, siluisse prorsus mallem quam pulpitum hoc philosophicum audentius conscendisse: praesertim cum novitate coepti facinoris, tanto, tamque celebri clarissimorum hominum conventu, diuturna demum a scholasticis exercitiis abstinentia, facile deterreri potuerim. Novum equidem, haud mediocre periculum facere videor, qui in urbe hac insignissima, in scholis istis egregie laudatis, et non iniuria bene famatissimis, ex quibus toti ferme Christianitati salus nascitur, coram viris eruditissimis, coram hominibus profundas doctrinas audire solitis, repente verba facturus sum, quippe qui non modo diebus plurimis, verum annis duobus, et amplius huiuscemodi legendi officium posthabui. Haec nimirum dicendi adimerent fiduciam, nisi conspectus vester iucundissimus benevolentiam perpetuam polliceretur. Non me gloriae cupido, non ostentatio, neque lucri spes instigant, quo confidentius loquar, verum sincera animi affectio, quam maxime vestrae libidini obsecundare iubet. Accedit interea, quod potissimi facio momenti, spectatissimus mathemeticarum disciplinarum splendor, divinae demum Astrologiae decus clarissimum, quae laudi suae demonstrandae praeconem me hodiernum constituere, quod amator earum singularis semper extiterim. Non pigebit igitur benemerita sua pro viribus declamare: dignae sunt enim quae ad coelum usque extollantur. Sed per Deum immortalem, quis unquam satis accurate tam speciosas Nymphas exornare poterit? cum Platonis in dicendo suavitas, tum Ciceronis nostri lingua disertissima non adsint: qui etsi reviviscerent, haudquaquam pro dignitate id ipsum assequerentur. Quamobrem aequanimitati vestrae, non orationi meae tribuetur, si quas laudes earum grandiusculas enitemur. Favete obsecro, auresque benignas Ioanni vestro breviter dicturo praebetote.

Memorare possem inprimis originem nostrarum artium, et apud quas gentes primum coli coeperint, quo pacto ex linguis peregrinis variis ad Latinos tandem pervenerint, qui in hisce disciplinis apud maiores nostros claruerunt, et quibus nostra tempestate mortalibus palma tribuitur. Sed cum ramos plurimos habeat genus illud Philosophiae dignissimum, quorum quisque suo tempore et loco sumpsit exordium, definire principio decebit genus ipsum Mathematicum: deinde species eius singulatim depromere, haud absurdum videbitur, quo expeditius uniuscuiusque ortum ac caetera sibi pertinentia contemplari liceat, quantum denique profectum consequemur, si eas plene didicerimus, unde et laudem earum ingentem comparabimus. Postremo ubi Astrologiam pro dignitate collaudaverimus, ad primordia Alfragani, qui nudam totius Astronomiae tradit historiam, foeliciter descendemus, in quo tandem tota ferme nostra consummabitur oratio.

Mathematicam definire possumus, scientiam considerativam quantitatis, cuius vocabulum a Graecis mutuatum accepimus; *μανθάνω* enim in Graeco sonat, disco apud Latinos. Unde *μάθησις* et *μαθηματικὴ*, disciplina et disciplinabilis. Cum autem duo iuxta Philosophum sint quantitatis genera, aliud enim continuum, aliud vero discretum accipitur, duo quoque praecipua Mathematici generis membra, non iniuria distinguemus. Solent enim quaeque obiectis suis artes distinctionem sumere. Primum quidem membrum Geometria, secundum autem Arithmetica vocari consuevit. Hinc facile utriusque definitionem conflabimus. Geometria enim, scientia circa quantitatem continuam versari solita, definietur. Arithmetica, numerorum tractans rationes disciplina praedicabitur.

Appellatur autem Geometria, non quod solum terrae dimensionem doceat, quemadmodum vocabulum ipsum Graecum portendere videtur: *γῆ* enim terram notat, *μέτρον* autem mensuram, unde compositionis lege nomen Geometriae resultat: verum etiam aliorum corporum mensurationem ac aliorum quantitatum continuarum passiones demonstrat.

Libeat autem animadvertere, quamobrem vocabulum istud inolevit, eo enim pacto nativitatem quoque huius disciplinae spectatissime pernoscetis. Dum Nili flumen solito vehementius exundans, limites agrorum Aegyptiorum vastaret, et pene universos delevisset, contendere coeperunt

Agricolae, sua quisque pro opinione (ut est ingenium hominum ad rem plus satis attentum) agros suos definire cupiebat, quique sive sermone, sive viribus plus caeteris valuit, tametsi antea angustum haberet agrum, pro libito terminos instituit. Quae res cum praeter aequum et bonum verteretur, ad Principem eius patriae devoluta est: qui iusta quadam ratione, mensurisque certis, suos cuique reparavit limites. Sic generali et inusitato quodam impulsu mortalium animi ad mensuras tractandas conversi, coepere alter alteri quaestiones proponere: et quicquid in huiuscemodi exercitiis bene inventum putabant, quamvis indigestum, ut ita loquar, adhuc foret, literis mandare studuerunt. Paulatim quoque in vicinis regionibus itidem actum est.

Talia scripta plurima ad manus tandem Euclidis Megarensis pervenere, quibus et ipse non pauca pro acumine ingenii sui addidit. Ne autem tanta, tamque diuturna priscorum hominum vigilantia perderetur, coepit in tredecim libris, quos iuste vocavit Elementa, quod ex eis omnes disciplinae pendeant, conclusiones passim lectas conscribere, scientiamque totius codicis Geometriam appellare, quod circa terrae dimensionem primordia sua habuisset, cui deinceps Hypsicles duos libros adiecit, quos appellavit relativos, quod ad tredecim Euclidis libros referendi essent, in quibus proportione quinque corporum regularium, inscriptionesque mutuas atque circumscriptiones tradidit. Boëtius autem noster in Latinum vertens Euclidis tredecim, et Hypsiclis duos libros, volumen unum latinitati contexuit, quamvis commentum non, ut in Graeco iacet, expresserit. Hinc Adelhardus, et Alfredus, ac tandem Campanus eos quindecim libros tanquam solo Euclide editos retractare ausi sunt: illi quidem eleganter ac brevissime, iste vero lucidissime. Haec de patre omnium Geometrarum Euclide, cui succedunt Archimedes Syracusanus civis, et Apollonius Pergaeus, ob ingenii altitudinem divinus vocari solitus: quorum uter alteri praeferendus sit, non facile dixero. Nam etsi Apollonius Elementa conica in octo libris, quos nondum vidit latinitas, subtilissimi conscripserit, Archimedem tamen Siculo varietas rerum editarum principatum contulisse videtur, quem sub Nicolao quinto summo Pontifice Iacobus quidam Cremonensis Latinum, ex Graeco reddidit: duos de sphaera et cylindro libros composuit: de Conoidalibus et Spheroidalibus duos, totidem de aequi ponderantibus. Scripsit item de lineis spiralibus, ubi circumferentiae circuli aequalem rectam designare conatur, quatenus circulum quadrare liceat, quod quidem plerisque vetustissimis Philosophis quaesitum est, ad tempora usque Aristotelis autem a nemine compertum: cuius rei gloriam nonnulli nostra tempestate viri clarissimi praestolantur. Ab Archimede insuper mensurationem circuli accepimus, quadraturam parabolae, et arenae numerum. Sunt qui scripsisse eum asserant Mechanicam, ubi electissima ad varios usus collegit ingenia, de ponderibus, de aquae ductibus, et caeteris, quae usque hac videre non licuit. Specula tamen eius quo pacto fiant, plene didicimus. Si qui vestrûm secretarum rerum cultores existunt, omnia iam nunc commemorata propediem videre poterunt. Apollonius quoque, ubi in Latinum ex Graeco versus fuerit, nemini vestrûm non admirandus veniet. Sed vereor, ne in mari tam spacioso nimium vela distenderim. Resumite quaeso coeptam in me benevolentiam, ego interea ad littus secure concedam. Nam post Eutocium Ascalonitam Commentarium Archimedis, post Theodosii de sphaeris tres libros, post Menelaum de sphaericis figuris plurimos adducere possem in diversis linguis clarissimos Geometriae scriptores, nisi temporis angustia vetaret. Quamobrem ad secundum Mathematicae genus veniendum censeo, quod veluti a numero solet denominari, ita in numerorum contemplatione perpetuo versatur. ἀριθμὸς enim Graece, numerus Latine dicitur: unde ἀριθμέω, id est numero: et inde ἀριθμητική, quasi numerativa nuncupatur. Ubi autem gentium principio coli coeperit haec rationalis disciplina, et quem primum eius egregium proferamus scriptorem, haud satis comperio. Nam etsi Pythagorae numerorum peritia apud posteros immortalitatem reliquerit, tum quod peregrinis praeceptoribus Aegyptiis atque Arabibus, qui plurimum in eo studio valuerunt, se submiserit, tum quod numerorum certa compagine omnia naturae secreta scrutari tentaverit, longe tamen digniora Euclides iecit numerorum fundamenta in tribus libris suis, septimo, octavo et nono: unde et Iordanus decem numerorum elementa decerpsit. Hinc tres libros de datis numerorum pulcherrimos edidit, Diophanti autem tredecim libros subtilissimos, nemo usque hac ex Graecis Latinos fecit, in quibus flos ipse totius Arithmeticae latet, ars videlicet rei et cen-

sus, quam hodie vocant Algebram arabico nomine. Huius equidem artis pulcherrimae multa fragmenta passim Latini contrectant, paucissimos autem egregie Doctos offendo nostra tempestate post Ioannem de Blanchinis, virum optimum. Habetur demum apud nostros quadripartitum numerorum, opus insigne admodum, item Algorithmus demonstratus, et Arithmetica Boëtii, introductio ex Graeco Nicomacho sumpta. Barlaam postremo Graecus computativam suam in sex libris Theorematum lege conscriptam, nondum ad Latinos transmisit Mathematicos. Stetimus huc usque circa disciplinas primarias, quae videlicet absolutam contemplantur quantitatem. Nunc ad secundarias descendo, quae circa quantitatem contracto quodam modo versantur, suaves mirum in modum et scitu iucundissimae. Quemadmodum enim diversarum rerum simplicium compagine grata quaedam surgit temperies: ita unamquanque harum promiscua obiecti sui consideratio intellectui desideratissimam efficit, quales sunt: Astronomia, quae magnitudinem mobilem pertractat; Musica, quae numeros sonoros contemplatur; Perspectiva, quae lineam radialem contrectat. Accedunt insuper aliae minus usitatae, ut est scientia de ponderibus, de aquae ductibus, de proportione velocitatum in motibus, et caeterae. Inter omnes autem hasce disciplinas Astronomia instar Margaritae non modo sorores suas, reliquas inquam scientias medias, verum etiam omnium disciplinarum matres Geometriam et Arithmeticam longe antecellit, cuius ortum prae vetustate nimia haud satis comperimus, ita ut aeternam aut mundo concretam non inique putaveris. Abraham enim Hebraeorum patrem Astronomiam tenuisse clamant, atque Mosen. Prometheo ignis divini furtum imputant, quod Astronomiae lumen mortalibus tradiderit. Herculem pro Atlante coelum humeris suis sustinuisse aiunt: sive quod sub Atlante Astronomiam didicerit, sive quod in regno eius absentis praefectus aliquandiu fuerit Hipparchus, tamen Rhodius, huius disciplinae primus parens: Claudius autem Ptolemaeus Alexandrinus autor, atque princeps non iniuria praedicabitur. Nam ante Hipparchum pauci admodum astrorum motus expedite contemplati sunt: nemo autem prorsus stellas fixas alio quam diurno motu circumferri putaverat, cui rei Hipparchus oculos adiecit crebriores, conclusitque memoratas stellas motu quodam proprio ac tardissimo orientem versus mutari. Deinde Ptolemaeus inventa priscorum resumens, et considerationibus suis accommodans, motum huiusmodi in centum annis per unum gradum pronunciavit, quemadmodum in septima dictione ca. 3. intueri licet. Succedit Theon Alexandrinus, commentator Ptolemaei clarissimus, cuius adhuc scripta nemo docte satis traduxisse creditur. Multos denique huius artis graecos Professores silentio praetereundos censeo, ne fastidio afficiamini. Arabes praeterea quantum in hoc genere artium valuerint, testes ostendunt dignissimi Albategnius, quem latinum fecit Plato quidam Tiburtinus. Item Gebar Hispalensis a Gerardo quodam Cremonensi traductus, quem Albertus Magnus in speculo astronomiae correctorem Ptolemaei vocare non formidat, quod in praefatione sua tredecim Ptolemaei errores emendare polliceatur: cuius volumen novem tractatuum quam pulchrum atque utile existat, dicendi non est nunc locus. Alfragano deinceps nudam Astronomiae scribenti historiam ingentes habebimus gratias, si doctrinam eius senserimus. Indos demum atque Persas huic divino studio plurimum incubuisse constat, nam illi quidem vetustissimi, declinationem Solis maximam 24 graduum deprehenderunt, isti vero tabulas suas posteris nobis reliquerunt. Ad Latinos postremo venitur, qui munera huius disciplinae creberrima a praefatis nationibus suscepere. Nam ut multos omittam, Patavinus vester Petrus de Abano commemorandus est, cuius ingenium Gallia vehementer admirata est, eo enim concessit Philosophiae discendae gratia. Praetereo acumen eius in medicina, quod facile ex conciliatore suo dinoscitur, linguam Graecam docte tenuit, egregium disputatorem eum fuisse, Lucidator Astronomiae testis est, singularem de motu octavae spherae imaginationem in libello quodam suo expressit. Quid multis moror? recentior occurit astronomus Ioannes de Dondis, civis vester clarissimus: qui quantum et quam vere divinum hoc studium coluerit atque consecutus sit, reliquiae suae immortales docere poterunt. Nunquid non memoratu dignum arbitraberis astrarium eius, quod arce papiensi dux Mediolani depositum hodie tenet, cuius videndi gratia Praelati ac Principes innumeri ad eum concessere locum quasi miraculum quoddam spectaturi? et quidem non iniuria, tanta nempe et tam in usitata huiusce modi operis pulchritudo est atque utilitas, ut nemo non possit admirari. Ecce mo-

numentum philosophi vestri nunquam periturum, ipsi iudices eritis, si studium medicinae civi vestro claritudinem peperit, an potius astrorum peritia: utrique enim tametsi plurimum operae impenderit, illa quidem prorsus tacetur, haec vero nomen suum immortale posteris effecit. Gaudete igitur o Patavini nobilissimi, quibus semper clarorum virorum studia decori fuere. Sed vix Antonii de Monte Ulmi meminisse parumper ausim, cui non medicina, sed astrorum studia nomen aeternum reliquere, ita nostrates hortantur philosophi: nam ut Britones atque Gallos in hoc studiorum genere celebratissimos praeteream, Albertus noster Magnus ingenium suum literarum studio idoneum, Astronomiae autem accommodatissimum depromit: cui ampliorem locum nostra tribueret oratio, nisi egregia sua facinora orbem terrae ferme totum iam diu penetrassent. Quocirca post plurimos nationis nostrae insignissimos astrorum contemplatores, te tandem Georgi de Peurpach, Germanorum perenne decus appellare iubeor; qui non minus vitae integritate, quam Philosophiae doctrinis pollebas: in Mathematicis autem omnes tibi contemporaneos longe anteibas, cuius nomen non modo nationis nostrae homines celebre ducebant, verum etiam Galli ac Itali vehementer admirati sunt, qui olim in urbe hac praeclarissima Astronomiam publice docuisti, plerisque insuper hic praesentibus et fama cognitus es, et visu. Te Vienna doctorem artium creavit dignissimum. Te Ladislaus olim Hungariae rex astronomum sibi delegit. Tibi Fridericus Caesar pro virtutibus tuis munificus erat. Longum esset recitare singulos Principes, doctrina tua affectos. Omitto quod dominus Cardinalis sancti Petri ad vincula saepenumero te domesticis suis adnumerare voluit. Quod dominus Ioannes Varadiensis Episcopus multa te humanitate amplexus est. Sed Bessarionem benefactorem communem nostrum atque patronum, haudquaquam praeterire licet, quippe qui excellentiae tuae testimonium praebuit solenne: indignum profecto arbitratus, ut inter conterraneos tuos vitam obscurius ageres, quin Italiam omnium studiorum genere florentissimam repeteres. Princeps igitur ille dignissimus paciscitur, ut una secum ad Italiam concedas (nam tunc legationis provincia sibi tradita fuit per Alemanniam) collibitum est e vestigio, neque pactum hoc perenne futurum suspicaris, nisi comes tibi fierem, qui tunc et antea plerisque annis tuus fuerim discipulus. Sed confectis paulatim ferme rebus omnibus (proh eius quoque rei memoriam lugubrem) ad sidera spiritum reddis: meque penitus orbum reliquisses, nisi princeps ille munificentiae manum porrexisset, tametsi statum tuum nactus essem. Quid igitur reliquum erat, nisi ut orbitatem viri clarissimi sectarer? coeptum foelix tuum pro viribus exequerer? Duce itaque patrono communi Romam profectus, more meo literis exerceor, ubi scripta plurima Graecorum clarissimorum ad literas suas discendas me invitant, quo latinitas in studiis, praesertim mathematicis, locupletior redderetur. Sed ut multa silentio praeteream, eo tandem ventum est, ut causa quidem religionis Christianae in Graeciam iturus sit Dominus meus reverendissimus: ego vero ex dispositione sua atque imperio in hoc excellentissimo studio vestro gratia literarum prosequendarum in gregem vestrum recipiar. Dabitis spero pro humanitate vestra veniam, si paulo liberius evagari visus sim, ac seriem peregrinationis meae importunius expresserim. Coeptam quaeso erga me benevolentiam producite, ut liceat calcem orationis aequanimiter ad orationis periodum properare. Parum autem lex divisionis superioris nos remorabitur, quae caeteras Mathematici generis partes taceri non sinit, quarum eam quae quadruvio inseritur, Musicam Iubal quendam invenisse clamant: nonnulli autem Hermetem in littore maris deambulantem, occasione testudinis ad pedem suum resonantis, primordia huius artis statuisse testantur. Potiores tamen partes habet Pythagoras ille Samius, qui instinctu fabrorum cudentium, eandem sonis ipsis et corporibus sonantibus proportionem esse didicit, unde suam cuique consonantiae proportionem eliciens, totam postremo artem in numeris sonorum consummavit. Paucos admodum fuisse scriptores Musicos comperio. Musicam Boëtii latini habent, cuius sententias plerasque Ioannes de Muris succincte coadiuvit: quam plane intelliget, quisquis decimum Iordani elementum satis teneat. Musica demum Ptolemaei ut latina fieret, dominus Cardinalis sancti Petri ad vincula aestate superiori sollicitus erat. Succedit etiam speciosa radiorum visualium disciplina, quam Latini perspectivam vocant: cuius volumen octo tractatuum, arabico inventore Alhacem, ad Romanos philosophos traductum est, cum libello suo de crepusculis. Vitellio autem noster Turingus codicem decem partium latinitati contexuit, more Geometrarum sen-

tentias scitu dignissimas per membra distinguens. Euclidis denique scripta de visu et speculis, interpretum officio ad nos pervenere. Rogerium Bacon Anglicum perspectiva sua compendiosa, cum libello speculi comburentis, celebrem posteris reddidere. Neque Archimedis Syracusani reminisci piget, qui disciplinam hanc nostram speculis suis Philosophicis mirum in modum exornavit: quorum exempla propediem in hac urbe vestra conficere institui. Multam postremo de reliquis scientiis mediis disserendi materiam exponerem, nisi temporis brevitas, principantiumque consuetudo me prohiberent. Nam de mansuetudine vestra futura pignus tenebo certum, si tam firmos in me figetis oculos, quam benignas usque hac oratori mihi praebuistis aures. Igitur laudes Mathematicarum declamaturo mihi, tot et tanta occurrunt monumenta, ut difficilius videatur dicendo modum statuere, quam quod dicam noviter invenire. Quis enim in hoc pelago immenso vela intendens, non copiosus videri poterit? Cui per Deum immortalem haec dignissima studia non modo non existunt utilia, verumetiam in parte necessaria? nam inprimis omitto mechanicos omnes atque fabros, quos Geometria plurimum dirigeret, si praecepta eius accepissent, sive aedificia constituere, sive aquas abducere, sive pondera transmovere tentaverint. Memorare possem, quoties fornices templorum novi admodum ignavia architectorum corruerint, dum figuram ineptam assumunt. Quod Venetiis nuper monachi nonnulli obruti sunt, turri quadam cadente, ruditati opificis eam erigere conantis imputatum est. Sinum Arabicum, vocant mare rubrum, rex quidam mari nostro mediterraneo continuare tentasset, nisi Geometra monitore totam Aegyptum aquarum illuvie submersum iri didicisset. Omitto denique negotiatores, qui numerorum peritia rem suam plurimum augent. Omitto armigerorum turbam atque militum, quibus inventa Geometrica in iaculis mittendis, dirigendisque machinis usu veniunt. Expeditior autem caeteris habetur, si quis radiorum solarium legem satis calleat. Quid denique fabros instrumentorum Musicalium meminero? quibus toties errorem suum in mensuris dividendis obieci. Missos facio mechanicos omnes, ut quantum utilitatis in studiis liberalibus mathematicae conferant, abunde monstretur. Nunquid nescitis, quam crebro mathematicis utatur exemplis peripateticus ille Philosophus? cuncta ferme scripta sua mathesin redolent, quasi nemo Aristoteli intelligendo censeatur idoneus, qui liberale Quadruvium neglexerit. Frustra tertio Meteororum discendo te contuleris, nisi geometrica fundamenta nactus sis, aut docte perspectivam teneas: secundum et tertium de coelo et mundo nunquam intelliges, si astrorum disciplinam socordia praeterieris. Qui septimum Physicorum absque noticia proportionum discere possit, arbitror esse neminem. Nonne arduum videbatur Aristoteli in duodecimo Metaphysicae suae, naturam intelligentiarum coelestium demonstrare, inde adeo quod Astronomiae haud satis studuerit? Parum id obsecro tibi videtur, quod in primo gradu certitudinis, disciplinas nostras collocarit? solum eum scientem arbitratus, qui eas docte consecutus esset. Cui etiam Plotinus quidam Academicus alludens: Utinam, inquit, omnia essent disciplinalia: adeo coepit eum satietas caeterarum artium, quae profecto non nisi diversarum opinionum congeries aestimari possunt.

Quis enim Anaxagorae, aut Democrito, vel aliis de substantia animae disserentibus, non adhaesisset prius, quam secta Peripateticorum inoleret? Nonne sequaces Aristotelis plurima scripta sua impudentius, satis cum periculo hodie lacerant? incerti, voluerit ne dicere de nominibus, an potius de rebus. Quot ramos inter se, et a stipite suo diversos haec secta produxit? Pars Ioannem Scotum imitatur, alii sanctum Thomam, non nulli autem ingenio promiscuo hac atque illac defluunt. Scotistae se pronunciant victores: ubi vero liberam dicendi sententiam locus datur, ad Thomam revertuntur. Igitur quo plures Philosophia duces habet, eo minus hac nostra tempestate addiscitur. Princeps interea Philosophorum prorsus destituitur, nomenque suum is sibi usurpat, qui in sophismatibus plus caeteris valet, neque Aristoteles ipse, si revivisceret, discipulos suos atque sequaces satis intelligere crederetur. Quod de nostris disciplinis nemo nisi insanus praedicare ausit, quandoquidem neque aetas, neque hominum mores ipsis quicquam detrahere possunt. Theoremata Euclidis eandem hodie, quam ante mille annos habent certitudinem. Inventa Archimedis post mille secula venturis hominibus non minorem inducent admirationem, quam legentibus nobis iucunditatem. O perpetuae mortalium comites: non prius cessaturae, quam mundus ipse desinat. O divina Philosophorum nu-

mina, summis prosequenda honoribus, O suavissimae discipulorum doctrices, quae nihil prorsus in mundo aggredi formidatis. Vos terrae profunditatem dimetimini, vos coelorum conscenditis fastigia. Solem centies sexagies sexies terra maiorem, Lunam autem quadragesimae parti terrae pene aequalem demonstratis. Sidera cuncta certis sub proportionibus ad terrae grossitiem comparatis. Coelorum spissitudines scrutamini, massam fumi terrei in suprema aëeris regione inflammati, quam vocant Cometam, eiusque a terra remotionem metiri pollicemini. Quos limites aquei vapores transcendere non ausint, mortalibus indicastis. Vane opinatos esse convincitis, qui Elementis continuam attribuunt proportionalitatem, neque ut in decupla proportione sese excedant admittitis. Quot maximis superiori aetate viris aeternam peperistis claritudinem? Hippocratem amore vestro captum, ad quadraturam circuli scribendam impulistis. Avicennam, egregium de lineis et numeris scriptorem accepimus. Quantam gloriam commentator adeptum se putaverit, si Astronomiam concentricam tradidisset, testimonio suo docemur, qui totam ferme aetatem in ea re consumens, desperasse tandem se confitetur. Nonne influentiales qualitates signorum Zodiaci, ac alia Astronomica, o Domini Medici, Parente vestro Hippocrate suscepimus? quasi nemo bonus Medicus evadere possit, nisi prius Astrologiae studuerit. Longe a Maioribus vestris vos degenerare, sed reprimam me: multos deinceps Iuris utriusque Professores o Nymphae spectabiles splendore vestro effecistis. Quam crebrae Theologorum fueritis et hodie sitis Comites, haud facile dixero. Nunquid Bessarioni Niceno, Cardinali ac Patriarchae Constantinopolitano immortalitatem abdicabitis, qui quemadmodum in aetate recentiori sub Gemisto praeceptore vos omnes doctissime collegit, ita reliquos vitae suae dies pro salute Christianae religionis exigere instituit? Nonne iam pridem Nicolaum de Cusa, sancti Petri ad vincula Cardinalem, ad quadraturam circuli quaerendam instigastis? Quantum Baptista de Albertis, Paulus Florentinus, Ioannes de Blanchinis, aliique multi viri clarissimi decus vestrum hodie revereantur, palam omnibus recitarem, nisi ordo dicendorum ad laudes Astronomiae singulariter me vocaret: cuius quemadmodum generali vocabulo tam motuum speculationem, quam effectuum providentiam exprimere solent Philosophi, ita ambarum partium excellentiam summatim conclamabimus. Te igitur divinum Astrologiae numen appello, tuis velim aspires praeconiis, beneficia tua immensa mortalibus demonstratura venias, Tu es procul dubio fidelissima immortalis Dei nuncia, quae secretis suis interpretandis legem praebes, cuius gratia coelos constituere decrevit omnipotens, quibus passim ignes sidereos monumenta futurorum impressit.

Tales spectare iussit astrorum choros, dum mortalibus ora daret sublimia rerum conditor: dignum profecto arbitratus, quem universis praefecerat creaturis, medium inter eas considere, ut pede quidem calcante terrenis imperare videretur: fronte autem surgente atque erecta, divinis frueretur deliciis. Quid enim iucundius, quid amoenius, quid denique suavius afficere oculos potest, quam illa tot et tantorum luminum venustissima atque ordinatissima series? eo quippe si rapiaris animo, experieris nihil te unquam sensisse in omni vita delectabilius. Per hanc disciplinam angelicam non minus immortali Deo propinqui reddimur, quam per caeteras artes a Beluis segregamur, ad reliqua studiorum genera aetate remissiores fieri solemus, huius vero scientiae desiderium una cum annis ipsis accumulatur. Cuius rei dignum produco testem Ioannem de Blanchinis, virum optimum, qui nuperrime inter caetera nostra colloquia: Ante decem, inquit, annos vita spoliatus iacerem, nisi dulcedo Astronomiae retinuisset animam: grande temporis lucrum ratus, quod astrorum peperit contemplatio. Honestatem forsitan expectas, non delectationem. Quid quaeso honestius confiteberis hoc divino studio? siquidem propter seipsum appetitur, cum caeterae plerunque artes alienum sibi praestituant finem: quod olim Petrus quidam Cameracensis sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, adeo confirmandum censuit, ut in omni quem coram clero habuit sermone, non pigrius honestatem, quam pulchritudinem nostrae scientiae demonstraret, aemulis suis ad id lacessentibus. Recentiora demum colligemus testimonia, si Domino Trocellano, Domino Varadiensi, Domino Modrusiensi, Domino Iacobo de Rubeis, ac aliis multis Praelatis dignissimis fides habebitur. Fama postremo Clarissimi Domini Nicolai de Comitibus, et aliorum secularium virorum, dignitatem studii nostri comprobare solent. Quod si ad utile astrorum peritiam accommodare velis, nihil usquam con-

ducibilius tibi offendes, modo dignum eius Professorem te exhibeas. Nam si nugas vel aniles quasdam delirationes sectanti nemo tibi fidem habeat, non arti quae in te non est, verum ignaviae tuae imputandum censeo: dignus enim es, qui ludibrio habearis, dum vix prima rudimenta Ioannis de Sacro Busto percurrens, pauculis demum Alkabitii primordiis introductus, neque differentiam eius quartam, ubi scopulus directionum atque radiationum prospicitur, satis attingens, ex templo Astronomum te proclames. Hui ridiculum caput. O genus hominum impudentissimum, qui dum aliis sese ostentant, inertiam suam palam omnibus prostituunt. Quis credet eos per somnia quaedam, ut ita loquar, hanc artem preciosissimam esse consecutos? quam multis sudoribus nocturnisque vigiliis vix tandem inveniunt studiosissimi. Sed spe dolosi nummi deceptos, garrire cogit res angusta domi. Itaque Magistrorum officiis sese ingerunt, qui nunquam fuere discipuli. Quo deinceps, nisi me fallit animus, factum est, ut nitor huius disciplinae venerabilis pene extinctus sit: adeo falsi Professores, melius dixerim histriones, eam oppresserunt: quibus saepenumero, si lacessere pergent, bellum atrox intrepidus ciebo.

Ante oculos igitur causam habetis, cur donum illud inaestimabile flocci pendatur, cur hac nostra tempestate coelestis illa disciplina perpaucis sapiat, cum ferme omnes quasi agmine facto, divitias quaeritent, magis ut instar belluarum ventri indulgeant, quam virtute bonisque artibus immortalitatem consequantur, nihil praeter aurum suave credentes. Interea tamen boni praeceptoris penuria fieri potest, quo minus ad plenitudinem perducantur huius artis amatores, tametsi ingenium huiuscemodi rebus habeant aptissimum. Nihil enim tam facile, quod non difficile fiat, si non praeceptore docto manu ducaris. Possem enumerare plurimos tam veteres, quam modernos partis iudicialis Professores, Indos, Graecos, Arabes ac Latinos: ut apertum fieret, quam multis et quam claris ingeniis Philosophia influentiarum coelestium inventa, adaucta et confirmata extiterit. Possem certissimis ostendere rationibus, quam necessaria sit Medicis astrorum peritia, quam utilis canonum atque legum Professoribus, quam iucunda, quamque commoda rerum divinarum contemplatoribus: exponerem insuper, quam mature imminentia hostium pericula vitare possimus, si studium illud nobilissimum satis consecuti fuerimus: subiungere postremo deceret, quam certum futurae immortalitatis pignus, inclyta Venetorum dominatio, Patavini quoque cives antiquissimi percipient, si conditionem Astronomiae frequentius legendae, quae pene extincta est, in hoc excellentissimo studio reparaverint. Sed ne diutius libito detineamini, missa isthaec faxo, ad calcem orationis quam primum descensurus. Nam quicquid eiusmodi rerum memoratu dignum videbitur, futuris accommodabo lectionibus.

Expergiscimini igitur viri praestantissimi, et pro vestra ingenti perseverantia favete, ut unde orta fuit, eodem nostra revertatur oratio. Videor equidem post paucul as definitiones atque divisiones, primordia nostrarum artium commemorasse, quibus gentibus primum veneratae sint, et quo pacto ex linguis peregrinis, ad Latinos tandem traductae venerint, transitu quodam tetigisse me arbitror. Generales demum, non quantas pronunciare potui, sed quas angustia temporis tulit, laudes disciplina nostris absolvi: nec prius quievit animus, quam divinam astrorum peritiam singulari praeconio extollerem: et quidem merito. Nunc reliquum est, Alfraganum insignem Astronomiae historicum ad limina domus uno verbo salutemus.

No. 67. an. 1541.

De odio sophistices.

Prodiit haec oratio Viteb. 1541. 8. 1 pl. Cf. Strobelii biblioth. Melanth. nn. 240. — Recusa in Declamat. T. I. p. 604 sqq., in Servest. I. p. 527. et Richard. T. I. p. 289.

Oratio de odio sophistices, in promotione Magistrorum recitata a M. Erasmo Reinhold. Salveldensi, Decano. Anno M. D. XLI.

Arbitror probabili consilio institutos esse hos congressus, in quibus testimonium doctrinae iis, quorum explorata est eruditio, tribuitur. Decet enim haec quasi censoria iudicia publice fieri. Sed quaecunque sunt causae, me congressus ipsi delectant. Iuvat enim coetus videre bonorum et doctorum virorum, qui sunt praecipua ornamenta Ecclesiae et Reipub. Et cum alios in aliis artibus excellere animadverto, subit animum cogitatio, quanta varietate artium Deus et instruxerit, et inter se co-

pulaverit genus humanum. Saepe etiam mihi lachrymae erumpunt intuenti in his pompis iuventutem, cui quasi per manus Ecclesiae gubernationem et curam conservandae doctrinae omnis generis trademus. Hic ego cum impendentia Ecclesiae pericula animo praemetior, non possum non deplorare causas, quae multae sunt, et vota facere pro vobis, adolescentes, qui in hanc difficillimam militiam conscripti estis, et aliquanto post subituri accerrimas dimicationes. Haec observantur animo meo, quoties ad hos congressus accedo, in quibus et hoc mihi videtur pulcherrime institutum, ne sint inerudita, muta et *βαναυσά* spectacula, ut sunt aularum, sed ut in Ecclesia iuventus audiat aliquid, quod ad eruditionem aut mores prosit. Hae conciones sunt praecipuum decus horum congressuum.

Postquam igitur me publici muneris ratio cogit iam hoc loco dicere, valde optarim me orationem adferre posse utilem iuventuti, et non iniucundam praeceptoribus nostris. Decreveram autem aliquid de illa dulcissima Philosophiae parte dicere, quae coelestes motus et effectus inquirit, quam in hac schola doceo. Sed hoc tempore inter caeteras occupationes, ea, quae inchoaveram, absolvere non potui. Quare delegi aliud communius argumentum, de quo me recentium conventuum actiones admonuerunt. Lego in edictis Principum haberi deliberationes de dirimendis controversiis ecclesiasticis. Magna et heroica virtus est Principum, si veritatem patefieri et confirmari volunt. Id si facturi sunt, decet *εὐφημεῖν*, et bene precari, ut salutare institutum Deus provehat. Sed o rem miseram acerbam et execrandam, hoc moliri harum actionum duces *καὶ ῥαβδευτὰς* audio, ut fucosis conciliationibus tenebras Evangelio inducant, et illucescentem veritatem novis praestigiis obruant, ac tanto scelere otium redimant. Hanc ad rem adhibent homines callidos, sed prave institutos, et ad Sophisticam adsuefactos. Christus ait mendacium a diabolo oriri: nulla igitur aetas caret Sophistica. Semper enim diabolus serit mendacia, et ut sint plausibilia, commendat aliquo praetextu. Hae insidiae nunc quoque cavendae sunt, praesertim cum haec aetas fato quodam videatur obnoxia crebrioribus mutationibus, et mira sit ingeniorum inconstantia? curiositas, petulantia. Et urget occasiones diabolus. Alii fastidiunt recte tradita, alii arrogantia novas opiniones quaerunt, alius metuit certamina, ut in veteri versu dicitur: *ἔπτηξ ἀλέκτωρ δοῦλον ὡς κλίνας πτέρον.* Imbuendae sunt igitur bonae mentes amore veritatis, et instillandum acerrimum odium sophistices. Hanc ob causam exempla quaedam superiorum temporum, non solum in Ecclesia, sed etiam in imperiis collegi, ut admoneant fugiendas esse similes praestigias, et sycophanticam indignissimam viris gravibus, et perniciosam vitae. Exordiar autem ab ecclesiastico exemplo.

Cum esset ingens Ecclesiae calamitas, discordia ex impio Arii dogmate nata, multi, ut sunt hominum consilia, non tam veritati, quam tranquillitati consultum cupiebant. Itaque in Syrmiensi Synodo quaesita est ambigua formula, quae si ab utraque parte reciperetur, dissidium tolleret. Convenit, ut omnes Ecclesiae pariter legerent in symbolo *ὅμοιον*, cum antea pii legissent *ὁμοούσιον*. Hic Cothurnus utrique pedi congruens videbatur sustulisse discordiam. Sed quid accidit? Fucosa nunquam durabilia sunt. Cum alii aliter interpretarentur symbolum, rursus incendium maius ex illa ipsa symboli corruptela ortum est. Confirmabantur enim Ariani, non sanabantur, pii premebantur, imbecilles et indocti perturbabantur. Talis est exitus horum consiliorum, quorum imago in comoediis proponitur, non ut ea imitemur in religionibus, in imperiis, in moribus, sed ut cavere discamus. Ludunt servi fallaciis, ut Syrus. Huic equidem consilio palmam do, hic me magnifice effero, qui vim tantam in me et potestatem habeam tantae astutiae, vera dicendo ut eos ambos fallam. Sed ille idem veterator aliquanto post deprehensus, quid ait? Perii, scelestus, quantas turbas conscivi insciens. Non diu fefellerat senes, sed sibi plagas accersiverat. Narrant historiae in illa Syrmiensi Synodo adfuisse Hispanum Episcopum Osium recte sentientem ac propter eruditionem et pietatem clarum: hic sive mollicie animi, sive circumventus aliqua techna, ut fit, comprobavit ambiguam et sycophanticam formulam. Tanto viro non leve vulnus inflixit hic error, praesertim intuenti postea novas dissipationes. Dolebat a se proditam esse veritatem, confirmatos impiorum furores, perturbatum spiritum sanctum in bonis, adductos in dubitationem imbecilles. Quid est turpius, quam de coelesti doctrina sic ludere, ut in comoediis ludunt Pseudolus, Palestrio, Phormio, aut similes sycophantae? Et tamen videmus potentes nunc praecipue

admirari et in coelum vehere tales Pseudolos, qui flexiloquas conciliationes praescribunt, qui circumvenire et obruere tardiores quoquo modo possunt.

Delectantur homines captionibus, ut celebratur Romanus Magistratus, qui Regi veteratori belle imposuit, cum in conditionibus pacis cum Antiocho factae scripsit, ut dimidium navium Antiochi Romani retinerent. Hic Romanus dissecari omnes naves curavit, et trabes sectas ita dividi, ut dimidium relinqueretur Antiocho. Alius quispiam pactus aliquot dierum inducias, noctu populabatur agros. Denique multa huius generis astute, aut etiam calumniose acta leguntur, quae si in Ecclesia imitari Doctores volent, funditus delebitur religio. Venit Athenas Demetrius regum suae aetatis florentissimus Antigoni filius, ut Eleusiniis initiaretur. Venit autem mense Martio, quo fieri Eleusina non licebat, quibus attributi erant menses duo, November et Augustus. Ut igitur Regi mos gereretur, nec tamen sacra pollui viderentur, inventa est bella ratio. Lex lata est, ut mensium nomina mutarentur. Similima res nunc agitur. Volunt illi conciliatores retineri cum alia multa deliria, tum etiam errores, quibus polluitur Coena domini. Adfingamus, inquiunt, molliores interpretationes, ubi legitur offerri hostia ad animarum redemptionem, intelligamus non nunc offerri a nobis, sed Deum interpellari, ut propter hostiam, quae ab ipso Pontifice Christo oblata, tunc redemit animas, nos exaudiat. Aegre amittunt satisfactiones, sed molliunt nomen. Volunt vocari castigationes ecclesiasticas. Talibus fucis pingere absurda dogmata conantur, nec illud agunt, ut errores emendent, ut medeantur Ecclesiae. Sed ut novis praetextibus nervos retineant viciosorum cultuum. Hoc consilio quaerunt illa σοφὰ φάρμακα, ut plausibili specie res perniciosas commendent populo. Has corruptelas coelestis doctrinae quantum oderit Deus, vox illa docet: Non assumes nomen Domini Dei tui vane. Et minatur Deus se puniturum esse has contumelias sui nominis et verae doctrinae. Ac admonere singulos de hac voce Dei, calamitates vel publicae, vel privatorum debebant, quae profecto sunt poenae humanorum flagitiorum, ac praecipue contemptus Dei et depravatae religionis.

Nimium sibi blandiuntur sycophantae, si putant se impune ludere in Ecclesia, involvere res veras, fucis ornare errores. Exitum Iudae proditoris expectent, quem imitantur. Ut enim ille prodidit osculo filium Dei: ita Evangelium quadam blanda specie delere isti conantur. Semper calumniosa legum depravatio et fraudes in iudiciis, etiam in imperiis divinitus punitae sunt, non solum in Ecclesia. Meministis sophisma Critiae, qui unus erat ex triginta viris, qui regebant Athenas, postquam captae a Lacedaemoniis, rursus pacem impetraverant. Etsi autem eo tempore crebrae seditiones praebebant causam triginta illis, ut asperius saevirent in cives, tamen legem condiderant ipsi, ne quis ex suo catalogo indicta causa interficeretur. Cum igitur Theramenem collegam Critias interfici iussisset, implorat Theramenes legis auxilium, petit, ne indicta causa interficiatur: respondet Critias, legem loqui de iis, quorum nomina sunt in catalogo, se autem iam Theramenis nomen in catalogo delere. Ita eludit legem Critias. Sed huius cruenti sophismatis poenas statim postea dedit: cum amici Theramenis pulsi civitate Rempub. recuperarunt, et Critiam, et quosdam alios, quos ille crudelitatis socios habuerat, interfecerunt. Nec illa religionum sophismata sunt incruenta, de quibus iam dicimus. Nam si pii deprehensis fucis confirmare errores non volent, rursus grassabuntur tyranni asperius, quam antea, confirmati iam iudiciis horum conciliatorum, quorum autoritas propter sapientiae et moderationis opinionem apud Principes multum valet. Nulla durabilis tranquillitas in Ecclesia sine veritate constitui potest. Fucosae moderationes et veritati nocebunt, et inflammabunt discordias ac saeviciam, et parient infinitas dissipationes et sectas. Ideo optemus toto pectore, ut Deus regat Principum consilia, et Ecclesiam ab hac sophistica liberet, ut precatur filius Dei iam aditurus mortem, cum ait: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Orat prohiberi corruptelas veritatis. Ad has preces nostri Pontificis adiungamus et nostra vota, ac fugiamus illam novam sophisticam Ecclesiae exitialem.

Alii alias causas habent, cur ad haec sophismata confugiant. Adversarii prodesse sibi haec consilia vident ad tuendas opes, docti quales sunt Wintoniensis, Wicelius et similes, laudem ingenii ambiunt. Sic volunt a Regibus praedicari, ut Sycophanta apud Plautum: Ut ego te propter perfidiam tuam amo, te metuo, te magnifacio. Nonnulli metu has tanquam latebras quae-

runt, ut Theramenes cum quidem subinde Reipub. formam mutabat, tamen quoties labescere partem suam vidit, inclinavit ad alteram, et se arte ex periculis evolvit, ut dicit Aristophanes: Subito pro Chiocoum, id est, ut in ludo talorum dicitur, pro monade senionem extitisse, *πέπτωκεν*, inquit, *ἔξω τῶν κακῶν, οὐχίος ἀλλὰ κῶος.*

Denique suo ocio consulunt non Ecclesiae, qui applaudunt his sophismatibus. In hos vere competit illa acerbissima querela Andromaches apud Euripidem, quam scelerate Menelaus deceperat. Cum enim confugisset ad aram, ne a Menelao interficeretur, iubet ille adferri infantem filium Pyrrhi et Andromaches, eamque iubet ab ara discedentem redire ac percussorem, quod nisi faciat, minatur se filium ipsius interfecturum esse. Hic generosa mater filii salutem anteponit suae, ac descedit ab ara. Postquam igitur ad percussorem redit, insultat Menelaus deceptae mulieri. Te, inquit, ego quidem interficiam, sed infantem filia mea perdet. Hic illa iusto et ingenti dolore adfecta exclamat: O dignissimi odio Spartani, et execrandi ab omnibus hominibus, dolosi, mendaciorum architecti, insidiosi, flexiloquas ambages captantes, aliud loquentes, aliud sentientes, male pereatis. Quo possunt veriore elogio describi huius temporis sophistae, quam his Andromachae verbis? Quid precari iustius est, quam ut conservetur doctrinae puritas, deleta et extincta hac sophistica. Et ut Andromache dira imprecatur impostoribus: ita minantur eis poenas divina oracula apud Esaiam, Vae iis, qui malum dicunt bonum, tenebras lucem. Haec fulmina exuscitent nos ad amorem veritatis, et ut cavere sophisticen possimus, maiore cura incumbamus in studia verae doctrinae, et instruamus ac praemuniamus animos rectis sententiis.

Quantum periculi est, si inermis cum lupo congredi velis, tantum periculi esse credite, si sine solida eruditione astutos illos et insidiosos Antagonistas adoriamini. Et Christus, etsi iubet imitari simplicitate columbas, hoc est, iubet esse sine virulentia, tamen hortatur, ut simus prudentes sicut serpentes, hoc est, simus intenti in hostem et cauti, ut serpens dicitur singulari arte, caput tegere in dimicatione. Porro ad cavendas insidias, eruditione opus est, ut pseudographias in numeris nemo iudicare potest, nisi artifex, et ita dogmatum depravationes refutari non possunt, nisi a peritis. Nec vero dubitate, quin plerisque vestrum ingentia certamina veniens aetas paritura sit, quae iam animo intuentes omnibus ingenii viribus ac nervis contendite, ut instructi et parati ad maximarum rerum explicationem et propugnationem accedatis. Et hanc curam memineritis Deo placere et gratum sacrificium esse, qui quidem et studia iuvabit, ad hunc directa finem et scopum. Nec ego, cum fucosas conciliationes detestor, propterea moderata consilia, moderatas sententias improbo, sed corruptelas caveri volo, semper est moderatissimum, quod est verum, recte, proprie, perspicue et diserte traditum.

Notum est illud Aristotelis scite dictum: Artes omnes mediocritatem quandam quaerere, quod certe non de pravis et corruptis artium operibus, sed veris intelligendum est. In his est sua et veris praeceptis conveniens mediocritas, et ut dicam, apta harmonia. Et cum in sententiis constantiam laudo, non confirmo malorum pertinaciam, aut ingeniorum petulantiam. Retineatur illa a Platone laudata coelestis mediocritas, videlicet geometrica, quae arcet tyrannidem et frenum iniicit vulgo, iubet esse idoneos iudices et gubernatores. Tales cognoscant dogmata, ac diiudicent ex veris, certis et non calumniose detortis testimoniis, reprimant tyrannos, frenent petulantia ingenia: denique curent in Ecclesia extare veram et certam doctrinam, proprie et dilucide explicatam, non dilutam sophistica. Hoc toto pectore optamus, ut tollantur ex Ecclesia *εἰδωλομανίαι*, et Deus Pater liberatoris nostri Iesu Christi vere invocetur et colatur, ut fulgeat Christi gloria, ut multi ad pietatem et salutem invitentur. Haec opto, cum fucosas conciliationes fugiendas censeo: ac prius dehiscere mihi terram velim, quam ab hac sententia deducar. Nec moror aut Theramenis, aut similium iudicia, qui clamitant scholasticos alieno periculo fortes esse, qui si non amant hoc decus, ut pro religione pericula et labores perferant, indigni iudicandi sunt, qui nos tueantur. Erit Ecclesia Deo curae, etiamsi ab ipsis deserta et proiecta fuerit, quam quidem Deus sine humanis praesidiis servare solet. Dixi.

No. 68. an 1542.

De aequitate et iure stricto.

In Declamat. T. I. p. 271., in Servat. I. p. 254. et apud Richard. II. p. 564.

De aequitate et iure stricto, ex L. Placuit C. de iudiciis. 1542.

Nota est vobis honestissima consuetudo et propter graves causas in Academiis instituta, qua solemus in his congressibus de doctrina virtutis dicere. Quid enim est dignius hominibus, praesertim nobis, quorum iudiciis et exemplis vita aliorum quoque regi debet, quam in conventibus de Deo, de virtute, de honestis disciplinis disserere, et cum nos ipsos, tum alios ad decus excitare. Nunc vero etiam tempora postulant, ut haec nostra exercitia maiore cura et diligentia tueamur et propugnemus. Videmus enim laxatis frenis disciplinae mores populi subinde magis efferari, contemni leges, doctrinam vitae utilem religionem. Ideo acrius et vehementius pugnare oportet, ne amissis literis, legibus et religionibus, infinita vitae confusio, Dei oblivio, libidinum impunitas, et aeterna latrocinia sequantur. Ad haec mala prohibenda certe opus est eruditione, cultura, et his qualibuscunque exercitiis scholasticis, quae potentes minus adiuvant, quam debent. Quare ut vos ea quantum possumus, coniunctis et copiis et studiis, defendamus, optandum est. Saepe autem hoc loco de legum dignitate gravissime dictum est. Ac magnopere prodest excitari, ali et confirmari in animis hominum amorem politici ordinis, et veram reverentiam erga leges: eandem ob causam teneant animis infixam hanc sententiam: Deum vere esse autorem et custodem politici ordinis, ac lucere Dei sapientiam et bonitatem erga genus humanum, non minus in ordine politico, quam in terrae foecunditate et similibus beneficiis, quibus corpora nostra divinitus aluntur.

Quare hunc ordinem vitae contemnere aut violare, quid est nisi Deo bellum inferre? qui assiduis exemplis omnibus aetatibus testatus est, se frenum iniicere legum contemptoribus. Quid supplicia assidua latronum, saeva bella omnium temporum? Quid sunt nisi voces Dei, quibus clamitat, se sui et suarum legum contemptum punire? Et tamen ferrei sunt hominum animi, ut his tam terribilibus exemplis parum moveantur. Sed vos qui colitis doctrinam virtutis, certe decet affici voce Dei et exemplis irae divinae. Hac uti commemoratione in praesentia volui, ut praecipuum vobis argumentum proponerem, quod maxime vos omnes ad legum amorem incitare debet, quo si qui nihil moventur, hi non oratione regendi, sed tanquam furentes compedibus et catenis constringendi essent. Et quidem constringet eos tandem Deus aeternus, qui est autor politici ordinis et legum custos. Porro cum has conciones quotidie in scholis et in templis audiatis, nunc omissa longiore oratione, pauca quaedam disputabo de lege Placuit, codice de iudiciis. Nam et haec ipsa disputatio ad defensionem et laudes scripti iuris pertinet. Verba legis haec sunt: Placuit in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae, aequitatis quam scriptae, quam stricti iuris rationem. Huius legis verba quidam inter sese pugnare dicunt. Scriptum ius id aiunt esse, quod in scripto et legis verbis continetur, ut strictum ius erat Romanae legis, eum qui contra Dictatoris interdictum pugnaverit, interficiendum esse. Pugnavit absente Dictatore Papyrio, Magister equitum Quintus Fabius contra edictum, invitatus occasione rei bene gerendae et vicit. Quid hic faciet Papyrius, si scriptam aequitatem sequeretur, aut quid interest inter strictum ius et scriptam aequitatem? Nullam inquit Papyrius victoriam pluris faciendam esse, quam militaris disciplinae conservationem. Ut igitur sanciat disciplinam et legis verbis obtemperet, iubet Magistrum equitum rapi ad supplicium. Si igitur, ut in hoc exemplo apparet inter scriptam aequitatem et strictum ius, nihil est discriminis, videtur absurda esse aut ociosa huius legis oratio in codice. Aristoteles paulo aliter de aequitate disserit, vocat enim aequitatem moderationem non scriptam, quae tamen habet honestam et probabilem rationem, ut in illo casu Papyrii, Dictatorem aliquid remittere de servitute conveniebat. Quia Magister equitum non ambitione incitatus, nec temere pugnaverat, sed facere se contra utilitatem Reipub. et contra voluntatem Dictatoris iudicaverat: si occasionem e manibus dimitteret, quam Dictator si adfuisset, nequaquam neglecturus erat. Attribuit igitur Aristoteles sapienti iudici potestatem moderandi scripti, et pene nimium inflectens legum autoritatem, ait eas velut plumbeas regulas ad negotia accommodandas esse. Fit hoc fortasse saepius quam prodest, ut et Celsus questus est, ut dicitur in lege, si Servum ff. de verborum obligationibus, praetextu aequi et boni saepe periculose errari. Quanta licentia potentibus conceditur, si permittendum est, ut a scripto iure recedant privato arbitrio, facile est enim ingeniosis excogitare ratio-

nes in speciem probabiles, in humanarum voluntatum actionibus, quae sua natura admodum sunt flexibiles, et propter varietatem causarum et circunstantiarum agitari varie possunt.

Quare laudanda est Atheniensium gravitas, qui lege constituerunt, ut lecti iudices iurarent se pronunciaturos esse iuxta leges, hoc est, non privato arbitrio, non commenticia aliqua legum moderatione. Experientia docuit vitam non posse carere scripto iure, sed vos non solum experientia moveamini, sed multo magis voluntate divina: Deus vult scripto iure vitam regi, a quo si licet discedere privato arbitrio, levis erit ius autoritas, et quantum in exemplo mali est. Deinde ita sentio, ut Magistratui officium recte facienti Deus nos parere iussit, ita legum voci parendum est. Melius igitur Architecti dixerunt: Lapis ad regulam, non regula ad lapidem accommodanda est: id magis probandum est, quam quod de plumbea regula dixit Aristoteles. Recte igitur textus noster in lege Placuit, iubet scriptam aequitatem sequi. Idque semper aequissimum esse statuamus, quod in lege gravi consilio recepta constitutum est. Cur igitur discernit textus ille scriptam aequitatem a iure stricto, quod aliud non videtur esse, quam scripti verba, sed ego strictum ius hoc loco calumniosam interpretationem intelligo. Iudaei tenebant verba scripti de sabbato, ne fierent operae serviles. Ideo in sabbato nunc quoque adeo superstitiosum est otium, ut non solum non coquant eo die, non accendant ignes in fornacibus, sed ne quidem mucos decerpant sua manu a lychnis. Causam dicunt non rerum magnitudinem, aut parvitate aestimanda esse haec officia, sed legum verbis. Speciosa est oratio et saepe valet: sed tamen hae verborum angustiae, non raro pariunt absurdas sententias, et rectiora officia conturbant.

Illud igitur rectius est, cum quaelibet lex de uno aliquo casu qui plerunque accidit loquatur. Hic casus in accommodanda lege intuendus est, ut sit norma interpretationum. Lex quae capitali supplicio fures punit, intelligit grassatores et insidiatores, quorum aetas et consuetudo intuenda est. Alia res est, si puer nondum satis intelligens quantum sit in furto turpitudinis, alienum quadam aetatis stulticia auferat, aut si quis modestus, per negligentiam non reddidit alienum: de his casibus legem non loqui consentaneum est. Esset igitur strictum ius calumniosum, verba referre ad casum alienum a principali intentione legis. Erat in lege Sabbati principalis intentio: Prohibere operas serviles, hoc est, assiduas, abducentes a ceremoniis divinis. Est igitur strictum ius, id est calumniosum, complecti casus caeteros, id est domesticae necessitatis operas, quae non abducunt a ceremoniis. Itaque noster textus sententiam utilem vitae, moribus, paci continet. Cum iubet scriptam aequitatem sequi, prohibet tyrannides et potentibus frenum iniicit, ne ex privato arbitrio res iudicent. Deus enim vult et ipsos gubernatores teneri legibus, non vult caecas eorum cupiditates dominari, vult legibus civium vitam, corpora, fortunas, connubia munita esse. Non igitur sumendum est ex facultatibus civium quantum aulae possunt profundere, non contra scriptam aequitatem saeviendum in corpora, aut vitam modestorum civium. Cernit Deus omnia vindex, qui potentum iniusta facinora magnis cladibus punire solet. Scriptum est: Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniurias. Rursus etiam textus noster occurrit alteri malo, quod praetextu scripti contra iustitiam facit, videlicet sophisticae, seu calumniosae interpretationi; nam in textu nostro strictum ius de calumnioso intelligitur, cum hoc semper pugnat scripta aequitas. Non est autem rarum scripti praetextu ludere, et ex legibus optimo et divino consilio conditis ac receptis Cothurnos facere, qui magna imperia saepe graviter concusserunt. Dixi de textu legis Placuit, quantum huius temporis angustia fert. Estque summa rei, ex scriptis legibus res iudicandas esse, nec concedendum, ut privatis arbitriis, fingantur moderationes, sed statuendum id esse aequissimum, quod vere sentit lex, neque tamen calumniose interpretandas esse. Iam cogitate, quam difficilis et magna res sit, simplicem veritatem in tam flexibilibus materiis retinere et tueri. Sint igitur custodes iuris primum viri boni, et amantes veritatis et iustitiae; deinde etiam eruditi, vigilantes, exercitati. Nam et boni aliquando specie recti labuntur. Ideo acerrimo studio opus est, ut intra metas et septa veritatis opiniones nostras includamus. Quod in Reipub. gubernatione munus noster ordo sustineat, non est obscurum, nostris consiliis et sententiis iudicia, foedera, et pene omnia vincula pacis regi solent. Id munus longe maius est, quam cui humana sapientia par esse possit, sed Deus facientes adiuvat. Fides, diligentia, studium, animi moderatio a nobis re-

quiruntur: Haec si praestabimus, aderit etiam Deus piis, et eorum consilia reget et dabit exitus placidos. Quare, scholastici, vos adhortor, ut professionis huius difficultatem animo consideretis, ut magnitudo periculi publici et vestri, vos ad discendi curam et ad modestiam invitet et exuscitet. Deus voce parentum et magistratuum destinatos ad hanc professionem, vocat ad Reipub. gubernationem, quae est res sacra, omnium maxima, difficillima et periculosissima. Annitendum est igitur omnibus viribus, ut ad rem tantam accedamus non prophanis animis, sed prospicientes magnitudinem muneris a Deo impositi, et adferentes timorem Dei, modestiam, eruditionem mediocrem, et studium salutaria agendi. Hoc ut fiat a vobis, faciat Deus aeternus pater liberatoris nostri Iesu Christi. Dixi.

No. 69. (an. 1542.)

De Physica.

In Declamat. T. I. p. 354., in Servest. I. p. 307. et apud Richard. II. p. I.

Oratio de Physica, habita Witebergae.

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est,
Pax una triumphis.

Innumeris potior, inquit Poëta, maxime vero inter cives. Hanc igitur a Deo perpetuam petemus, propter Ecclesias alioqui satis male adfectas, et ad has quantulascunque reliquias literarum retinendas, ac nunc Deo patri liberatoris nostri Iesu Christi gratias agamus, quod tumultum *πανικὸν* in vicinia ortum sedavit, de quo eo dico pauciora, quia nunc optandum esset *ἀμνηστίαν* totius rei aeternam esse *). Sed moniti hoc periculo, nos quidem Deum maiore pietate et diligentia colamus, ut pareat Ecclesiis, et his studiis quae necessaria sunt generi humano. Id facilius impetramus, si non abutemur ocio ad luxum, et obscoenas voluptates, sed finem prospiciemus, propter quem Deus pacem politiis concedit, ut educari ac erudiri iuventus, et regi disciplina possit, et maiorem adsiduitatem in hac nostra togata militia praestabimus. Ut igitur hoc loco in his congressibus, ad cohortandos vos alias de aliis seu artibus, seu virtutibus dici solet, ita et ego orationem hoc tempore, de Doctrina Physica habiturus sum. Haec et initia prima sumit a Mathematis, et passim ab illis demonstrationes mutuatur. Ideo de Mathematis et saepe alias et nuper dixi. Fortassis autem ut milites, non tam verbis, quam sua natura, suo dolore et causae magnitudine accenduntur, Sicut apud Salustium dicitur. Verba virtutem non addere. Ita hae nostrae conciunculae ad incitandos animos, non ita multum momenti adferunt. Sed tamen bonis ingeniis prodesse eas arbitror, ad iudicandum de artibus, ostendunt fines, docent quo quasi manus dirigenda sit in discendo, quae materiae maxime eligendae sint. Hac ipsae admonitiones tamen ad excitandum studium etiam conducunt. Nec opinor morem Ducum prorsus inutilem esse, qui non solum oratione, sed etiam tuba milites exuscitant. Habetis in hac Academia Dei beneficio, eruditissimos Lectores, qui Physicen explicant, qui et rerum bonitate invitare generosa ingenia et sua oratione commovere studia solent: horum et iudiciis et autoritate accendi non distortas naturas non dubito. Cum autem iam de totius collegii sententia habenda sit oratio, de eodem argumento dicendum esse duxi, ut omnium sententias de hoc ipso doctrinae genere congruere intelligatis. Notus est Virgilii versus, in quo dicitur:

Foelix qui potuit rerum cognoscere causas.

Etsi autem humana natura imbecilla est, nec vitare omnes seu morbi, seu fatales casus prudentia aut diligentia possunt, tamen non existimemus frustra tot artibus vitam instructam esse, quae quidem divinitus humano generi monstratae sunt.

Interdum ars nautica vincitur tempestatibus: nec tamen ideo frustra ostensa est ars fabricandi naves, ac remigandi. Interdum segetes vel aestu intempestivo intereunt, vel imbribus strangulantur: nec tamen ideo agricultura deserenda est. Eodem modo de caeteris artibus omnibus dici potest. Saepe opitulatur vitae Medicina, ac depellit pestiferos morbos, tametsi interdum docta plus valet arte malum. Est autem inchoatio Medicinae haec doctrina Physica, quae adolescentibus propter multas utilitates tradi solet, et de qua iam dicturus sum.

Doctrina Medicorum amplissimam eruditionem et salutarem vitae humanae complectitur. Sed

*) Videtur esse bellum de oppido Wurzen, quod an. 1542. imminebat.

non omnes exercere eandem artem possunt, ut Aristoteles dixit: Ex Agricola et Medico constat civitas, pluribus artibus Reipub. opus est. Traduntur ergo haec initia Physices, non solum cognitionis, seu oblectationis causa, sed ut serviant multis vitae partibus. Etiamsi non omnes exercent medendi artem, tamen omnibus, non barbarico more viventibus, opus est quadam communi doctrina, de corporum seminibus, quae vocamus Elementa, de temperamentis, de membrorum et organorum in homine functionibus et natura, de causis morborum, addam amplius, de motibus coeli, et variis effectibus, qui motus comitantur. Haec memini fuisse doctrinam etiam matrumfamilias, quia ad valetudinem tuendam et ad educationem necessaria est. Domestica quadam scientia tuendae valetudinis et regendi victus omnibus opus est. Et literatos decet nosse fontes harum disputationum, qui etiamsi videntur exigui, tamen monere studiosos multa possunt. Non erat professione Medicus Varro, sed tamen ratione et diligentia in provincia, quae erat infesta lue pestilenti, ita servavit se et comitatum. Iussit obstrui omnes fenestras, praeter Arctoas, unde spirant rigidiores venti. Consilium id ex puerilibus praeceptis, quae in Physica de ventorum discrimine traduntur, sumptum erat, ut omnes intelligitis.

Narrat Galenus Antonium Imperatorem depellere cruditates ventriculi solitum, inedia unius diei, et haurientem cyathum vini, cui aliquantum piperis inspersit. Domestica sunt haec, sed ut recte utamur sine Physices cognitione, fieri non potest. Nam Antonino causae quaerendae erant, cur rebus pene inflammantibus uteretur. Animadvertit igitur ex ventriculi frigore sibi cruditates oriri. Quam multos possem recitare Duces veteres et recentes, qui etsi Medicinam non exercebant, tamen hac Philosophia et suae, et aliorum saluti consulebant. Alexandri fuit eximium in hoc genere studium, qui sciebat, et Achillem a Chirone Medicinam didicisse, ut apud Homerum legimus. Nec ego nunc de integra Medicorum arte loquor, de hac communi et oeconomica doctrina dissero, qua carere non possumus, si non prorsus belluino more vivere volumus.

Addam et exempla Ecclesiae. Haec ipsa doctrina Physica propria fuit Nohae, Abrahae, Prophetarum et Apostolorum. Nam ut autoritate aliqua eminerent inter caeteros homines, et beneficiis obligare multos possent, artem eos Medicam ad professionem Evangelii Deus adiungere voluit, et manus eorum in curando rexit. Nec existimate indecorum vobis esse, tantorum virorum imitari studia, qui etsi sustinebant alia munera difficilia, tamen humani corporis opificium et temperamenta, ac morborum remedia inquirebant, alius fortasse alio studiosius: sed tamen hanc communem Physicam omnes callebant, quae sine literis non discitur. Sit igitur haec prima utilitas, quod quaedam Medicinae particula est. Sed sunt et aliae multae causae, cur adolescentibus Physica traduntur. Manat inde pars magna disputationum ethicarum, quia causae virtutum in natura hominis quaerendae sunt. Itaque et in negociis civilibus saepe aliquid ex Physica doctrina decerpitur. Et Plato inquit: Periclem ideo antecelluisse caeteris Oratoribus, quod Anaxagoram Physicum studiose audierat. Quid quod erudita Physica etiam confirmat honestas sententias de Deo et de providentia. Nam ex doctrina de causis ratiocinamur esse aeternam mentem, unam, immensae potentiae, sapientem ac optimam, et ut Plato inquit, boni causam in natura. Nec nihil prodest ad disciplinam, imbecilles ac languentes animos his argumentis confirmare. Non raro ipse mecum omnes Physicorum rationes, de Deo, colligo, ut falsarum opinionum praestigias, quas Epicurei aut Academici oculis hominum offundunt, refutare clarius possim. Discimus ex Physicis non posse intelligentem naturam oriri a bruto, aut casu nasci. Mens humana est, intelligens natura, et quidem immutabile discrimen honestorum et turpium, nascens secum adfert. Necesse est igitur a mente aliqua praestantiore ac aeterna ortam esse. Quis autem non videt aliorum argumentorum cogitationem admodum utilem esse? Sed assentior regendas esse cogitationes voce coelesti, in qua Deus magis perspicue et naturam suam et voluntatem patefecit. Venio igitur ad Ecclesiae doctrinam. Etsi scio olim Manicheos et plerosque alios fascinatos deliriis fanaticis, movisse ingentes tumultus in Ecclesia, male contextis Physicorum sententiis, tamen nihil dubium est, Ecclesiae erudita et sincera Physica opus esse. Si qui inepte tumultuati sunt, hominum furor execrandus est, non ars vituperanda, quam illi ipsi flagitiose depravabant. Et facilius refutari possunt, prolatis veris demonstrationibus. Exempla etiam ostendunt, non potuisse interpretes veteres carere Phy-

sicis. Ideo enim Nisenus, de hominis partibus, longum commentarium edidit. Et quam multa sunt in aliis Physiologica, cum disserunt de partibus et officiis animae. Quoties in gravissimis controversiis theologicis, dicendum est de causis, quarum varietas tantum in Physicis erudite traditur.

Quantum refert tenere discrimen partium animae, cum tanta sit inter eas discordia, mens retinet legem Dei impressam, monstrat beneficia Dei, docet impendere poenas contumaciae. Sed altera pars animae, quae vocatur Appetens, cuius sedes est in corde, nec beneficiis movetur, ut constanter amet Deum, nec perhorrescit commonefacta horrendis exemplis omnium aetatum, ut metuat Deum iratum ac vindicem. Quoties dicendum est de affectuum fontibus et sedibus: et erudite discerni oportet στοργὰς a vitiosis motibus. Haec nunquam dextre explicabit is, qui non adsuefactus est ad Physicam doctrinam, quae in scholis traditur. Videmus interdum etiam veteres scriptores non plebeios haerere in his materiis, tanquam in luto, propter inscitiam Physices. Quoties in Ecclesia controversia mota est de fato. Hic quid dicet imperitus Physices, quomodo labefactabit Stoicorum aut Peripateticorum sententias, quas ignorat? Nec tantum in his materiis, de quibus dixi usus est Physices, passim in explicatione coelestis doctrinae incurritur in physicos locos, ubi magnum adminiculum est interpreti cognitio horum elementorum, ut architecto, aut sculptori, mediocris pingendi facultas. Ingens est ornamentum Ecclesiae, eruditio, quae complectitur non tantum verborum cognitionem, sed etiam quandam rerum varietatem. Nam nec formari iudicium potest, sine quadam rerum multarum consideratione et collatione, nec oratio nervos habet aut vim, nisi ex bonis rebus oriatur. Est enim notus versicus:

Scribendi recte, sapere, est et principium et fons.

Est igitur et Physica doctrina complectenda, si volumus Ecclesiam non esse ineruditam. Eaque in re multa nobis providenda sunt. Indocti quia ingenia non cohaereent certis metis doctrinarum, facilius deerrant a via, et difficilius sanari possunt, quia nec norunt, nec observant leges, quas in docendo sequi tanquam normam necesse est, deinde hypotheses veras non tenent. Haec incommoda si vitare volumus, profecto excoli et expoliri ingenia vera eruditione valde opus est. Quales furores sint Anabaptistarum, scitis, quos quidem manifestum est tantum ab illiteratis ortos et propagatos esse. Si igitur lumen eruditionis in Ecclesia extinctum fuerit, deliria exorirentur varia, ut antea accidit. At principes fovere studia literarum oportuit: sed cum paucos eâ cura tangat, nos eo vehementius annitamur, ut hoc Ecclesiae decus, quantum possumus, tueamur. Haec propria est ordinis nostri militia, quam quidem et adiuvabit Deus, et ornabit praemiis, etiamsi negligimur a Centauris, et aspera multa ferenda erunt. Sed scitis hoc virtutis munus esse, recta facere, prodesse caeteris, etiamsi vulgus sit ingratum. Sic confirmatos esse oportet maxime nos in Ecclesia, ubi acriora et saeviora sunt odia adversus bene merentes. Quae gratia Esaiae, Ieremiae relata est pro summis et divinis beneficiis? Horum nos exemplis excitemus ad salutarem doctrinam conservandam posteritati, ac statuamus Deum suo agmini non defuturum esse, nec permissurum, ut funditus deleatur coelestis doctrina. Hac spe nos in his aerumnis, quae nostram militiam comitantur, sustentemus atque erigamus. Dixi.

No. 70. an. 1542.

De Polycarpo.

In Declamat. T. II. p. 342., in Servest. II. p. 366. et apud Richard. Vol. III. p. 708.

Oratio de Polycarpo, Episcopo Smyrnaeo, habita a D. Casparo Crucigero. Anno M.D.XLII., IV. Iul.

Vetus est Ecclesiae Christi consuetudo et historiarum et canonum monumentis confirmata, ne sine publico testimonio piorum et probatorum doctorum ulli ad docendum admittantur. Nec dubito hunc morem a Patribus et Prophetis per manus traditum esse

Hoc consilio nos quoque hanc publicam nostri iudicii renunciationem retinemus, quam sive gradum, sive aliter adpellare alii volent, non repugnabo, modo constet ipsum morem, si accedit exploratio doctrinae, et in iudicando gravitas, ac in testimonio fides, Ecclesiae utilem esse. Ut enim Paulus caveri iussit, ne quibuslibet sine delectu manus imponantur: ita praestandum erat,

non solum ut explorarentur ingenia, voluntates, studia, mores eorum qui ad doctrinae gubernationem accessuri sunt, sed etiam ut longa assuefactione erudirentur et excolerentur. Hanc ob causam initio, scholae adiunctae fuerunt Ecclesiis, et utile est hunc morem conservari. Quare Deum precor, ut ipse et studia regat, et hos scholasticos conventus et Ecclesias tueatur: hoc veris et ardentibus votis a Deo petere omnes vos decet.

Ego quidem dum intuens hunc coetum de publicis periculis cogito, ac repeto memoria omnium aetatum superiorum exempla, metuoque similes Ecclesiae dissipationes venturas, undique quassata Republica, pene exanimor, nec consolationem ullam humanam reperio. Sed ad hanc unam confugio, quod filius Dei inquit, se mansurum nobiscum usque ad mundi finem: nusquam autem nisi inter Evangelii discipulos manebit. Quare mansuras esse reliquias Ecclesiae speremus, et ut ipsi, coetus ille simus, studia Evangelii amemus et retineamus, et piis moribus ornemus.

Porro ut redeam ad institutum meum, cum dixerim hanc renunciationem publici testimonii graves causas habere, favere vos his congressibus decet: et quoniam hic vel de doctrina, vel de bonis moribus aliquid dici solet, ad commonefaciendam iuventutem, ego quia longam disputationem nunc quidem instituere non potui, historiam hic recitare malui.

Nec obscurum est plurimum conducere piis ad iudicandum de doctrina et ad regendos mores, historiarum et antiquitatis cognitionem. Utile est enim quaerere animo, quid illa prima aetas Apostolis proxima senserit. Hanc ob causam successio illustrium virorum quondam valde celebrata est: quaesitum qui fuerint coaetanei, quibus testibus scripta Apostolorum ad posteros transmissa sint, a quibus autoribus suas quisque sententias accepisset.

Ac arbitror eo vitam prorogatam esse aliquibus praestantibus viris, ut diutius conservaretur doctrinae puritas, et aetas posterior haberet certos et fidos testes sententiae apostolicae. Me quidem valde confirmant horum dicta, cum Irenaeus toties testatur se Polycarpi vestigia sequi, et Polycarpum adfirmat auditorem fuisse Ioannis Apostoli, ipsum Ioannem audire videor, Polycarpi aut Irenaei testimonia audiens.

Quare etsi literae Apostolorum satis perspicue nos de Dei filio et de Spiritu Sancto docent, tamen talium virorum suffragatione adiuvor et confirmor. Nunc vero Episcopi allegant successionem ordinariam, tanquam nervum suae potentiae, doctrinae vero studia multis iam seculis contemnunt, dum imperia appetunt et Regum more dominantur. Nos autem antiquitatem propter divina testimonia requiramus, ita tamen ut delectus adhibeatur.

Non eadem puritas est omnium aetatum, ac ne quidem unius aetatis omnium scriptorum. Quam multa enim absurda leguntur in Origenicis libris. Ac profecto temporis illius audaciam miror, quo licebat in Ecclesia tam monstrosas opiniones publice spargere, sive ipse est autor, sive impostores aliqui suppositicia quaedam libris eius admiscuerunt. Sed quoquo modo haec acciderunt, deploravit ipse suam seu negligentiam, seu temeritatem iam grandior natu.

Forte enim cum in Ecclesia lectionem inchoaturus esset, sedit diu gemens ac lachrymans, ac tandem exclamat. Peccatori autem dixit Deus: Quare enarras iusticias meas? Hanc vocem saepe repetens, questus est se multa inconsiderate disputasse, ac veniam erratorum non solum a Deo, sed etiam ab Ecclesia petivit, quae assidens seni, lachrymis declarabat se luctu ipsius adfici. Non enim aliae Erinnyes, non alius dolor in bona mente acrior existere potest, quam qui ex conscientia contaminatae coelestis doctrinae oritur. Ergo et ille non sine causa lachrymabat, et nos exemplo moniti simus circumspectiores, et audaciam fingendi opiniones, et cavillandi rectas sententias fugiamus, et execremur.

Adhibeatur etiam in lectione veterum prudentia et quaedam censura. Nec ut quidam veterum statuarum admiratores, rudera etiam magno emunt: ita nos amplectamur omnes omnium nenias, modo commendationem habeant antiquitatis. Non solum vetustas admirationem scriptoribus pariat, sed vides, in explicatione diligentia, consensus cum Prophetis et Apostolis, super quos, ut ait Paulus, extructa est Ecclesia.

Venio igitur ad Polycarpi historiam. Nam hunc potissimum eo delegi, quia cum toties citetur testis Apostolicae doctrinae, prodest eum quantum fieri potest notum esse studiosis et piis. Atque utinam non tantum hanc brevem historiolam, quam recitabo, adferre possem, sed ipsius etiam exhibere monumenta, in quibus complexus dicitur summam doctrinae Christianae, quae adhuc

Hieronymi aetate in manibus piorum fuerunt, ut ipse commemorat. Postea secuta est aetas inerudita, quae occupata ambitione, literas neglexit, et vetera monumenta turpiter amisit.

Primum autem tempora consideremus: Anno centesimo septuagesimo post Christi natalem, scribit Eusebius Polycarpum interfectum esse, videlicet imperantibus Marco et Vero fratribus. Porro a Traiani initio ad mortem Polycarpi sunt anni septuaginta. Audierat igitur Iohannem Polycarpus ante annos septuaginta; nam Iohannes aliquanto post Traiani initium decessit. Adolescens igitur Polycarpus pene ad vicesimum annum usque Iohannis auditor fuit, quae aetas in bonis ingeniis, cum accedit recta institutio, iam doctrinam Evangelii puram intelligere, et de dogmatibus contrariis censuram agere potest.

Fuerunt eodem tempore auditores Iohannis, Ignatius, qui postea praefuit Ecclesiae Antiochenae, et adfirmat se Christum post resurrectionem vidisse: et Papias, qui rexit Ecclesiam in Hierapoli, ac dicitur praefari suis scriptis, se mandare literis ea, quae ab Apostolis viva voce acceperit.

Iam cogitato quale fuerit sodalitium, quae studia doctrinae et virtutis in hac schola Ephesina, ex qua tanta lumina prodierunt. Narrat Irenaeus Polycarpum solitum multa narrare Iohannis dicta et facta, multa item quae Iohannes commemoraverat de Christi dictis et factis, quo ex sermone intelligi potest dulcissimam fuisse horum virorum consuetudinem.

Haec primum initia fuerunt collegiorum, in quibus nunc pro Ignatiis, Polycarpis, sunt Cyclopes, et Centauri ignari non modo religionis, sed etiam civilium officiorum, studia scholis commendata sunt, sed in his quoque disciplinae nervi nimium laxati sunt. Pios tamen et studiosos adhortor, ut cogitent illos veteres coetus Iohannis et successorum, et ad illam imaginem suos mores componant.

Dixi de rudimentis et tyrocinio Polycarpi, quod quantam vim habeat, non ignoratis. Nunc igitur de ipsius militia et rebus gestis dicam ea, quae reperio. Quantos labores, quae certamina et pericula annis septuaginta in gubernatione sustinuerit, non difficile est existimare iis, qui sciunt quantum onus sit Ecclesiae gubernatio.

Saevicia in Christianos a Nerone orta, etsi interdum habuit intervalla et quasi inducias, tamen subinde renovata est. Sub Domitiano cum alii multi interfecti essent, Iohannes in quandam solitudinem, et scopulos insulae Pathmi deportatus est. Sub Traiano Ignatius laceratus est a bestiis. Vidit igitur Polycarpus et doctores, et commilitonum aerumnas, quae etiamsi ipsis gloriosae erant, tamen amicorum animis magnum dolorem adferebant, qui orbitatem, et suam et Ecclesiae talibus viris amissis, deplorabant.

Ac ipsum quidem exceperunt acriora certamina cum Haereticis, cum iam Smyrnaeam Ecclesiam regeret: delirium Marcionis late grassabatur non solum in Asia, sed etiam in ipsa urbe Roma, et magnum chaos erat fanaticarum opinionum, ac diu quidem haesit in Ecclesia. Nam ex hoc fonte Manichaei orti sunt, et aliae superstitiones: hi Deos fingebant duos, inter se pugnantes pariter aeternos, lumen et tenebras. A lumine dicebant conditas esse bonas creaturas et beatas. A malo dicebant hylen esse, et hominum damnandorum naturas, quae flecti ad bonum non possent: item imperia, connubia, cibos immundos. Denique mira erat opinionum confusio: fecitque Marcion, quod solent facere multi, diu dubitavit, sparsit erroris semina, postea rediit ad Ecclesiam, confessus est errorem, et ostendit se mutasse sententiam. Aliquanto post eadem deliria renovat. Hae dubitationes et fluctuationes animi saepe nocent etiam mediocribus.

Venit igitur Romam Polycarpus, ut grassanti malo mederetur: refutavitque Marcionem, et scripturae testimoniis, et autoritate allegata Iohannis, cuius sententiam sibi probe notam esse adfirmabat. Quare Marcionem magna pars sectatorum deseruit, oratione et autoritate talis viri ad saniorem sententiam revocata.

Aliquando et ipse Marcion insinuare se in amicitiam Polycarpi volens, ad eum accessit, benigne salutans. Cumque interrogasset: Num agnoscis me Polycarpe, respondit senex iratus impostori et simulatori: Ego vero te agnosco foetum praecipuum diaboli. Hac voce declaravit quo animo erga eos esse debeamus, qui corruptelas piae doctrinae struunt.

Irenaeus etiam inquit, solitum aures obstruere Polycarpum, si quando impias haereticorum voces audiebat, loca etiam vitare, quasi polluta, in quibus illae dictae erant. Tantum fuit studium retinendae veritatis, ne gloria Dei laederetur. Iuvit Ecclesiam et scriptis, quae utinam extarent.

Porro haec merita recte docentium et reprimentium errores, non ducantur esse levia: nam ita vere conservatur pignus vitae aeternae, videlicet doctrina coelestis, retinetur agnitio vera Dei, ornatur gloria Dei, propagatur Ecclesia, multi vocantur ad vitam aeternam, liberati a tyrannide diaboli. Haec non sunt minora rebus gestis Scipionis, aut similium bonorum ducum. Ornavit ille urbem Romam accessione imperii, legibus, opibus consuluit utilitati civium. Fateor haec esse magna et divina: sed ea, quae in Ecclesia geruntur maiora sunt, et a Deo aliter gubernantur. Belligeratur filius Dei adversus diabolum mirabili modo per membra sua, quae admodum videntur imbecilla.

Reliquum est, ut de morte dicam. Cum iam fere nonagesimum ageret annum, et Ecclesias diu magno labore rexisset, tandem rapitur ad supplicium. Multae sunt enim causae, quare Deus Ecclesiam cruci subiecerit. Sed quod in publicis spectaculis tam foede suos a tyrannis lacerari sinit, duae sunt praecipuae causae.

Altera, quod vult conspici testimonia doctrinae. Sic adparet vere nos sentire Evangelium divinitus esse traditum, cum vitae anteferimus.

Altera est, quod vult hos summos viros testes esse de immortalitate. Quia enim scelerati et polluti omni turpitudine nunc saeviunt in sanctos, quibus antea vidimus adesse Deum, necesse est iudicari, aliam restare vitam, in qua Deus iis, quos palam complexus est, praemia redditurus est, et impiis poenas. Cum vides Paulum, qui mortuos excitaverat, interfici a tyranno omnium impurissimo, non senties Paulum a Deo abiectum esse: sed restare aliud iudicium post hanc vitam. Ergo haec exempla in Ecclesia sunt usitata: praecipua lumina vult Deus, in his spectaculis, testes fieri doctrinae.

Raptus igitur ad supplicium Polycarpus imponitur rogo ardenti, ut corpus ustulatum igni torreatur, et longo cruciatu consumatur. Hic cum stat inter flammas incipit his verbis precationem, quae sic recitabo, ut extant in historia, ut cogitetis quomodo veteres, et direxerint orationem ad Deum, et in ipsa morte confessionem declaraverint.

Deus pater dilecti filii tui Iesu Christi, per quem agnitionem tui accepimus, conditor universae creaturae, te invoco, te confiteor verum esse Deum, te glorifico per Pontificem dilectum filium tuum, cum Spiritu sancto: suscipe me et fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum, Amen.

Haec dum clara voce clamitat, interim flamma se pandit et cedit corpori. Stat senex integer, alacris, non sentiens flammas, ut olim in Chaldea servati sunt in incendio tres viri. Conspicitur fulgens candida luce, et exauditur, celebrans hunc Deum patrem Iesu Christi conditorem omnium rerum.

Valde cuperem de ipsa precationis forma copiosius dicere. Sed vos ipsi expendite, cur referat sic describi Deum, patrem Iesu Christi. Sicut plerumque et Paulus loquitur, ut multa moneat, videlicet exaudiri nos propter filium, item caeteras gentes maledicas in Christum, non invocare Deum, tametsi profiteantur se invocare conditorem rerum, ut nunc Iudaei et Mahometistae. Sed haec alias.

Nunc de Polycarpo: stabant Magistratus et carnifices stupefacti re inusitata, cum viderent senem illaesum vivere. Tandem iubet tyrannus eum gladio transfodi. Hac nece minus saeva permisit Deus senem extingui, post auditam in rogo publicam confessionem.

Recensui brevem de Polycarpo historiam, in qua hoc praecipue meminerimus, hunc auditorem Iohannis, testem nos habere doctrinae, quam Ecclesiae nostrae profitentur. Deinde et exempla admoneant, nos ad certamina et pericula vocari, ac Deum nobis etiam inter flammas adfuturum esse. Dixi.

No. 71. an. 1542.

De Ambrosio.

In Declam. T. II. p. 283 sqq., Servest. T. II. p. 277. et apud Richard. T. III. p. 665. — Adscriptus est quidem annus 1541. sed ex errore. Num ex Epistolis Vol. IV. p. 854. 857. 861. satis perspicitur, hanc orationem ad an. 1542. referendam esse.

Oratio de divo Ambrosio, habita a Magistro Marcello. M.D.XLI. (1542.)

Quoties hos publicos Scholasticorum congressus intueor, subit animum cogitatio, cum de aliis vitae partibus, tum vero maxime de Ecclesia, cui studia nostra praecipue serviunt. Cumque mecum tacitus repeto, quantis inde usque ab initio motibus quassata sit, propter doctrinae corruptelas, ac pericula, quae impendent posteritati prospicio,

cohorresco toto corpore, ac vota facio, ut filius Dei conservet ad posteros Ecclesiam, et haec studia tueatur et gubernet.

Nunc ad reliquas solicitudines, post cladem in vicina Pannonia acceptam, et trucidatum a Turcis exercitum, etiam hic metus accedit, ut verear longius grassaturam rabiem Turcicam, et aliquando, quod Deus prohibeat, deletis his gentibus et funditus eversis civitatibus, atque Ecclesiis Germanicis, nullam posteritatem fore *).

Audio bellicosissimum Ducem Regem Pannoniae Matthiam, cum Legati ad conventus Germanicos missi, renunciarent nulla a Germanis expectanda esse auxilia, frementem et longe prospicientem futuras clades, vel divinantem potius, dixisse. Dolere se vicem Christianarum gentium, quae in Europa reliquae sunt, se vivo Pannoniam fore murum, qui crudelissimam gentem Turcicam ab illis arceat. Postea Germaniam tum ingratitudinis, tum ignaviae poenas daturam esse. Etsi autem haec oratio huic loco et huic pompae minus convenire videtur: tamen in hoc communi luctu, qua de re potius dicendum est?

Non possum non deplorare fortissimi exercitus interitum, non possum non angi de nobis ipsis, de familiis nostris, de posteritate, de Ecclesia. Et saevissimam tempestatem impendentem nos omnes prospicere convenit, tum ut iram Dei placare serio, et toto pectore studeamus, tum vero etiam, ut nostra voce, si quos possumus, ad comparanda praesidia hortemur.

Antea virtute Huniade patris, et Matthiae filii, et sanguine bellicosissimae gentis Hungaricae defensi sumus. Postea cum vicissim a Germanis auxilia, et defensionem debitam Hungaria peteret, nec veterum beneficiorum memoria, nostros, nec ius vicinitatis, nec nostrum periculum excitavit. Sedimus ociosi velut in theatro spectantes veterem Tragoediam, cum ex propinquo videremus expugnari arces, quae nos texerunt, trucidari Regem devinctum Germaniae multis honestis vinculis, denique totam ardere et conflagrare viciniam. Ac nunc cum pergit hostis immanissimus et recentibus ferociens victoriis, quid agimus?

Sed ne usitato more, aliis concionemur, ad nostra vitia conniveamus. Nos ipsi primos excitemus ad placandum Deum, oremus ne Ecclesias, ne veram Christi noticiam, ne doctrinam vitae salutarem deleri sinat. Emendemus etiam mores nostros, et in hac literaria militia simus strenui.

Deinde, si qui possunt, Duces hortentur ut suum officium faciant, nec desint patriae, ac voluntatibus tot bonorum civium, qui fortunas et corpora ad societatem belli necessarii et gloriosi pro communi salute offerunt, et dimicari cupiunt. Est enim opus ductoribus ut constat, quia multorum coniunctis viribus res agenda est. *μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη*, ut ille in Tragoedia dicit.

Quo irrumpunt Turci, non dimicant de gloria, ut Cyrus, Pyrrhus, nec de imperio, ut Alexander, cuius legibus provinciae fiebant cultiores et humaniores, ne quidem ut iracundiae morem gerant, quae in heroicis naturis accensa interdum ingentia bella ciet, ut Hannibal iratus bellum Italiae intulit. Non humano impetu, sed furialibus stimulis aguntur Turci ad delendum nomen Christi, ad faciendam vastitatem orbis terrarum. Estque in adpellatione omen, nam Turca vastatorem significat; haec enim tyrannis Turcica postremus diaboli furor est, quo acerrime exerit odium suum adversus nomen Christi et adversus humanum genus.

Itaque nec ut caeteri bellatores, parcunt impuberibus puellis, mulieribus ac senibus. Sed abiiciuntur dissecti infantes, trucidantur senes, puellae et mulieres adfectae contumelia iugulantur. Capta Constantinopoli regiae virgines a militibus per ludibrium stupratae, postea interfectae sunt. Tam saevum hostem, si negligendum putant nostri Duces, quid aliud cogitandum est, nisi fatalem esse amentiam.

Sed quia non dubium est, Deum reliquias aliquas Ecclesiae servaturum esse, hac spe coeleste auxilium imploremus, et patriae opem feramus suo quisque loco. Hac spe et Augustinus, iam agens animam se sustentabat, cum impius hostis obsidione cinxisset Hipponem.

Haec in his congressibus, qui nos de Ecclesia, et de tota Repub. admonent cogitanda sunt. Non enim ad ludos tantum convenimus, sed si recte iudicamus, hi congressus ad illam vocem Christi referendi sunt, in qua dicit: Ubi duo aut tres conveniunt in nomine meo, in medio eorum sum. Et hanc ob causam habentur orationes, ut admoniti de maximis rebus in omni officio diligentiores simus.

*) De Turcis vid. Epp. Vol. IV. p. 791. 801. 807. 821.

Porro cum iam de argumento deliberarem, nec tamen abduci animus quasi a conspectu Pannoniae posset, in qua videor mihi assidue intueri passim strata fortissimorum virorum corpora, simulque recordarer tempora magnorum virorum, qui similes viderunt regnorum casus, ut Ieremiae, Ioannis Apostoli, Augustini: venit etiam in mentem Acholii, quem narrat Ambrosius piis precibus delevisse Gotthicos exercitus in Macedonia. Eam historiam dum cogito, institui orationem de ipso Ambrosio, cuius et vitae cursum et studia et res gestas nosse adolescentibus utile est, et ut mihi videtur his temporibus non alienum.

Natus est Ambrosius, patre senatore Romano et praeside partis Galliarum, tempore, ut ratiocinor, Constantii Imperatoris. Narrantur miracula, quae in ipsius infantia futuram claritatem significarunt. Etsi saepe magnae res novis et insusitatis eventibus portenduntur, ut Eliam scribunt infantem ac lambentem matris ubera conspectum esse non lac, sed flammas ab uberibus rapere. Quare illa acerrimi spiritus in eo flamma, quae reges et pontifices sine metu corripuit, significata est, tamen in praesentia properans ad graviorem historiae partem, cunas Ambrosii relinquam.

Florebant adhuc mediocriter Romae studia literarum, et nobilis iuventus praecipue in eloquentia Latina et Graeca exercebatur, ut ad forum et curiam ac imperii gubernationem praepararetur. In primis autem nobiles Christiani tunc ut proveherent liberos ad Reipublicae administrationem, ne ab ethnicis Magistratibus Ecclesiae opprimerentur, curabant suos optimis artibus instituí, ut ethnicos non solum gravitate morum et iustitia, sed etiam doctrina et industria vincerent. Ut praecepit Paulus, cum ad Titum inquit, Cap. III: Discant et nostri honestis officiis praeesse ad necessarios usus, ne sint inutiles. Vult enim Christianos non defugere communis vitae gubernationem, ut Epicurei inertia, monachi superstitione faciebant: sed suscipere partem communium aerumnarum, ut in his negociis inclarescat vera Dei noticia, et virtus nostrorum, in arduo posita loco, conspici possit, et ut nostri exercitia fide et dilectionis habeant, ac discant divinitus circumdari autoritatem piis, et regi eventus: sicut Ioseph, Daniel, Esdras, Nehemias, in magnis imperiis divinitus evecti, res maximas sapienter et foeliciter gubernarunt.

Ac fuisse eximiam Christianorum in gubernatione moderationem, inde adparet, quod cum Ambrosius in Liguriam mitteretur, abeunti Probus praefectus praetorio dixit: Vade ac age, non ut iudex, sed ut Episcopus. Quae vòx significat cum Episcoporum, tum vero caeterorum Christianorum Magistratuum administrationem fuisse aequiorem. Cum igitur praestantissimi quique suos liberos propter eam causam quam recensui, doctrina excoli voluerunt, consentaneum est patrem Ambrosii non defuisse filiis, praesertim ingeniosis.

Fratres duo fuerunt Ambrosius et Satyrus, quorum alter Satyrus in foro magna cum laude consenuit, maior natu Ambrosius, cito e foro ad gubernationem Liguriae traductus est. Satyri eloquentiam et in causis prudentiam et dexteritatem praedicat frater.

Sed Ambrosii eruditio comparet in scriptis ipsius, in quibus etsi formam orationis forensem in ecclesiasticis materiis, ut ipse narrat, mutavit, tamen multa sunt oratoria ornamenta, praesertim in Epistolis. Nec rudem Philosophiae fuisse testatur commentarius de Creatione, in quo et physica multa sunt et anatomica, non a vulgo sumpta, sed ex vera doctrina, cuius rei multa sunt indicia. Erudite enim discernit venas, arterias et nervos, ac origines diversas tradit ex Galeni doctrina, nervos ex cerebro extruit, arterias educit ex corde, venas ex epate. Etsi autem in eo libro màgna ex parte Basilii commentarium latina paraphrasi reddidit, cum quo ei amicitia fuit, tamen multa addidit, sumpta ex Graecis qui de rerum natura scripserunt, cum enim linguam graecâm calluerit, facile fuit homini studioso etiam magnam Philosophiae partem et Historiarum cognoscere.

Praeclare igitur adolescentia acta est in literis, in exercitiis eloquentiae, in discenda Philosophia et doctrina Christiana. Ad haec ornamenta accessit honesta disciplina, digna nomine Christiano, quae fuit morum custos.

Quare cum ingenio, doctrina, morum gravitate excelleret, missus est iuvenis adhuc, ex urbe Roma ad regendam Liguriam, hoc est bonam partem regionis, quam nunc vocamus Longobardiam, tempore Valentiniani, qui cum fratre Valente imperium Romanum tenuit. In hoc munere hoc illustre argumentum est iustitiae ipsius, quod pariter et Imperatori et populo probatus fuit. Nam

cum postea Episcopi functio ei mandata esset, Valentinianus reipub. gratulatus est eam electionem, et gavisus tantam esse pietatem in praeside et custode corporum, ut Deus censuerit animas ei commendandas esse. Idem testatus est libertatem eius in decretis aulicis et Magistratuum inferiorum actis reprehendendis se comperisse et probare. Populus vero sic eum dilexit, ut cum fuissent antea de electione magna certamina hunc communi consensu ad Episcopi munus vocarit.

Pervaserant in Italiam contagia labis Arianae, et Auxentius Mediolani Episcopus, cum faveret Arianis sparserat eorum venenum in populum. Hinc orta discordia duravit post mortem Auxentii. Flagitabant igitur pii Episcopum recte sentientem, caeteri vero infecti Arii veneno quaerebant sui erroris propugnatorem. Duravit certamen per aliquot dies: nam praeses Ambrosius initio se non admiscuit, ne suffragationem populi praeter morem impedire videretur. Tandem cum incensis animis, seditiones et caedes impenderent, venit in templum, et hortatur utranque partem ad tranquillitatem, commemorat divinitus dari bonos pastores, ut Paulus scribit, et Deum rogandum esse, ut suffragationem regat, et mentes flectat ad eligendum idoneum Episcopum, ac omissa ambitione, et depositis iniustis cupiditatibus, quaerendum esse virum bonum, cui recte commendari functio possit.

Tanta erat in oratione Praesidis pietas, mox ut conclamarit utraque pars, huius viri orationem et pietatem convenire Episcopo. Ita Ambrosius, qui cum fascibus erat in provincia, et praeter suam opinionem et praeter morem consentientibus omnium suffragiis eligitur Episcopus. Reclamat ipse, seque excusat, quod nondum baptismo initiatus sit, quod gerat Magistratum civilem, quod in ea doctrina quae in Episcopo requiritur, non satis versatus sit: sed vincitur populi consensu et Imperatoris adprobatione.

Multa studiosos haec electio monere potest. Primum videmus bonos pastores non humanis consiliis inveniri, sed singulari Dei ope Ecclesiis praefici, ut ad Ephesios scriptum est: Ascendisse Christum in coelos, ut det dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, ut subinde propter nova certamina Deus excellentes ministros excitavit, videlicet Eliam, Eliseum, Esaiam, et alios. Postea Apostolos, deinde Athanasium, Ambrosium, Augustinum, et similes quosdam.

Est et hoc admiratione dignum, talem virum qui unus ibi turbulento tempore idoneus gubernator futurus erat, non ex collegio Sacerdotum, sed ex forensi turba ad tantum munus accersitum esse. Sed ut in castris et in acie locus est pietati, ac in illa rerum magnitudine praecipue lucet fides, ut in Davide et similibus: ita in togata gubernatione ac in foro multos esse pios, non dubitandum est, ac praecipue tunc erant, cum disciplina Christianorum severior esset. Fratrem Satyrum, cui tota vita in foro acta est, ita praedicat Ambrosius, ut sibi etiam anteferat.

Et cum omnis gubernatio plurimum habeat periculorum, multae se in curia piis occasiones exercendae fidei offerunt. Deinde forensis disputatio viro bono eximia quaedam Philosophia est. Hic discit legum causas, quibus animadversis, leges, imperia, iustitiam, videt res divinas esse et magis veneratur. Acuit etiam ingenia subtilitas disputationum, et varietas prudentiam adfert. Quid quod ibi introspiciuntur hominum mores et naturae, quarum cognitio gubernatori, ad cavendas malorum insidias et ad flectendos moderatos magnopere conducit. Non potest igitur negari futuro gubernatori, forum, palestram esse utilissimam, praesertim si accedat Evangelii cognitio. Nec fuerit inutile tales viros, qui coniunctam habent pietatem et eruditionem Christianam cum civili prudentiam ad regendas Ecclesias provehere.

Extat autem Epistola Basilii, scripta ad Ambrosium recens vocatum ad Episcopi functionem, ex qua intelligi potest, tunc quoque in Asia Ambrosii nomen propter eximiam virtutem clarum fuisse. Sic enim ait Basilius: Magnum Dei munus esse, quod virum natum in urbe domina imperii, qui magistratum gessit, excellentem consilio, generis et vitae splendore, eloquentia et clarum rebus gestis traxerit ad pascendum gregem Christi. Haec sunt verba Basilii ex graeco sermone expressa.

Cum autem Episcopum nomino in hac historia, vetera Ecclesiae tempora velim vos animo intueri Non erat ocium, ut nunc Episcopi munus, aut quaedam tantum ceremoniarum tractatio, militia erat omnium difficillima: nec tantum acerrime dimicationes cum adversariis, sed etiam saepe potentum odia et omnis generis pericula suscipienda erant.

Ac Ambrosii administratio praecipue incidit in difficillima tempora, vidit florentes Imperatores

quinque, et quidem bonos principes, Valentinianum maiorem, Gratianum, Valentinianum minorem, Theodosium et Honorium. His omnibus cum pene familiaris esset, tamen aula satis duriter interdum eum exercuit. Sed tamen haec amicitia Ambrosii cum his principibus Ecclesiae utilis erat. Adiutus ab his facilius repressit hostes Christi, Ethnicos, Iudaeos et Haereticos. Nam cum his omnibus belligeratus est.

Sed ut sunt humana omnia fragilia, hae Principum amicitiae magnas curas, magnos luctus viro attulerunt, ut merito interdum exclamare potuerit: saevum praelustri fulmen ab arce venit. Nam et aulae habuerunt suas pestes, ut ita dicam, et cum ethnici, extincta familia Constantini, rursus spem concepissent imperii ad se retrahendi ac opprimendi nomen Christianum, gravissimae seditiones adversus adolescentes duos Valentiniani filios, Gratianum et Valentinianum motae sunt. Ita tunc quoque propter veram religionem magna pericula ipsis principibus subeunda fuerunt.

Laetissima fuerunt auspicia principatus Gratiani: nam virtutes in eo, ut ita dicam, domesticae erant eximiae, iustitia, continentia, eruditio, eloquentia, et verae religionis amor, de qua Ambrosium doctorem studiose audiebat. Et extant volumina accurate scripta de filio Dei et de Spiritu sancto, quae flagitavit ab Ambrosio Gratianus, qui quidem recte confirmatus Arianos ab Occidente arceri iussit. Ad haec decora accessit foelix tyrocinium, quod iuvenem autoritate augebat. Apud Argentinam magno prelio Alemanos profligavit. Utili etiam et salutari consilio collegam sibi adiunxit Theodosium propter virtutis praestantiam, qui et ipse Gotthos per id tempus a Thracia depulit.

Hanc crescentem Christianorum principum gloriam cum aegre ferrent ethnici, Maximum Gratiani Ducem impulerunt, ut iuvenem principem interficeret. Quanto in luctu putatis Ambrosium fuisse, non solum propterea quod patronum amisisset: sed etiam quod motis civilibus armis, magnam perturbationem orbis terrarum secuturam esse videbat. Et ut fit turbulentis temporibus, facilius etiam in Ecclesias penetrant malarum opinionum autores, ut dicitur: *ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.* Haec mala concurrerunt.

Valens in Oriente furenter defendens Arii pestiferum dogma saeviciam exercuerat in pios, id vidit magno cum dolore Ambrosius, et cavit ne ea pestis in Occidentem irrumperet. Sed extincto Gratiano, Iustina mater Valentiniani, cum Arrianis sentiens, templum eis Mediolani tradi postulat. Ingenti animo haec iniusta imperia detrectat Ambrosius ac in statione manet: et quamvis insidiis Iustinae peteretur, tamen interim et caeteris provinciis consuluit, contendit in ultimam Pannoniam, et contra Iustinae voluntatem Syrmio pium Episcopum praeficit.

Vide autem mulieris ingratitudinem, molitur exitium Ambrosio illo ipso tempore, cum ipse gravissimos labores et pericula adit pro filio Valentiniano, quem recens ex Gallia tyrannus Maximus expulerat. Ad hunc enim legatus ad Trevirorum urbem profectus est, et cum eo acerrime contendit, ne adolescentem iusta imperii possessione pelleret. Paulo post secutus Maximus, Mediolanum venit. Hic fugiente in Macedoniam adolescente Valentiniano, cum Maximus in Italia dominaretur, Romae etiam edicta proposuisset, Ambrosius magno animo ei interdicit communione. Cumque necem ipsi Maximus minaretur, secessit Aquileiam. Hos tantos agones, has aerumnas habuerunt auspicia Episcopatus Ambrosii, luctum ex Gratiani interitu, dolorem ex civili bello, odia et pericula a Iustina, legationes ad tyrannum, denique exilium. Haec sunt vera Episcopi ornamenta, non purpura, aut regii adparatus.

Tandem venit in Italiam Theodosius, ac bellum Maximo infert, eumque captum interficit. Cum tyrannus poenas dedisset, restituitur Italiae tranquillitas, et revocatus Mediolanum Ambrosius, et suam Ecclesiam et vicinas belli civilis tempore dissipatas, instaurat. Nec diuturna fuit haec tranquillitas: cum Theodosius in Asiam rediisset, et Valentinianus Occidentem regeret, Romani petunt restitui aram Victoriae et impia sacrificia, dissuadet id concedi Ambrosius. Quare adolescens ethnicorum insidiis petitur, et seditionem movent Arbogastus, Francus et Eugenius: paulo post moritur adolescens fraude Eugenii extinctus.

Duo seditionis Duces nihil Maximi exitu deterriti, potituros se imperio sperant, Romae proponunt edicta: iubent restitui ethnicorum sacrificia, exercitum ex ferocissimis nationibus Francorum et Alemannorum collectum, in Italiam adducunt: veniunt Mediolanum, ubi Arbogastus satis barbarice minatur se templa mutaturum esse in equorum stabula.

Rursus est in luctu Ambrosius, extincto Imperatore, videt rursus impendere maius bellum civile. Rursus exulat, et in Etruriam secedit: nec tamen frangitur animo, sed Theodosium accersit, et commonefacit officii, ut depellat has a Repub. furias, quae et ipsum opprimere et delere Christi nomen conentur. Interim et Deum precatur, ut Theodosium adiuvet. Vicit igitur Theodosius ingenti praelio seditiosos, quorum alter Arbogastus inclinata acie, in fuga sibi mortem conscivit, velut Saul, alter Eugenius captus, iussus est interfici et legibus poenas dare.

Post hanc victoriam Italia tranquilla fuit, donec Theodosius vixit, qui quidem postea in pace multa utiliter constituit, ut res Christianas confirmaret, non solum claudi templa iussit, ut olim Constantinus, sed prorsus demoliri. Viderat enim sub Iuliano, quia templa manserant, restituta esse ethnica sacrificia. Quare ipse funditus deleri templa curavit.

Hunc coepit vitae et laborum fructum Ambrosius, quod vidit tandem florentem gloria bonum, pium et sapientem Principem, quod vidit orbem terrarum pacatum, oppressas haereses, confirmari Christianos. Nulla tamen est tam foelix aula, in qua non accidant insignes offensiones. Multum rixarum fuit Ambrosio etiam cum hoc ipso Principe, quamvis bono et sapiente. Sed ipse ad eum scribit: Nihil esse popularius et amabilius in Principe, quam libertatem dicendae sententiae amare: nihil in sacerdote turpius, quam non audere quod sentiat dicere. Ac longum esset recitare, de quibus rebus cum Imperatore expostulet.

Mores etiam Ducum Ruffini et Stilliconis non probavit, per quos vidit acui Imperatoris iracundiam. Et Ruffinum fuisse parum fidum exitus ostendit. De Stillicone nihil adfirmo, cuius scribam propter falsi crimen, Ambrosius magna severitate excommunicavit: ac ne putetis hoc fulmen in vera Ecclesia inane terriculamentum esse, sed re ipsa cruciatus et Erinnyes sequi sciatis, ut Paulus ait, tradendum esse incestum Satanae, ut corpus excrucietur, et spiritus salvus fiat: idem accidit huic scribae, statim post Ambrosii vocem, furere cepit exagitatus a diabolo, sed post aliquot dies rursus eum liberavit Ambrosius, et ad poenitentiam revocavit. Qualiscunque autem fuit Stillico, tamen de Ambrosio vere est vaticinatus, eo viro extincto, Italiam futuram esse miserrimam: indicavit opinor Deum reprimere barbarorum impetus propter hunc virum. Et vidit labi civitatum disciplinam, corrumpi mores, fractam esse militum virtutem, denique impendere fatalem mutationem, ut nunc divinare possumus, extinctis piis, quae calamitates secuturae sint.

Multae fuerunt autem in Theodosio, ut in viro heroico, magnae virtutes, inter quas, ut debet, eminebat bonitas, seu clementia. Sed tamen interdum hanc antevertit ira: et naturae pugnaces sunt interdum acriores. Erat igitur *ὀξύχολος*, seu ut Horatius inquit, Irasci facilis: sic ut placabilis esset. Et aliquoties his incendiis subitis animi peccavit. Cum in urbe Thessalonica quodam subito paucorum tumultu, interfecti essent pauci milites, Imperator iratus, mandata dedit, promiscue multitudinem trucidandi: et dicuntur interfecta septem millia hominum. Fama atrocissimi facti non solum Ambrosio, sed etiam caeteris Episcopis magnum dolorem attulit, qui Synodo convocata hortantur Ambrosium, ne Imperatorem sine poenitentia ad communionem admittat. Primum igitur Ambrosius privatam Epistolam mittit ad Imperatorem reverenter scriptam, in qua dolorem suum exponit, eumque ad poenitentiam hortatur. Sed extenuat rem fortassis aulica turba, et Imperator non praebet poenitentiae significationem. Cum igitur rediisset Mediolanum, et suo more in templum venturus esset, significat et Ambrosius ne veniat, nisi suum dolorem et poenitentiam ostendat propter multitudinem promiscue trucidatam: et praescribit tempus. Etsi autem haec nostra aetas, inimica disciplinae reprehendit Ambrosium, ut dicunt nonnulli cum Imperatore fuisse civilius agendum, fuisse mox admittendum ad synaxin, cum agnosceret erratum. Tamen si legas Epistolam, in qua primum arcana admonitio praescripta est, videbis Ambrosium nihil iracunde, aut irreverenter egisse. Testatur se et alios ingenti dolore adfici, propter hanc notam tanti viri. Orat verecunde, ut delictum agnoscat, ut eximat hominibus opinionem, qui iam non sui, sed malorum Principum similem fore arbitrentur.

Haec Epistola cum nihil profecisset, graviorem habuit causam Ambrosius, ut publice declararet suum iudicium: Facinus non erat excusabile. Quare cum nullam ostendisset significationem poenitentiae, fuit hac utendum severitate. Utinam nunc qui praesunt Ecclesiis, utrumque Ambrosii exempli imitarentur. Primum diligentiam, et candorem in privata admonitione, deinde severitatem

in publica censura. Profuit autem Reipu. haec Ambrosii gravitas. Nam postea Theodosius, ut iracundiae quasi frenum iniiceret, legem tulit quae extat in Codice de poenis, ut post mandata Principis, per triginta dies differantur supplicia. Haec lex servavit deinde Antiochenam multitudinem, quam simili modo iusserat Imperator trucidari, propter statuam Flacillae coniugis eversam. Hic cum veniret quispiam post edita mandata ad praefectos, ac iuberet dici Imperatori, ne propter mortuae coniugis imaginem, vivas Dei imagines violaret. Imperator, quia iam deflagraverat ira, mandata retractavit.

Hactenus exposui, quomodo Ambrosius cum Principibus conflictatus sit, nunc recensenda erant praelia cum haereticis, quae extant in scriptis. Obstitit velut murus Ariano furori grassanti in Oriente, ne penetraret in Occidentem, semina impietatis sparsa ab Auxentio, qui se Constantii tempore, ut fit, ad voluntatem Principis inflexerat, oppressit. Dimicat et cum Marcionitis ac Novatianis.

Refutat Symmachum senatorem hortantem Romanos Principes, ut veterem *εἰδωλομανίαν* restituant, et callide disputantem vetustissimas religiones verissimas esse. Cum enim quaedam Dei noticia humanis animis innascatur, necesse est primos homines, quasi propiore cognatione conditorem Deum attingentes, et sapientia excellentes, hac luce excitatos esse ad Deum inquirendum et invocandum.

Deinde cum imperiorum constitutio, poenae iniustarum caedium, denique vox conscientiae in singulis hominibus testentur Deo semper curae fuisse genus humanum. Symmachus contenderat prorsus delirare eos, qui veram religionem universo generi humano, ac praesertim iis gentibus, quibus Deus imperia tradidit, tot millibus annorum antea ignotam fuisse, ac nunc demum per paucos obscuros homines et errones divinitus monstrari.

Quid, quod mirandis eventibus, veritate divinationum poenis impiorum, foelicitate piorum, vetustae religiones confirmatae viderentur. Rexerunt exercitus et consilia Regum veris praedictionibus, Amphiaraus Argivos profectos ad oppugnationem Thebarum: Chalcas classem, quae navigavit ad Troiam: Aristander ducem Alexandrum. Et fuerunt res secundae iis, qui Vatum monitis parebant, et religiones venerabantur. Crevit haec urbs Roma, dum iusta bella gereret, ac domi disciplinam, bonos et castos mores, et veteres religiones tueretur. Nunc ruentibus moribus, et religione mutata, urbs una concidit.

Haec oratio popularibus et plausibilibus argumentis instructa, et confirmabat impios, et perturbabat imbecilles inter pios. Quare necesse fuit opponere veram, luculentam, gravem et eruditam apologiam.

Erant similes defensiones et antea scriptae a Iustino, Athenagora, Tertulliano, Lactantio. His Ambrosius suam adiecit. Et quia utile est bonis in conspectu habere argumenta, quae pietatem in animis confirmant, capita rerum, de quibus disserit Ambrosius, breviter recensebo, eamque commemorationem, et propter res ipsas gratam fore auditoribus existimo, et ad laudes Ambrosii pertinere iudico, hinc enim intelligetis multiplici eruditione, et antiquitatis cognitione praeclare instructum fuisse. Et studiosis exemplum prodest, ut eruditione ac literis in Ecclesia opus esse cogitent.

Utraque manu hypothesis accipienda est, solam eam religionem veram esse, quae prima est. Ideo enim condidit Deus humanum genus, ut esset aliqua Ecclesia, in qua vera ipsius noticia luceret, eoque se patefecit non uno modo, impressit omnium mentibus nascentes nobiscum noticias, de aeterna mente opifice rerum et gubernatrice humani generis, de discrimine honestorum et turpium, et alias multas. Addidit et voce sua doctrinam, qua ostendit quomodo invocari velit. Nihil igitur dubium est, inde usque ab initio generis humani, veras aliquas religiones fuisse. Hoc teneamus in causa tanquam *καθολικὸν θεώρημα.*

Sed illud quaerendum est, quae fuerint, et an apud omnes incorruptae manserint? Quomodo vera et coelestis doctrina propagata, conservata et restituta sit? Erit igitur hoc *κρινόμενον,* Apostolicae ne, an Romanae, graecae aut similes opiniones de diis vetustiores sint? Nec difficilis est diiudicatio.

Primum monstrosa absurditas quae fingit multos deos, testatur hanc opinionem non esse primam, pugnat enim cum illa ipsa naturali noticia, quae haud dubie, cum nobiscum nata sit, divinitus in nos transfusa, certa et immutabilis est. Etiamsi se rumpant patroni superstitionum ethnicarum, tamen huius argumenti tanta est perspicuitas, ut ne mutire quidem contra possint.

Longum hic esset recensere, quam copiose nostri fabulas poëmatum de connubiis, adulteriis et discordiis deorum reprehenderint et exagitarint. Sed has ne ipse quidem Symmachus, Cicero et similes probabant. Aut ludere poëtas, aut allegorias tradere arbitrabantur. Interim tamen fons errorum ab illis patronis retinetur, volunt usitatas religiones conservari, invocari Iovem, Martem, Apollinem, Mercurium, Iunonem, Palladem: hoc quid est aliud quam multa aeterna numina comminisci, et ut in civitate diversa munera singulis attribuere?

Iam cum constet haec deliria non esse primam religionem, quaerenda est alia vetustior et purior: hic conferenda est antiquitas. Series imperiorum testatur res Graecas et Romanos recentiores esse Chaldaeorum et Phoenicum historiis.

Deinde in Graecis aut Romanis monumentis non ostenditur, unde religiones earum gentium traditae, aut quomodo propagatae sint, multae subitis casibus ortae sunt, quarum aliquae et dissentiunt inter sese, et cum natura pugnant, fuit enim usitatum fere omnibus gentibus ignaris Dei, mactare humanas hostias, denique prorsus nulla sunt monumenta Graecorum aut Latinorum, quae ostendant origines suorum sacrorum.

Unum autem extat scriptum Moisi, quod primum temporis vetustas nobis commendat, deinde doctrinae series. Nullum est enim scriptum antiquius? Deinde, nullum exordia mundi et tempora certo distincta numero annorum, origines gentium, et migrationes, initia religionum et depravationes certa series describit, ut haec Moisi historia. Cum igitur Graeca monumenta recentiora sint, cum nihil de ortu aut propagatione religionum certi dicant, denique cum absurdam opinionem de multitudine deorum contineant, necesse est anteferri Moisen.

Sed fingi haec potuisse impii dicunt, ut poëmatum fabulas: imo certa autoritate hi libri asservati sunt, in gente non obscura, quam Deus ideo tot miris eventibus ornavit, ut testimonium de libris et doctrina diceret. Eduxit ex Aegypto sic, ut appareret rem geri, non humanis viribus.

Ita miris exemplis, in ea sede in quam collocarat, eos defendit, annos circiter nongentos, donec Babylonem abducti sunt. Inde reduxit, et servavit eos usque ad Apostolos, annos fere quingentos.

Non igitur haec doctrina poëma est acceptum ab obscuris aut ignotis autoribus. Omnia gesta sunt in luce, et spectantibus vicinis Regibus Babylonicis, Assyriis, Aegyptiis, et deinde Macedonum posteris. Ac multi Reges summi ex his, cum huius gentis doctrinam cognovissent, divinis moti testimoniis adsensi sunt et ipsi, ac idolomanias abiecerunt.

David, Salomo, vicinos Reges vocarunt ad veram pietatem. Audiverunt Assyrii Ionam, Danielem Nabugdonosor victor, et deinde Cyrus. Esdram, Nehemiam Artaxerxes. Hi cum viderint divina exempla et doctrinae adsensi sint, certe testantur libros non esse commenticios.

Deinde multae narrationes aliarum gentium suffragantur historiis Moisi: Mansit diluvii memoria apud Graecos, manserunt nomina Iapeti, Ionis, Cithim, Elam et alia quaedam. Sed quomodo servatum sit genus humanum, unde ortus sit Iapetus, quis fuerit Ion Graecae gentis pater, quis Cithim, unde Macedon est, quis Elam, a quo propagati sunt Persae, nemo integra narrat, nisi Moises.

Celebratissimum est nomen Hammonis, quem Arabes et Aegyptii errore coluerunt. At ex Moisi libris facile iudicari potest, eas gentes ortas ab Hamo filio Nohae, retinuisse nominis memoriam.

Manethon describit profectionem Ebraeorum ex Aegypto, et secutus priscas narrationes Strabo, ait Moisen ducem fuisse, qui magnae multitudini persuaserit, non recte coli Deum ab Aegyptiis, ac simulachra execratus sit, et docuerit quomodo Deus invocandus sit. Haec Strabo, qui Aegyptum perlustravit, ex eius gentis monumentis haud dubie accepit, quae testantur Ebraeorum historias vetustiores esse Graecis.

Nec leve testimonium est antiquitatis, quod literae, ut fatetur Herodotus, a Phoenicibus in Graeciam primum allatae sunt.

Et quanquam Herodotus Reges Aegyptios recenset, tamen ingenue fatetur vetustiores a se praeteritos esse. Nominat eos qui paululum antecesserunt Persicam Monarchiam, quorum nomina extant et in Prophetis recentioribus.

Ieremias ait Regem Babylonicum conflixisse cum Neco. Herodotus mentionem facit belli Syriaci, quod gessit Necus.

Deinde Ieremias vaticinatur de Aprie, qui regnavit post deletam a Chaldaeis Ierosolymam.

Et ut propheticae narrationes de rebus peregrinis sunt breves, non recenset Ieremias quam fuerit truculentus tyrannus, et quomodo regnum amiserit. Et cum Apries dicatur regnasse quinque et viginti annos, arbitror Ieremiam interfectum sive ab ipso, sive a popularibus, non vixisse, cum Apries regno exutus et strangulatus est. Haec postea recitat Herodotus, quasi inchoans historiam in eo ipso articulo, ubi nostri desinunt. Tantam vero superbiam ait Apriis fuisse, ut dixerit sibi nec deorum nec hominum quenquam regnum eripere posse. Fuit igitur gravis causa, cur ei Propheta supplicium minatus est.

Sed redeo ad Symmachum: hunc primum refutat antiquitas. Manifestum est doctrinam nostrae religionis vetustiorem esse aliarum gentium opinionibus. Contra haec Symmachus ne mutire quidem potest.

Accedit secundum argumentum, quod doctrina nostra divinis testimoniis manifestis confirmata est.

Allegant et ethnici quosdam inusitatos eventus, habuerunt etiam Vates, Tiresiam, Chalcantem, Aristandrum et alios. Satis adparet multos homines horum autoritate motos, eas religiones probasse, quas illi profitebantur.

Prius de eventibus inusitatis dicam. Fatemur quaedam etiam divinitus accidere ignaris Dei, ut in imperiis saepe accidit, quae Deus varie distribuit, ut postea dicendum erit: Sit ita, Herculem in cunis serpentem tenellis adhuc digitis strangulasse. Neque hoc maius miraculum est, quam ille ipse heroicus impetus animi qualis in Hercule, in Alexandro, in Scipione fuit, quem motum esse Dei opus nihil dubium est. Deinde fuerunt alia miracula apud ethnicos, quae tantum fuerunt daemonum praestigiae, ut siquando simulachra voces humanas ediderunt.

Nec eventus ipsi tantum spectandi sunt, sed videndum est, an sint communes piis et impiis, ut poëtarum seu musicorum motus communes sunt. Causae etiam spectandae sunt, an eventus eo exhibeantur, ut Deus innotescat. Porro multa sunt miracula communia, ut motus heroici, victoriae, constitutio regnorum ac politiarum. Sicut opes et artes communes sunt.

Symmachus confirmari religiones Romanas iudicat, quia Marcellus cepit Syracusas. Agnosco fuisse Dei opus punientis tyrannides et luxum Siculorum: sed hae victoriae sunt communes piis et impiis: nec minus Dei opus fuit, Archimedis geometrae excellens industria, quam Marcelli victoria. Sed tamen commune piis et impiis. Deinde ethnicorum signa, aut fortuita esse ab ipsis putantur, aut referuntur ad confirmandas manifestas *εἰδωλομανίας*, ut Latini illius de praesultore somnium, quid petebat, nisi inanium ludorum instaurationem?

Sed Ecclesia proprios quosdam eventus habet, qui de doctrina testimonium dicunt, et quidem eo exhibentur, ut per ea signa Deus innotescat ac celebretur, videlicet, liberationem a morte, ac resuscitationem mortuorum. Talia exempla nulla sunt usquam, nisi in Ecclesia.

In exordio mundi Enoch, deinde Elias adhuc induti corporibus, vivi discesserunt ad Deum, ut testarentur hunc unum Deum, de quo populos docebant, autorem esse vitae immortalis, et hominum facta iudicaturum.

Postea multi a Prophetis, Christo et Apostolis mortui in vitam revocati sunt, ut eadem docerent. Cedunt huic generi mirandorum eventuum, omnia ethnicorum miracula. Quare Symmachus et hac parte vincitur.

Sed vaticinia magnifacit. Haec est longa et erudita disputatio apud nostros. Multa sunt enim genera vaticiniorum, quaedam physica, quaedam praestigiae daemonum, quaedam divina. Cicero somniavit exilium et reditum suum. Xenophon somniavit exitium militiae suae, credo, et est usitatum multis hominibus praevidere in somniis, suos et amicorum casus. Haec physica cum sint communia piis et impiis, non confirmant ethnicas religiones: multo minus fanaticae praedictiones furentium, ut Rhodius nauta in bello Caesaris et Pompeii dixerat: Post triginta dies futuram fugam Principum, et finem Rhodiae militiae. Multis et in febri erumpunt fatidicae voces de ignotis suorum casibus, aut etiam de Repub. Et quaerunt Philosophi causas physicas. Nam aliae naturae aliis magis sunt praesagientes. Nec ego negarim aliquid efficere *συμπάθειαν* inter cognatos. Sed furentum, ut Pythiarum vaticinia omnia oriri a daemonibus adfirmo, de quorum ambiguitate et vanitate non dicam, adsentior enim posse multa prospici et praedici a daemonibus, quae ipsorum consiliis gubernantur.

Fines autem praedictionum etiam indicant autorem. Tiresias promittit Thebis victoriam, sed

ita, si Creontis filius mactatus, victima fiat pro patria. Calchas divinat de excidio Troiae: sed simul iubet Regis filiam immolari. Cum Alexandrum in aditu Syriae subita eclipsis Lunae excepisset mense Octobri, et nonnulli prodigio moverentur, vaticinatus est Aristander eo mense Babylonem, profligato Dario venturam in potestatem Alexandri. Et quia periculosum certamen futurum erat, iussit humana hostia litari. Multa extant similia exempla in Graecis, Latinis et barbaricis historiis, quae nuper etiam inquit Ambrosius, renovata audimus a Iuliano, qui se Alexandrum alterum perhiberi volebat. Cum enim venisset in eadem loca Syriae, memor sacrificii, et rerum ibi ab Alexandro gestarum, et ipse mactavit humanas hostias, ac astitit homo Philosophus, scilicet, quem Pallas ipsa ad imperium et instaurandas veteres religiones vocarat, fibras dissecti corporis inspexit, et digitis suis discerpsit, et omnia cladis secuturae captavit.

Recte ait Euripides: *εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσιν θεοὶ.* Toties autem vestri Vates, Symmache, iusserunt mactari humanas hostias, confirmaverunt item absurdam illam opinionem de deorum multitudine.

Haec flagitia non ab illa aeterna et iusta mente conditrice rerum, sed ab aliis autoribus oriebantur, qui odio veri Dei saeviciam in genus humanum exercent. Horresco referens, cum illa superstitionum portenta cogito, quae pervagata sunt omnes gentes. Cum unus sit Deus, qui se patefecit sua voce, et misit veros testes inde usque ab initio, interim tamen superbissimi spiritus abiecti a Deo offuderunt hominibus alias opiniones, quibus fascinatae mentes mira audacia luserunt in religionibus, et polluerunt se omni scelere. Non miror autem te Symmache moveri tot gentium, tot seculorum, tot Regum ac summorum hominum exemplis. Miramur et ipsi tantam esse daemonum potentiam, tantum praestigiarum, tantos errores in mundum pervasisse. Nec dubito, quin multos ethnicos illae ipsae turpitudines superstitionum moverint, ut cogitarint, aliud quiddam esse, veram religionem. Recte igitur fontes veritatis quaerimus in prima doctrina confirmata certis testimoniis coelestibus.

Habuistis mirandos eventus: sed habet Ecclesia longe alios ac supra daemonum vires positos, resuscitationem mortuorum, natam sobolem ex effoetis, repressum solis cursum.

Habuistis vaticinia qualiacunque, aut ambigua, aut rerum earum, quae erant notae daemonibus. Sed habet Ecclesia longe alia vaticinia, de voluntate Dei, de fatalibus seu divinis universi mundi mutationibus, de ordine imperiorum perpetuo. Haec fata et ignorabant et formidant daemones. Initio Deus praedixit se missurum humano generi Liberatorem, qui possit tollere mortem. Postea Vates nostri de tempore dixerunt, et iis mutationibus, quae interim eventurae erant. Daniel clare ait, quatuor futuras monarchias, et in quarta venturum dominum, et pene ipsum articulum constituit: Omnia congruunt, venit Dominus, qui multis exemplis testatus est, se posse reddere vitam mortuis.

Et venit eo tempore, quod extat in vaticiniis. Nohe praedixit, totam terram diluvio perituram, eventus respondit. Esaias nomine Cyrum compellat, qui longo tempore post natus est: post hunc adducit in Asiam Alexandrum. Sed illustrior est Danielis praedictio, quae pene historia est multorum regnorum. Nec ulla gens alia habuit similia vaticinia, quae totam mundi historiam, quam praevidere daemones non poterant complecterentur.

Quare cum non dubium sit, haec a Deo orta esse, testantur et reliquam doctrinam nostrorum Vatum divinam esse. Utinam hic recitari integra refutatio Symmachi posset. Sed capita recensui, quae cogitare, studiosis utile est, ut erroribus ethnicis et daemonum praestigiis opponere gravia et firma argumenta possint.

Dictum est de antiquitate, et de miraculis. Tertium argumentum sumitur ab ipso genere doctrinae. Nam Celsus, Iulianus, Symmachus, disserebant universam virtutis doctrinam, comprehensam esse legibus Atticis et Romanis, aut Hesiodi et Phocylidis praeceptis, aut Philosophorum literis, nec Christianos nova aut meliora praecepta recte vivendi invenisse, quaedam etiam miscuisse inutilia imperiis.

Hic certamen cum Symmacho multo longius instituitur. Genera doctrinarum discernuntur: Ut lumen in oculis natura fulget, ita mentibus humanis inditae sunt noticiae, quae discernunt honesta et turpia. Itaque ut de numeris ac mensuris sani omnes etiam barbari consentiunt, ita officia honesta in hac communi societate intelligunt ac diiudicant. Et quod multo gloriosius est, cum homo sit imago Dei, quaedam etiam condito-

ris noticia mentibus insita est. Tota natura docet, esse Deum mentem aeternam, unicam, immensae potentiae, omnia prospicientem, iustam, beneficam, rerum omnium conditricem, et ut gravissime dixit Plato: *τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν.*

Nec Cyclopum aut Epicureorum immanitas delere hanc naturae vocem potest, etiamsi aggestis montibus bellum coelo inferant. Sed revincuntur suae conscientiae testimoniis, et multis perspicuis argumentis.

Quo magis mirandum est ethnicos, cum hanc in animis noticiam circumferrent, deseruisse ducem naturam, et prodigiosas fabulas de diis, et obscoena ac crudelia sacrificia excogitasse, deinde et in communibus moribus, reclamante iudicio naturae, vagas et flagitiosas libidines approbasse. Sed hanc querelam omittamus, ac ad genera doctrinarum redeamus.

Laudo Phocyliden, adsentior leges Romanas honeste scriptas esse. Probo sinceram Philosophiam, videlicet doctrinam, quae constat demonstrationibus, non corruptelas admixtas ab artificibus. Est enim una quaedam vera Philosophia, quae suas metas habet, haec ipsa constituit hanc sententiam, esse Deum, nec ociosum esse, sed curare humana, quod monet sanos ipsa terrae foecunditas, et ad hanc utilitatem distributae vices temporum. Deinde cum et hoc constituit a Deo ortum esse in mentibus nostris discrimen virtutum et vitiorum, agnoscit Deo placere iustos, econtra pollutos periuriis, crudelitate aut libidinibus, displicere. Cumque videat in hac vita non semper virtuti praemia, et sceleribus poenas reddi, hic queritur, oculos mentemque densissimis tenebris, et subita nocte opprimi, et flagitat aliud doctrinae genus, in quo de immortalitate, deque futuro iudicio certa tradantur.

Praeterea cum agnoscat genus humanum conditum esse ad invocandum et celebrandum Deum, et tamen iudicet non exaudiri a Deo indignos, et contaminatos vitiis, magis etiam dubitat de voluntate Dei, cum deprehendat in universum omnes vitiosos esse. Quos igitur exaudit Deus? quomodo placatur eius ira? An totum genus humanum ad aeternum exitium nascitur? Postremo unde sunt haec in humano genere mala? Supra dictum est Deum esse mentem aeternam, *τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν.* Unde igitur existit haec non levis sarcina vitiorum? unde tam foedae cupiditates repugnantes iudicio mentis? Unde tantum calamitatum in hac vita? Cur cum caeterae res coelum, terra, plantae, animantia, suis quaeque legibus obtemperent: solus homo a se ipso dissidet, solus oppressus est tantis aerumnis, ut eas nullae Tragoediae satis deplorare possint. Cernit Philosophia hanc labem humani generis: sed nec unde sit, nec quae sint remedia ostendit.

Una est autem Ecclesiae doctrina, tradita inde usque ab initio, et propagata certis testimoniis, et certa serie omnium temporum mandata literis per Prophetas et Apostolos, quae et causas horum malorum patefacit, et monstrat remedia, docet certo de voluntate Dei placatam esse iram, per unicum filium, quem misit in terras, propter hunc Pontificem exaudiri invocantes, iuvari et donari inenarrabili laeticia in vita perpetua. Haec arcana sapientia longe posita extra conspectum humanae rationis discernenda est a legibus civilium officiorum et a Philosophia. Ideoque Apostoli suam doctrinam Evangelium vocarunt, ut nominis novitas de discrimine auditores admoneret.

Quare cum Philosophia fateatur suas tenebras, et tamen agnoscat aliqua certa doctrina opus esse, de immortalitate hominum, de Deo placando, de invocatione Dei, de praesentia Dei in omnibus aerumnis, de vita aeterna, cur hanc Symmache non amplecteris, quae sola res tantas tradit et patefacit. Sola ostendit causas humanae infirmitatis. Sola igitur prima est, et profecta ab iis, qui norunt humani generis initia et causas perspexerunt. Sola adfirmat vitam reliquam esse, postquam hinc discessimus. Sola de futuro iudicio totius humani generis certo concionatur, ac certos testes nominat, qui spectatores fuerunt multorum, qui mortui revixerunt. Sola adfirmat iram Dei placatam esse, et docet quomodo Deus invocandus sit. Sola proponit consolationem firmam in aerumnis, et causas indicat, cur boni, cur Ecclesia ingentibus aerumnis conflictetur. Harum rerum cognitionem necessariam esse fatendum est. Quae est igitur amentia Symmache, explodere doctrinam de rebus tantis necessariam, cum nulla usquam alia reperiri possit, ac Philosophia toties deploret humanam caliginem, et aliud genus doctrinae desideret.

Fuerunt omnibus seculis, et sunt inter ethnicos seu ignaros verae religionis, multi excellentes ingeniis, doctrina, iustitia, fortitudine, et aliis virtutibus, quales fuisse accepimus Palamedem,

Aristiden, Socratem, Fabium, Scipionem. Quia enim Deus politias et artes vitae utiles conservat, interdum addit tum gubernatoribus, tum artificibus heroicos motus: nec innsitatum est, tales viros certis virtutibus antecellere piis. Sed eo magis dolendum est, tanta vi ingeniorum praeditos, non agnoscere, non invocare, non celebrare autorem Deum. Summa est miseria vivere hominem sine Deo, hoc est, non invocare Deum, non habere custodem adversus Diabolum non iuvari a filio Dei, manere hostem Dei, et ab eo abiici.

Recte hoc Stoici, omnia nasci hominum causa, homines vero ut Deum celebrent. Fuerunt magni viri et utiles patriae Fabius et Scipio: sed quanto fuissent praestantiores, si in illis tantis rebus gerendis Deum invocassent, et sensissent adesse ducem et gubernatorem tantorum certaminum, ac victorias contulissent ad propagandam doctrinam de Deo, de Dei invocatione, de vita aeterna. Quid attinet vincere, si pacem tantum luxus, libidines, avaricia, superbia comitentur. Iure igitur anteferimus his bellatoribus nostros, Davidem, Macabaeum et similes, qui in ipsis praeliis Deum invocabant, et religionis verae tuendae causa dimicabant.

Praeterea excellentem virtutem destitutam excubiis et custodia filii Dei, plerunque diabolus de statu deturbat. Ideo vides in historiis summos viros fere omnes insignibus quibusdam probris deformatos esse. Meministi Symmache res gestas Themistoclis, et quae de eo praeconia fecerit tota Graecia, videlicet huius unius viri consiliis, victos esse Persas, et servatam Graeciam. Quid homini potest tribui gloriosius ac maius? Et tamen cumulat has laudes scriptor historiae Thucydides, qui tantam in Themistocle vim ingenii, tantam sagacitatem ac prudentiam fuisse dicit, ut in subitis periculis celerrime consilium reperire posset, et de futuris coniecturas haberet certissimas, et in rebus obscuris maxime videret, quid prodesset.

Hic divinus vir post victoriam sibi adeo indulsit, ut aliquando sedens in vehiculo, a quatuor nudis mulieribus in forum traheretur. O petulantiam tanta ingenii praestantia, tantis rebus gestis, tanta gloria indignissimam. Quid huic viro profuit excellens sapientia ac virtus, excusso rectore Deo, quae quam sit infirma et fugax, maxime ostendunt haec heroica exempla. Ut in Hercule, Alexandro et aliis multis, quam ardentes initio impetus ad virtutem fuerunt, quibus aliquanto post in ocio languefactis, quae dedecora secuta sunt. Nam sine filio Dei, ut ipse inquit: Sine me nihil potestis facere, etiam coelestia dona non sunt durabilia.

Sed dicet Symmachus, cur igitur tam foedi lapsus sunt, Samsonis, Davidis et aliorum, qui amplexi fuerunt Prophetarum doctrinam? Eadem causa est, quod nostri saepe rectorem filium Dei excutiunt, ut Saul et alii innumerabiles. Nulla enim est hominis perfecta virtus. Sed multi recte sentientes redeunt ad Deum, agnito placatore, ut Samson, David, Manasses. Hic magis etiam deplorandae sunt ethnicorum tenebrae. Hercules in rebus secundis Deum non invocat, nec cernit armatum se esse hoc robore animi divinitus. Ideo paulo post tantum decus amittit, deinde in aerumnis iacet sine Deo, sine opitulatore. Nec ei quidquam ethnicae religiones prosunt. At Samsoni, Davidi prodest Evangelii noticia, quod testatur divinitus respici adflictos, ut saepe canit David, ut in Psalmis dicitur: Invoca me in calamitate, et eripiam te.

Audisti Symmache distincta doctrinae genera, quae cum ambo natis ad immortalitatem necessaria sint, fateri necesse est mutilam esse vestram doctrinam, quae prorsus ignorat, quomodo Deus placatus sit, nihil adfirmat de futuro iudicio, nihil de voluntate Dei erga adflictos. Haec in solo Evangelio traduntur quod Ecclesia omnium temporum profitetur. Agnosce igitur tenebras esse, ethnicorum religiones, et obtempera voci Dei de coelo sonanti ac praecipienti, ut Filium audiamus, cum ait aeternus Pater de Christo: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Hanc vocem Dei testes Apostoli toti orbi tradiderunt, confirmatam multis coelestibus signis.

Hactenus ex doctrinarum generibus gravissime ostensum est necessariam, veram et salutarem esse Ecclesiae doctrinam. Quarto accedunt *εἰκαῖα*, quae tamen non sunt levia aut infirma testimonia nostrae religionis, videlicet perpetua conservatio Ecclesiae, et autoritas testium, qui inde usque ab initio acerrimis dimicationibus propagaverunt Evangelium. Vestrae Symmache religiones, aut recens inventae sunt, aut incertos habent autores, et quotidie aliae nascuntur, aliae exolescentes intereunt. Et infinita dissimilitudo est non solum rituum, sed multo magis opinionum et sententiae. Chaldaei ignem colunt: Aegyptii bovem, feles, serpentes: Lampsaceni Priapum: The-

bani Bacchum: vos Romani pene obliti veterum sacrorum, urbem barbaricis ritibus implevistis. At in Ecclesia nostra sonat una et eadem Evangelii vox a primis parentibus perpetua serie, certis testimoniis propagata: et ut testimonia essent illustriora, ritus additi sunt alias alii, qui temporum articulos discernerent, et tanquam symbola de doctrina spectatores admonerent. Et discendi causa instituti sunt frequentes et honesti coetus ac panegyres. Sed doctrina fuit una eademque semper, quam in tam crebris rerum humanarum et omnium imperiorum mutationibus, in tot bellis, vastationibus, excidiis etiam earum gentium, quae praebebant hospitium Ecclesiae, deinde in tantis periculis recte sentientium conservatam esse profecto mirandum est.

Deinde et ipsa doctorum series testatur singulare Dei beneficium esse, huius doctrinae conservationem. Ut in acie dispositi sunt certo ordine milites, ut in praeliando alii aliis succedant: ita in Ecclesia divino consilio doctores et testes vera autoritate praediti aliis successerunt. Viventem Adam audierunt aliquot seculis Seth, Enos et Henoch. Viventem Enos audivit Noha, hunc post diluvium posteri annos trecentos et quinquaginta audierunt, cui Sem filius qui principes Ecclesiae ante diluvium et postea novam rerum naturam vidit, successit Abrahae magister. Nam et vicinas sedes habuerunt, et veteres Ebraeorum historiae docent Sem fuisse eum Pontificem, cui nomen est Melchizedech. Nec dubium est Iaphet paternae doctrinae custodem diu fuisse. Mansit igitur aliquot seculis, etiam in dissitis gentibus. Ecclesia, etsi paulatim hos magistros multi deseruerunt, venitque deterior aetas, qua passim fugere pudor, verumque fidesque.

> Inque horum subiere locum fraudesque dolique,
> Insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.

Magna est diaboli potentia, insidiantis humano generi, magna hominum infirmitas. Ideo semper ruunt mores in deterius, ac mirum est in Sodomis tantum exarsisse furorem, cum haberent vicinos doctores Sem et Abraham, ac civem Loth. Testis illis erat diluvii Sem, Abraham liberaverat Sodomeos profligato hostili exercitu. Sed nec exemplum diluvii, nec metus ullarum poenarum, nec autoritas horum virorum, nec beneficia divina, quae per hos contigerant flectere ad meliores mores hanc multitudinem potuerunt. Sed redeo ad nostram disputationem. Quanquam oblivio coelestis doctrinae post Nohae filios inter gentes secuta est, tamen mansit Ecclesia, et doctrina subinde certos testes et custodes habuit. Gravissimas causas habuit Sem cur patri crederet: hunc audivit Abraham, cuius posteri doctrinam, et conservarunt et latius sparserunt. Nam Ioseph eam Aegyptiis tradidit, postea per Moisen renovata est, quam Iosue, Phinees et alii audierunt. Et constitutum est collegium Sacerdotum ad tuendam doctrinam, et libri certi commendati sunt. Subinde tamen excitavit Deus instauratores doctrinae, ut Samuelem, cuius auditores fuere Nathan, Gad, David. Hos statim secutus Abias Silonites: deinde Elias, Eliseus, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Esdras, Nehemias, Machabaei, Simeon, Ioannes Baptista non longis intervallis in eandem stationem successerunt, hos secuti Christus, Apostoli et horum discipuli Evangelium sparserunt inter gentes, magnis certaminibus.

Multa sunt, quae bonam mentem delectare possunt, si seriem consideret doctorum nostrorum inde usque ab Adam ad Apostolorum discipulos. Primum conspicitur Dei providentia in tuenda doctrina, qui, etsi magna in Israël et Iuda, Regum ac Sacerdotum, tum negligentia, tum impietas fuit, et magnae clades acceptae sunt, tamen excellentes gubernatores piis quadam continua serie dedit. Hoc modo usque ad mundi finem Deus Ecclesiam gubernaturus est, in qua etsi erunt, ut iam exempla Ariana vidimus, magni tumultus, tamen Deus aliquos subinde defensores et instauratores verae doctrinae excitabit. Deinde quid est iucundius, quam videre talem Senatum summorum virorum, qui Ecclesiae duces fuerunt, et antecelluerunt toti generi humano sapientia, iustitia, doctrina, magnitudine animi, sanctitate morum, gloria rerum gestarum, denique per quos viros Deus se humano generi patefecit? Quod spectaculum cogitari iucundius potest, quam videre talem coetum?

Quam tu mihi seriem Symmache vestrorum doctorum recitare potes? Minoëm dices Iovis familiaritate et colloquio usum annos novem. Numam etiam recensebis Egeriae monitis leges et ceremonias proponentem. Etsi sunt absurda quaedam in Graecis legibus, praesertim de connubiis et sodalitiis, tamen adsentior fuisse aliquoties magnos gubernatores, qui civiles mores emendaverunt, ac disciplinam ad naturae leges, quantum potuerunt

revocarunt. Voluit enim Deus conservari politias, ut rursus generi humano accenderet Evangelium. Sed et Minos et Numa multo sunt recentiores nostris. Minos paulo ante bellum Troianum vixit, qui quidem rapuisse Ganymedem Trois filium dicitur. Numae aetas multo est recentior.

Fuit ergo uterque seculis aliquot post Moisen, cum iam grassaretur inter gentes *εἰδωλομανία*. Et haec erroribus hominum et daemonum praestigiis creverat. Ferebantur et sermones in Creta, ubi Minos regnavit, de Iovis sepulchro. Quos etsi refutant Epimenides et Callimachus, qui ait:

Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δὲ οὐ θάνες, ἐστι γὰρ ἀεὶ.

tamen plena tunc omnia fuerunt idolorum. In Italia vero Tuscia longe vincebat superstitione caeteras nationes: et a Tuscis Numa mutuatus est auguria, et ritus alios multos, qui etsi erant commenticii, tamen et ipsi temporibus mutati sunt. Quae enim peregrinarum gentium colluvies Romam occupavit post bella civilia, post gladiatores illos, qui ante Constantinum regnarunt. Sed sint Numae instituta civilia mediocria, cui etiam gratiam habeo, quod nostris civibus annum in duodecim menses non inepte distribuit, et Epactas congessit in mensem intercalarem. Etsi Iulius instituit postea rationem meliorem, tamen diligentia Numae illis rudibus seculis profuit. De Minoë vero quid dices? Quid nequius hoc Iovis discipulo fuit, si legibus suis aut confirmavit, aut non sustulit sodalicia Cretensia, quae in historiis commemorantur? Desine igitur Symmache conferre Minoëm aut Numam cum nostris doctoribus multo inferiores aetate, et fascinatos deliramentis de multitudine deorum. Praeterea quas illorum literas, quam doctrinam profers? Extant versiculi pauci Rhadamanthi, quem Plato arbitratur ante Minoëm gubernasse Cretam. Sed et huius versiculi, etsi sunt honesti, tamen de civilibus poenis tantum loquuntur, nihil docent de ira Dei placanda.

Cum igitur et prima sit Ecclesiae nostrae doctrina, et divinis testimoniis plurimis, et resuscitatione mortuorum confirmata, et de rebus necessariis, de immortalitate, de ira Dei placanda, de causis humanarum aerumnarum, de miranda instauratione naturae nostrae, genus humanum doceat: denique cum mirandis modis conservata sit, cumque sapientissimi et modestissimi homines omnes cruciatus perferre maluerint, quam eam abiicere, non dubitemus Ecclesiam Christi recte de Deo sentire, vere Deum invocare, vere exaudiri, et habituram praemia, econtra vero opiniones omnes seu Aegyptias, seu Graecas, seu Romanas, seu quascunque pugnantes cum doctrina Prophetarum et Apostolorum nostrorum recentiores et fabulosas esse, et adversus Deum contumeliosas et exitiales.

His luculentis et firmis argumentis cum refutatus esset Symmachus ab Ambrosio, piorum animi passim confirmabantur, frangebantur adversarii, nonnulli etiam veritate victi, amplecti Christi doctrinam ceperunt. Recitavi autem hoc loco capita argumentorum, et quia rerum ipsarum cogitatio pietatem in nobis confirmat, et quia scholasticis haec exempla cognoscere prodest, quae ostendunt controversias religionum sine multiplici eruditione explicari non posse.

Sed redeo ad Symmachum, qui cum veris argumentis premi, et vinci se sentiret, ut saepe fit in foro, confugit ad tragoedias quasdam, quae incurrunt in oculos, et non leviter perturbant animos propter veri speciem, tametsi non cohaerentia contexuntur. Vicerunt Chaldaei Iudaeos, Danielem et similes in servitutem abduxerunt, deleverunt templum ac Dei sedem: postea servivit Romanis Iudaea. Aut igitur Deus suos negligit, aut Chaldaeas et Romanas religiones magis probat. Tot iam seculis a Romanis imperatoribus Christiani trucidati sunt, qua si connivente eorum duce Christo, cui se dicunt esse curae. Movent animos hominum haec terriculamenta: nam multae causae ex eventibus iudicantur, ut dici solet: Exitus acta probat. Et iustitiae Dei congruere videtur, ne desit suis, denique multa in hanc sententiam plausibiliter dici possunt.

Hic Ambrosius gravissimam querelam de calamitatibus Ecclesiae instituit. Multa inquit vim adferunt oculis ac mentibus hominum, ne facile agnosci possit coetus Deo dicatus. Ingens multitudo est ignara Evangelii, quam tamen ad aeternum exitium nasci, videtur absurdum, praesertim cum in hac ipsa parte generis humani sint imperia, floreant ingenia studiis virtutis atque artium, et quidem serviant communi vitae. Et adesse gubernatoribus Deum, testantur heroici motus, victoriae admirabiles, constitutiones imperiorum.

Confer animo Senatum Romanum, regnante Augusto, ad Apostolorum coetum: Utri magis videntur aut servire Deo, aut Deo curae esse? Multa signa indicant Augustum divinitus ad hoc

fastigium orbis terrarum evectum esse, nec is tantum autoritate antecellit, sed etiam sapientia, consilio, vigilantia, assiduitate, et in gubernatione imperii invicto animo perfert labores, quibus humana natura, sine Dei ope, par esse non potest: hunc ducem publici consilii intuentur senatus, et provinciarum rectores toto orbe terrarum. In his multi sunt viri excellentes virtute, et utiliter, imo divinitus cum in toga, tum in armis humanae societati servientes, tuentes disciplinam, pudicitiam, iustitiam, pacem. Quid hoc collegio pulchrius, quid his laboribus divinius cogitari potest?

Iam e regione intuere Apostolos, qui passim vagantur, velut ociosi Errones, nec ullam habent certam sedem scholae suae, quam tantopere praedicant, distrahunt hominum voluntates, denique confecto aliquo curriculo, tanquam deserti a Deo interficiuntur. Nec tantum potentia huic coetui deest, sed etiam illa, quae maxime divina existimantur, autoritas, ordo, consensus, quia desunt duces, non sunt gradus gubernatorum, socii ipsi distracti non locis tantum, sed etiam opinionibus.

Cum igitur longe pulchrior sit forma Romani senatus, quam Ecclesiae, multi dubitant, uter coetus Deo proprie dicatus sit. Sed nobis, qui veram et perpetuam de Deo doctrinam tenemus, haec diiudicatio non difficilis est. Scimus Deum pro sua immensa bonitate, ut conservetur genus humanum, constituere imperia, et hoc decus alias aliis gentibus tradere, ut in hac ipsa imperiorum mutatione ostendat se bonum et iustum esse, consulere vitae hominum, et tyrannides ac libidines punire.

Ecclesiam vero quae ipsum vere invocat, mirabili consilio vult ingentibus aerumnis premi atque exerceri. Et multae sunt causae. Novit Ecclesia quare genus humanum morti et aliis calamitatibus subiectum sit, agnoscit iram Dei adversus vitia: et ut agnoscat admonetur duriore disciplina. Deinde hae ipsae aerumnae sunt evidens testimonium de immortalitate: videt Paulus Tiberii poenas differri, videt Petrum, quem Deo curae esse certo compererat, interfici. Statuit igitur haud dubie restare aliam vitam, in qua bonis dabuntur praemia, impii afficientur iustis poenis. Statuit item genus humanum non ad hanc brevem et fugacem vitam conditum esse, sed ad aeternitatem, ubi fruetur Dei conspectu, quem praecipue bona mens appetit.

Sed haec disputatio, cur maior moles aerumnarum Ecclesiae posita sit, quam caeteris, tota hic recitari non potest. Estque arcana et propria solius verae Ecclesiae sapientia, ignota caeteris, ut supra dictum est. Non igitur Symmache desciscimus a Deo, non abiicimus hoc doctrinae genus, etiamsi maior est multitudo, quae dissentit, etiamsi magis florent alii gloria imperii, et opibus. Hae non sunt notae propriae populi Dei: ex aliis testimoniis iudicium faciendum est.

Dum Senatus Romanus multos deos coli iubet, dum ignorat unius aeterni Dei doctrinam ab initio traditam generi humano, dum ridet filium Dei, non potest esse populus Dei. Id ut olim coelestibus signis Babylonici Reges et Persici compererunt, qui etiam opulenta regna tenebant: ita nuper compererunt pii Principes Constantinus, et Theodosius. Hi nobis testes sunt multitudinem illam ignaram Evangelii, et contemptricem filii Dei, non esse populum Dei.

Propria vero Ecclesiae gloria est in hac vita, vera Dei agnitio, invocatio, professio verae doctrinae, conservatio perpetua Ecclesiae, etiamsi in aliqua membra saevitur, magnitudo animorum in vincendis omnibus illecebris, et terriculamentis impiis: virtutum multarum decus, in quibus praesentia Dei cernitur.

Haec fere sunt, quae ad Symmachi calumnias respondentur, quae recensui, quia ad bonas opiniones confirmandas in animis huius disputationis cogitatio multum conducit. Reliquum nunc est, ut de Ambrosii morte dicamus.

Deflevit Ambrosius Theodosii Imperatoris mortem acerbissimis lachrymis, non quod arbitraretur cum illo male actum esse, sed quod praesagiebat extincto illo custode publicae pacis, barbaricas gentes fato quodam excitas e suis sedibus dilaceraturas esse Romanum imperium. Hinc Franci Galliis signa intulerant; isthinc Gotthi et Heneti pervastarant Pannonias, Thraciam, Macedoniam.

Lugebat igitur vir optimus et Rempub. et Ecclesias, videbat magnam vastitatem fore Ecclesiarum, interitura esse studia literarum, denique secuturam infinitam barbariem, et confusiones novas religionum, quod barbaricae illae gentes partim odissent nomen Christi, partim infectae essent haereticorum deliriis. Multa igitur quotidie suos monebat, hortabatur ut pietate flecterent

Deum, ad mitigandas calamitates publicas. Idem precabatur et ipse ardentibus votis, publice et privatim, confirmabat suos, ne fracti ethnicorum aut haereticorum crudelitate, veram doctrinam abiicerent. Fuitque ei extrema lucubratio ante mortem, enarratio Psalmi quadragesimi quarti, cuius initium est: Deus auribus nostris audivimus. Ac ferūnt in hac ipsa lucubratione supra caput Ambrosii flammam conspectam esse figura clypei, quae postea delabens fulgorem inusitatum in facie sparserit, et ore hausta sit.

Cum autem eo ipso tempore non solum pertexeret enarrationem, sed etiam gemens ac lachrymans vota faceret pro Ecclesia, deque venturis calamitatibus vaticinaretur, non dubium est pectus eius divino spiritu incensum fuisse, qui se in ea flamma ostendit, ut cum Apostolorum coetui publice exhibitus est. Erat autem admonitus voce Psalmi, ut de ventura mutatione Ecclesiae multa praediceret. Psalmus narrat Ecclesiam non humanis viribus, sed mirandis Dei factis gloriose constitutam et ornatam esse. Extremis vero temporibus non fore similem gloriam, magisque grassaturam esse tyrannorum saeviciam, quam antea.

Haec enarravit Ambrosius copiosius, extincto Theodosio inquit, ruet haec Romana Monarchia. Videtis enim iam barbaras nationes utrinque pene obsidione cinxisse Italiam. Harum armis cum dilacerabitur imperium, passim toto orbe terrarum Ecclesiae duriter quassābuntur. Alibi nomen Christi delebitur, alibi confusiones religionum erunt. Ut in Africa, Vandali tanta immanitate propagabant Arianum virus, ut nudatas matronas ac virgines in conspectu populi urerent. Hic vere sonabat vox illa huius Psalmi: Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.

Deinde ait Ambrosius hanc imperii ruinam maior alia clades secutura est. Daniel futurum testatur, ut quarta Monarchia dissipata, in aliqua parte novum regnum exoriatur, quod bellum geret cum sanctis, et sermones blasphemos contra Deum aeternum impudentissime effundet. Vidit igitur Mahometi regnum mox secuturum esse, a quo postea in magna parte orbis terrarum Ecclesiae funditus deletae sunt. Alibi vero ubi nomen Christi retinebitur, lucem Evangelii densa et tetra caligo obruet, colentur ethnico more Heroes, Episcopi barbaricis nationibus gratificaturi, statuis templa complebunt. Conferent in quaestum Sacramenta divinitus tradita: et ut barbarae gentes superstitione magis devinciantur, affingentur novae opiniones. Ut Persarum Reges ignem coluerunt, ac adorari voluerunt, quem Orimasdam appellabant. Ita spectacula, tum statuarum, tum aliarum rerum inter barbaros posteri instituent. Toto igitur orbe terrarum, aut iacebunt deletae Ecclesiae, aut stabunt squalentes et pollutae magnis et pestiferis erroribus.

Interim Episcopi tyrannico more dominabuntur, abiectis studiis doctrinae Christianae, neglectis Ecclesiis sequentur Regum aulas, regent mundi imperia, habebunt devinctos sibi Principes, quorum muniti praesidiis, suos errores defendent magna saevitia. Erunt reliqui pauci, pii et docti, qui hanc querelam Psalmi sonabunt: Nunc autem repulisti et confudisti nos.

Neque tamen funditus interibit Ecclesia vera; nam hic ipse Psalmus inquit: Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Erit igitur exiguus coetus, qui Evangelium filii Dei discet, amabit, proponet caeteris, propagabit ad posteros, etiamsi subeunda erunt varia certamina et supplicia. Sed duris ut ilex tonsa bipennibus, ita et hic coetus, per damna, per neces, ab ipso ducet opes, animumque ferro. Haec inquit, praemonuit Deus, ne cum videbimus quassari orbem terrarum, et fieri dissipationes, quarum exitum non prospicimus, existimemus penitus interituram esse Ecclesiam. Sed statuamus vere Ecclesiam esse, quae retinet puram Evangelii doctrinam, et huic coetui, his studiis Deum aliquam in terris sedem attributurum esse. Retinenda est igitur doctrina, et constanti animo propaganda, ut sint qui recte Deum invocent.

Vicissim Deus aliquas politias servabit, quae praebeant hospitium in terris, huic Ecclesiae. Haec fuit Ambrosii postrema concio, exposito Psalmi illius argumento, quam eo recitavi, quia et nobis hoc ipso tempore necessariam hanc commonefactionem et cohortationem esse duco. Res ostendit nimis veram esse praedictionem, de qua Ambrosius concionatus est collapso imperio Romano, secuta est tyrannis Mahometi, quae Ecclesias funditus delevit in Africa et magna Asiae atque Europae parte. Et nunc late grassatur in vicina Pannonia, et pene obsidet Germaniam.

Etsi autem paucae quaedam in Graecia et Illyrico reliquae sunt Ecclesiae, tamen quia aerumnosissima servitute oppressae sunt, paulatim et hae

deseruntur. Exiguus est numerus eorum, qui memores huius Psalmi dicere velint: Haec omnia acciderunt nobis, neque tamen te obliti sumus. Quae est regnorum in reliqua Europa perturbatio? ubi polliceri nobis possumus certam Ecclesiae sedem mansuram esse? Ad haec mala accedunt morbi multi et magni Ecclesiae veteres et recentes. Defendunt εἰδωλομανίαν Pontifices, proponunt passim decreta sanguine scripta, adversus Professores purae doctrinae Evangelii, et regum iracundiam accendunt. Multi pii totis iam viginti annis passim in Europa necati sunt, aut pulsi suis sedibus. Ut autem certa quaedam tempestatum signa sunt, ita divinare licet, his odiis et hac saevicia portendi magnam rerum humanarum mutationem.

Tali tempore cum caeteris piis, tum maxime nobis scholasticis qui praecipuum Ecclesiae agmen sumus, hac consolatione et doctrina opus est, quae in hoc Psalmo proponitur, quem Ambrosius moriens suis commendavit. Etsi passim regna et politiae concutientur, tamen non prorsus defuturam esse Ecclesiae sedem, eamque ibi fore, ubi vera et recta studia doctrinae durabunt. Sed interim singulorum animos ad hanc militiam et propagationem verae doctrinae debere paratos esse, et exitus Deo commendare, ut in hoc Psalmo dicitur: Exurge Domine, adiuva et libera nos propter nomen tuum.

Cum autem post huius Psalmi enarrationem paucos dies Ambrosius decubuisset, et subinde repetitis votis Ecclesiam, et sese Deo commendasset, anima eius extinctis corporis viribus, ex hoc fragili domicilio in aeternam sedem a Deo ad Christum, Prophetas et Apostolos evocata est.

Recensui curriculum vitae Episcopi, optime meriti de Ecclesia Christi, et de multis gentibus. Nec adiiciam comparationem, ut fit interdum in hoc genere, sed suo loco, et quasi in statione sua praedicamus eum utiliter Ecclesiae serviisse. Haec magna laus est, et maior omnibus Alexandri, aut Scipionis triumphis. Ac ut suum munus tueri posset, instructus fuit eruditione et multis virtutibus dignis viro politico. In his praecipue fulsit pietas et vera Dei invocatio. Etsi autem hi Panegyrici olim de magnis viris proponebantur ipsorum causa magis, quam auditorum, tamen nos alio consilio hanc historiam et similes commemoramus.

Considerare auditores miram Ecclesiae gubernationem volumus, admonemus etiam, ut Deo gratias agant, quod idoneos gubernatores subinde exsuscitat, pars quaedam laudis etiam propria est Ambrosii, quod coelestibus donis pie usus est, quod scandala vitavit, ne dolore adficeretur Spiritus sanctus. Postremo multa nos de rebus maximis hae historiae monent. Nec tantum exempla actionum nos invitant ad virtutis studium, ad constantiam, ad pudicitiam. Haec a multis sumi possunt: sed singulorum controversiae erudiunt posteritatem, ex vox piorum quorum iudicia comprobata sunt testimoniis divinis, valde confirmat imbecilliores.

Agitavit autem Ambrosius multas graves controversias, ut dixi, de quibus quid senserit, ostendunt et actiones et scripta eius. Ipsa etiam magnitudo causarum nos commonefacit, ut cogitemus Ecclesiae gubernatoribus multarum rerum doctrina opus esse, et ad tanta certamina magno studio, magna exercitatione in omnibus disciplinis ingenia praeparanda esse. Quare adolescentes et pietatem et studia Ambrosii imitamini, vosque singulari Dei benignitate ab impiis et damnatis segregatos esse, et Ecclesiae insertos, ut in vobis fulgeat coelestis doctrina, et ut eam conservetis ac propagetis, mementote. Ad hanc tantam functionem, eruditione vos instruite, et omnibus animorum atque ingeniorum nervis contendite, ut hanc vestram Spartam, id est, Ecclesiam filii Dei ornetis. Dixi.

No. 72. an. 1543.

De Ecclesia Christi.

In Declam. T. I. p. 105 sqq., apud Richard. T. III. p. 99. et in Servesl. T. I. p. 91.

Oratio Casparis Crucigeri, S. Theol. Doctoris, de Ecclesia Christi, quam habuit 26. April., cum decerneret titulum Doctoratus D. Hieronymo Noppo et D. Friedericho Bachhofen etc. *Anno M.D.XLIII.*

Quoties ego hos honestissimos conventus scholasticos aspicio, mirifica voluptate adficior. Quid enim in hac vita homini, non prorsus alieno a pietate et literis, potest contingere iucundius, quam videre tales coetus virorum praestantium

doctrina, pietate et virtute: quorum autoritate, officio, et diligentia, et sanctissimum ministerium Ecclesiae, et publicum consilium Reipublicae regitur, et literae, ac bonae artes omnes Dei beneficio ornantur et provehuntur?

Nec existimo quenquam vestrum esse, qui cum his congressibus interest, non recreetur conspectu talium virorum, qui vere sunt, quod graece dicitur *ἱερὸς κύκλος*, id est, sacer coetus: tantum abest, ut iudicem a quoquam reprehendi hos congressus, quos constat non ad inanem pompam, aut spectaculi causa, sed gravissimis de causis, et institutos esse, et a nobis retineri. Constat enim hos ritus promotionum seu graduum, ut vocantur, nihil aliud esse, quam renunciationem publici testimonii, de doctrina et moribus eorum, vocantur ad aliquod publicum munus, ut vel in Ecclesia doceant, vel in politica gubernatione respondeant de publico iure, vel alia officia administrent, quae sunt necessaria ad tuendam communem vitam et societatem hominum. Et in his congressibus de rebus gravissimis ad admonendam iuventutem, et excitanda studia discentium, oratio habetur.

Quare ego quidem singulare Dei beneficium esse agnosco, ac Deo gratias ago, quod nobis scholam et hos coetus conservat. Nullum est enim in terris maius Dei donum, quam propagatio doctrinae coelestis, quae conservari non potest, nisi sint aliquae scholae adiunctae Ecclesiis, ubi erudiantur hi, qui sunt aliquando accessuri ad ministeria, aut gubernationem in Ecclesia, ut praeparati et exculti doctrina, magis idonei fiant ad dextre tradendam doctrinam religionis, et ad explicandas controversias dogmatum, et ad refutandos errores ac corruptelas purae doctrinae.

Ad has res certe opus est scholis, sicut historiae sacrae testantur, inde usque ab initio semper fuisse aliquos coetus discentium adiunctos, summis illis viris, Patribus, Prophetis et Apostolis, et postea diu in Ecclesiis, ut Alexandrina et aliis, et in plurimis collegiis scholae constitutae fuerunt, ut inde sumerentur Doctores et Pastores Ecclesiarum. Imo et Christus ideo dat Ecclesiae suae, ut ait Apostolus, Pastores, Prophetas et Doctores, quia vult ab his Ecclesiam institui ac doceri, vult praeparari eos, qui praeficiendi sunt Ecclesiis, ne accedant prorsus inducti aut imperiti, qui cum nec alios audierint, et sint sine ullo usu spirituali, tamen sibi videntur *αὐτοδίδακτοι*, et temere sine testimoniis doctrinae irruunt in Ecclesias, et ex sese gignunt ac spargunt opiniones et dogmata.

Hae sunt causae, ut ego quidem iudico, satis graves et magnae, quare in Ecclesiis et Scholas retineri ac propagari necesse est. Primum quia hae etiam ad ministerium Ecclesiae pertinent, videlicet ut in his instituantur hi, quibus gubernatio Ecclesiarum committenda est: deinde, quia scholae testimonium dant his, qui praeficiuntur Ecclesiis. Et ut constet a quibus doctoribus acceperint doctrinam, et ut ipsi testentur se non discedere a perpetuo et vero consensu Catholicae Ecclesiae Christi, nec assentiri pravis opinionibus.

Cum igitur Deus sua immensa misericordia nobis restituerit Evangelii lucem, et in hac schola dederit gubernatores praestantes, merito praedicandum et agnoscendum est Dei beneficium, et gratiae Deo agendae sunt: et accedere debent piorum vota, ut nobis hoc beneficium conservet, his precibus si unquam opus fuit Ecclesiae, nunc certe opus est, ardentissimis votis et toto pectore omnes petere, ut hoc postremo et periculosissimo tempore, inter tantas tempestates publicas, quae minantur Ecclesiae infinitam dissipationem et vastatem, Deus sua bonitate aliquas Ecclesiae reliquias conservet, sicut Pauli navim iactatam undis, concussam, ac pene iam fractam servavit.

Quis pius non toto corpore cohorrescat, cum intuetur horum temporum pericula? Videmus impendere regnorum mutationem ac propemodum interitum universae Reipublicae horribilem. Quam late grassatur, quantam vastationem facit Turcica immanitas, iam etiam nostris cervicibus imminens? Ad haec accedunt intestinorum motuum metus, ut taceam alia pericula persecutionum, et acerbitatum omnis generis, quibus duriter concutitur Ecclesia. In his malis quid usquam ostenditur humanitus auxilii? aut quae tandem consolatio? nisi haec una, tanquam extrema et sacra anchora salutis? Quod Deus tamen conservaturus sit aliquam Ecclesiam, sicut testantur promissiones: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item: Non relinquam vos orphanos, etc.

Sed cum mihi mandato superiorum imposita sit necessitas hoc loco dicendi, nec liceat publicam autoritatem detrectare. Etsi undique argumentum quaero, tamen quocunque me verto, non possum animum et cogitationem abducere ab Ec-

clesia. Fortasse alia aliis temporibus congruunt. Sed hoc tempore nescio an quisquam pius mentem ac oculos a conspectu Ecclesiae avertere possit. Cum igitur omnino aliquid etiam nunc dicendum sit, patiamini quaeso me paulisper insistere huic ipso argumento, in quod initio orationis me cogitatio horum temporum induxit, ut aliquid dicam de hoc admirando Dei opere, quo testatur se perpetuo conservare Ecclesiam in mundo.

Etsi vero non ita extreme stupidus, aut perdite confidens sum, ut non sentiam me multum succumbere magnitudini suscepti oneris, nec deterrear imbecillitate mea, quam certe agnosco. Ac ipse maxime optavi de hoc ipso argumenti genere audire sonantes voces superiorum nostrorum, qui in diuturna gubernatione Ecclesiae et ingentibus certaminibus versati, et intelligunt pericula Ecclesiae, et magna vi ac robore spiritus confirmare piorum mentes possunt. Sed quia mihi omnino subeundum fuit hoc onus autoritate publici muneris, Vos oro, ut mihi veniam detis pauca dicturo, quantum temporis angustia patitur, non pro argumenti dignitate, sed ad commonefaciendos et excitandos adolescentes, ut et ipsi de Ecclesiae periculis cogitare discant, et vota ac preces cum ipsa coniungant, ut Deus eam in his postremis certaminibus et periculis conservet.

Plena est universa scriptura exemplorum, quae ostendunt solius Dei potentia mirabili modo Ecclesiam gubernari et defendi: sed infiniti operis esset, totam historiam Ecclesiae, inde usque ab initio conditi mundi velle complecti, quae nihil aliud quam stupenda miracula continet, in quibus adparet, quantis aerumnis semper conflictata sit Ecclesia. Et tamen in iis mirandis modis divinitus servata contra hostem filii Dei diabolum.

Longe superat omnem humanam eloquentiam historia primorum parentum et patrum, qui secuti sunt usque ad diluvium. Quanto in luctu et moerore versati sunt Adam et Heva, cum accepta promissione de Christo, et concepta certa spe propagandae Ecclesiae, natis duobus filiis Cain et Abel, subito vident sibi amplissimas spes praecidi, necato altero filio, qui futurus erat velut plantarium verae Ecclesiae, cum alter filius parricida praeclaras illas spes, quas de ipso pii parentes conceperant frustratus esset. Qui cum essent his moeroribus, totum primae aetatis centenarium confecti, cum nulla iam esset Ecclesiae facies, nec posset usquam propagari doctrina coelestis: quia posteritas Cain paternam impietatem sectabatur, et videretur prorsus iam concidisse Ecclesia, tamen a Deo restituitur et servatur, dato filio Seth, per quem colligitur aliquis coetus, in quo sonat vox coelestis de futuro semine, et hinc propagatur Ecclesia patrum usque ad diluvium.

Ubi rursus miseranda est Ecclesiae facies, non solum Cainica posteritas, sed etiam reliqua orta a patribus, qui iam annos bis mille gubernarant Ecclesiam, deficit a vera pietate, et ita in arctum redigitur Ecclesia, ut ex universa reliqua multitudine totius humani generis non nisi octo animae serventur. Postea horum etiam posteritas a vera religione relabitur in idolatriam et impietatem, et inter paucos ex patribus servatur Ecclesia. Et ex huius reliquiis Abraham revocatur ab errore et idolatria, ad instaurandam et propagandam doctrinam promissionum de Christo. Ex filiis Isaac ac nepotum peregrinationibus colliguntur deinde aliqui coetus, et doctrina propagatur etiam in Aegyptum.

Vere miranda sunt exempla non huius tantum primae aetatis Ecclesiae patrum, sed omnium temporum, quae sunt perpetua quaedam testimonia mirabilium operum Dei, hoc est, et adflictionum ac aerumnarum, et liberationum Ecclesiae.

Sed maxime omnium memorabilis est historia liberationis populi Israël et eductionis ex Aegypto, et ut adparet omnium historiarum, omnium aetatum, a principio mundi usque ad finem, excepta ipsa Christi passione et resurrectione, longe maxima. Non solum enim est imago Ecclesiae omnium temporum, sed etiam praecipua pars, plena ingentium miraculorum, quae et caeteris temporibus insignia exempla monstrat, quae testantur, et servari Ecclesiam ac regi a Deo sine praesidiis humanis, et exerceri variis calamitatibus.

Quam horrendum est in hoc coetu, qui gerit nomen Ecclesiae Dei, qui habet tot et tam illustria testimonia divinarum liberationum, tamen praecipuam partem populi, multos praestantes viros, Principes et gubernatores horribilibus exemplis puniri, multitudinem toties plecti, donec propemodum universa perit eorum qui ingenti numero ex Aegypto exierant, et tamen servantur aliquae populi reliquiae, quae manserunt incorruptae, et retinuerunt doctrinae puritatem, et expertae sunt mirandas liberationes, sicut ordine historia indicat.

Datum est Manna, datae carnes, percussa rupes virga Moisi effudit largos fontes: tecta est multitudo nubae interdiu et noctu flammis praelucentibus: in praeliis etiam exhibentur illustria testimonia praesentiae Dei. Denique in deserto maior fuit gloria huius populi, quam unquam florente regno in terra Canaan. Sed nimis longum esset huius totius historiae seriem velle persequi. Omissa igitur longiore recitatione unum exemplum addam, in quo proponitur mirifica imago de gubernatione et conservatione Ecclesiae divina.

Vix est alia magis miranda revelatio, quam quae Mosi facta scribitur, Exod. XXXIII. ubi vocatur Moses in colloquium cum Deo, et eo loco dicitur: Loquebatur Deus cum Mose facie ad faciem (hoc est, coram et clara voce) sicut solet loqui homo ad amicum suum. In hoc colloquio primum petit Moses, ut Deus ipse adsit gubernator et dux huius populi, cui dedit verbum et promissiones. Plus satis enim iam docuerant ipsum exempla, quantum esset mali, populum deerrantem a verbo, regi humana sapientia et consiliis, cum populus daret poenas idolatriae, erecto aureo vitulo, cum Moses abesset. Ex his initiis de futuris calamitatibus angitur Moses, videt quanta pericula futura sint Ecclesiae Dei, quam levi momento pura doctrina et veri cultus depraventur humanis opinionibus. Quare metuit, ne et in hoc coetu extinguatur vera agnitio Dei, et collabefiat Ecclesia, praesertim cum audiret horribiles comminationes de futuris poenis populi.

Sic cogitans de Ecclesiae reliquiis, nec ipse invenit aliam consolationem, qua sese sustentet, nisi promissiones datas huic populo de venturo liberatore Christo. Sed cum suam gubernationem intuetur, intelligit quanta sit difficultas, quanta pericula, et considerans nullam gubernationem foelicem esse sine Deo. Nisi tu ipse nos praecedas, inquit, ne educas nos de hoc loco. Deinde cum petit: Ostende mihi gloriam tuam, hic respondet Deus: Faciem meam videre non poteris: sed ecce locus apud me, ubi consistes innixus petrae, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, et protegam te dextra mea, donec transiero, et auferam manum meam, videbis et posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

Haec est vere abstrusa et arcana historia, quae etsi a me quidem non potest explicari pro dignitate, nec hoc tempus patitur: tamen attingere volui, ut adolescentes eam considerent, nam et doctrinam gravissimam et gratissimam consolationem nobis proponit de Ecclesia, quam testatur in hac vita tegi manu Dei, et postea glorificandam esse. Sequor enim simplicem et usitatam expositionem, videlicet, Mosen petere, ut Deus praemonstret exitus totius gubernationis huius populi, qui tunc erat Ecclesia Dei.

Hic Deus respondet: Nolle se cerni faciem suam, hoc est, consilia ante finem consummatae Ecclesiae. Sed ostendi nobis posteriora, id est, ad extremum in consummatione visuros esse gloriam. Interim latet populus in foramine seu caverna petrae, id est, in praesenti Ecclesia, quae premitur subiecta cruci. Sed innixa est Petrae Christo, et tegitur manu Dei, donec Deus transeat, hoc est, donec Ecclesiam consumet. Significat enim Deus se transire toto tempore mundi, et ita transeuntem colligere sibi aliquam Ecclesiam, in qua et ipse glorificetur, et quam vicissim glorificaturus sit in vita aeterna. Et hanc gubernari non humanis consiliis, sed verbo Evangelii divinitus tradito de Christo, et servari defensam non ope, et praesidiis humanis, sed sua solius manu.

Videtis proponi dulcissimam picturam, in qua etiam latet magis arcana doctrina de illustri cognitione Dei, qua cernitur facies Dei. Ut Philippo petenti a Christo sibi ostendi Patrem, respondet Christus: Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Ita Moses petens illustriorem inspectionem Dei, deducitur ad verbum in Ecclesia revelatum de Christo, et docetur, quomodo velit Deus agnosci in Ecclesia, usque ad glorificationem, seu resurrectionem mortuorum, cum audit: Non poteris videre faciem meam, sed stabis in foramine petrae, hoc est, insistens Christo seu Evangelio, donec transeam, et sic videbis posteriora mea.

Ita Ecclesia nondum potest videre Deum, seu habere gloriam, quae promissa est: sed adhuc stans supra Petram, id est, Christum, fide, et in hoc foramine subiecta cruci expectat gloriam, donec Deus transierit, id est, totam Ecclesiam consummaverit. Post hunc transitum restabit alia aeterna gloria, qua coram cernemus Deum, sed nunc tantum videmus posterioria, hoc est, in verbo eum agnoscimus.

Verum hanc obstrusiorem interpretationem omitto: nam historiam tantum considerandam proponere volui adolescentibus, ut sciant pertinere hanc sententiam ad totam Ecclesiam omnibus temporibus. Et ut pii hinc petant consolationem, qua sese sustentent atque confirment. Sciant servari Ecclesiam, Deo mirabiliter protegente sua manu, in his mundi tempestatibus, Deo transeunte usque ad eum diem, quo glorificanda est.

Vere et nunc velut in deserto vagatur Ecclesia, exul et errans sine certa sede, sine humana defensione. Interim, ut in illo populo, magna multitudo deficit, et ruit in aeternam iram et aeternas poenas. Videmus Reges et Principes, et maximam multitudinem hominum contemnere doctrinam Evangelii, et accersere sibi horribiles poenas et exitium. Et exiguum coetum esse profitentium eam doctrinam, orbatum praesidiis, et conflictantem variis aerumnis. Sed intueamur illas imagines propositas in historia populi Dei: sciamus nunc quoque duci Ecclesiam per desertum, et tegi nube et flammis coelestibus, et adesse ducem Christum, ut illis adfuit.

Quare confirmemus animos, et certo teneamus hanc sententiam, quod Deus sit servaturus Ecclesiam, quae retinet doctrinam traditam a Christo, Prophetis et Apostolis: sicut testatur dulcissima promissio apud Esaiam, cum inquit Deus: Hoc foedus meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore TUO, non recedent de ORE TUO, ne de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo et usque in sempiternum. Sciamus igitur et nostris Ecclesiis adfuturum Christum, sedentem ad dextram Patris, et regnantem etiam inter medios hostes, et servaturum aliquas reliquias piarum scholarum, etiamsi mundum opprimeut poenae et calamitates.

Modo nos cogitemus de nostro officio, simus grati pro data luce Evangelii, retineamus confessionem purae doctrinae, nostris studiis, vita et moribus ornemus Ecclesiam, adiuvemus studia et scholas. Interim etiamsi conflictandum est variis aerumnis, invocemus hunc nostrum magnum ducem et liberatorem filium Dei, et una voce precemur, ut Deus Pater aeternus misereatur Ecclesiae suae, et eam servet propter illum ipsum Mediatorem et Pontificem nostrum Christum, et tandem conterat Satanam adversarium sub pedibus nostris. Dixi.

No. 73. an. 1543.

De coniunctione Scholarum.

In Declam. T. IV. p. 424 sqq., Rich. T. I. p. 76. et in Servest. T. IV. p. 385. Cf. Melanth. Epist. Vol. V. p. 177. 178 et 192. — Prodiit excusa an. 1549, secundum Strobel. biblioth. Melanth. No. 336.

Oratio de necessaria coniunctione Scholarum cum Ministerio Evangelii, a Doct. Bernhardo Zieglero recitata.

Cum hoc loco mihi consuetudo necessitatem imponeret de argumento ecclesiastico dicendi, inque tanta maximarum rerum copia multis de causis electio esset difficilis: sumpsi tandem materiam maxime vulgarem, cuius consideratio tamen ad excitanda studia literarum conduceret, et nos confirmaret ad hoc vitae genus magis amandum, et fortius ferendum labores militiae huius. Dicam enim de scholis literarum: ac ostendam, semper consilio Dei additas fuisse scholas Ecclesiis, et adiungi oportere. Mihi quidem magnae voluptati est, cum omnia Ecclesiae tempora, et universam historiarum seriem animo repeto, quasi coram videre tot lumina generis humani, Adam, Nohe, Sem, Abraham, Ioseph, Eliam, Eliseum, Apostolos. Arbitror et vobis iucundissimam esse recordationem et virorum talium, et maximarum rerum quas gesserunt. Etsi igitur in eligendo argumento, suavitate harum rerum movebar, tamen illa maior causa fuit. Scio nos scholasticos non solum iacere spretos, sed etiam in odio esse. Multi nostras operas, non rem necessariam vitae, sed ignavum otium esse censent: theologos vero etiam, ut καθάρματα et pestes Rerempub. execrantur. Nec ego adeo rudis et imperitus sum rerum humanarum, ut arbitrer cuiusquam oratione sanari posse omnes qui sic sentiunt. Sed tamen error ille taxandus est, ut nos vitae genus, ad quod divinitus vocati sumus, melius intelligamus, et nostros animos in hoc cursu nostro confirmemus, et aliquibus bonis ingeniis in hoc coetu iuvenum, qui nos audit, honestas, et vere utiles opiniones inseramus. Quid gloriosius cogitari potest, quam nos, etsi doctrina, sapientia, virtute longe inferiores sumus, tamen revera idem munus sustinere in Ecclesia Dei, quod sustinebant illi summi viri, Nohe, Sem, Abraham, Iesaias, Ieremias, Baptista, Apostoli? Ego de nullius

ordinis dignitate quicquam decerpo, ornare potius omnes studeo: et memini dictum Aristotelis, qui ut significet multis gradibus atque artibus vitae opus esse, inquit: Non ex medico et medico, sed ex medico et agricola fit civitas, id est, coniunctis omnibus artibus, quas Deus ostendit, ut vitae praesidia sint. Magnum omnino decus est eorum qui curiam gubernant, nec minus est militum qui armis Rempub. tegunt. Deinde suus locus est agricolis, artificibus, adde etiam mercatoribus. Deus voluit homines inter se hac varietate officiorum devinctos esse. Sed quem ad finem haec munera omnia referenda sunt? Dicet fortassis aliquis Epicuri de grege porcus: Ut in vita tranquilla suaviter fruamur voluptatibus, ac paulatim nativo calore deflagrante sine spe immortalitatis placide putrescamus. Haec vero oratio plena turpitudinis ac sceleris est. Imo ideo ad societatem conditi sunt homines, ut in hac frequentia luceat noticia Dei, et Deus celebretur atque invocetur, et alii ab aliis ea doctrina imbuantur, quae aditum ad aeternam laeticiam et Dei consuetudinem patefacit. Similem igitur hanc societatem hominum scholae esse intelligitis, in qua de Deo et de virtute praecipue commentari homines oportet. Huius coetus domicilia sunt politiae. Et huic summo operi, scilicet doctrinae propagationi servire curiam: duces, exercitus, agricolas, opifices, denique omnes vitae gradus existimemus. Cur David bella foris gerebat, non ut in urbem triumphans ab elephantis inveheretur: sed ut pueri et puellae domi, in templo, in scholis discerent literas, legerent Moysen, audirent interpretes legis et promissionum, in quibus se Deus patefecerat. Armis virorum fortium coetus illi in templo et scholis tegebantur, ne noticia Dei inter homines penitus extingueretur. Ac pauci quidem gubernatores ad hanc metam tendunt. Iulius dimicat, ne ab invidis dignitate spolietur. Antonius movet bella, ut de alieno helluari possit. Sed in Ecclesia omnes prudentes illum optimum finem prospicere decet, constituendas esse et muniendas ac tegendas politias, ut in eis noticia Dei propagetur. Adiiciam imaginem fortassis insulse a re vili sumptam. Sed tamen multae sunt parvae maximarum rerum imagines illustres. Saepe mihi cogitanti de vita communi, si quando minister noctu praecedit lychnum gestans inclusum laternae, venit in mentem politias similes esse laternae, doctrinam coelestem lychno. Ac ut laternae in tenebris sine lychno nullus usus est, ita urbes extincta agnitione Dei, et rerum bonarum doctrina, inutiles moles esse. Fatendum est ergo, Ecclesias ac coetus esse oportere, qui Deum celebrent, qui doctrinam de eius natura et voluntate passim spargant: hoc nemo praeter Cyclopes negare audebit. Deinde etsi multi existimant, homines sine literis, natura duce, voluntatem Dei cernere posse: tamen nos in Ecclesia scimus Deum immensa bonitate sese patefecisse generi humano, certis et illustribus testimoniis, ut arcanam voluntatem de nostra salute nobis declararet. Legem de coelo sonuit, misit filium, et addidit testimonia, resuscitationem mortuorum, et alia facta, quae constabat solius Dei opera esse. Iussit et clara voce audiri filium, inquiens: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Quare doctrina necessaria Ecclesiae, non est sapientia deprehensa humanorum ingeniorum sagacitate, sed est arcana sententia Dei prolata per filium ex sinu aeterni Patris, quam Deus statim initio mandari literis voluit, ut omnibus aetatibus memoria eius conservari posset. Magnum et admirandum opus est rerum creatio. Sed non minus beneficium, quod sese patefecit, prodiit ad homines, familiariter nobiscum collocutus est, ut adfici se cura generis humani ostenderet. Moveor equidem, ut de bonitate Dei cogitem, cum rerum naturam distinctam mirabili varietate, et ad usus nostros accommodatam considero: sed multo vehementius moveor, quoties cogito Dei colloquia cum Patribus et Prophetis, et hanc familiarem Christi consuetudinem cum universo populo, et lucem Spiritus sancti sparsam de coelo, et colloquia Christi post resurrectionem cum multis. In harum maximarum rerum cogitatione assidue omnium mentes versari deberent. Nec vero frustra, aut sine causa toties tam claris testimoniis se patefecit Deus. Non existimemus haec inania phasmata, aut praestigias, aut ludos esse. Magnas et serias res egit Deus, ostendere voluit se vere adfici cura nostrae salutis. Voluit et suae voci, ac doctrinae testimonia nobis tradere, in qua coelestia munera et societatem suae beatitudinis nobis impertit. Nec magis Patres, Prophetas, Apostolos in illis ipsis familiaribus congressibus acquiescere voluit, quam in ipsa doctrina velit omnes homines omnium aetatum acquiescere. Ut coram manifesto in lumine vidit Moyses Deum, stans in rupe: sic tecum certo eum colloqui scias, quoties hos ipsos libellos

legis Prophetarum et Apostolorum, quos Deus Ecclesiae tradidit, ut perpetuo eius vocem audiret. Nunc igitur ad id, quod institui, accedo. Cum Deus in Ecclesia semper extare librum propheticum et apostolicum velit, et hoc scripto regi mentes nostras, et accendi noticiam ipsius, semper necesse est scholas additas esse Ecclesiis, quae doceant literas, et sermonem divinum enarrent ac interpretentur. Etsi de re minime dubia loquor, tamen cum in tanto contemptu sint literae, prolixius hac de re dicendum est. Ac primum historia omnium aetatum et series omnium Ecclesiae temporum consideretur. In politia Moysi scitis ad tabernaculum, ut vocabatur, classes sacerdotum et Levitarum constitutas fuisse, non solum ut ibi mactarent pecudes, sed multo magis, ut legem populo enarrarent, responderent ambigentibus animis, diiudicarent dogmatum controversias: ut clare testatur caput 17. in Deuteronomio, quod iubet deferri controversias ad sacerdotes, Leviticos, et ad locum tabernaculi, et iudicari res non ex arbitriis potentum, sed ex lege divina. Ne igitur existimate illa sacerdotum agmina fuisse otiosa, aut tantum sacrificiis occupata. Maior omnino cura, maior eis moles imposita erat, videlicet ut essent doctrinae custodes, atque interpretes, et gravissimarum controversiarum iudices, ac complectebatur eorum professio literas, legem divinam, historias, distinctionem temporum, et anni rationem constitutis metis ex observatione motuum coelestium, naturae inquisitionem, et artem medicam, denique et musicam. Erat inter praecipua munera, et res gestas in populo Dei, bona fide in publica monumenta referre, ut in Ecclesia extaret continua series historiae. Voluit enim Deus posteris retroacta tempora omnia nota esse, ut doctrinae testimonia certa haberent. Noluit enim Deus vagari animos nostros, ignorantes mundi initium, religionis exordia, propagationem, depravationes et restitutiones. Ideo historiam omnium temporum brevem quidem, sed res summas complexam, semper in Ecclesia extare voluit et conservavit. Quid igitur fuit illud collegium aliud, nisi schola seu Academia optime constituta? quae quidem usque ad Christum annos circiter mille quingentos doctrinae divinae interpres et custos fuit. Quanquam enim saepe Pontifices exercuerunt tyrannidem, et magnae tenebrae doctrinae propter ignaviam sacerdotum fuerunt: tamen subinde Deus excitatis Prophetis studia virtutis et doctrinae lucem in hac schola rursus accendit. Denique quia promiserat Deus se huic coetui adfuturum esse, semper aliqui erant pii et salutares doctores, qui florem populi erudiebant. Atque hac in re digna est consideratione successio magnorum virorum. Pene ut in acie succedit miles proximus in prioris interfecti vestigium: ita in hac schola non solum pontificum, sed etiam Prophetarum successio continua fuit. Post Samuelem floruit Nathan, deinde Ahias Silonites sub Salomone, et Ieroboam. Hunc sequutus est Hananias Asae tempore. Deinde excitatus est Elias, qui cum diu res maximas gessisset, antequam a Deo in coelum vectus est, successorem Eliseum delegit. Hic annos circiter septuaginta non solum consilia praecipua regni gubernavit, sed etiam scholasticas operas sustinuit, cum eum magna frequentia et assiduitate discipulorum agmina passim sectarentur. Vidit hunc senem adolescens Iesaias, Iesaiam Ieremias, Ieremiam Daniel, Danielem Zacharias, Zachariam Esdras et Nehemias, Nehemiam Onias, celebratus in Ecclesiastico. Aliquanto post secuta sunt Machabaeorum bella, quo tempore sacerdotes diu iam ethnicorum more certaverant ambitione de principatu, et doctrinam ac disciplinam flagitiose neglexerant. Sed exortus est tamen Matathias sacerdos, legis divinae assertor. Et huic se multi pii adiunxerunt. Aliquanto post fuerunt Simeon et Zacharias, quorum mentio fit in Luca. Deinde Baptista, post quem docere Christus coepit, qui scholam Apostolorum habuit assiduam. Recensui longi temporis seriem, in qua non solum iucunda est recordatio tot excellentium virorum, sed etiam alia multa delectare pias mentes possunt. Videmus Deo curae esse Ecclesiam suam, quia subinde tales ei gubernatores addidit, et manifestis testimoniis declaravit se adesse. Videmus et doctrinae autoritatem coelestibus factis confirmatam esse. Haec considerare plurimum iuvat. Ac summi illi viri, quos recensui, non tantum in curia dicebant sententias, sed plerique assiduos coetus auditorum habebant, quibus enarrabant legem et promissiones divinas: id quod Eliae, Elisei, Ioannis Baptistae et Christi historiae palam ostendunt. Et Ebraei adfirmant Moysis institutum, qui septuaginta seniores legit, ut scribitur in capite undecimo Numerorum, mansisse ad omnem posteritatem, idque deinde fuisse collegium doctissimorum hominum, quod nominarunt Sanhedrin, quod

pro graeca voce *συνέδριον* usurparunt. Sed qualiscunque senatus ille fuit, Prophetas constat habuisse assidua auditorum agmina. Hunc morem quem viderant Apostoli servatum a Baptista et a Christo, retinuerunt et ipsi, Ioannem Apostolum Ephesi domesticos auditores, qui se totos doctrinae dediderant, habuisse certum est, inter quos et Polycarpus fuit, qui postea in Ecclesia Smyrnea circiter quinquaginta annos doctrinam a Ioanne traditam foeliciter propagavit. Huius auditor Ireneus doctrinae rivos in Pannonias et Galliam deduxit. Ac tales fuisse scholas apparet, ubicunque Ecclesiae frequentiores fuerunt, celebratissimae vero fuerunt, Antiochena, Alexandrina Caesariensis, in qua Origenes docuit, Byzantina, in qua Basilium docuisse Nazianzenus scribit. Nec aliud fuisse initio collegia Canonicorum certum est, quam docentium et discentium coetus. Arbitror et in ipsa Germania ante Attilam fuisse adiunctas scholas Ecclesiis mediocres. Nam Ireneus et Epiphanius citant testimonia Germanicarum Ecclesiarum: qua ex re adparet, cito propagatum esse Evangelium in Germaniam, et aliqua literarum studia in hac natione fuisse. Legimus etiam Lucium Cyrenaeum, Pauli discipulum, primum docuisse Evangelium ad Danubium in Augusta Tiberina, quae nunc est Regensburg: eaque in loca venisse eum cum Romanis exercitibus, qui Rhetias tenebant, consentaneum est. Illuxit Evangelium Argentoratensi populo, et Agrippinae Coloniae, doctore Materno, Petri discipulo. Trophimum Arelati fuisse, Eusebius testatur: Clemens Metenses ad Christi agnitionem vocavit. Crescentem aiunt venisse Moguntiam, Marcum, Pauli discipulum, antiqua monumenta Ecclesiae Passaviensis ad Danubium testantur concionatum esse, in urbe Iuliobona, quae sedes fuit Episcopi in Norico, ante collegium Passaviense. Tot magni et sapientes viri cum in Germaniam et Galliam venerint, haud dubie praecipuam studiorum curam habuerunt, ut ad posteros per homines recte institutos, et solide doctos Evangelium propagaretur. Etsi autem postea temporibus barbaricis cum Vandalica, Hunnica, Francica bella magnas vastitates fecissent, vetera collegia eversa sunt: tamen qualescunque reliquiae Ecclesiae, quae supererant, carere literis non potuerunt. Rursus igitur collegia Canonicorum et monasteria condita sunt, et cum in collegiis Canonicorum studia negligerentur, quod essent occupati regum et aularum negotiis, munus docendi in monasteria translatum est. Haec cum onerarentur ceremoniis, non potuerunt simul docendi laborem molestum et difficilem sustinere. Exortae igitur sunt Academiae, in quibus studia literarum utcunque excitata, sed disciplinae vincula nimium laxata sunt. Ex hac historica commemoratione satis intelligi potest, et fuisse semper adiunctas scholas Ecclesiis, et amissis literis lucem Evangelii extingui. Hoc cum ita sit, profecto sapientes gubernatores, ut Ecclesias, ita Academias cura sua complecti decet. Summum haud dubie gubernatoris officium est, Dei noticiam inter homines retinere. Huic magno muneri nostrae literae serviunt. Curet igitur gubernator, ut floreant Academiae veris ornamentis, ingeniosis, eruditis, virtute et prudentia praeditis doctoribus, qui et intelligant rationem dicendi utilem, et fideliter officium faciant. Hos adiuvent principes in disciplina tuenda. Nam sine superiorum autoritate disciplina retineri non potest. Dentur etiam fidelibus doctoribus mercedes honestae. Nam nimia opulentia ne quidem optanda est: quia cura opum et impedit literarum studia, et in ociosis alit luxum. Mediocritate tamen opus est: et quia doctores vacare huic suo muneri non possunt, si victum sibi et familiis aliunde quaerere cogantur, et quia pauperes discipuli provehendi sunt, ne desint Ecclesiis pastores. Valde enim errant illi, qui pastores ex quolibet ligno sculpi, et sine literis, sine longa institutione religionis doctrinam subito percipi posse somniant. Primum genus sermonis prophetici et apostolici cognoscendum est. Discendae sunt igitur linguae veteres, et tota ratio formandae orationis cognoscenda est: quam ad rem bonis doctoribus veterum monumentorum lectione, literatis exercitiis, denique etiam tempore opus est. Postea maior labor succedit. Habet Ecclesia suam quandam sapientiam supra humana iudicia positam. Habet hostem diabolum, qui obruere veritatem conatur: et multa sunt prava ingenia, quae vel petulantia, vel ambitione, vel *φιλονεικίᾳ* veras sententias corrumpunt. Fuerunt igitur omnibus aetatibus acerrimae in Ecclesia contentiones. Opus est autem ad explicationem controversiarum maximarum, non solum ingenii dexteritate et mediocri cognitione sacrorum librorum, sed etiam disputandi arte, copia orationis, noticia historiae, antiquitatis, et veterum iudiciorum. Ac tantas res diu multumque agita-

tas et disputatas esse oportet illi, qui veritatis propugnationem sustinet. Nec satis est quemquam secum tantum commentari: conferendae sunt sententiae, audienda multorum iudicia, et errata emendanda sunt, si quando δευτέραι φροντίδες, quae sunt accuratiores, nos in viam reducunt: nihil est autem peius, neque perniciosius, quam contra veritatem rationes callide quaerere, ut faciunt quidam, quos minus pudet in errore perseverare, quam emendare et mutare sententiae falsitatem. Cum igitur hoc studio multum diuque cum nobiscum, tum disputationibus apud alios veritatem vestigaverimus: ibi demum longa et gravi deliberatione eligendae sunt sententiae, quas ad populum, tanquam oracula et leges, efferre volumus. Ideo maiores voluerunt in scholis frequentiam esse, ac disputationes instituerunt, ut simul ad hanc collocationem opinionum assuefierent studiosi, et hoc exercitio artem disserendi, et facultatem explicandi sibi compararent. Quo more quid dulcius cogitari potest? ut iam de utilitate non dicam. Quid est suavius, quam audire ab homine docto, quid de maximis rebus sentiat, qua verborum lege, quam significanter, quam proprie, denique etiam quam modeste eas exponat? Fugienda est enim in sermone improprietas, vitanda obscuritas et confusio. Denique fugienda est etiam scurrilitas. Nati sumus ad mutuam sermonis communicationem. Quamobrem? An ut tantum fabellas amatorias recitemus, aut ut conviviis certemus, aut ut pecuniae cumulandae causa de contractibus, emptione, venditione, et similibus colloquamur? Imo vero ut de Deo, deque virtutum officiis alii alios doceant. Sit ergo bonis mentibus, ut est, dulcissima de his optimis rebus disputatio. Maxime vero hic noster coetus hanc collationem amet, qui praeparandus est ad Ecclesiae gubernationem. Nemo remum tradit cuiquam in parva cymba, qui remigare non didicit. Nemo sine monstratore agros colore potest, ut non dicam de aliis subtilioribus artificiis. Quanto minus erit interpres coelestis doctrinae, et Ecclesiae gubernator, qui non didicerit? Etsi enim nosse omnes pueros et senes summam coelestis doctrinae necesse est, et breviter comprehendi res potest: tamen non de nihilo est, quod legimus apud Dionysium, ab Apostolo Bartholomeo dictum esse, Evangelium esse longum et breve. Summa breviter tradi potest, sed paulatim meditatione et collatione propheticarum et apostolicarum concionum, in omnibus piis sive norint literas, sive non norint, illustrior fieri cognitio rerum divinarum debet. Id sine lectione et interpretatione fieri non potest. Et ad interpretationem copiosa et varia doctrina, ut supra dixi, opus est. Christus iubet doctum scribam proferre nova et vetera. Vult igitur scribam, id est, Doctorem non esse rudem, aut inexercitatum: sed antea in Ecclesia eruditum et excultum, et vera ac salutari doctrina imbutum. Deinde Paulus saepe hoc praeceptum repetit: iubet non omittere lectionem, iubet eligi idoneum, non solum ad docendum, sed etiam ad doctrinae propugnationem. Utrunque munus quam multa complectitur? Nam perspicue docere, evolvere involuta, obscuris lucem addere, attemperare rationem docendi ad imperitorum et peritorum captum, prodesse (ut Paulus inquit) sapientibus et insipientibus, quantam haec eruditionem, industriam, prudentiam, moderationem, quantum consilii requirunt? Deinde multo difficilior est propugnatio, in qua necesse est genera doctrinarum conferri, omnium aetatum certamina considerari, patefieri insidias, refutari sophismata, detrahi fucos falsis persuasionibus, veras sententias illustrare et munire. Haec sine magna varietate artium et sine literis praestare nemo potest. Multo etiam magis mirandum est, quod Paulus inquit, nos spem habere ex consolatione scripturarum. An spes nititur literis, et his scriptis monumentis? Anabaptistae quidem absurdissimam esse hanc vocem dicerent. Sed magno consilio sic loquitur Paulus: Spes nititur ipso aeterno Deo. Sed alligat nos Paulus ad hunc Deum, qui se in voce patefecit, quam referri in literas per Prophetas et Apostolos voluit, ut testimonia semper extarent. In his cognosci arcanam voluntatem de reconciliatione voluit, quae non deprehendi potuit humani ingenii sagacitate. Denique multae causae sunt, cur Deus ad haec nos testimonia alligarit. Quoties igitur precationem mens inchoat, et quaerit Deum, non modo coelum et hoc opificium mundi cogitet, ut se de architecto admoneat, sed simul etiam sibi dicta Evangelii proponat: intueatur filium Dei, qui se nobis patefecit, qui edidit promissiones de reconciliatione, ac dicat: Te omnipotens, aeterne, et vive Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, invoco, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite. Conditor omnium rerum, et conservator, cum filio tuo

coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto: miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, rege, iuva, renova me Spiritu sancto tuo, rege et serva Ecclesiam tuam, et politias, quae praebent hospitia aerumnosis Ecclesiis. Talis forma discernit precationem Christianam ab Ethnica, Iudaica et Turcica. Ac necesse est hoc discrimen intelligi, proponi, et assiduo inculcari. Nec vero sine literis et collatione opinionum explicari potest. Semper igitur in Ecclesia Deus coli literas et bonas artes voluit: ac ne prorsus extinguerentur studia, scholas mirabili modo defendit. Vult enim nos omnes audire Ecclesiam doctricem, ut venustissime significatum est in Samsonis historia: Non invenissetis, nisi vitula mea arassetis. A populo Israël didicimus Evangelium inter gentes sparsum per Apostolos. Ita deinceps semper in Ecclesia Deus aliquos doctores dedit, et testimonia suae sententiae perpetua extare voluit. Quare et principes et respublicae, et nos ipsi qui munere docendi fungimur, statuamus hoc omnium humanorum operum summum esse, studiorum conservationem et propagationem: et suo quisque loco annitatur, ut scholae floreant et ornentur. Ingratitudo enim maxime reprehendenda est, cum Deus immensa benignitate et misericordia se patefecerit, et e sinu arcanam voluntatem suam nobis in his monumentis literariis quasi consignatam tradiderit, ut nobis per hanc ipsam vocem et haec testimonia impertiat aeterna bona, negligere et aspernari tantam Dei erga nos liberalitatem et tanta munera. Agamus Deo gratias, quod accenderit illustrissimi Principis pectus, ut velit suas Ecclesias pie doceri et recte regi, et studia literarum excitari. Eius exemplo et huius urbis Senatus amplissimus, Academiam benigne complectatur et foveat, quae etiamsi multa habet ornamenta: tamen si vere iudicetur, nullum habet maius ac divinius hac doctrinae possessione. Ac revera ea demum integra civitas existimanda est, in qua ad politicum ordinem accedit Dei noticia, et aliarum honestarum artium cognitio. Sed ut haec possessio sit diuturna, id aliqua ex parte in nobis etiam situm est. Sint Academiae Aristocratiae, ut alveoli apum, suum quisque officium recte faciat, doceamus utilia, conferamus operas candide, iuvemus inter nos, tueamur communem concordiam quadam philosophica moderatione. Cogitemus nos in Christiana aut saltem humana communitate vivere, nec immanitate Cyclopea delectemur, in qua, ut inquit Euripides, ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός. Non excitet ambitio certamina inter ordines, aut Professores, sed cedant utilitati communi privatae cupiditates, anteferatur tranquillitas publica privatis affectibus. Haec mihi cogitanti atque optanti, saepe in mentem venit narrationis Plinianae de duabus capris: quae cum sibi occurrissent in ponte adeo angusto, ut spacium non esset, quo altera iuxta alteram praeteriret, mirabili arte viam sibi fecerunt. Altera enim prostratum corpus in ponte ita collocat, ut altera insistere prostrato corpori, et transire per illud posset. Multa incidunt, ubi si nemo alteri cedat, magnos tumultus existere necesse sit. Haec monumenta in Republica intelligere nos, et frenare impetus nostros decet. Alii propter opus ac honores, alii propter partium studia interdum efferuntur: ubi multo rectius erat sese reprimere, et ut illae capellae inter se cedunt, moderatione animi sanare offensiones. Haec si fecerimus, favebit Deus scholae et studiis nostris. Nam utrunque postulat, videlicet fidem in faciendo officio, et curam tuendae concordiae. Ac utrique virtuti promittit ingentia praemia. Meministis enim parabolam Evangelii, ubi laudat Christus servum, qui talentum bene collocaverat. Et Psalmus de concordia inquit: Ibi benedictionem mandavit Dominus. Quid quod Christus lavans pedes discipulorum, iubet nos exemplum imitari? Non est servitus, sed virtus Deo grata, tolerare privatas iniurias, quarum depulsio nocet publicae tranquillitati. Haec nobis ipsi inculcemus, et ad haec vera et philosophica officia nos quadam diligentia assuefaciamus, in qua Deum intueamur, qui propter hanc moderationem magis fovebit Scholam. Subiiciamus et nobis ipsis et aliis (nam sive homines moveantur, dicenda est veritas, ut amplectentes hanc, vivant: mendacium enim mors est, et huius pater semper homicida fuit: seu non amplectantur, ut extet testimonium inemendabilis improbitatis) haec igitur cum nobis, tum aliis inculcemus, scholas esse necessarias ad pietatis, religionis, status civilis, domesticae etiam administrationis conservationem. Quae erat enim obsecro forma futura regnorum, aut civitatum, sine eruditione et doctrina literarum? Nihil opus est argumentatione, aspiciamus ea loca, in quibus domicilia studiorum quondam fuerunt, ubi collegia quaedam nunc etiam illos scholasticos titulos

retinent, sed ad incrementa dignitatis et honorum emolumenta translatos. In his quanta indies turpitudo appareat, videmus. Ideoque et comtemni haec strenue incipiunt et a suis et ab externis, et sensim diminui atque collabi. Interea augendo imperitiam et barbariem ut alicubi contra fatalia mala nituntur, accersentes nimirum sibi graviorem interitum. Non enim certe consistere poterunt, quicunque se contra veritatem et Christum incitant, sed cornibus, ut dicitur, in aes incursuri sunt. Horum igitur exempla nos moveant atque moneant, ut et Reipublicae et Ecclesiae Christi scholarum incolumitatem praestemus. Multi sunt animis superbis, qui progressi ad honores, et iam collocati in luce Reipublicae, unde ascenderint celeriter obliviscuntur. Et constat tamen, nulla alia opinione et fama, quam doctrinae, altius homines extolli. Quae autem perversitas est quorundam, postea etiam ordinem scholasticum quasi humilem despiciunt, et iniqui huic sunt tanquam inimico: aut neglectores saltem illius, ut alieni. Quid alii quidam opulenti et divites, qui quondam servi erant superstitionis, nunc declarata veritate religionis, quid faciunt? mercedem anguinam rependunt benefactoribus suis, et libertate parta ad cupiditatum suarum obsequia abutuntur. Reliquae adhuc utcunque scholae sunt in Germania: collegia illa sacerdotum iam pridem labantia sua mole nutant. Monachi in stoliditate et imperitia sua et superstitionibus ridiculis fere evanuerunt. Ipsae etiam scholae alicubi sese male tuentur, alicubi iacent desertae. Quibus et ipsis vastatis, quid futurum esse videatur, non libet tristissimi ominis causa eloqui. Quapropter nos omnes, omnium ordinum et conditionum consentiamus animis ac voluntatibus, conferamus operas et studia, officiis mutuis nos fulciamus. Nam ut aliter nulla communitas florere atque diu permanere potest: ita civilis et scholastica administratio sine pernicie Reipublicae divelli ac dividi non possunt. Defendant scholasticum ordinem Principes et civitates, alant, protegant, munificentia sua sublevent, vel potius extollant. Hic vero Principes et civitates colat, augeat, ornet, celebret. Hic subministret et aulis et Senatui ac praetorio, atque in primis Ecclesiis, bonos, utiles, doctrina et pietate conspicuos ministros. Hanc coniunctionem probabit Deus, et fortunabit in ea atque provehet conatus, studia, operas nostras, dirigens haec omnia ad laudem sanctissimi nominis sui, et Ecclesiae Iesu Christi incrementa. Quem quidem toto pectore oro propter filium Mediatorem, ut in his tantis orbis terrarum tumultibus relliquias Ecclesiae suae servet, et pia studia in hac Academia et alibi tueatur. Amen. Dixi.

No. 74. an. 1543.

De Paulo Apostolo.

In Declam. T. I. p. 119 sqq., Servest. T. I. p. 102. et apud Richard. T. III. p. 336.

Oratio de Paulo Apostolo, habita a Christophoro Iona, Anno M.D.XLIII.

Proponit hoc die Ecclesia meditandam Pauli historiam, ac Dei beneficium celebrat, qui et exemplum misericordiae caeteris insigne ostendit, hoste in gratiam recepto, et nobis Doctorem dedit, qui et vivus annos fere sex et triginta Evangelium passim in bona Asiae atque Europae parte circumtulit. Et postquam ex hac militia evocatus est, relictis utilissimis monumentis erudit Ecclesiam perpetuo.

Nihil autem magis decet praesertim in his congressibus nostris, quam et vocem nostram, et animos et vota, cum Ecclesia Dei congruere. Quod cum cogitarem, nulla de re alia potius, quam de Paulo dicendum esse indicavi, praesertim cum eius historia nos de his ipsis studiis, in quibus versamur, et de universo nostro curriculo, plurima monet. Quem enim habemus alium Scriptorem, qui genera doctrinarum, Philosophiae, et Evangelii, artificiosius discernit, qui usum utriusque tam perspicue monstrat, qui nobis Rempub. nostram, id est Ecclesiam, clarius describit, qui saepius monet quarum rerum doctrina Ecclesiae necessaria sit? Ac scio vos omnes Pauli nomen ita amare, ut consilium meum maxime probaturi sitis. Sed dicam ingenue, quanquam nulla in re suavius acquiesco, quam in cogitatione doctrinae et actionum Pauli et similium virorum: tamen amplitudo rerum me movebat, ut aliud argumentum potius quaererem: ut enim Paulinae disputationes atque actiones, universam Ecclesiam complexae sunt, ita de eis perspicue dici non potest, nisi religionis exordia, incrementa et pleraque certamina repetantur.

De his tantis rebus, quoties Paulus ipse concionatur, superari se magnitudine earum fatetur, easque nulla eloquentia satis explicari posse testatur. Cum autem sic iudicarit vir tantus, qui erat verius, quam Pericles orator tonans, fulgurans, et in mentibus auditorum aculeos relinquens, ardebat enim divino motu atque adflatu: quid nos in hac imbecillitate nostra, dignum hac maiestate rerum dicere possumus? Ac ille quidem sese vocat ἔκτρωμα, hoc est, foetum immaturum atque imbecillem, non parem caeteris Apostolis. Sed tamen illustribus testimoniis vocatus ad docendi munus, divinitus ad eam militiam instructus erat. Nos multo iustius agnoscamus nos ἐκτρώματα esse, hoc est, rudes et informes massas, ab ortu editas, immaturas, pollutas.

Ego igitur de mea imbecillitate cogitans, aliud argumentum institueram. Sed me amici ad Paulum, hac oratione revocabant. Quod etsi haec infirma mortalitas nec Dei naturam, nec eius beneficia penitus introspicere possit, cogitari tamen, agnosci et aspici ea Deus aliquo modo velit. Ne solis quidem fulgorem sustinent oculi, neque tamen propterea lucem fugimus. Quid? quod ipse Deus pariter se senum et puerorum voce celebrari iussit. Denique disputabant, et exemplum utile esse caeteris, et bonis nullam orationem gratiorem fore, hoc praesertim die, quam qualemcunque Paulinae historiae commemorationem.

Horum obsecutus seu iudicio, seu studio, redii ad Paulum, vosque oro, ut etiamsi amplitudini argumenti non respondebit oratio mea, tamen pro vestra pietate, et candore vestro, hanc qualemcumque operam boni consulatis. Illud etiam in hac tam ampla causa nobis incommodum est, quod tempus ad dicendum multo brevius nobis conceditur, quam quantum huius argumenti ubertas postulat. Quare breviter summa sequar fastigia rerum, ut Poëtae verbis utar.

Ac si panegyricos veteres imitari instituissem, primum de Pauli genere, patria, incunabulis, dicerem: sed aliunde ordiri decrevi. Primum de causis monenda est adolescentia, cur prosit has historias cognoscere. Sunt enim tres praecipuae causae, quarum prima est: Ut quid sit Ecclesia cogitemus, et divinitus missos esse duces ac gubernatores agnoscamus, ac toto pectore Deo gratias agamus, pro donatis aeternis bonis et ministeriis, per quos ea hominibus impertit.

Altera causa est, ut rerum quas gesserunt, et virtutum consideratio nos erudiat, ut melius intelligamus, quid profiteantur. Deinde etiam exempla unumquemque suo loco, et pro sua mediocritate ad virtutis imitationem excitent.

Postremo, ut veris et ardentibus votis a Deo petamus, ut Ecclesiam servet, ac nos quoque faciat organa utilia, adiuvet ac provehat nostros labores, ut in commune prosint Ecclesiae, sint salutares bonis, nec abiiciat nos tanquam pestes generis humani, seu ut Paulus vocat, vasa irae, quorum infoelix curriculum multipliciter nocet communi vitae, ut vixit Saul ad extremum, et alii innumerabiles.

Quos alii fines in panegyricis proponat, hic recitare longum esset. Sed ad hos quos dixi praecipue referantur haec encomia, nostrorum heroum, per quos Deus mirando consilio et immensa bonitate nos ad coelestis vitae societatem vocavit. Ac in horum finium expositione tota haec oratio nostra versabitur.

Primum igitur Deo aeterno, patri liberatoris nostri Iesu Christi, conditori omnium rerum, gratias ago, vosque mecum toto pectore agere iubeo, quod Ecclesiam sibi perpetuam condidit, ac Doctores ad eam instaurandam subinde excitat. Quorum vos ipsi praecipuos animis enumerate, inde usque a Nohe. Quid enim iucundius esse bonae menti potest, quam de virtute ac de certaminibus talium virorum, imo de Dei bonitate cogitare, qui hoc ipso beneficio, quod pene continuis aetatibus instauratores excitavit, testatus est, Ecclesiam sibi magnae curae esse. Sed venio ad secundum membrum institutae partitionis.

Cum alia multa, tum vero etiam constitutio et series imperiorum, testatur hunc mundum Dei consilio ac providentia regi, et, res loquitur in heroicis ducibus, ut in Cyro, Alexandro, Scipione, Augusto, impetus supra communem hominum naturam flagrare, et accedere foelicitatem singularem. Hanc Virtutis et Fortunae excellentiam sani omnes mirantur, et suspiciunt illos summos viros, qui alias alibi vel constituerunt vel defenderunt, vel instaurarunt imperia.

Etsi autem his antecellunt nostri duces, qui Ecclesiam gubernarunt: tamen eorum virtus non perinde conspicitur ab ignaris rerum divinarum. Magnifacis sapientiam Solonis, Augusti, et similium, quorum leges, magna imperia, multas gen-

tes complexae sunt. Praedicas Scipionem, cuius fortitudine et foelicitate, Roma difficillimis tempestatibus defensa est. Sunt haec magna, sed maius est munus Abrahae, Eliae, Esaiae, Baptistae, Pauli, et similium, videlicet, de filio Dei et eius beneficiis concionari, et certis testimoniis patefacere arcanam voluntatem Dei, de rebus aeternis. Ad hoc munus praecipuum delegit Deus suos Prophetas et Apostolos. In hanc stationem vocavit et Paulum. Id eius proprium munus intelligere, et ab imperiis discernere discamus.

Multi ignari Ecclesiae, longe anteferunt his miseris erronibus Apostolis, Cyrum, Alexandrum, Augustum, et similes. Multi putant artem vulgarem Apostolos circumtulisse, praecepta de moribus, et comparant eos cum Phocylide, Theognide, Hesiodo, aut certe cum Philosophis, ut Epicteto, et aliis. Haec ineruditа somnia abiicienda sunt, et discernendus est Evangelii Doctor, a Ducibus, et Legumlatoribus, et Philosophis.

Aliud genus doctrinae commendatum est Prophetis et Apostolis. Et quanquam eadem vox, eademque sententia est Prophetarum et Apostolorum omnium, de Christo et eius beneficiis, tamen explicatio Paulina illustrior est. Ut igitur in aliis negociis, aliorum virtus magis enituit: Elias delevit idolum Baal in Israël. Esaias depulit Assyrios ab urbe Hierosolyma. Ieremias prorsus novo modo, contra vetera exempla gentem servavit, suadens deditionem et triste ac aerumnosum exilium, ita et Pauli proprium quoddam est decus.

Non modo latius sparsit Evangelium quam caeteri, sed etiam futurae Ecclesiae ad finem usque monumenta talia condidit, quae illustrius discernunt Evangelium a lege et politica sapientia, quam literae reliquorum Prophetarum et Apostolorum. Id beneficium si qui leve esse ducunt, hi vel inscitiam suam vel impietatem confitentur. Nam multum omnino refert veras metas et vera discrimina harum doctrinarum intelligere, legis divinae, philosophiae et Evangelii. Haec Paulus, tanquam in iudicio finium regendorum, conspicuis limitibus distinxit, et cuiusque generis usum monstravit.

Hoc discrimen confundere, tristius est quam solem e mundo tollere. Sequuntur enim horrendae tenebrae, oblivio Christi, interitus Ecclesiae. Quid enim interest inter ethnicos et Ecclesiam, amissa hac luce, qua statuit Ecclesia, se certo placere Deo, se respici, exaudiri, servari, propter filium mediatorem.

Retinuerant Graeci et aliae multae gentes, doctrinam de honestis moribus, de disciplina. Quam multi sapientia et virtute praestantes, apud ethnicos, norant esse Deum, unam quandam aeternam mentem conditricem rerum. Ut Plato et erudite et recte describit Deum, inquiens, aeternam mentem esse, causam boni in natura. Quid Esaias aut Paulus dicere aptius poterant?

Quid igitur interfuit inter nostros et ethnicos? Inter Platonem et Paulum? Evangelium facit discrimen. Etsi norat Plato esse Deum, esse mentem aeternam, causam boni in natura, tamen dubitabat se respici, agnoscebat se vitia quaedam habere, digna poena. Fugiebat igitur Deum, non vere invocabat, et dubitatio magnam ruinam trahit, ut nominat Paulus, peccata quae per legem existunt.

Econtra Paulus agnoscit quidem se habere vitia digna poena, sed videt missum esse filium Dei, ut sit victima pro genere humano. Scit certo Deum praecipere, ut propter hunc statuamus nos recipi in gratiam, exaudiri et servari. Scit nusquam esse Dei Ecclesiam, nisi ubi haec de filio doctrina lucet. Scit iam se non esse sine Deo, sed invocat hac fide Deum, et ab eo gubernationem, defensionem et salutem expetit et expectat: haec cum ex promissione data primis parentibus intelligerent pii, gentes oblitae promissionis, hanc lucem amiserunt, quam quidem rursus accendit Deus, cum per Apostolos spargi Evangelium inter gentes voluit.

Et ut Paulus clarius testari posset, recipi nos propter filium Dei in gratiam, non propter nostras virtutes, tunc vocatus est cum acerrimus hostis esset Christi, ac iudicaret Evangelium non modo facem esse seditionum et distractionum Ecclesiae Dei, sed etiam contumeliosum esse adversus Deum, arderetque odio Evangelii non mediocri, etiam aspersus Sanctorum sanguine, et cruoris sitiens, tristiorem carnificinam moliretur. Haec omni contentione animi agentem Christus vocat. Ac testatur Paulus ipse, commonefieri universam Ecclesiam exemplo suae vocationis, ut sciamus, certo non propter legem, sed propter filium Dei gratis nobis Deum ignoscere.

In hunc igitur locum incumbit, docet quomodo Deus invocandus sit, fiducia mediatoris,

docet inchoandam esse obedientiam, et quomodo placeat, monstrat certam et firmam consolationem piis, quae est inchoatio vitae aeternae. Traduntur eadem in Prophetis et caeterorum Apostolorum scriptis. Una est enim perpetua verae Ecclesiae vox, de beneficiis filii Dei. Sed multum lucis addit Pauli disputatio, qui vere interpres est Prophetarum.

Sed o deplorandam caliginem humanarum mentium. Etsi hac tantae res satis perspicue in Paulo expositae sunt, tamen et sunt et fuerunt homines alioqui non indocti, qui cum viderent non quadrare τὸ ῥητὸν in Paulo ad rationis humanae iudicium, de iustitia et de lege, discesserunt a Pauli verbis, et confictis quibusdam corruptelis, transformarunt Paulum in humanas et philosophicas opiniones.

Atqui oportuit nos auditores ac discipulos esse, non criticos seu censores sapientiae coelestis, quae si nihil a Philosophia differret, quid opus esset voce Evangelii, quod filius Dei ex sinu aeterni patris protulit? Si existimamus Apostolos quod senserunt et voluisse et potuisse eloqui, profecto convenit ex ipsorum oratione dextre collatis membris sumere sententiam, et ut dicit Basilius: ποτὶ σπάρτον τὸν λίθον ἐφαρμόζειν, accommodare Lapidem ad regulam, non Regulam ad humanas opiniones inflectere.

Agamus autem Deo gratias, quod in Ecclesiis nostris rursus simplex et germana sententia lucet, ad quam retinendam, duabus rebus, adolescentes, opus est, vera animi pietate, et acerrimo studio omnium bonarum disciplinarum. Quod Paulus praecipit Timotheo, ut depositum, videlicet, Evangelium ipsius fidei commendatum, custodiat et tueatur: idem vobis severissime praecipi statuit, quos ad societatem eiusdem muneris vocavit, quod Christus, Prophetae et Apostoli administrarunt.

Ac saepe mihi cogitanti de hac Academia, quam merito amamus, tanquam fidam nutricem, alentem nos et coelesti doctrina, et omnibus aliis honestis artibus, in mentem venit eius navis, in qua Paulus vehitur ex Iudaea ad Meliten usque, quae etsi inter scopulos ita iactata, ac saevitia tempestatum ac fluctibus concussa erat, ut laceratis ac fatiscentibus tabulis videretur iam mersura navigantes, integra tamen in portum pervenit, quia Paulum vehebat. Ita et Academiam spero mansuram esse, donec Paulum vehet, hoc est, recte et fideliter enarrabit. Huius enim doctrina lumen est, ut supra dixi, propheticarum et apostolicarum concionum.

Moveor equidem temporum periculis, et impendere mutationes regnorum, quae sunt fatales poenae scelerum humanorum, nihil dubium est: sed tamen servabit Deus Ecclesiam suam, et defendet aliqua piorum studiorum domicilia. Quare tantisper dum haec schola doctorem Paulum audiet, et haec studia mediocri diligentia regendorum morum ornabit, hanc sedem et hos coetus Deus, ut spero, proteget. Sed redeo ad encomium.

Prodest inprimis Ecclesiae, collatio ut dixi Legis et Evangelii, quae in Pauli scriptis copiosius et illustrius, quam alibi explicata est. Possum et alias quasdam materias addere, quae ab ipso planius tractantur, discrimen iustitiae spiritus ac politicae, et discrimen Ecclesiae et imperiorum. Damnat item perspicue ἐθελοθρησκείας, ut sciamus quibus officiis indicet se Deus honore affici. Munit et pacem civilem, ornat amplissima laude totum politicum ordinem, magistratus, leges honestas, iudicia, contractus, militiam, coniugium, oeconomiam.

De his rebus sententias huius doctoris longe antefero Platonis, et Aristotelis politicis, etsi haec quoque sapienter scripta sunt. Sed addit Paulus salutarem doctrinam, testatur haec vitae officia a Deo ordinata esse, ideoque sic inter se devinctos esse homines procreatione, educatione, gubernatione, contractibus, ut in his bonis rebus ostendamus aliis, nostram de Deo sententiam, exerceamus invocationem et mutuam benevolentiam. Docet item hos labores Deo vere placere, et grata munera et sacrificia esse.

Hae Pauli sententiae haud dubie multos graves viros, qui sentiunt quantum onus sit gubernatio, retinent in sua statione. Certe in meo animo, amorem et reverentiam legum et civilium officiorum valde augent. Ac scitis his proximis annis, praecipue Pauli testimoniis in hoc genere, refutatos esse fanaticos homines multos, qui pleraque officia politici ordinis furenter damnabant, ut olim similes Marcionis et Manichaeorum furores iisdem de rebus, praecipue suffragiis Pauli oppressi sunt,

Huc accedit, quod in praeceptis politicis, quadam non vulgari prudentia monet gubernatorem non hebetem aut rudem, de rebus non levibus, sed

de nervis boni status, et de fontibus maximarum mutationum.

Usitatum est peccare gubernatores ignavia, et multi sapientes et acres peccant *πολυπραγμοσύνῃ*. Saepe igitur monet hunc morbum cavendum esse: et quia ex ambitione oritur, eruditissime opponit contrariam ambitionem, iubet nos hanc gloriam expetere, videlicet, studium manendi intra septa et metas nostri muneris, seu ut dicitur, ut suam quisque Spartam ornet.

Sed popularia ingenia magis gloriosam esse ducunt *πολυπραγμοσύνην*, passim se ingerentem, multos lacessentem, tranquilla consilia turbantem, denique negotia undique attrahentem, ut Caecias nubes ad sese attrahere dicitur.

Tales fuisse multos in historiis legimus, ut Cleonem, quem dicebant alterum pedem in castris, alterum in curia habere. Quam multi nunc sunt, qui alterum pedem in curia, alterum in ara collocant, hoc est, qui suis tantum consiliis Respub. regi, et prorsus ad sua iudicia doctrinam attemperari in templis volunt. Saepe hoc malum Ecclesiae nocuit. Sed omitto exempla praeceptorum. Nam lector non rudis vitae communis, si expendet Paulinas admonitiones, animadvertet eum multa significare, quae sapienti et sagaci gubernatori providenda sunt.

Iam et hoc observet iuventus, Paulum literis et doctrina excultum fuisse, quod lumina verborum et ordo rerum in disputatione ostendunt. Utitur enim multis insignibus verbis, quorum pondera sine liberali eruditione non intelliguntur. Nihil potuit dicere tristius, nihil atrocius ad significandam acerbitatem odii, quo ardent hypocritae adversus Evangelium, quam cum ait, Apostolos dici *καθάρματα* et *περιψήματα*. Haec verba sine cognitione veterum historiarum intelligi non possunt.

Saepe utitur verbo *συμβιβάζειν*, cum de mutua dilectione concionatur. Sed historiae vim verbi declarant. Videt Paulus multos de industria hoc agere, ut distrahant voluntates hominum. Monet igitur ut consilia in actionibus dirigamus ad consociandas voluntates, et fovendam mutuam benevolentiam, quod fieri non potest, nisi quadam moderatione, et Philosophia regamus impetus animorum. Ita vocant *συμβιβάστικα* consilia historiae, quae ad hunc finem, quem dixi, directa sunt: hanc diligentiam, ut nobis commendet, insigni verbo historicorum usus est.

Iubet doctores recte secare doctrinam: bella metaphora est a sacrificiis sumpta, in quibus ars erat partiri membra, quorum alia cremabantur, alia erant attributa sacerdotibus. Et haec imago multa significat.

Possem plurima exempla recitare, si tempus pateretur, quae ostendunt, Paulo nec eruditionem, nec diligentiam defuisse. Et ad intelligenda eius verba eruditione opus esse. Quod eo dico, ut et ipsum legant scholastici attentius, et ut rectius adsequantur, adiungant liberalium artium doctrinam.

Dixi de genere doctrinae, quod Paulus maxime illustravit, ac de aliis quibusdam doctrinae locis. Nam in Apostolo praecipue considerandum est genus doctrinae. Adderam etiam quaedam de eius virtutibus: sed harum quantum decus sit, non ita multo post videbimus, cum eius consuetudine fruemur, cum res eius gestas a Christo praedicari audiemus, et multa eius auditores sciscitari poterimus. Nulla enim oratio par magnitudini harum virtutum excogitari potest.

Sed tamen exempla non negligenda sunt. Etsi gradus virtutum non imitamur, tamen initia communia esse omnium debent. Confirmetur fides nostra, cum ait, se grassantem hostiliter, ideo vocatum esse, ut discamus Deum vere propter Christum nobis ignoscere, modo ut confugiamus ad ipsum. Expectemus auxilium et defensionem, cum in eodem munere versemur, in quo ipse versabatur.

Postremo pro nostra mediocritate caveamus, ne malis moribus excutiamus coelestia bona, neve dolore afficiamus Spiritum sanctum. Ut pictor, ut architectus habent ideam, et exempla operum suorum, in quae semper intuentur: ita haec vivendi ars postulat, ut aliquos laudatos viros mente intueamur, quos aliquo modo sequi et imitari studeamus. Ut Cicero Laelium sibi proponebat, alii alios: ita nos in Ecclesia Paulum, Ieremiam et similes intueamur. Horum exemplis fidem confirmemus, excitemus invocationem, imitemur eorum tolerantiam, lenitatem et diligentiam in omni officio.

Hactenus de Paulo, quantum et ingenii mei tenuitas et temporis angustia concessit, dixi. Reliqua est pars institutae orationis tertia.

Piae mentis est saepe multumque cogitare, quomodo Ecclesia condita sit, quem habeat du-

cem, quos hostes: unde sit haec infirmitas generis humani, unde horribilis confusio vitae, tot gentium atque impiorum eversiones, et qui portus Ecclesiae sit inter tanta pericula. Cumque humana diligentia servari Ecclesia non possit, oremus Deum veris animorum motibus, ut sua immensa bonitate propter filium servet Ecclesiae reliquias, et det eis tranquilla hospicia, in aliquibus imperiis, defendat et iuvet studia, quibus ipse vere celebratur, nec sinat extingui noticiam Evangelii sui inter homines, nec sinat totum genus humanum ruere in aeternum exitium.

Quis est tam ferreo pectore, aut tanta naturae immanitate, ut cogitans, quanta hominum multitudo manifesto furore contemnat Deum, et sibi aeternum exitium accersat, non deploret humanam miseriam? Ergo ne tota natura hominum prorsus pereat, excerpi reliquias, ac servari oremus.

Deinde de sese quisque cogitet, exempla videat omnium aetatum et consideret, quorum cursus salutaris generi humano fuerit, et horum sequatur vestigia. Econtra vero caveat, ne abiiciatur inter pestes generis humani, quales multi fuerunt, ut Cain, Pharao, Iudas, Marcion, Manichaeus et alii.

Quod in scena dictum est: Vitam regit fortuna, non sapientia, explodatur ex Ecclesia. Regi vitam sapientia non humana, sed divina sciamus, quae duas res complectitur. Iubet te Dei mandatis parere, et ab ipso gubernationem petere. Ut Psalmus inquit: Subditus esto Deo, et spera ab ipso auxilium. Hanc sapientiam, si ducem sequemur, erunt foelicia *πολιτεύματα*.

Quam longus est catalogus eorum, qui freti sua sapientia, neglecto Deo, et se et Respublicas everterunt. Non dicam de veteribus, de Pharaone, de Achab, de Sedechia, de Alcibiade, et similibus. Nostra tempora videte, meministis exordia tumultus Monasteriensis, cum homines fanatici audacter falsas opiniones sererent, et paulatim furor cresceret, ut amentia contemptum Dei sequi solet, exitus quam tragici et horrendi fuerunt?

Nec tantum hoc deplorandum est, quod tot homines miseri vel fame, vel ferro, vel aliis cladibus perierunt. Sed multo tristius est, quod Deus contumelia adfectus est, quod multos error in aeternum exitium praecipitavit, quod diabolus triumphum egit, tot miseris a Deo avulsis. Haec spectacula intueamur animis, ut quaeramus sapientiam, quae mentes ita regat, ne in tales casus caeci praecipitemur.

Econtra conferte Ieremiae politiam, quae in speciem misera est, cum sit salutaris populo, et vere gloriosa, annos amplius quadraginta, concionatur de excidio civitatis, de dissipatione gentis et reditu reliquiarum, toties abiicitur in carcerem, saepe rapitur ad supplicia, tandem interficitur, vel a suis, vel a superbissimo rege Aphricae, cui etiam vaticinatus erat exitium. At hic quanquam exercetur magnis calamitatibus, tamen servator est suae Reip. Nam huius consilio flos Ecclesiae Ieconias et aliquot millia civium deditionem fecerunt. Hae reliquiae fuerunt seminaria, quae instaurarunt postea Remp. Nunc cogites animo quorum similitudo magis optanda sit, Samuelisne, Esaiae, Ieremiae, Pauli, an vero Alcibiadis, Caiphae, Iudae, Marcionis, Rullii Monasteriensis.

Haec si saepe considerarent iuvenes, profecto essent modestiores, et cum doctrinam salutarem avidius expeterent, tum vero etiam a Deo gubernationem postularent. Ut oras servari Ecclesiae reliquias, ita petito, ut te deligat inter organa utilia generi humano, nec te abiiciat inter *ἀλάστορας*, et ut Paulus vocat inter vasa irae. Non enim vult deesse Ecclesiae suae Deus. Sed petentibus toties clarissime adfirmat se opitulaturum esse, et iureiurando confirmat suas promissiones. Cur ad eum non accurrimus, qui etiam iureiurando nos invitat? Sit mediocris diligentia in regendis moribus et in studiis, et accendatur animus ad invocationem. Haec profecto non erunt inania. Sic enim Paulus adfirmat, Deus est, qui et ut velitis efficit, et dat successus.

Sciant pii se a Deo excitatos esse, ut salutaria discant, ut ad Ecclesiae gubernationem praeparentur. Hi conatus non erunt irriti, modo ut cursum tuum urgeas, nec abiicias inchoata studia. Alii voluptatibus languefiunt, alii desperationem praemiorum, alii aliis periculis deterrentur, ut est magna humanae naturae infirmitas, ne doctrina se instruant, qua opus est Reipub. neve partem publici laboris expetant. Multos etiam temporum miseriae iam frangunt, cum Turcica castra sunt in conspectu. Quis erit, inquiunt, literarum aut doctrinae usus, si haec omnia vastabuntur armis Turcicis? Cohorresco audiens, aut cogitans haec *δύσφημα*. Sed optimi adolescentes, ingentibus animis repugnemus, cum caeteris difficultatibus, tum etiam his terroribus. Eo magis colantur stu-

dia, quo maius impendet periculum, ut qui erunt superstites, possessionem artium, quae vitae utiles sunt, retineant. Etiamsi fatales poenae oppriment mundum propter Epicureos furores, idola, libidines et alia flagitia, tamen certo scimus mansuram esse Ecclesiam Dei, et quidem in hac ultima mundi senecta futuram angustam, et servitute oppressam, sed mansuram tamen.

Nervos igitur atque ornamenta noster ordo retineat, qua in re hac etiam consolatione vos erigite, quod etsi late grassatur rabies Turcica, tamen quintam Monarchiam non constituet. Non omnes in Europa gentes haec barbaries opprimet, sed nihil de imperiis dicam, Deo potius Germaniam nostram commendo, cui in hac calamitate iam proh dolor nimis vere congruit Almaniae nomen. Nam Almana Ebraeis vidua est.

Verum revoco me, de Ecclesia cogitemus, hanc etiam siqua erit imperitorum perturbatio, mansuram esse sciamus. Huic serviat nostra militia, propter hanc retineamus doctrinae possessionem, ut fecerunt in exilio Chaldaico Daniel, Haggaeus, Zacharias, et multi similes viri docti. Etsi certa sedes Ecclesiae non est in imperiis, tamen hoc promittere piis Principibus possum, tantisper dum in hac cymba, id est, in Ecclesia erunt, imperia eorum mansura esse. Sed qui hanc cymbam excutient, qui vastitatem in Ecclesiis sua negligentia facient, ut faciunt plerique, qui studia literarum extingui sinent, hi audiant has minas: Ecce oculi Dei super regnum peccans, et delebit illud. Addit autem Propheta eandem consolationem, quam toties iam recensui, sed Iacob inquit: Non delebo, etsi ut triticum in cribro concutiam, ac purgabo. O miras descriptiones et imagines Ecclesiae, praesertim nostri temporis, quae haud dubie propositae sunt, ad praemonendos et confirmandos pios, in his ipsis periculis, quae iam ob oculos versantur. Non est ignavum agmen Ecclesia, sed intelligit sibi in hac vita aerumnas omnis generis propositas esse, et tamen interim doctrinae possessionem tuendam esse, nec abiiciendam, propter regnorum excidia.

Quare animos vestros confirmate divinis praemonitionibus, incumbite in studia salutaria vitae, et militiam hanc non solum gratam esse Deo statuite, sed etiam ab eo adiuvari. Hac spe si petetis auxilium, certum est, non fore irritos labores vestros, sed salutares vobis et aliis, quo quid potest homini melius aut gloriosius contingere. Haec eo cogitanda sunt, quia certe hominis est, ad quas metas vita dirigenda sit, et quomodo in tantis fluctibus regenda, mediocri quadam diligentia prospicere. Dixi.

No. 75. an. 1543.

De dignitate legum.

In Declamat. T. I. p. 280 sqq., in Servest. T. I. p. 241. et apud Richard. T. II. p. 413. Eadem oratio legitur iterum in Tomo IV. Declamat. Vid. infra an. 1556. No. 150.

Oratio de dignitate legum. M. D. XLIII.

Usitatum est hoc loco et in his spectaculis aliquid de legum dignitate dicere, ad quarum reverentiam certe excitari homines maxime prodest. Etsi autem et ego de eodem argumento dicere cupio, tamen quo saepius de imperiis, de vitae gubernatione, de legibus et iudiciis, quae sunt nervi gubernationis, tranquillitatis et disciplinae, cogito, eo mihi difficilius est eligere ex tanta mole rerum quod dicam. Primum enim quam difficile est respondere Cyclopum et Centaurorum opinioni, qui in tanta confusione rerum humanarum, hoc totum quod vocamus legem, et politicam sapientiam, dicunt inane nomen esse, vi et armis rapi imperia, et regi arbitriis potentum tantisper dum tenentur. Nam ut vetera exempla omittam, quid Turcica barbaries ullas leges curat? Progreditur quod potest et vi oppressis imperat quae libet. Ante centum *) annos Constantinopolis florentissima schola fuit nostrarum legum: nunc procul pulsa hac doctrina, omnia unius tyranni nutu, aut barbari alicuius ducis reguntur. Sic cum orbis terrarum dilaceraretur ab Alexandri satellitibus, quae ibi legum vox, quae doctrina politica usquam audiebatur? Cum igitur magis rabie tyrannorum et arbitriis potentum omnia gerantur, quis locus est sapientiae et nostrae politicae arti? Nec enim illud imaginandum est, nostram artem similem esse militari, quae nunc hostibus, nunc civibus servit, et utrinque **) iniustis cupiditatibus operam locat. Alia res est haec politica ars, seu iuris doctrina, nusquam locum habet, nisi in tranquilla civitate, et in eo consilio, quod ad normam insti-

*) Textus in Tom. IV. habet: *ante centum et tres.*

**) Textus in Tom. IV. habet: *utrobique.*

tiae suas sententias accommodat. Ut Athenis donec Solon praefuit civitati, valuit legum autoritas. Romae legum reverentia mansit, donec Augustus vixit, sed utroque loco brevi post oppressi sunt cives tyrannide, et leges conticuerunt, ut Solone vivo Pisistratus rapuit dominationem, post Augustum mox tyranni aliquot quam crudeliter grassati sunt in Rempub. Haec exempla saepe movent etiam magnos homines, ut aut nullum, aut exiguum usum esse nostrae doctrinae arbitrentur, qui quidem dictum illud Ciceronis in ore habent: Inter arma silent leges. Marius dixit, se legum vocem inter classica et tubarum sonos non audivisse. Et Nazianzenus de Iuliano inquit: Voluntatem principis esse ius non scriptum. Ut igitur ipse meum animum, et si quos fortasse alios confirmem, refutare illam vituperationem nostrae doctrinae institui, et ostendam et esse, et futurum esse usum huius artis, etiamsi magnae fuerunt, et nunc sunt, et impendent aliae rerum humanarum mutationes, nec nobis studium abiiciendum esse, sed eo magis colendum, ut conservetur. Ac primum constituamus esse artem politicam: non enim frustra Deus indidit humanis mentibus leges naturae. Harum explicationem voluit extare in literis et monumentis sapientum, hanc voluit esse imperiorum et iudiciorum regulam, quae non propterea nihil est, etiamsi multae aliae res gubernationem interturbant. Ut ars medica vera est divinitus tradita, et salutaris humano generi, etiamsi corpora humana non tantum medicae artis praeceptis reguntur, sed saepe occultis, aut subitis causis laeduntur, quae provideri non possunt: ita nostra ars vera est, divinitus monstrata generi humano, et salutaris, etiamsi aliae res accedunt, quae hanc sapientiam saepe reprimunt. Lacerantur imperia interdum fatalibus poenis, vel diaboli furore et tyrannorum cupiditatibus: cedit talibus temporibus sapientia politica.

Quid enim loci erat bonis viris, cum triginta tyranni tenerent Athenas? Et quia saepe violentia dominatur, et multae existunt subitae et improvisae mutationes, Epicurei putant res humanas casu ferri, et tantum quemque obtinere posse, quantum valet potentia. Sed nos, qui in Ecclesia Dei instituti, certo scimus Deum esse inspectorem et iudicem universi generis humani, sciamus imperia neque oriri, neque interire casu. Deinde hac nos consolatione maxime sustentemus. Et si concutit Deus aut evertit imperia, tamen Ecclesiam suam non sinit funditus deleri, et haec, ut maneat, dat hospitia, conservat connubia, procreationem, educationem, contractus, literas, doctrinam de coelo traditam: esse igitur coetus legibus iunctos necesse erit. Quare etiamsi multa incidunt tempora, quibus politica sapientia parum habet loci, ut in saevissimis tempestatibus nautae periti vincuntur, tamen donec erit Ecclesia, coetus erunt legibus iuncti, hos si regerent indocti, sine certo iure, sine literis et eruditione, quales tenebrae essent vitae? Ac redeo ad exempla superiora. Solon leges tradidit Atticae civitati, quae etiamsi non sustulerunt omnia vitia, tamen contractus et iudicia quadam humanitate rexerunt, et voluntates civium coniunxerunt. His legibus ad Romana tempora annis plus quingentis civitas usa est. Etsi autem interea urbs bello Persico incensa et deleta est, cum cives essent in navibus, et uxores et liberos abdidissent inter scopulos marinos, tamen non propterea Solonis leges fuerunt inutiles, quae et antea in pace tranquillitatem retinuerant, et aliquanto post, rursus instaurant civitatem. Nec illud urbis incendium, etsi ligneas tabulas consumpsit, propterea leges delere potuit, quae infixae animis civium tum maxime valuerunt. Hac disciplina instituti cives, norant barbaricos mores non esse admittendos, norant dimicandum esse coniunctis viribus pro defensione libertatis, hoc est, disciplinae et honesti status, et ob hanc causam omissis privatis certaminibus, concordiam inter se tuebantur, extabant leges, et quotidie earum exempla spectabantur in factis Themistoclis, Aristidae, Cimonis, et aliorum honestorum civium. Ita cum Roma a Gallis caperetur, non propterea Respub. deleta est, etiamsi aedificia incensa sunt: mansit enim virtus et disciplina civium a legibus orta. Haec praesidio et saluti sunt civibus: etiamsi Nero aliquantisper latrocinium inter cives exercuit, ac oppressis legibus etiam Iurisconsulto Cassio Longino oculos effodit: etiamsi Bassianus fratre necato, etiam Papinianum Iurisconsultum nolentem praetextus fingere ad excusandum parricidium interfecit, tamen non propterea in universum deletae erant leges. Ne funditus periret humanum genus, Deus adhuc politicum ordinem apud aliquos tuebatur, erant alicubi in provinciis Magistratus mediocres, qui legum vocem audiebant. Non amittenda est igitur doctrinae professio, etiamsi aut bella, aut tyrannides aliquantisper eius usum impediunt: imo bona ingenia hoc

pugnent ardentius, de verarum legum defensione, quia vident in tanta infirmitate humana, in tanta confusione, earum autoritatem saepe, tum negligi, tum opprimi. Ideo tradidit Deus humano generi artem politicam, et hanc ipsam doctrinam, ut quantum potest, sanabiles homines ad iustitiam flectat, et iniustos impetus reprimat. Nihil mirum est eos, qui ignorant causas harum confusionum in imperiis, nec didicerunt ex coelesti doctrina, quomodo confirmandi sunt animi, vehementer odisse imperia, in quibus raro boni praesunt, et ut sunt mediocres, imo boni et sapientes, tamen multitudo est varietas negotiorum, non concedit eis, ut in omnia sint intenti. Pompei iustitiam et integritatem amabat provinciae, ut cum secum duceret multos rapaces comites, tamen has iniurias propter benevolentiam erga Pompeium dissimularent. De Davide etiam querelae sunt filii. Denique amentia est in hac naturae humanae imbecillitate, et in tanta diaboli saevitia, quaerere animo politiam sine vitiis et sine erroribus. Ut igitur imperia oderunt hi, qui causas confusionum nesciunt, ita et leges adspernantur: cum vident eas multis ingentibus malis non mederi, et hanc totam doctrinam vitae inutilem esse censent, sed nos monet coelestis doctrina, oriri multas ingentes confusiones vitae, cum a diabolo, tum ab humana vel negligentia, vel petulantia. Nec posse gubernatorum consiliis ac legibus reprimi omnium furores, aut corrigi. Et tamen inter has difficultates non esse gubernatoribus curam deponendam, nec inutilem esse eorum diligentiam: sed quaedam mala, vel reprimere, vel mitigare. Iubet item Deum invocari, ut adsit huic difficillimo labori, et quidem monet sine auxilio Dei, sapientiam illam politicam saepe hallucinari, et exitiosam esse civitatibus. Quam multi summis ingeniis praediti, cum quidem patriae bene vellent, tamen suis consiliis everterunt Respub. quia freti sua sapientia, res moverunt non necessarias, ut Pericles, Demosthenes, Pompeius, Cicero. Tota via erramus, si sine Deo foelicem esse sapientiam arbitramur. Hac igitur consolatione nos confirmemus, praesertim in his orbis terrarum periculis, et labante tota mundi machina, sciamus ruere res humanas, et tamen fulciri hanc ruinam a Deo, et bonos viros debere suo quenque loco anniti, ut prosint communi saluti. Haec in praesentia duxi commemoranda esse. Nam mihi aspicienti legum libros, et cognita pericula Germaniae, saepe totum corpus cohorrescit, cum reputo quanta incommoda sequutura sint, si Germania propter bella amitteret hanc eruditam doctrinam iuris, et hoc curiae ornamentum. Crescent tyrannides, erunt omnes literae in maiore contemptum, Ecclesiae magis negligentur, denique multiplex barbaries sequetur. Quare primum oremus Deum, ut pacem nobis concedat, deinde ut haec studia tueatur, quod quidem eo magis impetrabimus, si nos ipsi consilia nostra fideliter ad gloriam Dei illustrandam, et salutem communem referemus. Non igitur deterreamur periculis, non frangamur animis, etiamsi interdum, vel iniquitate hominum, vel perturbatione communi rerum humanarum, pia, moderata, salutaria consilia impediuntur, nec possessionem studii nostri deseramus, ipsi praesertim, cum labor multorum nostri ordinis in consiliis publicis etiam Ecclesiae Dei serviat, quam cum Deus servaturus sit, servabit et politicas arteis Ecclesiae servienteis. Non ideo architectonica deserenda est, etiamsi multae arces, vel bellorum cladibus, vel aliis modis evertuntur. Tuendae et colendae sunt bonae artes, et petendum a Deo, ut ipse gubernet studia, et exitus det utiles Ecclesiae suae. Quid Daniel, Esdras, Nehemias exules fecerunt? viderant templum, quod Deus condi iusserat, funditus deletum esse, viderant urbem reginam omnium solo aequatam, cui promiserat Deus regnum, neque tamen fracti desperatione, sua studia abiecerunt: imo ne in exilio, et in ea gentis dissipatione, doctrina propria Ecclesiae interciderat, maiore eam diligentia et discebant et suis tradebant, norant enim non interituram esse Ecclesiam Dei. Ita et nos vota nostra et spes nostras ad Ecclesiam Dei adiungamus, hanc intueamur, et hac spe nostra studia colamus: haec navis et nostram doctrinam vehat, et vehet haud dubie, si nos hanc navim ornare studebimus. Possunt autem optime mereri de Ecclesia nostri ordinis viri: cum mentes principum a quibus consuluntur, ad curam defendendi pia studia, et artes salutares humano generi flectunt. Dixi pauca de professoribus. Sed priusquam desino, etiam hic coetus scholasticus de suo officio commonefaciendus est, saepe in concionibus sacris, saepe in lectionibus proponuntur vobis divinae sententiae, de disciplina, de bonis moribus, de poenis quae violationem disciplinae sequuntur. Et poenae sunt in conspectu. Turci impune grassantur in vicinia, distractae sunt principum vo-

luntates, Germania non defenditur, imo et domesticum bellum satis crudele, tum gerit tum parit. Si hae tantae causae non movent vos ut vivatis modestius, ut confugiatis ad Deum? quid mea oratio proficere potest? quid nos de legum dignitate apud eos concionari possumus, qui ut Cyclopes, neque Deum neque leges ullas curant? Pudet talia dicere in schola, quae debebat non solum audire, sed etiam colere virtutis doctrinam. Si esse Deum conditorem rerum, et iudicem factorum nostrorum sentitis, afficiamini monitis coelestibus, ipsum autorem rerum, et iudicem vestrum agnoscite, et ei in his officiis quae legum voce requirit, obedite. Videtis a Deo ordinatas esse vices dierum ac noctium, aestatis et autumni: has vices esse certas omnes fatemini, cur igitur de praemiis recte factorum, et de poenis malefactorum dubitatis? Certa lege Dei obruuntur poenis omnes scelerati. An casu putatis subiici iam mundum barbaricae tyrannidi Turcarum, qualis alia nulla similis unquam fuit? Nequaquam hoc casu accidit. Sed hoc tristi carcere, hominum furor cohercendus et compescendus est, qui nullis legibus frenari suos mores sinunt, qui concedi sibi licentiam, ut beluae volunt, exercendae petulantiae ut libet. O deplorandam principum negligentiam: his malis mederi eos oportebat, ut hanc indomitam turbam severissimis poenis ad modestiam revocarent, quod nisi tandem facient, Deus iratus has gentes servitute Turcica opprimet, sed redeo ad scholasticos, obtestatur vos hic universus coetus praeceptorum vestrorum, et praecipit voce divina, ut et revereamini Deum, et vivatis modestius, eaque in re cum vestrae saluti, tum communi consulatis. Nisi enim erunt modestiores mores, profecto haec bona, lucem doctrinae de Deo, Ecclesias, leges, literas, et caetera vitae ornamenta amissuri estis. Quanta bona amisit Adam uno lapsu? Quamdiu ethnici in tenebris, et horrendis sceleribus vixerunt? propterea quod eorum maiores spreverant doctrinam primorum patrum. His exemplis vos ad pietatem et modestiam excitate, quod si facietis, non solum dignitatem legum vere intelligetis, sed etiam in gubernatione eritis foelices: Deus enim promittit suis sapientiam et successus. Ita intelligetis leges esse Dei vocem, et hunc politicum ordinem a Deo et institutum esse, et aliqua ex parte, conservari, ut in societate humana innotescat ipse, et nos copulati mutuis officiis, testimonia nostrae sententiae, de Deo et de filio Dei, et mutuam benevolentiam ostendamus, nosque mutuis exemplis ad virtutem accendamus. Ad haec intelligenda, profecto opus est, ut dixi, quodam studio virtutis, timore Dei, modestia, et diligentia regendorum morum. Dixi.

No. 76. an. 1543.

De iure possidendi.

In Declam. T. IV. p. 81 sqq., apud Richard. T. II. p. 585' et in Servest. T. IV. p. 74. Mylius in Chronol. scriptorum Mel. hanc orationem retulit ad an. 1543.

Oratio de sententia in decretis, singulos possidere, ea quae possident, iure humano.

Principio agamus gratias Deo conditori universae naturae, qui in tantis tumultibus, et tanta Europae totius perturbatione, adhuc studiis nostris tranquillam sedem praebuit: et vota faciamus, ut haec nobis tranquillitas sit diuturna: mores etiam nostros ea modestia regamus, ut beneficio Dei videamur non flagitiose abuti. Nam neque petenda, neque speranda est tranquillitas, si tantum ocium pecuniis voluptatibus concedi volumus. Nos quidem qui doctrinam virtutis inquirimus, longius prospicere veros fines pacis decet, nec tantum de corporis voluptatibus cogitare. Quod est tristius spectaculum, quam inde usque ab initio post lapsum primorum parentum mente intueri omnium aetatum historiam: et non solum caedes ipsas, bella, excidia urbium ac gentium: sed etiam causas tantorum malorum considerare? Semper enim sapientes viri mirati sunt, unde tanti furores sint in tam praestanti natura, ut homines quibus insitus est amor communis societatis, ausint tamen hoc ipsum foedus crudelissime violare, et exitium hominibus moliri. Non dimicant inter sese leones, lupus a lupo abstinet, ursis inter sese foedus est. Cur homines, et quidem cognati, et multis inter se naturalibus et civilibus vinculis coniuncti, in mutuam caedem ruunt? Statim initio generis humani frater trucidavit fratrem. Et statim multa secuta sunt exempla. Quoties legitis in obsidionibus forte ductos homines qui necarentur, ut caeteri humana carne pasci possent? Accidit hoc non tantum Ierosolymis, sed etiam in Utica, in Potidea, et aliis multis locis. Mirum est profecto, tantum calamitatum in hac natura esse, quae propter rationem divinitatis particeps,

et ut ita dicam, cognata Deo esse ducitur, et certe ad imaginem Dei condita est. Sed doctrina Ecclesiae exponit nobis causas horum malorum. Postquam a Deo aversi sunt homines, poenae secutae sunt, multiplex furor in hominum animis, et hunc accendit diabolus. Hinc perturbationes rerum humanarum infinitae oriuntur. Sed tamen ne genus humanum funditus pereat, sed ut connubia, procreatio, educatio, natorum institutio ad agnitionem Dei, et seminaria Ecclesiae maneant, concedit Deus intervalla quaedam, sancit interdum inducias aliquantisper: quam ob causam? num ut homines obscoenis voluptatibus perfruamur? Nequaquam. Sed ut interim doctrina de voluntate divina, deque omnibus rebus bonis propagari, et disciplina restitui possit. Quod si pace sic utemur, ut doctrinam salutarem discamus, et disciplinam tueamur, erit Deus custos tranquillitatis diutius. Sed si cupiditatibus nostris sine modo indulgebimus, frustra pacem speramus. Notae sunt divinae comminationes, nota exempla, quorum cogitatione nos ad modestiam revocemus. Haec praefatus sum, ut in tanta temporum moesticia iuventus de suis periculis etiam cogitet, et omni officio lenire iram Dei studeat. Nam cum hos congressus intuemur, in quibus discendi causa convenimus, et quibus nihil melius, nihil dulcius, nihil honestius humana natura habet, cura animum subire debet, de doctrinae et disciplinae conservatione, quae in bellis negliguntur et extinguuntur. Nihil autem magis decet in tali frequentia, quam dicere et audire aliquid de rebus bonis. Ideo, cum mihi nunc vir clarissimus D. Decanus nostri collegii, et praeceptor meus, quem perpetua observantia tanquam patrem colendum mihi esse duco, has partes dicendi dederit, autoritati eius obtemperabo: et a vobis peto, ut hanc meam orationem boni consulatis. Saepe de legum dignitate dicitur, et utile est imbecilles animos saepe commonefieri, quantum boni sit politicus ordo, et hi nervi politici ordinis, leges, iudicia, disciplina, poenae. Multa sunt vitia in hac hominum corruptione, quae cum his optimis rebus pugnant. Alii more Cyclopum ferocitate quadam excutiunt leges, quia frenari cupiditates suas nolunt. Alii curiositate conturbant, et fraudes et sophismata excogitant adversus leges, ut auferant laudem sapientiae. Hanc perversam sapientiam, vindex suarum legum, saepe magnis cladibus punit. Sed de hoc argumento alii saepe gravissime dixerunt. Ego brevem disputationem adferre constitui de dicto quodam in decretis, quod ex Augustino citatur: Unde quisque possidet quod possidet? nonne iure humano? Hic disseritur, an distinctio dominiorum tantum sit iuris humani, et quid intelligendum sit, cum ita dicitur: Num si est tantum iuris humani, non curat eam Deus, non punit illos qui eam conturbant, num licet validioribus rapere res inferiorum? Non inutilis est haec disputatio, nam et de fontibus iuris disserit, et alit reverentiam legum, cum fontes monstrat. Nec litigabo odiose cum Augustino. Et de qua causa proprie locutus sit, satis apparet. Ac primum facilis defensio est Augustini, si dicamus, quod certe vult ius humanum esse, magistratuum ordinationem cum ratione congruentem, ortam a Deo, qui magistratus instituit, et eis autoritatem attribuit, mentes eorum ad iusticiam et disciplinam sanciendam exuscitat, et praesentibus ac aeternis poenis eorum contemptum punit. Ac semper verum est, contractuum et possessionum modos proprie iure humano constitui. Quicquid igitur quisque possidet, iuris humani autoritate et praesidio possidet. Nec ideo fingendum est, non esse curae Deo huius ordinis observationem ac violationem. Imo diversum recte et vere sequitur: Quia hic ordo voce magistratus institutus est, ideo violatio divinitus punietur. Necesse est enim obedire, ut inquit Paulus, non modo propter iram, sed etiam propter conscientiam. Observate quaeso verborum pondera. Primum nominat necessitatem: deinde addit, propter conscientiam. Id est, violatio polluit conscientiam, et polluta conscientia abiecta est a Deo. Sentit igitur, Deum irasci violantibus legum autoritatem. Nihil maius aut atrocius dici poterat. Nec muniri autoritas magistratuum et legum firmius potest, quam hac ipsa divina sententia munitur. Atque haec de Augustini excusatione primum dicere volui. Nunc si non de Augustini negocio, sed de re ipsa quaeritur, vere et recte de genere dicitur, ut de caeteris politici ordinis membris, distinctionem dominiorum esse iuris divini. Clare enim inquit vox divina: Non furtum facies. Divini iuris est genus, ut sint magistratus. Humani iuris est species, ut sint alibi consules duo, alibi unus praetor. Divini iuris est, ut suum quisque teneat, nec spolietur suo. Humani iuris est, ut ex testamento legitime facto teneat. Divini iuris est, ut res per contractus communicentur, ser-

vata aequalitate quam sancit Deus, cum ait: Diligas proximum sicut te ipsum. Item: Non habebis diversa pondera in lance, maius et minus. Deuter. 25. Aversatur enim Deus haec facientem. Sed humani iuris est, ne regentes provinciam, et qui circa eos sunt, negotientur. Divini iuris est coniugium: humani iuris est, ne fratrum filii et filiae connubia contrahant. Et constat, unde notum sit homini ius divinum, et quomodo Dei sententia aeterna et immutabilis transfusa sit ad homines. Fatemur omnes hunc ordinem motuum coelestium, et temporum vices, tempestivas irrigationes, tempestivos aestus, Dei opera et beneficia esse. Sunt enim in conspectu et oculis exposita. Sed non magis ornare coelum Deus voluit, quam hominem, quem voluit esse imaginem suam. Impressit igitur homini noticias certas, veras, immutabiles, sumptas ex sua mente aeterna. Hae cum sint legum fontes, certum est iura cum his fontibus congruentia divina esse. Nec habet humana natura bonum aliud maius, quam has noticias, quae et monstrant Deum, et docent qualis sit Deus, cum discernunt honesta et turpia: Insita est noticia omnium mentibus, esse Deum mentem aeternam conditricem rerum, et bonam, et qualis sit, et quomodo ei obediendum sit, indicat discrimen honestorum et turpium. Beneficus est, et iustus, ac aequalis erga omnes, verax, amans castitatis, tales enim nos esse iubet, et haec sibi officia praestari iubet. Has noticias aspicit magistratus, cum divinitus excitatur ad disciplinae restitutionem: ut saepe Deus imperia perturbata et confusa, restituit excitatis magnis et heroicis viris, qui legum vinculis iterum mores hominum regerent. Talis fuit Augustus, qui post bella civilia disciplinam et iudicia instauravit. Talis fuit et Constantinus, qui cum annos novem grassati essent in toto orbe tyranni, Diocletianus et Maximianus, et alii, deletis tyrannis, deinde leges aequas et utiles Ecclesiae et paci tulit. Cum autem magnae extiterint inde usque ab initio imperiorum et politici ordinis confusiones, moventur hac deformitate animi multorum, ut existiment leges casu et sine divino nutu natas esse, et imperia negligi a Deo. Videmus in imperio Romano paucos fuisse Augusti similes, honos et salutares principes. Qualis nunc est imperiorum deformitas? Turci magnam partem generis humani tristissima servitute oppresserunt. Agnoscamus fatum ultimae senectae mundi, et fateamur imperia futura magis turbulenta et deformia. Sed tamen Deus, nec Ecclesiam prorsus deleri sinet, nec politicum ordinem penitus aboleri patietur. Curabit etiam aliqua Ecclesiae hospitia, ut studia doctrinae serventur. Nam haec in Ecclesia manere necesse est: et mansura esse, Christus toties promittit, etiamsi locus certus Ecclesiae non est attributus, ut ad tempus erat in Iudaea certus locus. Et quidem in iis locis diutius manet Ecclesia, ubi principes sunt modestiores, et in fovendis piis studiis diligentiores, et ubi lumen doctrinae maiori cura retinetur, et populus disciplinam non aspernatur. Quo maiora dona sunt salutaris status Ecclesiae, et politici ordines, eo maiore cura tuenda sunt. Si confusione movemur, ut dubitemus unde sint leges et imperia, discamus confusionem non esse a Deo, sed oriri a contumacia humanorum ingeniorum, et a diabolo. Econtra vero quantum boni ordinis reliquum est, et restitutionem legum et boni status, Dei beneficia esse. Haec si considerabimus, non solum illud Augustini dictum, de quo disserui, facile explicabimus: sed etiam ipsas leges et politicum ordinem magis venerabimur, et tueri studebimus. Plato inquit, hunc esse optimum civem, qui nullas victorias, nullos triumphos, nullos honores in Republica pluris facit quam dici civem obtemperantem legibus. Et Agesilaum laudant, quod cum instructus exercitu, iam in cursu victoriarum esset, et existimaretur unus esse vir et Dux praestantissimus omnium hominum suae aetatis, accepta brevissima epistola missa ex Sparta a senatu patriae, qua revocabatur, mox paruerit ac iuxta leges redierit, cum spes non dubia esset potiundae Asiae. Sed gloriosius esse duxit, leges patriae omnibus aliis rebus anteferre. Nunc sapientia putatur esse, deridere et cavillari leges, et vi ac fraude augere potentiam et dignitatem, ut vocant. Sed hanc perversam sapientiam comitantur satis tristes poenae, quas utinam Deus mitiget. Quanquam autem magna et horribilis Europae perturbatio est, tamen quia spes est mansura esse aliqua Ecclesiae domicilia, nos, quos Respublica in hanc stationem collocavit, ut literas et disciplinas utiles vitae conservemus, et ad posteritatem transmittamus, non abiiciamus studia nostra, sed doctrinam vitae necessariam, quantum possumus, propagemus. Non Servius, non Trebatius, non Piso, non Capito, cum viderent ardere orbem terrarum bellis civilibus, literas deserebant, sed me-

lioribus se temporibus servabant. Brutus in ipsis castris Pompeii, etiam Epitomen historiae Polybii composuit. Et postea constituta ab Augusto pace, Trebatii, Pisonis et Capitonis consiliis, leges, disciplina, iudiciorum autoritas instaurata est. Idem futurum est, Deo dante, paulo post, cum armis depositis, de pace, insticia, de bonis moribus, de Ecclesiae tranquillitate deliberationes erunt: Respublica doctorum virorum, Iurisconsultorum vocem et sententiam audiet: quae tunc quidem florere rursus incipiet, si veritatem, exclusa Sophistica, amare coeperit. Talem tranquillitatem ut Deus restituat Germaniae, omnes ex animo optemus. Dixi.

No. 77. an. 1544.

De dono interpretationis.

In Declamat. T. III. p. 463 sqq., Servest. T. III. p. 440., item in Tomo III. Erfordiano lit. K, 5. et apud Richard. T. III. p. 275. — Etiam paucis verbis mutatis ut oratio synodica in libro: Georgii, Principis Anhaltini, conciones et scripta etc. p. 440. qui eam recitavit in Synodo an. 1549.

Oratio a Casp. Crucigero recitata, de dono interpretationis in Ecclesia.

Initio gratias agamus Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, quod Ecclesiam suam, ministerium Evangelii, et haec studia doctrinae, in tantis ruinis imperiorum, et diaboli furoribus, non sinit ubique deleri: sed mirandis modis servat, et subinde instaurat, et lucem Evangelii late spargit: ac ardentibus animorum votis petamus, ut diutius etiam sibi Ecclesiam colligat, et studia Evangelii, et omnium artium, quae Ecclesiae utiles sunt, defendat et adiuvet, ut recte invocetur, ac veris laudibus celebretur, et aliqua inter homines virtutum exercitia et seminaria maneant.

Haec et quotidie petenda sunt, et ut iuventus admonita horum tantorum bonorum cura adficiatur, hi congressus instituti sunt: in quibus ideo de doctrinae et de virtutis studiis dicimus, ut ad invocationem Dei et ad caetera honesta officia aliquos accendamus. Maxime vero hic dies nos hortetur ad precationem, qui nobis in memoriam redigit ingentes Ecclesiae clades. Hic est enim dies captae Constantinopolis, ante annos unum et nonaginta: quae cum inde usque a primo Constantino ad Palaeologum, annos circiter mille fuisset Ecclesiae Dei hospitium et sedes doctrinae, unde in Graeciam, in Asiam et Illyricum literae propagatae sunt, tunc a Turcis oppressa, vetus illud ac verum decus amisit. Et cum fuisset arx imperii, amissa arce victor statim occupavit vicinam oram veterem Mysorum sedem, Peloponnesum, Corinthum, Mitylenem, et ingressus Barbarus in Asiam, imperii arcem alteram Trapezuntem cepit.

Lamentantur Prophetae avulsas a Iuda, et dissipatas decem tribus, in quibus floruerant summi Prophetae Elias et Eliseus, et eorum auditores. Doleamus et nos, Graecas et Asiaticas Ecclesias tot deletas esse, et in ea natione extincta studia, quae ingeniorum sagacitate caeteris gentibus omnibus antecelluit, artes genuit, aut illustravit, et in possessione doctrinae fuit amplius duobus millibus annorum. Haec tanta ornamenta generis humani intra decem annorum curciculum post captam Constantinopolim obruta sunt. Nec vero tantum imbecillitatem rerum humanarum in hac cogitatione deploremus, sed etiam causas et significationes aspiciamus: et quantum fieri potest, caveamus, ne similibus calamitatibus opprimamur. Sunt enim humanorum scelerum poenae, quas Deus Ecclesiae mores suos emendanti, et invocanti filium Mediatorem, ac retinenti lucem doctrinae tum remittit, tum mitigat.

Ergo et illae ruinae Graeciae, et nunc recens incendium Pannoniae, nos de ira Dei admoneant, et ad morum moderationem retrahant, et incitent ad placandum Deum. Uno pectore, uno gemitu et una voce clamemus: Omnipotens et aeterne Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et conservator, cum Filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, et patefacto in Ierusalem, et Spiritu sancto tuo, miserere huius nostrae Ecclesiae et coetus scholastici, propter Iesum Christum filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, et Spiritu sancto tuo rege mores nostros, et iuva studia doctrinae, propter tuam laudem: nec aut Turcico furore, aut aliis calamitatibus Evangelii lucem extingui sinas. Serva has politias, quae sunt hospitia Ecclesiae tuae et piorum studiorum. Agnoscimus te iuste irasci nobis, propter multa vitia nostra et ingentia delicta: sed cum ipse revoces nos ad te, et arcano ac inenarrabili consilio constitueris pla-

catorem irae tuae, filium tuum ac ἱλαστήριον, hoc praeeunte sacerdote, iussi abs te petimus et expectamus veniam, et calamitatum mitigationem. Tu pollicitus est, te etiam senescentem Ecclesiam in alvo tuo gestaturum esse. Quare nos in tanta confusione imperiorum, in tanta imbecillitate nostra, et inter diaboli horribiliter grassantis insidias, clementer protege et guberna. Haec vota quotidie repetenda sunt, nec existimentur inane murmur esse. Perfert enim nostros gemitus ad patrem aeternum Christus, sacerdos noster. Haec initio praefatus sum in hoc congressu, quod hae renunciationes testimoniorum de studiis theologicis *) praecipue nos de omnibus Ecclesiae bonis, de omnibus periculis et certaminibus admonere debent. Cum autem aliquid hic etiam de doctrina dicendum sit, et hoc tempore multa de iudiciis dogmatum ac Synodis disputentur, quaeram de potestate interpretationis in Ecclesia, an ut in imperiis, potestas sit regia seu praetoria interpretandi obscura dicta in scriptis Prophetarum et Apostolorum, alligata certo ordini, seu loco. Saepe in hunc scopulum sermones sapientum incurrunt, propterea quod nulla iudiciorum autoritas in Ecclesia esse videtur, si interpretationi iudicum reclamare licet: et petulantia ingeniorum nullum habitura est frenum, si labefactare iudicata conceditur. Nec ignota sunt exempla tum vetera, tum recentia. In Antiochena Synodo adversus Samosatenum pronunciarunt viri docti et pii, λόγον intelligi personam, ubi Ioannes ait: In principio erat verbum. Sed nec Samosatenus tunc, nec postea Photinus in Syrmio amplexus est hanc interpretationem. Diu igitur propter hanc controversiam Ecclesiae dilaceratae sunt.

Econtra vero tyrannis stabilitur, si refragari interpretationi aut decretis potentum non licet, ut saepe propter receptas falsas persuasiones in paucos et imbecilles recte sentientes crudeliter saevitum est. Pontifices et magna turba Sacerdotum et Phariseorum damnarunt Zachariam, Baptistam, Christum, Apostolos, propter interpretationem discrepantiam. Illi Messiam sculpserant ex dictis Propheticis talem, qui imperia mundi et opes daturus esset civibus. Hanc opinionem suffragia summorum confirmabant, et adplaudebat promiscua multitudo. Magnum igitur et grave testimonium citabatur adversus Christum, hic consensus Ecclesiae, ut nunc vocare solent. Ita et nobis consensus multorum seculorum et magnae multitudinis opponitur. Nec vero ullus est durior tyrannus, quam error, qui propter diuturnitatem temporis, iam alte radices egit in animis hominum, et multitudinis asseveratione defenditur.

Pericula igitur in utraque parte adparent, sive detrahas gubernatoribus Ecclesiae potestatem interpretationis, sive attribuas. Cum autem ἀναρχία videatur maius malum esse, et petulantiae vulgi magis obsistendum videatur, politici viri ut in imperiis, ita in Ecclesia armare gubernatores: et munire rerum iudicatarum autoritatem student. Sic Sadoletus longa concione disserit, non opus esse hoc tempore nova doctrinae cognitione, res iudicatas esse in vetustis Synodis, harum autoritatem non esse nova disputatione labefactandam. Si exemplum semel admissum fuerit de rebus iudicatis disserendi: nullum finem ait fore dissidiorum, et monstrari malis ingeniis viam dissipandae Ecclesiae omnibus temporibus.

Nulla est apud reges plausibilior oratio, quam haec, quia servitutem populi confirmat, et iubet regum sententiis seu veris seu falsis parere. Demetrium regem, cuius et fortuna varia fuit, et ingenium varium, cum diu antecellere regibus vicinis in Europa et in Asia, Athenienses delinire omnibus artificiis et infinita adulatione studebant.

Ut igitur significarent, se hunc iudicare summum esse regum, et colere divinis honoribus, pinxerunt eum coelo insidentem, et decretum fecerunt: Quidquid vult rex Demetrius, id populo Atheniensi pium et iustum videri. Si talem potentiam Sadoletus et similes gubernatoribus Ecclesiae tribui volunt, regnum constituunt prorsus ignotum Evangelio.

Valet in animis hominum similitudo imperiorum, in quibus gubernatores tribus rebus armati sunt, lege, potestate interpretationis, et armis. Hic ordo et naturae hominum congruit, et salutaris est tranquillitati. Hanc ideam, ut ita nominem, transferunt politici viri ad Ecclesiam, quam volunt humanis vinculis et septis, ut imperia, circumdare, cum tamen in hac gubernatione alia sint potiora ducenda humanis legibus.

Narrat Hermogenes fabulam de simiis in hanc sententiam. Viderant simiae urbes, et utilitatem animadverterant, quod tecta arcerent pluvias et frigora, parietes excluderent fures, moenia feras

*) *hae renunciationes — theologicis*] Haec in oratione synodica sic: *hi conventus nostri*

et hostes. Quaedam igitur simiae, quibus urbana vita placuerat, convocari sui generis coetum iubent. Ibique in conventu, ut natura simiarum est inepte imitatrix, suadent urbem condi humano more, et utilitates commemorant, Tutas se fore adversus leones et lupos moenibus, et adversus imbres et frigora tectis et parietibus. Facturas se etiam hortos in urbibus, quorum fructibus victitent: ac habituras se narrant hominum more quotidianos congressus, theatra, ludos: hanc vitae urbanae voluptatem hortantur transferri etiam ad suum genus. Placet novum consilium magnae parti simiarum. Quanquam autem commemoratio facilis erat, tamen cum materia caedenda esset ad domos aedificandas, et saltus magna frequentia ingrediendi, hic primum animadverterunt, multis modis impediri novum consilium. Audistis veterem Hermogenis fabulam, celebratam doctorum literis: quia multae semper et fuerunt et sunt, et erunt tales simiae conditrices novarum civitatum et novarum Ecclesiarum. Extat liber Pigii, quem vocat Hierarchiam Ecclesiasticam, in qua ita praefecit Ecclesiae Romanum Pontificem, ut contendat eum ne quidem posse errare. Ideo attribuit ei hanc potestatem interpretandi Prophetarum et Apostolorum dicta, et eius interpretationi tanquam voci coelesti parendum esse affirmat. Haec prorsus est illa simiae commenticia civitas. An non errabant pontifices, cum Christum et Apostolos interficerent? Ecclesia coetus est, qui verbo Dei regitur et Spiritu sancto, et habet pastores seu Doctores, quorum munus est verbum Dei proponere, ut vera invocatio Dei accendatur in animis, et iustitia et vita aeterna inchoetur, non concedere nova imperia, et leges ferre ad potentiam stabiliendam. Et haec Ecclesia exercet iudicia, cognoscit controversias dogmatum, et reiicit opiniones pugnantes cum verbo Dei. Cumque existunt controversiae de scripto et de sententia, videt Ecclesia nativam sententiam. Semper enim aliqui donum interpretationis habent. Est enim in Ecclesia non potestas regia seu praetoria interpretandi, hoc est, quae sit certi ordinis ac muneri, quam amplecti propter ordinem aut numerum necesse sit. Possunt Episcopi et Doctores plurimi falli et hallucinari, et tamen interim manet in Ecclesia donum interpretationis. Zacharias, Simeon, Elizabet, Maria intelligebant Prophetas, etiamsi pontifices et maxima pars collegii scribarum impiis erroribus fascinati essent.

Depravat Paulum Origenes, et Origenem multi secuti sunt. Nec propterea tamen prorsus extinctum fuit in Ecclesia donum interpretationis. Melius enim reddunt sententiam Pauli Ambrosius et Augustinus, sunt autem et gradus eorum qui recte sentiunt, alius alio plus lucis habet. Illae vero politicae opiniones de regia et praetoria potestate prorsus alienae sunt ab Ecclesia Dei.

Sed dicet aliquis: Quorsum igitur attinet iudicia constituere, si deest potestas interpretationis? Imo necesse est iudicia constitui, sed non tyrannica. Paulus inquit: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior. Legantur iudices ex toto corpore Ecclesiae, non ex uno ordine, aut una factione aliqui coniurati. Et sit iudex summus, Verbum Dei divinitus traditum: et si erit controversia de sententia, collatio ostendet veram sententiam. Adiuvabuntur pii etiam testimoniis purioris Ecclesiae: nam haec non sunt aspernanda. Sic adversus Samosatenum pronunciabat Synodus Antiochena. Ostendebant pii, collatis pluribus dictis, in Iohanne λόγον significare personam, et adiungebant testimonia tradita ab auditoribus discipulorum, Polycarpo, Ireneo, et similibus. Adsentiebantur ergo et confirmabantur pii auditores, etiamsi compesci Samosatenus et eius thiasotae non possent. Ita nunc iudicat Ecclesia nostra. Confirmamus nostras sententias veris, et non calumniose, non sycophantice, non sophistice, exceptis testimoniis scriptorum propheticorum et apostolicorum. Adiungimus etiam antiquitatis purioris iudicia et exempla. Estque piis et amantibus veritatem facilis diiudicatio controversiarum huius aetatis. Adsentiuntur ergo bonae mentes, etiamsi interim adversarios, qui vel ventri suo, vel odiis serviunt, vel fascinati sunt superstitionibus, vel admiratione suae sapientiae fastidiunt ab aliis tradita, flectere non possumus.

Nec nostrae interpretationi propter potestatem aliquam credi volumus, sed voci divinae. Mens non invocat Deum, non accedit ad Deum, si tantum adfert opinionem de Deo humanam. Audierant Antiocheni disputationem contra Samosatenum: et admoniti voce docentium, credebant λόγον esse personam: sed credebant non propter autoritatem iudicantium, sed propter dicta Evangelii. Invocabant filium Dei, confisi divinis testimoniis, non horum iudicum sententiis. Hoc modo res in Ecclesia iudicantur.

Quod autem multi contumaces repugnant veris iudiciis, scimus restare aliud iudicium, in quo filius Dei palam sese ostendens universo generi humano, aeterna sententia discernet Ecclesiam suam ab omnibus impiis. Ad eam Synodum nos praeparemus, in qua et Christus et universa Ecclesia de Evangelio testimonium dicent, et hostes veritatis ac calumniatores damnabunt ac punient: pios vero laudabunt, qui propter gloriam Dei, et suam salutem cognoscere Evangelium, inquirere veritatem, et ornare eam bonis moribus studuerunt. Illud iudicium animis intueamur, et Christo et illi aeternae Ecclesiae placere studeamus, nec propter iniusta potentum iudicia Evangelii vocem abiiciamus. Sciamus, in hac vita Ecclesiam Dei ingentibus aerumnis exerceri, nec tantum humanis furoribus, sed etiam diabolicis insidiis oppugnari. Inter has difficultates retineamus Evangelii lucem, et Deum invocemus, ut confirmet hoc quod operatus est in nobis propter templum sanctum suum, id est, propter Ecclesiae salutem. Haec petentibus haud dubie adfuturus est Deus pater domini nostri Iesu Christi, et opitulaturus. Quem omnium nostrum mentes, corda et linguae vera laude praedicent, et celebrent. Dixi.

No. 78. an. 1544.

De Aristotele.

In Declamat. T. III. p. 357 sqq., in Servest. T. III. p. 539. et apud Richard. T. I. p. 552. — Mylius in chronolog. scriptorum Mel. hanc orationem refert ad an. 1544, quo anno usque ad Maium *Erasmus Floccus* fuit Decanus facultatis artium.

Oratio de Aristotele, habita a Mag. Erasmo Flocco, Noribergensi, cum decerneret gradum magisterii philosophici aliquot honestis et eruditis viris.

Quoties in his honestissimis congressibus, convenimus, primum ipsi nobiscum cogitemus, nos non ad ludos aut inania spectacula concurrere: sed mirando Dei consilio, semper coetus aliquos Ecclesiarum et Scholasticorum et fuisse, et servatos esse, ut doctrina de Deo et aliis rebus bonis propagaretur. Fuitque semper hic summus vitae gradus. Deinde et ardenti pectore Deo aeterno gratias in hoc consessu, ut in templis, agamus, quod generi humano se patefecit, nec sinit extingui doctrinam de sua voluntate: quodque nos ex horrendis tenebris maximae multitudinis impiorum evocatos, ad agnitionem suae voluntatis traducit, nosque doctrinae custodes esse voluit, quo munere nihil est maius ac melius. Postremo etiam vota faciamus, ut Deus, conditor humani generis, doctrinam, quam patefecit, tueatur, et nostras mentes accendat et regat, ut haec literarum studia nobis et toti generi humano salutaria sint.

Haec eo initio et nunc praefatus sum, et saepe dicenda esse sentio, ut adolescentia admonita, suae militiae dignitatem melius intelligat. Magnum omnino sustinemus onus, qui a Deo in hanc stationem delecti sumus. Nec quisquam tanta est vi ingenii, ut nisi iuvante Deo hoc munus omnium difficilimum foeliciter administrare possit.

Quare et promissiones divinas nobis proponamus, quae auxilium et Dei praesentiam pollicentur. Deus qui accendit animos, ut velitis, inquit Paulus, opitulabitur etiam, ut inchoata studia vobis et aliis sint salutaria. Et addit causam Paulus, Ut Deo grata fiant: significans, maximam partem generis humani furenter ruere contra Deum, eique ingrata facere. Quanta scelerum omnis generis confusio est in mundo? Plurimi homines sunt athei, multi fanaticis opinionibus fascinati, a Deo aberrant: multi polluti sunt libidinibus, multi caedes et excidia urbium ac gentium moliuntur. Ita magna pars generis humani, alii aliis furoribus agitati, cum Deo belligerantur. Sed ne totum genus humanum frustra conditum sit, servat Deus Ecclesiam suam, et hanc excitat, ut ipsi grata faciat, lucem doctrinae verae retineat, eamque honestis moribus ornet. Huic agmini nos insertos esse cogitemus, et magna cura, magno studio, muneri nostro serviamus.

Non igitur in scholas vos, tanquam in licentiae ac petulantiae gymnasia, ad ludos et voluptates mitti putetis: sed ut in sacratissima templa, ubi de Deo et de rebus maximis erudiamini. Et hos ipsos congressus scitote gravi consilio institutos esse, quod ex eo intelligere potestis, quia hic orationes de doctrina, et de virtutum laude habentur. Quare ut dixi, mentes huc pias et bene compositas adferatis, et vota pro literarum studiis subinde apud animos vestros ingeminetis.

Deliberanti autem mihi de argumento (nam in tanta rerum copia necesse est alias aliam proponi materiam, nec simul dici omnia possunt) visum est de Aristotelis vita et Philosophia quaedam dicere. Prodest enim, deditos honestis artibus, sui quenque generis artifices nosse, et eorum studia et iudicia considerare. Ac si voluptas quaeritur, vos omnes experiri hoc arbitror, nihil dulcius esse quam mente intueri viros antecellentes virtute, in quibus quasi ipsam virtutum effigiem spectare nos sentimus. Sapientis, iusti, moderati, constantis, benefici principis imaginem atque ideam cogitamus, cum Augustum nobis proponimus: ac interim quales sint illae dotes, quale lumen sit sapientia, qualis aequalitas iustitia, quale frenum variorum adfectuum sint moderatio et constantia reputemus. Ergo si voluptas tantum hac commemoratione quaereretur, tamen haec honesta et homine digna oblectatio, non negligenda esset. Nunc cum ad hanc suavitatem utilitas magna accedat, historiae magnorum virorum multo avidius appetendae sunt. Breviter igitur de vita Aristotelis, postea de genere Philosophiae dicam.

Natus est Aristoteles in Macedonia, patre medico regis Amyntae. Ac multorum testimoniis constat, genus eius ab Hippocrate ortum esse, qui et ipse in Thessalia diu vixit, et posteris suis ibi sedem ac domicilium constituit. Vetus autem consuetudo fuit, in familiis artificum retineri et propagari avitas artes. Ita medicinae possessionem Hippocratis posteritas diu retinuit. Et Galenus inquit: Ideo diu non esse scriptas Anatomias, quod institutione domestica ad inspiciendas sectiones artificum liberi olim adsuefacti sint. Quare et ex veteri illa consuetudine, et ex studiis Aristotelis, quae postea secuta sunt, indicari potest, domi adolescentem Hippocratis doctrina imbutum esse. Nam a patre destinatum esse medicae arti, inde adparet, quod scribit Athenaeus lib. 8. adolescentem Athenis pharmacopolam fuisse.

Venit autem Athenas natus annos septendecim. Didicit igitur adolescens Physicen, morborum causas et remedia, plantarum et aliarum multarum rerum salubrium naturas. Haec rudimenta generosum animum, cui natura acres ad Philosophiam impetus inseverat, facile accenderunt: ut cum venisset Athenas, quae tunc erant doctrinae domicilium, ac disputationes eruditorum degustasset, propius aspicere naturam cuperet, et penitus se doctrinae studiis dederet. Audivit igitur Platonem, nec ut canis e Nilo bibit fugiens, celeriter reliquit doctorem: sed tempore et longa collatione sententiarum opus esse sciebat. Videbat plurimum interesse inter tyronum et peritorum iudicia. Platonem igitur annos circiter viginti audivit, expendens interim, ac ut Plato facere iubet, sursum ac deorsum opiniones obscuriores volvens, et conferens veterum scripta. Legisse enim eum plurima, et ipsius libri ostendunt, qui veterum dicta tam multa continent, ut posteris pro bibliotheca habendi sint: et praedicabat Plato ipse, qui Aristoteli, propter tantam lectionis varietatem, tribuit lectoris nomen.

Multi autem nobiles viri ex tota Graecia et Sicilia, tunc Athenis doctrinae studia colebant, quorum liberalitate iuvabantur eruditi, ne victus, ne libri, ne ornamenta schola deessent. Fuitque inprimis familiaris Aristoteli Eudemus Syracusanus, cuius virtute, opibus, autoritate, valde adiutus est Dion, cum tyrannum Dionysium ex Sicilia eiiceret, et libertatem patriae restituere conaretur. Quanquam igitur Aristoteles tunc in illo collegio omnia erudite scripta evolvebat, et in disciplinis omnibus, quae naturam patefaciunt, sedulo elaborabat: tamen vivo Platone nondum publice docuit, vel propter Platonis reverentiam, vel quod vere ita sentiret, aetatem suam nondum satis autoritatis ad docendum adferre.

Quod vero multi aiunt simultatem inter Platonem et hunc fuisse, etsi non libero homines omnibus vitiis, tamen ego iudicii dissimilitudinem de forma doctrinae arbitror sine odii et animorum offensione fuisse: ut saepe coniunctissimi homines in senatu, in dicenda sententia, sine ulla acerbitate dissentiunt. Nec fuit adeo hebes Aristoteles ut non intellexerit Platonis virtutes: nec adeo ferreus, ut non veneraretur eas. Nulla fuit cuiusquam eloquentia tanta, cuius extent monumenta in literis, quanta est Platonis. Res continet multas sapientissime cogitatas, deinde splendor in expositione tantus est, ut quidam veteres non inepte dixerint, Iovem, si locuturus esset nobiscum, Platonis sermone usurum esse. Hoc tantum decus, talis natura qualis in Aristotele erat, haud dubie et mirabatur et amabat, ut res ostendit. Etsi enim Platonica quaedam refutat, tamen multas ab eo sententias, multa ornamenta mutuatur. Dicitur etiam, ut gratitudinem suam declararet, aram Platoni, ut heroas Graeci colebant,

dedicasse: cui epigramma quod adhuc extat, inscripsit, in quo non solum testimonium honorificum, sed etiam vaticinium continetur:

Nulla ferent talem secla futura virum.

Mortuo igitur Platone, cum iam pene attigisset Aristoteles quadragesimum annum, cum domus eius nobilissimorum hominum frequentia celebraretur, scholas habere coepit. Sed brevi post Philippus Macedo accersit eum ad se, ut filium Alexandrum erudiret. Hoc iudicium regis Macedonici eo magis mirandum duco, quod cum eodem tempore Isocrates floreret sapientiae et eloquentiae fama, et regi admodum amicus esset, et hanc ipsam doctrinam profiteretur, quae ab illis politica vocabatur, maximeque videretur utilis regi: praelatus tamen Aristoteles, propter copiam, ut arbitror, et varietatem doctrinae. Testimonium vero de moribus hoc ducamus esse gravissimum. Nisi enim rex probasset Aristotelis mores, non commendasset ei filium, quem volebat ad iustitiam et moderationem, ut ipse praedicabat, hac mitiore et dulciore doctrina adsuefieri. Didicit igitur Alexander literas, poëmata, Philosophiam, et partem aliquam Medicae artis. Nam hanc quoque recte iudicavit, ducturo aliquando exercitus magno usui fore.

Cum autem annos octo apud Alexandrum mansisset, rediit Athenas Aristoteles, ac rursus docere publice coepit. Etsi autem studia Athenis aliquandiu interturbata sunt, cum Macedonici reges arma Graeciae inferrent: tamen postea, cum Alexander in Asiam traiecit, ocium fuit. Et autoritatem Aristotelis profuisse Graeciae non dubium est, cum regem victorem de moderatione victoriae multa moneret, et accenderet ad bellum in Asiam transferendum. Extant hodie epistolae ad Alexandrum ab ipso scriptae, in quibus haec honestissima oratio est, imperia ad iusticiam et ad benefaciendum generi humano referenda esse, non ad superbiam et hominum perniciem.

Sic autem operas distribuit, ut mane Philosophiam traderet, vespertinum tempus exercitiis eloquentiae tribueret. Maxime vero laudandus est hoc nomine, quod iusto ordine singulas Philosophiae partes tradidit: et quantum fieri potuit, complecti integras conatus est. Hac diligentia superavit Platonem, qui etsi omnes Philosophiae partes attigit, tamen nec ordine, nec integras tradidit, sed passim in dialogis dilacerata membra sparsit, et ludit ironiis: nec semper quid ipse probet maxime, satis aperte ostendit. At hic noster methodum nobis informat, ut postea dicam, utilissimam ad regenda iudicia in omnibus doctrinis.

In hoc ocio Graeciae etiam aureos illos libros de naturis animantium scripsit, adiutus Alexandri liberalitate. Nam privatis sumptibus et a paucis explorari tanta naturae varietas nequaquam potuit. Misit igitur ei Alexander in hanc inquisitionem conferenda talenta octingenta, hoc est, quadringenta et octoginta millia coronatorum, ad conducendos venatores et ad bestias alendas, ut conspici earum naturae possent. Praeclare Alexander. Nam inter praecipuas regum curas hanc esse decet, vitam hominum honesta doctrina instruere atque ornare, idque, ut fieret, divinitus praestantissimorum principum voluntates subinde ad artes instaurandas excitatae sunt. Atlas, Orion, doctrinam de motibus siderum, et fortassis de anni metis Graeciae tradiderunt. Nec inepte dicit Iulius, se etiam inter castrorum fremitus, et tubarum classica, tamen aliquid tribuere studiis doctrinae coelesti. Sic enim inquit Lucanus:

Media inter praelia semper
Stellarum coelique plagis, superisque vacavi.
Tantus amor veri.

Iulius igitur, ut scitis, toti orbi terrarum hanc anni descriptionem, qua hactenus utimur, tradi curavit. Omitto alios. Nunc metuendum est, principum negligentia multas honestas artes interituras esse. Deum igitur oremus, ut saniores aliquos accendat, ut in hac re communi utilitati generis humani diligentia, et liberalius consulant.

Sed redeo ad Aristotelem, qui in illo ocio annorum tredecim, quo Athenis docuit, multa scripsit, quorum pars non contemnenda prorsus periit, ut in tantis et tam crebris tumultibus rerum humanarum non solum libri et chartae, sed etiam illae ipsae saxeae moles atque arces, quae adversus omnem iniuriam vitae fore existimantur, infinitis casibus obnoxiae sunt. Dei tamen beneficium esse sciamus, quod reliquias non tenues habemus. In Graecia arbitror post Theophrastum, cum novae sectae exortae essent, Stoica et Epicurea, quae a levibus ingeniis, cum magno adplausu exceptae sunt, et ut Sophocles inquit: Celerius malae opiniones discurrunt, neglecti sunt Aristotelis libri, ac diu etiam doctis ignoti fuerunt. Cumque iam pene carie consumerentur, Sylla forte in Graecia bellum gerens, bibliotheca qua-

dam potitur, in qua multa erant Aristotelis volumina. Motus igitur fama tanti viri, et fortassis a Lucullo admonitus, qui Philosophiae studia appetebat, passim in tota Graecia Aristotelicos libros inquiri iussit, deditque Andronico mandatum, ut collectos recte distribueret, ac venuste et integre quantum fieri posset, descriptos, in bibliothecis publicis collocaret. Syllae igitur foelicitate et diligentia, et ipsius amicorum consilio atque opera, servatus est hic thesaurus. Et Andronici enarrationes studia aliquorum ad Aristotelem cognoscendum invitarunt. Nondum tamen lectores multos habuit, quod florebant in Graecia et in Asia, Carneades, Antipater, Philo, Phaedrus, Epicureus, qui aliud doctrinae genus sequebantur. Postea vero Alexander Aphrodisiensis Antoninorum tempore, cum luculentas enarrationes in hunc edidisset, multorum studia commovit, ut abiectis deliramentis Stoicorum et Epicureorum, Aristotelica amplecterentur. Fuit eodem tempore et Galenus, cuius iudicium arbitror etiam multos ad Aristotelem revocasse. Nam subinde velut autoritate censoria, Stoicos et Epicureos gravissime obiurgat, et veterem Philosophiam, hoc est, veritatem, adversus eorum deliria propugnat. Gratulemur igitur nobis, non solum partem insignem librorum servatam esse: sed etiam extitisse summis ingeniis homines, qui haec monumenta illustrata propagaverunt.

Quod autem Gallus quidam contendit, ne tabulas quidem ex illo Aristotelis naufragio ullas receptas esse, ac prorsus amissos esse dialecticos libros: deinde hos qui hoc titulo circumferuntur, rudera continere, non artis integrae extructionem, seu, ut ita dicam, aedificium: illum hoc suo somnio delectari sinamus. Nos haec monumenta, cuiuscunque sunt, etsi Aristotelis esse multae sunt graves coniecturae, amemus, et eis fruamur. Et hinc veram methodi formam in omni disputatione sumendam esse sciamus. Sed haec postea fortasse.

Cum autem Aristoteles annos tredecim Athenis docuisset, et non solum urbem laude doctrinae celebriorem reddidisset, sed etiam multa ei beneficia ab Antipatro impetrasset, qui tunc Macedoniam regebat, tandem inde Chalcidem discessit. Nam cum post Alexandri mortem adversus Antipatrum inquieta civitas bellum infoelix moveret, propter amicitiam Antipatri, Athenis non sine periculo esse poterat. Et erant homines malevoli, qui fortassis in eius facultates involare cupiebant, qui ei iudicia minitabantur, ut Socrati, obiecto crimine impietatis: quod Deorum turbam non probaret, sed diceret, unam quandam esse aeternam mentem, viribus immensis, causam ordinis in universa natura, in quam sententiam et Homeri versiculum citavit, *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.* Discessit igitur ad veterem amicum Chalcidem, ubi non multo post climacterico anno sexagesimo tertio mortuus est.

Recensui breviter historiam, in qua utile erit aviditatem discendi, gradus studiorum, voluntatem iuvandae communis vitae, labores, et in perferendis difficultatibus ac odiis animi constantiam et moderationem contemplari. Ut enim libri eruditionem alunt, ita exempla excitare animum ad harum virtutum imitationem solent. Et ut pictoribus praecipitur, ut discentes pingere, eligant sibi certos artifices, quorum similitudinem effingere studeant, quod idem in Musicis et multis aliis artificibus probari solet: ita in regendis studiis et moribus quaeramus nostri gregis exempla.

Diu audivit Aristoteles virum summo ingenio, et locupletissima doctrina praeditum. Non cito docuit, mira fuit diligentia, fuit et animi moderatio in omni fortuna singularis. Cum haberet regem florentissimum amicum, nihil ab eo petivit, nisi quod conduceret vel ad salutem aliorum, vel ad ornanda studia. Postea in adversa fortuna etiam gravis fuit.

Cum sycophantae ei exitium molirentur, non muniit se factionibus, non turbavit Rempublicam, sed placide ex urbe Attica in loca tranquilliora concessit. Sic decet hominem philosophum imperare iracundiae, et privatas iniurias publicae tranquillitati condonare. Et ut in fabulis aiunt, Martem ab Oto Ephialte vinctum, et in ollam inclusam esse: ita nos bilem et vindictae cupiditatem domitam intra pectus ac repressam contineamus.

Hactenus de vita dixi: nunc quaedam de genere Philosophiae addam, cur Aristotelicum maxime nobis in Ecclesia usui esse arbitremur. Constare arbitror inter omnes, maxime nobis in Ecclesia opus esse Dialectica, quae methodos recte informat, quae dextre definit, iuste partitur, apte connectit, iudicat et divellit monstrosas connexiones. Hanc artem qui non norunt, lacerant mate-

terias explicandas, ut catuli panniculos: libet enim uti Platonis similitudine. Vere eam Plato laudibus effert, inquiens, igniculum esse, quem Prometheus e coelo attulerit, ut in mentibus hominum lumen accenderet ad recte iudicandum. Sed artis praecepta nusquam tradit. Carere igitur Aristotelis monumentis non possumus. Stoica non extant, et adparet intricatos labyrinthos et corruptelas artis fuisse, non simplicem disserendi viam, utilem explicationi magnarum rerum. Venio ad Physica. Haec etsi inchoat in Timaeo Plato, tamen ita involvit numeris et aenigmatibus, ut vaticinari potius, quam docere videatur. Aristoteles artificiose deducit nos ad aspiciendam naturam certo ordine, prima sumens exordia ex geometricis demonstrationibus, quae ostendunt mundum finitum esse. Hac hypothesi constituta totam rerum molem partitur. Tandem hominis et animalium descriptiones addit: et ut homini proprias actiones attribuat, adiicit Ethica, in quibus virtutum causas et ordinem in natura quaerit. Nec ego nego plurima apud Platonem Ethica reperiri sapientissime cogitata. Sed sermones sunt ambigui multi diversis locis sparsi, quidam etiam in speciem absurdi. Minime vero exemplum utile est in Ecclesia, adsuefacere ingenia ad hanc disputandi licentiam, ut absurda defendantur, ut labefactentur certa, ut ambiguis opinionibus serantur certamina. Academiam igitur Pyrrhoniis relinquamus, ac simpliciorem Philosophiam amemus, quae non ludit proprie ac diserte quod vult exponit, ac scapham dicit scapham. Etsi autem quidam perspicuitatem in Aristotele desiderant, tamen quia ordine disputat, et plerunque pronunciat quid sentiat, et sermone utitur puro ac proprio, summae rerum ab iis qui non sunt literarum rudes, certe intelligi possunt. Nam quod ipse scripsit, editas et non editas esse suas disputationes, id non eo dixit, quod volens sententias suas involverit: sed quod vidit multos irruere in Philosophiam illotis manibus, ut dicitur, hoc est, male praeparatos, qui sine iudicio haec lecturi erant. Graeci dicunt, Aristotelem scribentem solitum mente calamum tingere, *τὸν κάλαμον εἰς νοῦν ἀποβρέχειν*, id est, sapienter cogitatas sententias, et sagaciter ex ipsis naturae fontibus erutas proferre, ut sunt venustissimae disputationes apud eum de causarum ordine, cum probat oportere in una prima, cuius vires sint immensae, resisti.

Quid dulcius dici potuit, quam virtutes esse mediocritates? quod eo inculcat, ut moneat frenandos et moderandos esse ardentes animorum impetus. Quam eruditae distinctiones sunt iusticiae, et aequalitatum Geometricae et Arithmeticae, doli, culpae, summi iuris et *ἐπιεικείας*. Cumque nos de Deo admoneant virtutum definitiones, quam gratum est intelligi, iustitiam in Deo aequalitatem esse: ideoque vere eum, ut Paulus inquit, velle omnes homines salvos fieri, pariter odisse scelera, pariter recipere confugientes ad constitutum Mediatorem? Quam utiles sunt virium animae distributiones, quam eruditae temperamentorum ac humorum descriptiones? Hos locos si quis propius aspiciet in Aristotele, agnoscet non sine causa dictum esse, calamum ab eo mente tinctum esse: sed lector etiam mentem adferat, et aliquid literarum.

Sed dicet aliquis: Quid Physicis et Ethicis opus est Ecclesiae? Haec interrogatio vere est, ut olim dicebatur, *σκυθῶν ῥῆσις*. Cum Ecclesiam Dei deceat et optime moratam esse, et pulcherrime instructum literis ac artibus, quas ipsa vere intelligit esse Dei dona, propter ingentis utilitates attributa generi humano, qualis stultitia est quaerere quid nobis opus sit doctrina de rerum natura, de numeris, de mensuris, de coelestibus motibus, de regionum intervallis ac spaciis in hac nostra area, videlicet in tota terra, quam Deus humano generi colendam dedit, de hominis partibus et earum functionibus, de morborum causis et remediis, de plantarum viribus, de legum et civilium officiorum fontibus, de historia omnium temporum? Utilitates versantur ob oculos. Esset enim confusio infinita humanae vitae, si certae anni metae nescirentur, et temporum series ignota esset. Singulari consilio Deus statim a mundi exordio eam annotari voluit, ut retro legere initia possimus, et testimonia ac propagationem religionum et artium considerare.

Terrae magnitudinem et regionum situs nescire, est suam domum ignorare. Nam si infinita moles cogitaretur, si nescires ubi Prophetae, ubi Christus concionatus sit, quantae essent animorum tenebrae?

Nostra invocatio non, ut gentium, vagatur ignara quem Deum alloquatur. Immensa bonitate patefecit se Deus certis temporibus et certis locis, et proposuit doctrinam suam editis illustribus

testimoniis, vult igitur in invocatione cogitari haec sua testimonia et suam vocem, vult se patefactum discerni a commenticiis numinibus Ethnicorum. Quotidie igitur in invocatione temporum series cogitanda est, quando, quibus testimoniis promiserit Deus se nobis optilaturum esse, cur nos audiat. Quotidie inter vocandum mente in collem illum insistendum est, vicinum Ierosolymae, in quo filius Dei pependit in cruce, et pro nobis victima factus, placavit nobis aeterni Patris iram. De hoc sacrificio cogitanti, certe temporum et locorum consideratione opus est, et quotidie mens inter invocandum quadringenta miliaria, quibus Ierosolyma vetus Dei Academia distat ab hac nostra Academiola, saepe percurrat. Ac in universa enarratione propheticorum et apostolicorum scriptorum, multo latius patet utilitas omnium partium Philosophiae, quam existimant inerudití.

Meministis insulsas et stoicas confusiones fieri ab anabaptistis, qui sine discrimine omnes adfectus ex homine tollebant. Hic error ex inscitia physices oriebatur, quam si didicissent, discrimen vidissent inter bonos adfectus, qui divinitus insiti sunt humano cordi, ac *στοργαὶ φυσικαὶ* vocantur: et pravos impetus, seu iniusta incendia pectoris. Denique saepe postulat necessitas, ex physicis recitari animae partes.

De ethicis scitis ipsi veram ethicen partem esse legis divinae. Cumque Philosophi causas legum in natura quaerunt, quid agunt aliud, quam ut vestigia Dei impressa humanae naturae monstrent, quod ad disciplinam et ad confirmandas honestas opiniones in animis plurimum conducit?

Primam, inquit Cicero, homini cum Deo societatem esse. Quid dici potest eruditius, quid de hominis dignitate splendidius, quid ad deplorandam miseriam humanam accommodatius? Sed cur primam societatem inquit homini cum Deo esse? an non propior est homo homini? Sapienter Cicero vidit, prius esse causae effectum adiungendum, quam similes effectus inter se conferendos: propior est filius patri, quam fratri.

Sed qua in re constituta est societas inter Deum et homines? in duabus rebus, in agnitione autoris seu causae, et agnitione similitudinis. Agnoscit mens humana non temere, non casu naturam rerum ortam esse, aut occidere, sed a mente architectatrice conditam atque ordinatam esse, et statuit nos conditori subiectos, obedientiam ei debere. Et hanc ipsam legem cernit ipsis mentibus impressam esse.

Deinde multo magis movetur agnitione similitudinis. Quantum decus est, quod mens humana velut tabula est depicta ad similitudinem divinae? Et societatis officia adparent. Deus alit ac custodit genus humanum, retinet politias dum colunt iusticiam, et atrocia scelera punit, periuria, tyrannides, latrocinia, incestas libidines. Haec cum videamus, societas intelligitur. Quanquam autem cernitur societas, et causae societatis ac beneficia et poenae sunt in conspectu, tamen nos miseri saepe obliti hoc foedus iura societatis violamus, quae mutua officia sanxerunt, ut Deus nobis bona tribuat, nos obtemperemus.

Hic Philosophia velut attonita miratur unde tanta sit imbecillitas in natura hominum, ut hanc societatem toties tam facile impulsi violemus. Huius mali fontes monstrat Ecclesiae doctrina, monstrat et opitulatorem filium Dei, qui societatem nostram cum Deo renovavit, nosque petentes regit et flectit ad servanda societatis iura.

Nec vero dubium est, huiusmodi locos in Philosophia, qualis hic est Ciceronis quem recitavi, ad disciplinam prodesse. Vult Deus aspici naturam, in quam impressit vestigia quaedam ut agnoscatur: dedit artes, non solum ut vitae sint adminicula, sed multo magis, ut nos admoneant de ordinis huius autore, qui in numeris, in motu coelesti, in figuris, et in illo aeterno ac immutabili septo in mente hominis condito, videlicet in discrimine honestorum et turpium conspicitur: vera est enim illa dulcissima Platonis vox, gratam Dei famam in artibus sparsam esse.

Amemus igitur Philosophiam, et sciamus eam magno ornamento atque usui esse Ecclesiae, si dextre tractetur. Perhorrescerent animi piorum, si inter pia sacra viderent aras sordibus ac coeno conspurcari. Non minus autem mali est, doctrinam coelestem obruere barbarie, deleta linguarum, historiarum et artium cognitione, quam aras inter ipsa sacra polluere. Colamus ergo literarum, linguarum et honestarum artium studia, et hunc laborem nostrum ad gloriam Dei referamus, quod si faciemus, Deo curae erit ne desint praemia. Dixi.

No. 79. (an. 1544.)

De Dei invocatione.

In Declamat. T. III. p. 633 sqq., in Servest. T. III. p. 600. et apud Richard. T. III. p. 283. — Retuli hanc orationem ad an. 1544. propter ea, quae leguntur in Mel. epist. ad Camerar. Vol. V. p. 310.

Oratio de vera Dei invocatione.

Existimo propter multas causas Ecclesiam Dei omnibus saeculis hoc anni tempore, id est, veris initio ad considerationem maximorum operum divinorum, quae eo tempore facta sunt, saepius ad coelestis doctrinae explicationem, et ad publicas precationes convenisse, et accessisse ritus aliquos, aut exercitia temperantiae, ut ea quasi nota, tempus insignitum esset.

Nam initio veris conditum esse mundum eo existimatur, quia exordium anni in vetusta Ecclesia fuit proxima aequinoctio verno, Solis et Lunae coniunctio. Eodem mense in arcam Noha ingressus est, et circumacto anno ex arca egressus, et ex tristi squallore mundus renovatus est. Eodem mense ex Aegypto educta est Ecclesia, in qua eductione Deus illustribus testimoniis se patefecit. Eodem mense conceptus est in alvo materno Filius Dei, et initio anni tricesimi quarti, postea victima pro nobis in cruce factus est, et resuscitatus ostendit Ecclesiae gloriosae et vitae aeternae initia. Multi eodem mense et Abel interfectum, et oblatum esse Isaac arbitrantur.

Harum maximarum rerum recordatio cum fieret, nihil mirum est semper aliqua pia exercitia diem Paschatos praecessisse.

Temperantia igitur severior indicta est. Deinde non tam superstitione quam inscitia ritus creverunt, quibus nunc mutatis nos in Ecclesia, non ut vulgus facit, una cum ritibus abiiciamus vera pietatis exercitia: sed illam ultimam antiquitatem imitemur, miranda Dei beneficia hoc tempore exhibita, una cum coelesti Ecclesia consideremus, quae ipsa nunc assidens apud filium Dei, annos numerat a condita tota rerum natura, narrat quo tempore Deus se Abrahae, Moysi, totique populo egredienti ex Aegypto patefecerit, quae fuerit oratio aeterni Patris ad Angelum legatum ad virginem, quae certamina filii Dei in ultimo agone, et harum tantarum rerum consilia legit, non in arborum scripta corticibus, sed in ipso Dei pectore, et ardens amore Dei, agit ei gratias cum celebrat et invocat, ut servet Ecclesiae reliquias. Cum illa coelesti Ecclesia nos coniungamus, et cum ea immensa Dei beneficia piis mentibus contemplemur, nosque ad gratiarum actionem et ad invocationem exuscitemus, commonefacti his Dei patefactionibus, quae certo testantur vere genus humanum ei curae esse: nequaquam enim frustra Deus ex arcana illa sua sede prodiit, ac nobiscum toties tam familiariter locutus est, et tam multa proposuit vera erga nos benevolentiae testimonia.

Ut igitur haec vera anni exordia sint foelicia et salutaria universae Ecclesiae Dei et politiis, quae sunt hospitia Ecclesiae ac Scholae nostrae et nobis: primum ipse pauca de precatione dicturus sum, quae cum audieritis una omnes, et gratias agemus Deo, et vota faciemus, ut nos gubernet Deus ac servet. Nec vero ullum est argumentum amplius et uberius, quam dicere de precatione, nec ulla virtus est, de qua saepius et libentius cogitare homines recte agnoscentes Deum oportet. Haec enim proprie discernit Ecclesiam ab omnibus gentibus.

Multae possunt esse in ignorantibus veram de Deo doctrinam excellentes virtutes, quae hanc civilem vitam et societatem regunt.

Credo Pomponium, Atticum, Senecam, Papinianum Iurisconsultum, qui iusticiam vitae praetulit, ac tyranno cervicem praebere, quam iniustam causam tueri maluit, fuisse viros iustos, temperantes, beneficos, fugitantes libidinum, utiles Reipub. Quid igitur nos antecellimus? Num ingenio? doctrina? morum moderatione illos superamus? Nequaquam. Sed vera Dei agnitione, invocatione et celebratione praestamus. De qua etsi multi sapientes dicunt, non verbis, sed factis colendum esse Deum: tamen nos scimus hoc nostrum officium Deo vere placere. Sunt in Ecclesia etiam caeterae virtutes, in aliis magis, in aliis minus excitatae. Sed praeluceat in omnibus vera invocatio, propter hanc placemus Deo, etiamsi caeterae virtutes languidiores sunt.

Hic clamant multi sapientes, ut Plato dixit, Deum colendum esse μὴ σχήμασι non gestibus tantum, sed veris virtutum officiis, et in lege Zaleuci scriptum est, Deum colendum esse non tragoediis hominum, qui capti sunt in bellis, sed integritate morum. Sapienter haec, ut a legumlatoribus dicta sunt, sed in Ecclesia tales sententias explicatius enarrare oportet. Nam etsi non solis tragoediis captivorum, hoc est, gemitu, lachrymis,

planctu, eiulatu precamur, sed fiduciam filii Dei addimus, tamen hoc respondeo Zaleuco: Imo vero tragoediis captivorum colimus Deum. Quid enim sumus miseri, nisi multis modis captivi. Haerent in hominum mentibus caligo de Deo, et alia vitia, et accedit incitator diabolus, qui ruentes in scelera urget. Deinde poenae attrahunt plura delicta.

Hunc tristissimum carcerem humani generis utinam diligentius consideraremus, ut agnitio miseriarum immoderatos impetus frenaret, et ad quaerendum liberatorem Filium Dei nos hortaretur.

Ego igitur fateor, me his captivorum tragoediis sensu aerumnarum mearum, et irae divinae, et magno dolore, gemitu et lachrymis Deum invocare. Praeit autem mihi in hac ipsa tragoedia in his eiulatibus πρωταγωνιστὴς Filius Dei, cruentatus toto corpore, et magnitudine moesticiae sanguinem sudans.

Quare etsi Zaleucus hos nostros gemitus, has lachrymas inanes esse ducit, et fortassis dicit illud Homeri, οὐ πρῆξις δακρύων, tamen nos scimus affici Deum misericordia nostri, et non solum respicere lachrymas nostras, sed etiam numerare stillulas, sicut scriptum est in Psalmo 56. et nobis opem ferre.

Sit igitur infixum animis omnium invocationem Dei virtutem esse antecellentem caeteris, et discernentem ab aliis gentibus Ecclesiam Dei.

Saepe autem mihi venit in mentem, cum de caeteris virtutibus tam multa extent volumina, cur praeter conciones Prophetarum, Christi et Apostolorum, in aliorum scriptorum monumentis vix pauca tradita sint de hac virtute omnium summa. De iusticia civili quam accurate scripti sunt Philosophorum et Iurisconsultorum libri. De temperantia multi sunt Medicorum volumina. Quis interea invocationis doctrinam aut praecepta ordine collegit? id eo fieri existimo, quia maxima hominum multitudo commune tantum πάθος hominum esse existimat amissis praesidiis, quae ratio humana prospicit, confugere ad numen coeleste, nec referre iudicat quocunque modo id fiat, nec interesse inter Homericas invocationes aut Platonicas, et Paulinam, cum qua congruere nostra debet. Magnus hic error est, et ubique multorum mentibus insitus. Nascitur enim nobiscum, et haeret in intimo pectoris sensu, nisi voce Evangelii divinitus emendetur.

Aiunt quendam ex illo genere hominum, qui ante mille et ducentos annos fugitantes civitatum gubernationem, in Aegypti deserta se abdiderunt, et ἄσκησιν et peculiaria exercitia temperantiae et precationum instituerunt, dixisse, nullum esse difficilius opus precatione. At populo nihil videtur facilius quam certos Psalmos recitare, quanquam ne hoc quidem multi faciunt. Sed alii cordaciores, vident difficilem esse animi intentionem in precando. Tanta enim est, seu volubilitas, seu levitas humanae mentis, nunquam ut diu uni cogitationi immoretur. Sed aliae graviores causae plus difficultatis afferunt. Non est ardens precatio, nisi in ipso sensu aut metu, seu communium, seu privatarum miseriarum. Nam ebrii voluptatibus, aut gloria, aut fiducia opum et potentiae, non vere confugiunt ad Deum.

Cum vero in mediis fluctibus humana praesidia deesse nobis videamus: hic suspiciunt in coelum oculi, et numen illud requirimus, a quo hanc naturam conditam esse, et servari didicimus, aut etiam naturae indicio statuimus.

In hoc precationis exordio magnum existit certamen. Deterremur foedo conspectu scelerum nostrorum, ne ad Deum accedamus. Quaerimus: quodnam illud sit coeleste numen, a quo opem imploramus, an et cur vota ac gemitus nostros aspiciat? an flecti velit nostris lachrymis?

Ex his tantis et tam variis dubitationibus eluctari, et cogitatione patefactionum, mandatorum et promissionum divinarum vincere dubitationem, et quasi fluctus illos in animo sedare, et in vero Deo acquiescere, haec res difficilis est.

Necesse est igitur in Ecclesia extare et saepe recitari doctrinam de invocatione Dei recte et perspicue explicatam, ut ad usum accommodari possit, imo ut tota sit in conspectu, quoties precationem ordimur.

Ante omnia vero eximendus est error animis omnium maxime perniciosus nobis, et in Deum contumeliosus, qui miscet et in unum chaos omnes religiones confundit, ac fingit similem esse omnium gentium invocationem. Discrimen tenendum est illustre inter invocationes. Unica enim tantum, quam Deus ipse Ecclesiam docuit, vera, Deo grata et salutaris est. Ut autem in brevia et certa membra hanc doctrinam contrahamus, sic eam partiendam esse duxi.

Dupliciter aberrant a Deo Ethnici, et omnes gentes ac sectae, praeter solam Dei Ecclesiam.

Errant enim primum de essentia Dei, postea de voluntate. Ut enim apud Euripidem dicitur, O Iupiter, sive hoc coelum, sive aliud quiddam: ita ignorant omnes impiae gentes, quae res sit Deus, Iudaei et Mahometistae audacissime negant hunc esse vere Deum conditorem coeli et terrae, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis et resuscitati. Negant filium Dei *εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς* esse Deum. Rabiose etiam maledicunt Spiritui sancto.

Deinde gentium furores manifesti sunt, qui finxerunt subinde nova numina, nec Philosophorum audacia minor fuit, quam Gigantum. Ut enim hi dicuntur montes cumulasse, ut in coelum sibi viam patefacerent, et ferro Deum ferirent: ita Epicurei, Stoici, Academici et Peripatetici, alii alios errores excogitarunt, et tanquam accumulatis montibus coelo bellum intulerunt, alius providentiam prorsus sustulit, alius ad causas secundas ita Deum alligavit, ut Homerus suos Deos de catena suspendit. Alius omnia dixit incerta et ambigua esse. Saepe cohorresco toto corpore, tantam varietatem errorum, qui in toto genere humano et grassati sunt, et grassantur semper omnibus seculis cogitans. Nam ex hac tetra confusione opinionum aestimari potest, quanta caligo sit humanae mentis, quae non regitur divinitus Evangelii luce. Imbecillitatem igitur nostram consideremus, et assidue haec vota ingeminemus: Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus.

Deinde de voluntate errant gentes omnes ignarae Evangelii, quia ad Deum sine Mediatoris agnitione accedunt, ideoque an exaudiat, et cur indignos exaudiat, nesciunt. Pausanias scribit fuisse in Creta statuam Iovis sine auribus, quam aliquis scurriliter ludens ac deridens totam invocationem, haud dubie architectatus est. Sed talem sibi Deum omnes ubique toto orbe terrarum pingunt, qui in invocatione dubitant, an recipiatur precatio, an hoc officium Deo placeat.

Duo genera errorum in impia invocatione recensui, qui ambo haerent in omnium hominum mentibus, etiam eorum, qui in Ecclesia sine vera luce Evangelii vivunt, donec recte erudiuntur. Ideo inter summa novi Testamenti munera Deus promittit se donaturum nobis Spiritum gratiae et invocationis. Dicat hic aliquis Homeri et Callimachi lector: Qualia haec sunt munera? Natura omnes gentes moventur, ut amissis humanis praesidiis in coelum suspiciant, et ab aliqua mente aeterna opem implorent. Quis in periculis non invocat? Quis ignorat invocationes tam crebras in poëmatis? Quis non legit hymnos Homeri et Callimachi. Sic omnium mentes in hac caligine secum disputant. Sed nos in Ecclesia sciamus, ut paedagogi, ut matres praefantur verba precum balbutienti adhuc infantiae: ita Deum nobis immensa bonitate sese et voluntatem suam patefecisse, et significasse quomodo invocari et coli velit. Et hanc sapientiam in tota hominum vita praecipuam et maxime appetendam et cognoscendam esse. Ideo in Zacharia dicit Deus: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

Etsi aliqua de Deo noticia in hominis mente nata est, quae quidem monet Deum invocandum esse: tamen cum nos intuemur ipsi et nostros lapsus animadvertimus, vultum atque oculos iudicis horribili pavore cogitamus.

Non est igitur humanae sapientiae opus vera invocatio. Sed Filium Dei doctorem huius maximi sacrificii habemus, qui pavidas mentes ad aeternum Patrem retrahit, et linguam trepidantem in nostra invocatione regit, immo qui semper ut Sacerdos noster *καὶ ἔξαρχος* precum universae Ecclesiae verba nobis praefatur, et interpellat ipse in illo aeterno consilio aeterni Patris.

Discamus igitur ab hoc nostro Hierophanta, quomodo invocandus sit Deus, quid de eius essentia, et quid de voluntate eius in omni precatione cogitandum sit. Seiungito tuam invocationem ab Ethnica, Iudaica, Mahometica, ut verum Deum, non commenticia numina alloquaris, et vere statuas, cur et invocari et flecti velit.

Hanc doctrinam necessariam esse, immo portum esse firmissimum in omnibus periculis in hac vita, omnes sani intelligunt. Venio igitur ad praecepta, quorum primum hoc sit: Ut verum Deum alloquaris, mens directa sit in patefactiones divinas. Ille enim vere Deus est, qui se in Ecclesia illustribus testimoniis patefecit, et sic se agnosci, invocari et coli postulat, sicut se patefecit, nec aliter in huius vitae caligine agnosci et invocari potest.

Sit igitur in conspectu aut historia Baptismi Filii Dei, aut alia, ubi se audiendos praebent aeternus Pater, et Filius eius Dominus noster Iesus Christus, et Spiritus sanctus. Et simul testimonia verbi traditi divinitus cogitentur, quae hanc de Deo doctrinam nobis proponunt, et affirmant

hanc veram divinitatem esse, aeternum Patrem huius Filii stantis in Iordane, et Filium ipsum imaginem genitam cogitatione Patris, et Spiritum sanctum immenso amore copulantem Patrem et Filium, imo et Ecclesiam cum Deo.

Hunc igitur Deum patefactum nobis cogita, non surdum, non Epicuri *μονόγραμμον,* non Stoicorum mentem alligatam causis secundis: sed aspicientem omnia, bonum, iustum, misericordem, iudicem, castum, veracem, liberrimum esse. Et quia vere peccatis nostris irascitur, et est, ut inquit Moyses, ignis consumens, mox de placatione cogitandum est, propter quam vere et certo recipit nos.

Sit igitur hoc secundum praeceptum. Cum mens hunc Deum alloquitur, qui se nobis sua voce ostendit, praecepta primum consideres, in quibus invocari se iussit. Haec dicta tibi proponito: Invoca me in die tribulationis. Item: Petite, et accipietis. Ac prodest multas tales sententias bene meditatas tenere, quae hortentur ut ad Deum confugiamus. Deinde et promissiones adiungito. Non praecipit tantum peti a se Deus salutem et vitae praesidia, sed amplissimas promissiones edidit, in quibus ostendit nobis Filium, quem constituit placatorem *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην* pro nobis, et propter hunc affirmat certo nos recipi, exaudiri et servari.

In his promissionibus pervolvenda mens est, quae multis tristissimis dubitationibus hic concutitur, tanquam diversa impulsa fluctibus *καὶ χειμαζομένη.*

Scias autem ethnicam precationem esse, si cogitas, recitandam quidem esse hanc *βαττολογίαν,* sed ambigere animum, an Deus curet tuas preces, aut gemitus tuos, nec magis expectare a Deo auxilium, quam si ludens talis expectes senionem, aut hamum trahens silurum, aut aratam expectes. Huic dubitationi fugitanti et contemnenti Deum ethnico more, nequaquam indulgendum est. Sed erigenda mens cogitatione promissionum, ac statuendum vere nos et nostra vota propter Filium placatorem recipi. Cumque hoc certamen in animis non leve sit, hoc insigne testimonium pectori infigatur, quod extat in epistola ad Ephesios: Per quem habemus fiduciam, et accedere ad Deum audemus fidentes propter eum. O dulcem concionem verborum pondera intelligenti. Vituperat animos fugientes Deum, nec petentes ab eo bona, nosque ad Deum retrahit, et iubet *παῤῥησιάζειν* non nostra fiducia, sed Filii, et hanc ei *παῤῥησίαν* gratum officium esse. Certe donec languet animus, et nos negligi existimat, manet arcanus et tristis fremitus adversus Deum. Haec igitur fides in omni invocatione praeluceat, ut vere nos recipi propter Filium statuamus.

Haec est illa coelestis doctrina, de qua Zacharias inquit: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Divinitus promissa est reconciliatio, et datur Spiritus sanctus, qui hanc lucem in mentibus accendit, ut nos in gratiam recipi statuamus. Quod cum fit, tum demum accedere ad Deum audemus, et petere et expectare bona.

Haec agnitio essentiae et voluntatis Dei, discernens invocationem ethnicam a vera, semper in conspectu sit, et quotidie in invocatione cogitetur.

Deinde cum hoc modo seiunximus invocationem nostram ab ethnica, et iam ad aeternum Patrem ducente Filio adducti sumus, sit hoc tertium praeceptum.

Vult, ut antea audivistis, Paulus *παῤῥησιάζειν.* Ergo, ut apud medicum morbi et omnia *συμπτώματα* narranda sunt, ita nos miserias Deo exponamus, ac meditati ad hunc medicum accedamus. Non paucas, non exiguas aerumnas commemoremus, vere *παῤῥησιάζοντες,* ubi in mentem illud Tauleri veniet: Nunquam humanum pectus tam avidum esse ad accipiendum, quam Dei bonitas est ad dandum.

Si quis non afficitur Ecclesiae dilaceratione, et aliis miseriis, deinde imperiorum confusionibus, illi vere robur et aes triplex circa pectus, ut Poëtae verbis utar, natum est. Vult nos Deus dolore publicorum malorum affici, ut a se eorum mitigationem petamus. Sed verum est illud Pindaricum, *τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων οὐ μέλει.* Domesticae calamitates magis excruciant animos, aliena levius curamus.

Sed furit, qui publicas Ecclesiae et imperiorum quassationes nihil ad se pertinere existimat. Experientia nimis verum esse testatur Solonis versum, qui ait: Intrant in thalamos publica damna tuos. Itaque publicas et privatas aerumnas consideremus, easque Deo proponamus, et illa Dei agnitione et fide earum mitigationem et auxilium petamus et expectemus. Immo ut ardeat deprecatio, haec reputato.

Severissime praecipit Deus universae Ecclesiae et singulis, ut petamus auxilium, addit pro-

missiones, et Filium ἱκέτην constituit. Et ostendit nobis tristissima exempla irae suae, quae vult commonefactiones esse, ut petamus gubernationem et defensionem.

Tot summi viri, qui virtute antecelluerunt omnibus hominibus, horribiliter perierunt, et quotidie pereunt. Tam multae urbes et gentes, inde usque a mundi initio deletae sunt. Nec tantum moenia eversa sunt, aut gentes dissipatae, sed doctrinae lux etiam extincta est, ne ad posteros perveniret, et natura languidior facta est, ne virtus propagaretur, et exercitia virtutis abolita sunt. Ut nunc in Asia et Graecia nulla sunt vetustae doctrinae, aut virtutis vestigia, quoties hoc accidit, ut in obsidionibus homines ausi sint humanam carnem dentibus lacerare, et viscera natorum suis visceribus condere? ut Hierosolymae, Potideae, Uticae et alibi. Tot horribilium exemplorum consideratio admoneat nos de ira Dei, et permoveat, ut vera poenitentia et ardenti invocatione Deum flectamus. Bonus est enim et misericors, et non delectatur perditione nostri. Nec irrita sunt vota nostra, nec surdus est Deus. Sed revera petentibus opem fert in omnibus periculis, ut inquit Psalmus: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Nec fallit Dei Filius, inquiens: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Servat Deus Ecclesiae hospitia, familias et totas respub. dat lucem doctrinae, honestae disciplinae gubernationem et defensionem, moderata et tranquilla imperia, propter piorum preces. Ideo Christus inquit, suos auditores etiam maiora miracula facturos esse, quam qualia viderant in sanandis aegrotis, et resuscitandis mortuis fieri. Maius est enim piis precibus arcere furores publicos et excidia urbium.

Et ne putemus vota nostra irrita esse, sciamus nos non solos precari. Sed assidue astat aeterno Patri noster Sacerdos Dominus noster Iesus Christus, pro nobis crucifixus et resuscitatus, qui vere afficitur nostris aerumnis, et nobiscum precatur, ne deseramur, neve abiiciamur. In hunc semper intueantur animi, ab hoc nunquam deiicite oculos, sed statuite propter ipsum recipi nostra vota. Imo hunc aspice prostratum ad pedes aeterni Patris in illo suo postremo agone, cum sustinens iram Dei propter mea, tua, et omnium peccata, adeo luctaretur, cum summis terroribus et doloribus, ut cruor toto eius corpore flueret, pulsus ingenti cordis motu et certamine. Huius gemitus, lachrymas, cruorem, non aspernatur aeternus Pater, vere φιλόστοργος erga Filium, sed et ipsum exaudit, et nobis propter eum opitulatur. Haec assidue cogitanda sunt, ut ad invocationem corda accendantur.

Et quia hanc commonefactionem iam audivistis, in hac ipsa congregatione vota coniungamus: probat enim Deus communem precationem, et peculiari promissione eam ornavit, ut Ecclesia sit coniunctior, et libentius conveniat, ut Deus publica confessione celebretur et doctrina propagetur. Intuentes igitur verum Deum, fiducia Filii eius Domini nostri Iesu Christi, mecum et linguis et pectorum pietate haec verba pronunciate.

Gratias agimus tibi omnipotens Deus, aeterne et unice Pater Domini nostri Iesu Christi, que te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite. Conditor et conservator omnium rerum, et opitulator ac conditor Ecclesiae tuae, una cum Filio tuo coaeterno domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, et patefacto in Hierusalem, et Spiritu sancto paracleto effuso in Apostolos, sapiens, bone, verax, misericors, iudex, et liberrime, quod revelasti te nobis, et misisti Filium tuum, et colligis tibi Ecclesiam inter nos quoque, ostendis lucem doctrinae tuae et literarum, et servas hospitia mediocria Ecclesiae. Teque ardentibus votis oramus propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον σου, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην mirando consilio, sanctifica, rege, et doce, accende et iuva nos Spiritu sancto tuo, collige tibi inter nos Ecclesiam te perpetuo celebraturam, nec sinas extingui pia studia et doctrinae lucem. Serva etiam has politias, quae sunt hospitia Ecclesiae, et tuere honestam disciplinam, et rege ac defende principem nostrum, et omnes salutares gubernatores. Haec facito, ut tua gloria vere celebretur, sicut promisisti in concione prophetica: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer. Tu Deus aeterne senescentem Ecclesiam inter tam multa tetra et horrenda deliria mundi, regito et gestato, et in his regionibus tibi reliquias, quae te vere celebrent, collige et serva, Amen. Dixi.

No. 80. an. 1544.

De stricto iure et aequitate.

In Declamat. T. IV. p. 70 sqq., in Servest. T. IV. p. 63. et apud Richard. T. II. p. 548. — Mylius in chronol. scriptorum Mel. hunc orationem refert ad an. 1544.

Oratio de stricto iure et aequitate, ex L. Placuit, codice de iudiciis. Recitata a D. Melchiore Kling. (De eadem re habes orationem supra No. 67.)

Multae magnae difficultates, magni motus semper in omni quamvis salutari et placida gubernatione extiterunt. Nam et hominum naturae sunt infirmae, et odio Dei grassantur diaboli homicidae, qui imbecilles naturas incendunt, ut conturbent disciplinam, et moveant imperia. Non fuit in terris rex praestantior sapientia, iusticia et fortitudine, quam David, hunc tamen non solum externa bella, sed etiam intestinae seditiones diu exercuerunt. Postea ipse sua imbecillitate lapsus, ruinas horribiles in patria traxit. Quam foelix et fortis rex fuit Cyrus? At hic cum iam pacato Oriente non solum gloria floreret, sed etiam doctrinam veram de Deo amplexus esset, et dictum proposuisset de liberatione et instauratione Ecclesiae Dei, bellum movit non necessarium adversus Scythas: quo in bello acie victus et captus est, et corpus interfecti muliebribus contumeliis adfectum est.

Plena est talium exemplorum universa mundi historia. Cur autem haec tam tristia spectacula nobis proponuntur? Multae magnae causae sunt, de quibus alias saepe dicitur: Fatales poenae scelerum mundi vagantur per totum genus humanum omnibus seculis. Non ad suavitatem et delicias nascimur, sed cum in hac naturae humanae depravatione magnae sint in animis tenebrae, et cumulentur scelera variis furoribus, iusticia Dei iram adversus peccata omni genere calamitatum declarat. Sed tamen immensa Dei bonitas non vult accendi totam iram, ut Psalmus inquit. Mitigantur poenae, ita ne totum genus humanum pereat. Elegit enim Deus sibi Ecclesiam, in qua perpetuo celebretur. Ideo aliquas servat politias, et hac disciplina et legibus regi vult, servat literarum et doctrinae hospitia. Et mandat gubernatoribus, ut sint legum et disciplinae custodes, et eos adiuvat. Sed in tantis fluctibus ac procellis rerum humanarum saepe tum mediocres, tum summi homines, qui partem aliquam gubernationis sustinent, desperatione quadam existimant penitus abiiciendos esse remos et vela, et procul fugiendam esse hominum societatem, et partes omnes civilium officiorum, Ecclesiae, doctrinarum, curiae, iudiciorum gubernationem. Etenim non illud tantum miserum est, quod bene merentes, odia, pericula, cruciatus sibi beneficiis suis accersunt: sed hoc multo tristius est, quod frustra in tantis vitae confusionibus, suscipere tantos agones, tanta certamina videmur. Hac offensus miseria etiam Socrates, qui sapiens iudicatus est, ut ferunt, oraculo, fugit Rempub. Idemque professus est et exemplo et sententia, quod postea Epicurei tradiderunt inter dogmata, quae videri volebant ad recte vivendum necessaria, videlicet: non attingendam esse ullam partem civilium officiorum. Astute isti quidem, sed tamen non recte senserunt. Nascimur enim omnes ut Deo serviamus, qui suam cuilibet stationem in hac vita attribuit, nec vult nos deserere mandata munera, aut animi mollitie, aut desperatione fractos: vult retineri doctrinam Ecclesiae et leges, vult disciplinam et iudicia regi tantisper dum spiramus. Et iubet auxilium peti et expectari divinitus, et pollicetur labores non fore irritos. Sicut in Psalmo dicitur: Expecta Dominum, et custodi viam eius. Etsi igitur his nostris studiis magnae difficultates obiiciuntur, tamen hac nos consolatione sustentemus. Non abiiciamus legum custodiam divinitus nobis commendatam. Nec dubitemus Deum inter hos imperiorum tumultus, aliquas tamen politias servaturum esse, ac hospitia Ecclesiae, in quibus disciplinam et iudicia vult regi legum autoritate et voce, non tantum arbitriis incertis potentum. Itaque hunc locum interpretandarum legum, et nostram in iudiciis assiduitatem non solum plenam dignitatis esse, sed etiam Deo placere sentio. Nec indecorum esse honestis viris, inter iuniores de virtute omnium summa, videlicet, de iusticia disserere, iudico. Illi ipsi viri qui imperium orbis terrarum regebant, Scaevola, Papinianus, Ulpianus, et alii, cum in summum fastigium vitae humanae, propter eruditionem et virtutem evecti essent, tamen in schola adolescentibus legum fontes et disputationes, ut nos facimus, tradebant. Horum exempla sequi, honestum et praeclarum est.

Cum igitur usitatum sit, in his congressibus aliquid de legum dignitate dicere, ut iuventus

commonefacta, diligentius cogitet causas cur amandae sint leges, cur hanc doctrinam retineri in imperiis necesse sit, de qua vulgus, quia natura impatiens est freni, et legibus inimicum, secus sentit: disputabo igitur aliquid de lege Placuit. C. de iudiciis, ubi scriptum est: Placuit in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequitatisque scriptae, quam stricti iuris rationem. Brevitas, ut fit, aliquid hic obscuritatis adfert. Nam usitatum est strictum ius intelligere, scriptum ipsum: aequitatem vero, legis mitigationem probabilem, non scriptam, sed honesto iudicis consilio et disputatione quaesitam. Torquatus filium interficiens, quod contra dictatoris mandatum cum hoste provocante dimicasset, legi scriptae paruit. At honestius videbatur quod fecit Papyrius, qui Fabio magistro equitum in simili casu remisit poenam, deprecante pro eo populo. Hic scripto non paruit, sed mitigationem probabilem propter honestas causas adhibuit. Scriptum ius est, ne in sabbato fiant serviles operae. At dimicat in sabbato Machabaeus, et sequitur non scriptum, sed probabilem rationem, quae scripta quadam ἐπιεικείᾳ lenit et inflectit. Huiusmodi exempla multa recitari possunt. Si igitur strictum non aliud est nisi scriptum, perplexitas erit in lege Placuit. Etsi scio multos cavillari hanc legem, tamen cum sententia sit vera et salutaris vitae, defendendam esse duxi. Primum vera est haec sententia, cum non dubium sit praecipi mandato Dei, ut in qualibet politia legum, quarum autoritas probabili de causa recepta est, voci obtemperemus, necesse est iudices ex scripto iure pronunciare, alioqui quorsum attineret ferri leges, si iudicibus tantum liceret ex sese fingere aequitates, ut araneae ex sese telas texunt? Quos ea res tumultus excitaret, si alii aliter adfecti, novas ἐπιεικείας comminiscerentur? Vix etiam, cum est certum, explicatum et definitum ius, frenum iniici potest iis, qui occupati aliqua cupiditate, eludunt perspicuas leges, et quaerunt ex specie iuris praetextus ad suam cupiditatem armandam. Quod enim arbitrantur aliqui, non fuisse scriptas ante Lycurgum, Draconem, aut Solonem in Graecia, magnus error est. Semper apud eas gentes, in quibus disciplina mediocris et iusticiae reverentia et literae fuerunt, fuisse scriptas leges, vetera monumenta plurima testantur. Sed bellis et vastationibus fatalibus omnes politiae vel quassatae, vel eversae sunt, et aliquae difficulter rursus instauratae sunt. Hae rerum humanarum confusiones veterum legum oblivionem attulerunt. Postea Deus excitatis novis gubernatoribus utcunque leges instauravit. Ac historiae ostendunt, vetustissima quaeque vincula plurimum severitatis habuisse. Si statua oppressisset hominem casu, tanquam damnatam e finibus eiici oportuit. Ita vel fortuita caede pollutus, ut Adrastus, vel qui probabilem et iustam causam habuerant trucidandi suos, ut Alcmaeon et Orestes: tamen eiiciebantur ex omni consuetudine hominum, arcebantur mensa et hospitio, nec recipiebantur nisi expiata caede multis et variis ceremoniis. Quid? Pudicitiae longe maior honos fuit in primis legibus, quam postea. Aeolus rex Thuscorum filiae ex fratre gravidae gladium misit, quo illa patris iram intelligens, sese transfixit. Quanta severitas fuit, quod legibus duodecim tabularum periuros de saxo Tarpeio deiici oportuit? Et possent multa commemorari, quae ostendunt primis seculis legum curam maiorem fuisse, et disciplinam graviorem, quae certe literis comprehensa fuit.

Retineatur ergo scriptum ius, et omnium sapientum gubernatorum autoritate, omnium doctorum voce, sententiis et literis defendatur. Quam sententiam ut omnibus bonis mentibus Deus confirmet, veris votis petendum est. Nam legum vituperatio non tantum ab humana imbecillitate et stulticia oritur, sed a diabolo: qui cum molitur ingentes dissipationes et confusiones, serit initio legum convicia, et reverentiam animis levibus excutit: postea confirmata licentia et petulantia magnae sequuntur politici status ruinae.

Sed ad nostram quaestionem redeo. Si ex scripto iure pronunciandum est, videtur acerrima stricti iuris observatio requiri. Strictum est enim, quod verbis legis comprehensum et definitum est: ut, pugnans contra dictatoris mandatum, securi feriatur: Torquati filius sic pugnavit: lex igitur servetur. Responderi potest, saepe duas sententias scriptas esse, acerbiorem et mitiorem. Inter has mitior eligenda est. Nec temere fingendam esse aequitatem, sed ex scripto et veris fontibus iuris sumendam esse. Ut enim Celsus Iurisconsultus dixit, cum de bono et aequo quaeritur, saepe sub autoritate iurisscientiae perniciose errari, videlicet, cum fingitur aequitas ex indoctorum imaginatione, non ex veris fontibus.

Sed praeter hanc responsionem hoc quoque universaliter dici potest, semper id quod scriptum

est, aequissimum esse: videlicet de illo toto genere, de quo lex loquitur. Ut lex quae iubet fures adfici supplicio, loquitur de grassatore, non de lapso infirmitate aetatis, aut de eo quem fames impulit alienum auferre. Ergo in casu legis, scriptum sequendum est. Strictum vero ius nunc intelligo, si acerbam interpretationem extra casum legis complecti velis, ne discederetur a verbis, ut lex de sabbato prohibet operas serviles, id est, occupationes quotidianas, quae non concedunt vacare doctrinae coelesti et divinis ceremoniis. In hoc genere scriptum universaliter retineatur. At Iudaei calumniosam expositionem addunt, ne discedant a verbis. Sedent ociosi totos dies in suis casis, non coquunt, ne mucos quidem a lychnis decerpunt ipsi, sed habent conductos ex nostris hominibus, qui lychnos accendant, et similes operas faciant. Hoc modo si strictum ius de calumniosa interpretatione intelligitur, et facilis et salutaris est intellectus legis Placuit. Commendat scriptum et monet id dextre intelligendum esse. Ita erunt beatae Respu. si legum voci in vera et nativa sententia obtemperabitur. Nec calumniosae elusiones fingentur, ut Iphiclus cum Rhodiis facientibus deditionem pactus erat, se dimissurum esse eos cum navibus quotquot vellent. Postea cum egressi civitate, navigaturi essent, iussit remos, malos, vela a navibus auferri, inquiens se naves promisisse, non caetera instrumenta. Hae verborum imposturae nihil habent sapientiae, quis enim non potest comminisci tales cavillationes, si libeat? sed perfidiam et cupiditatem nocendi significant. Nec raro luditur similibus praestigiis in Rebuspub maximis, sed exempla recentia non sunt hoc loco commemoranda, cogitanda tamen sunt, ut nos ipsi ad amorem veritatis, et ad odium sophistices exuscitemus.

Luserat eodem modo Paches dux Atheniensis cum duce Arcadico. Evocat eum ex oppido quod defendebat Arcas, et pollicetur se in oppidum incolumem remissurum esse. Cum igitur in castra Pachetis venisset Arcas, retinetur vinctus: et quia abducto duce facilis erat oppidi expugnatio, Paches rebus omnibus diligenter praeparatis, oppidum oppugnat et capit. Postea Arcadem redire in oppidum iubet incolumem, ut promiserat. Huic fraudi manus scelus addidit. In urbem reversum postea interficit. Hoc non est consilio aut virtute certare, sed Sinoniis artibus. Sed videte huius impostoris exitum. Etsi res magnas et utiles civitati suae gesserat: tamen postea accusatus in ipsa curia et iudicio, suo gladio sese transfixit. Sequitur enim perfidiam et has sycophanticas iuris depravationes, divina vindicta, certa et rata Dei ordinatione. Possem exitus insignium impostorum huius aetatis recitare. Sed cum vetera exempla auditis, vos ipsi similia cogitate, et Dei voluntatem agnoscite, qui in his exemplis poenas proponit contemnentibus iusticiam, nosque ad frenandas pravas cupiditates, et colendam iusticiam hortatur. Multi decus ingenii esse putant, eludere legum vocem, offundere praestigias oculis ac mentibus hominum, veritatem tenebris involvere. Sed longe errant, si existimant se non daturos esse poenas huius petulantiae. Discite iusticiam moniti, et non temnere divos. Hanc vocem etiam Ethnicis experientia expressit, qui viderunt dextra, vera et modesta consilia verissima esse: econtra vero Dei consilio tandem rapi ad supplicia insignia, omnes qui aut fraude aut vi petulanter iura violarunt. Non putemus exiguum esse decus ingenii, simplicem veritatem videre, et ex veris fundamentis extruere veritatis defensionem. Haec multo maius acumen, maiorem eruditionem requirunt, quam inanis coacervatio sophismatum non cohaerentium. Placet haec calliditas indoctis, quorum servit cupiditati, sed nec veris iudiciis placet, nec prodest imperiis. Inflammat enim discordias quae sunt exitiales imperiis. Tandem igitur exitus ostendit quae sit vera et salutaris sapientia. Romae vir magnus fuit Marius, de quo dictum est, dubium esse, an armatus plus profuerit patriae, an vero togatus plus nocuerit. Is cum eripere provinciam Syllae conaretur, quam quidem Sylla lege et ordine tenebat, adiungit sibi hominem eloquentem ac nobilem Sulpitium. Is iniustam Marii causam tam plausibiliter egit, ut non modo Senatui formidabilis esset, sed etiam palam lectos trecentos equites secum in forum duceret, quos Antisenatum vocabat. Hanc amentiam atque impudentiam adfert legum contemptus. Sed haec insolentia non fuit diuturna: nec tantum ipsi Sulpitio fuit exitio, sed etiam multa civium millia perdidit. Ipse furor per sese magna fuerat poena, quod spreto summo consilio orbis terrarum, Antisenatum suam nominare cohortem ausus est, et tamen postea infinitae calamitates insuper secutae sunt. Obtestor igitur vos propter Deum, ut ad legum reverentiam, ad amandam simplicem veritatem, et ad honestas ac moderatas

opiniones vos assuefaciatis. Econtra vero tanquam nocentissimas pestes fugiatis sophismata, et opiniones immoderatas, ambitioni aut aliis pravis cupiditatibus potentum servientes. Deus magis concedit tranquillitatem imperiis, si amabimus iustitiam et moderationem. Etsi fatales poenae impendent, tamen nobis magna consolatio est, recte et moderate sensisse, nec iniustis ac immoderatis sententiis eos armasse, qui suas cupiditates saluti communi anteposuerunt. Hanc consolationem maximam esse tali tempore, boni intelligere facile possunt. Dixi.

No. 81. an. 1545.

De Basilio Episcopo.

In Declamat. T. III. p. 54 sqq., in Servest. T. III. p. 51. et apud Richard T. III. p. 716. Item in Declam. T. III. Erford. lit. L, 6. Caeterum cf. Epp. Mel. Vol. V. p. 681. 683.

Oratio de Basilio Episcopo Caesariensi, habita a Ioanne Turstenio Decano. (Erford. addit an. 1545.)

Cum coelestis doctrinae custodia et propagatio docentium et discentium agminibus, id est, scholis, divinitus commendata sit, intelligamus nostrum munus, quod omnium in coelo et in terris maximum et summum est: et cum exercitia scholastica amemus, tum vero his honestissimis congressibus delectemur, quos sciamus non institutos esse, ut sint tantum ociosa spectacula, et inanes ludi, ut scenici: sed ut in hac frequentia commonefacta iuventus de studiis Ecclesiae necessariis, et de sua vocatione, Deo gratias agat, quod doctrinae lucem non extingui sinit, et nostros coetus defendit: ac petat ardentibus votis, ut inter nos sibi Ecclesiam perpetuo colligat, ac disciplinam et studia regat. De his rebus omnium maximis in his congressibus cogitemus, ac sciamus de his quoque dictum Christi dulcissimum concionari: Ubicunque duo aut tres convenerint in nomine meo, in medio eorum sum. Versamur una in his castris et propter Christi doctrinam et invocantes ipsum: quare ut nobis adsit, exuscitet pectora ad virtutem, iuvet et gubernet labores nostros, precemur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, huius gymnasii et coetus rectorem esse ducite, eumque propius adesse vobis spectatorem omnium actionum statuite, quam adest hic ipse Magistratus, quem usitate Rectorem vocamus. Adest autem non tantum ut ociosus spectator, sed ut ἐργοδιώκτης hortatur, ut fidem et diligentiam in tuendis et ornandis artibus, quae Ecclesiae utiles sunt, praestemus, et iuvat sedulos, qui ipsum invocant: contumaces vero adficit suppliciis. Hanc sententiam infixam animis omnium esse oportet. Cum autem nunc ratio muneris quod gero, cogat me hoc loco orationem habere, decet me velut ἔξαρχον esse publicae precationis. Quare mea verba veris animi votis subsequimini.

Tibi gratias agimus, Deus aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, quod doctrinae tuae lucem nobis accendisti: et oramus, ut hunc docentium et discentium coetum serves, regas, defendas, et labores nostros Spiritu sancto tuo iuves, ut nobis et posteritati sint salutares. Colligas tibi Ecclesiam cum in toto orbe terrarum, tum vero inter nos, et haec hospitia Ecclesiae tuae et literarum regito et defendito, sicut viduae Sareptanae domum defendisti, cum Eliam hospitio excepisset.

Haec prima et praecipua pars est meae orationis. Nunc aliquid addendum est, quod prodest ad studia vestra tum excitanda, tum iuvanda. Cum autem alias aliae materiae proponendae sint, dies me admonuit ut Basilii historiam nunc recitandam esse ducerem. Nam et exemplis invitantur animi, et in his doctorum historiis multa sunt quae augent eruditionem et formant iudicium. Per sese iucundum est contemplari magnorum hominum virtutes, egregia facta, et eventus honestis consiliis congruentes: ut pictori et statuario voluptati est, videre elegantem symmetriam et concinnitatem picti aut sculpti corporis. Sed nobis in Ecclesia non tantum voluptatis causa vetustas cognoscenda est: sed iudicia et testimonia omnium temporum inquirenda sunt, ut una consentiens doctrina retineatur. Multum ad erudiendas mentes et confirmandas veras sententias collatio veterum testimoniorum conducit, si dexteritas adsit in iudicando, et absit studium calumniandi: non contemnamus Dei consilium, qui ministerium Evangelii et instituit et tuetur, et subinde doctores excitat salutares. Fuerunt igitur aliqui, quorum vox et literae profuerunt Ecclesiae, alii magis, alii minus eruditi. Sed colloqui tamen cum antiquitate, et testimonia Ecclesiae nosse, utile est.

Mihi credite, cum mota est controversia de filio Dei, difficillimum fuit retinere veram sententiam, quod sit natura Deus: non κτίσμα ex nihilo conditum. Nec fuit res humani iudicii, aut de qua ingenii acie statueretur: sed Deus ipse, ne veritas penitus inter homines deleretur, aliquorum mentes in vera sententia retinuit, quam Ecclesia profitetur. Itaque propugnatores eius sententiae, qui specimen in tanta causa praebuerunt, unde apparet eos divino adflatu gubernatos esse, nequaquam contemnendos esse duco.

Quare cognoscite adolescentes tum Basilii, tum aliorum piorum scriptorum historias: et ut in peregrinatione non solum aedificia et arces, sed etiam mores et sensus hominum considerandi sunt, ut de Ulysse Homerus inquit, qui mores hominum multorum videt et urbes: ita in his historiis non tantum privatas virtutes clarorum virorum, sed doctrinae genera contemplamini.

Sed in hanc ingresso historiam, cum patriam et domicilium Basilii mente intueor, quasi peragrans loca illa Asiae, cogitatio vastitatis quam Turci in illa florentissima et pulcherrima parte orbis terrarum fecerunt, ingentem dolorem attulit. Fuerunt vicini Episcopi eodem tempore tres fratres, Basilius Caesareae, Petrus Sebastae, Gregorius Nyssae. Et his amici atque familiares Nazianzenus pater et filius. Et ante hos fuit Gregorius Neocaesariensis, clarus eruditione et miraculis. Horum vigilantia, cum et virtute excellerent, et incorruptam doctrinam retinerent, magna pars Asiae adversus Samosateni et Arrii furores defensa est. Nec vero ullum eo tempore spectaculum toto orbe terrarum pulchrius fuit, quam videre illum chorum virorum praestantium eruditione et luce divina, et quidem magna concordia regentem Ecclesias.

Nunc vero quis non doleat, cum florentissimas illas Ecclesias et politias in Turcarum stabula et mapalia versas esse audimus, plena impietatis, spurcitiae et crudelitatis: qua de re cogitantes, non solum Asiae calamitate doleamus, sed etiam nostro periculo moveamur. Si arcere Turcas volumus, et vastitatem Asianae similem metuimus, causae tollendae sunt, flectenda est ira Dei veris officiis pietatis, qua de re alias saepe dicitur.

Ego igitur ne dolore longius proveliar, ad Basilium redeo, de quo dicam historica lege, non ut Nazianzenus declamitans, ac nimis multa parerga miscens, ut si quis ad pulchram statuam purpureos et sericos pannos suspendat. Ego brevius narrabo Basilii genus, res gestas et exitum. Natus est Basilius patre Christiano, qui literas docuit, et cum aliorum hominum liberos, tum vero praecipue suos simul in literis et iis artibus, quae naturam rerum et dicendi rationem continent, exercuit, et ad Christi agnitionem et invocationem adsuefecit, magnumque fructum huius sui laboris cepit, fuit enim pater trium Episcoporum, ut ante dixi, Basilii, Petri et Gregorii, qui omnes et eruditione et pietate excelluerunt, et inter se concordes doctrinae puritatem et Ecclesiarum tranquillitatem in bona Asiae parte retinuerunt. Propter hanc foelicitatem parentes non modo tunc gaudebant, sed etiam in vita aeterna iam ingenti laeticia adficiuntur. Deoque pro tanto munere gratias agunt. Nihil enim optabilius, nihil dulcius est sanis parentibus, praesertim dirigentibus vitam ad Evangelium, quam habere tales filios, quorum virtus Ecclesiae Dei et probetur et prosit.

Cum autem Basilius puer in domestica institutione elementa literarum et Evangelii percepisset, Caesareae postea apud eloquentiae et Philosophiae doctores exercetur: qui locus doctrinae arx et omnium bonarum artium domicilium, et ut ita dicam, Academia praecipua et florentissima eo tempore fuisse fertur. Inde Athenas missus, ubi tunc minora aliquanto studia erant, quam in plerisque Asiae urbibus, sed locus propter veterem celebritatem adhuc appetebatur. Eo cum venit, non iam auditor tantum erat Oratorum et Philosophorum, sed ipsum cum studiosi audivissent, admiratione ingenii eruditionis, et eloquentiae moti, ad docendum invitarunt: quibus aliquandiu gratificatus, Graeciam brevi reliquit, quod parum ibi eruditionis reperisset, ac ethnicae spurcitiae plurimum. Et quia cum aetate cura in eo cognoscendae et tuendae doctrinae Christianae crescebat, narrat ipse hoc se consilio vagari per Thraciam et totam Asiam cepisse, ut Ecclesias praecipuas videret, et in his audiret non solum quid docerent, sed etiam a quibus auditoribus et testibus doctrinam accepissent. Fuit enim aliquanto ante natum Basilium Gregorius Neocaesariensis testis sententiae Apostolorum. Nam discipulos eorum audierat, et existimabatur optima fide puritatem doctrinae retinuisse, eique autoritatem Deus attribuerat miraculis. Hic et re-

futavit Samosatenum, et scriptam reliquit confessionem suae fidei de tribus personis divinitatis, dignam memoria, quae hodie extat. Huius se doctrina imbutum ab infantia inquit ipse, quod nutricem habuerit mulierem studiosissimam doctrinae Gregorii. Nec procul distat a Caesarea sedes Gregorii, milliaribus nostris fortasse viginti. Nárrat autem se recte et integre percepta Gregorii sententia, voluisse et caeterarum Ecclesiarum doctrinam ad eam conferre. Tale studium inquirendae veritatis tunc in multis fuit, in quo et pietatem et modestiam laudare convenit. Pii non subito pronunciabant, sed peritorum iudicia toto orbe terrarum sciscitabantur. Ita vagatus est Irenaeus, qui non solum Asiaticas et Graecas Ecclesias, sed etiam Gallicas et Germanicas citat: qua ex re apparet, initio collegia in Ecclesiis summis fuisse pulcherrimos coetus, similes Prophetarum scholis, imo angelorum agminibus, doctrinae custodes, omnium virtutum officiis eam ornantes. Nunc loci dignitatem homines amissis literis et studio pietatis iactitant, magis Centaurorum similes, quam sacerdotum.

Postquam autem Basilius hac peregrinatione absoluta, Caesaream rediit, ac saepe specimen eruditionis praebuit, vocatus est ab Episcopo Eusebio ad munus docendi in Ecclesia: fuitque aliquandiu lector et interpres sacrorum voluminum, quod munus simile erat scholastico, ut nunc sunt in scholis lectores. Cum autem inter Episcopum et Basilium simultas orta esset, Episcopi voluntate exulcerata calumniis monachorum, qui Basilio infesti erant, propterea quod eorum ignavum ocium et inscitiam detestari soleret: hic Basilius Caesaream et lectoris gradum plenum dignitatis reliquit, ne haec factionum initia maius incendium excitarent. Nam ubi semel distractae sunt voluntates partium odio dogmata facile mutantur. Et nunc Ariani grassantes, occasiones captabant veneni sui spargendi in Ecclesia Caesariensi. Laudo Basilii consilium, qui, ne atrocius dissidium oriretur, cedere invidiae maluit, nec tamen, ut multi putant, postea se in monasterium ociosus abdidit. Vixit ille quidem cum aliquot auditoribus in secessu, qui distabat a Caesarea circiter triginta miliaria. Sed interim vicinas Ecclesias in Ponto saepe adibat, has docebat, emendabat, muniebat adversus furores Arianos et alios. Sic tempora partiebatur, ut alias suam eruditionem domestica meditatione aleret, quae ne impediretur, aliquantisper a populo in praedium suum secedebat: alias vero prodiens alienae utilitati serviret. Haec ita facta esse, narrat Eusebius. Etsi autem in epistolis Basilius monasticen immodice praedicat, ut suum cuique institutum blanditur, tamen cum munus docendi non deposuerit, et de iustitia fidei alibi praeclare scripserit, modestius sensisse eum existimo, quam postea haec recentia examina monachorum senserunt.

Nec diu fuit in his latebris, sed aliquanto post cum Ariani palam grassarentur in urbe Caesarea, et Episcopus ipse antagonistam illis opponendum esse censeret, valentem ingenio eruditione, eloquentia, autoritate, mittit ad eum legatum Gregorium Nazianzenum, qui reduceret eum ex solitudine in aciem et patriae praelia. Difficile erat hominem doctum ex illa dulcissima tranquillitate studiorum in atrocia certamina abducere. Nec ei ignota erant omnia illa, quae sapientissimi homines et usu periti de fugienda gubernatione disseruerunt. Meminerat Demosthenem dixisse, si retexenda vita esset, et duae viae sibi proponerentur: altera recta ducens ad summos honores in Republica, altera recta ad mortem: se commonefactum de periculis, potius ingressurum esse mox illam viam, quae ad mortem ducit, quam alteram. Sed sciebat Basilius, nobis in Ecclesia hanc militiam propugnandi Evangelii divinitus mandatam esse, et cogitabat omnia quae in hanc sententiam pie dicuntur contra vetus dictum *λάθε βιώσας*. Prodiit filius Dei non solum ex tranquillitate sua, sed etiam ex illa aeterna gloria, et in sese tristissimas poenas derivavit. Quare nec nos de nostro ocio, de suavitate vitae, de deliciis, sed de mandato Dei cogitemus, et ad eam normam consilia dirigamus. Etsi igitur dulcedine praesentis ocii, et memoria iniuriarum, quas antea ab Episcopo acceperat, movebatur, tamen utrique rei praetulit Ecclesiae necessitatem. Sciebat in Ecclesia gratum officium esse Deo, *μὴ μνησικακεῖν*: nec pacem ullam diuturnam in gubernatione esse posse, nisi aliquae offensiones dissimulentur, ac lenitate animi obruantur. Itaque reversus primum obsequio et suavitate ita senis Episcopi animum sibi devinxit, ut concordia vere et ex animo sarta, nunquam deinde dissilierit. Adversarios vero doctrinae incorruptae tanta gravitate refutavit, ut et Ecclesiae consensum retineret, et lupos illos brevi a caulis prorsus depelleret.

Post paucos annos sene Episcopo mortuo Basilius suffragiis omnium ordinum creatur Episcopus, minime tranquillo tempore. Nam et Valentis imperatoris furor crescebat, qui antistites recte sentientes passim sedibus suis pellebat, et imperatoris rabiem Deus fame et bellis puniebat, et secutae sunt variae Ecclesiarum dilacerationes. Has miserias domestica Ecclesiae concordia leniebat, quam magnis officiis Basilius tuebatur. Annona laxata est, partim quia autoritate sua locupletes permovit, ut frumentum mediocri precio venderent: partim quia ex aerario Ecclesiae, et venditis propriis praediis, opem tulit egentibus.

Cum igitur Valens imperator iam in ea loca veniens, iuberet Basilium adsentiri Arianis, eique nisi obtemperaret, exilia et supplicia minaretur. Pueris (inquit) illa terriculamenta proponenda esse, sibi vero vitam eripi posse, sed confessionem veritatis eripi non posse. Fueruntque diebus aliquot continuae et acres inter Valentem imperatorem et Basilium contentiones, quas tandem illustri exemplo Deus diremit. Cum enim iratus imperator venisset in templum cum armato satellitio, ut Basilium inde abduceret, cum ad sacerdotum sedes accessisset, subita vertigo imperatorem evertit, ita ut nisi Diaconi proximi manibus exceptus et sustentatus fuisset, collapsus solo corpus allisurus fuerit. Tremens igitur et attonitus ex templo a ministris effertur: ut Heliodorus dicitur subita consternatione oppressus esse, cum templum in urbe Hierosolyma spoliaturus esset.

Hoc exemplo aliquantulum repressa est Valentis iracundia. Sed discedente imperatore, praefectus edictum proscriptionis pronunciat. Etiam ad iter omnia paraverat Basilius. Tum vero benevolentia Ecclesiae erga Episcopum perspecta est, quae concurrens flagitavit eum sibi reddi, ac eiici prohibet. Metu igitur tyrannus coactus, permittit ut Basilius maneat. Nec multo post cum infoeliciter cum Gotthis dimicasset, seque in fuga in casam rusticam abdidisset, casa a sequentibus militibus incensa, ibi combustus periit. Hic exitus fuit tyranni, qui pios doctores ex Ecclesiis passim eiecerat, et late Arianum virus sparserat. Retinuerant tamen in officio et veritatis professione magnam Asiae partem, ut dixi, Basilius et vicini Episcopi ipsius fratres, et alii quidam coniuncti.

Post tyranni interitum impune tota Asia vagati sunt barbarici exercitus, quorum arma etiam Ecclesiarum tranquillitatem, disciplinam et pia studia turbarunt: quae res ingentem dolorem Basilio attulit. Sed aliquanto post accersito Theodosio et barbari repressi sunt, et restitutae Ecclesiae, bella tamen Episcoporum regiones et reditus mutarant. Inde etiam ad extremum rixae cum vicinis Episcopis Basilio ortae sunt, in quibus ea moderatione usus scribitur, ut reditus adimi sibi passus sit, sed pristinas regiones suae inspectionis retinuerit, ne ibi doctores impii collocari possent. Inter tot certamina consenuit Basilius, ex quibus eluctatus omnibus, foeliciter florenti Ecclesia sub initia imperii Theodosii, decessit ex hac vita. Hanc Basilii historiam partim ex aliorum monumentis excerpsimus, in qua primum de perpetua Ecclesiae gubernatione cogitemus. Videmus hic quoque non humanis praesidiis servatam esse Ecclesiam inter tot procellas, quibus tunc quassata est. Multi furores eodem tempore grassabantur, Ariani, Manichaei, Cathari. Et imperator Valens in foelicibus armis attrahebat gentes barbaricas intra fines sui imperii, et domi perniciosae factionis studio vastabat Ecclesias. In his tantis difficultatibus tamen non est extincta lux doctrinae coelestis. Quare nunc quoque in tam tristi confusione imperiorum huius aetatis, speremus tamen Deum servaturum esse filio haereditatem, Ecclesias videlicet et literarum ac doctrinae domicilia. Basilii vero foelicitatem praedicemus, qui ex tantis fluctibus eluctatus, salva navi sua in portum pervenit: id est, retinuit piam Ecclesiae concordiam, quoad vixit.

Cumque Deo gratias agemus, quod subinde salutares doctores excitat: de nobis ipsis, de nostro cursu, de nostris studiis vero cum gemitu cogitemus, ac vota faciamus, ut Deus nos faciat salutaria organa Reipub., seu ut loquitur Paulus, vasa misericordiae, nec abiiciamur inter vasa irae, qualia fuerunt Pharao, Nero, Valens, Arius, et alii innumerabiles, qui fuerunt pestes Ecclesiae et generis humani. Haec quotidie magna cura et sollicitudine cogitanda sunt. Recitavi res gestas, in quibus et genus doctrinae conspicitur, et lucent Basilii virtutes multae, de quibus prolixius dicerem, si tempus pateretur. Fides, quae est omnium virtutum mater, in genere doctrinae et constantia confessionis cernitur. Extant enim scripta Basilii, quae cum multas controversias dogmatum contineant, ostendunt recte eum de omnibus articulis Evangelii sensisse. Propugna-

vit acerrime sententias de filio Dei et de Spiritu sancto, quas Deus patefecit Ecclesiae suae, et ipse a Gregorii Neocaesariensis auditoribus, qui Apostolorum discipulos audierat, accepit. Refutavit Catharos erudito libello de poenitentia.

Quid vero de iusticia fidei senserit, ex ipsius quaeso verbis cognoscite, quae extant in concione *περὶ ταπεινοφροσύνης.* Dicit autem Apostolus, Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens Christum nobis factum esse sapientiam a Deo, iusticiam, sanctificationem et redemptionem, ut sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Haec est enim vera et integra gloriatio in Deo, quando neque propter iusticiam suam quispiam effertur, sed statuit se carere vera iusticia, fide autem sola in Christum iustificari.

His verbis Basilius sine ulla ambiguitate adfirmat, homines non propter proprias virtutes, sed propter filium Dei mediatorem iustos esse: ut nunc quoque Ecclesiae nostrae de beneficio pie et fideliter docent. Nec dubito piis attente considerantibus hanc Basilii vocem gratam fore. Mores autem fuerunt casti et inculpati. Et quanquam oratio ostendit suavem et placidam naturam fuisse, tamen in gubernatione acer fuit. Artifex fuit conciliandorum animorum, et tuendae concordiae, qua de re alicubi scribit. Non tam sinistrae, inquiens, opus est dextra, quam Ecclesiae opus est docentium concordia.

Ethnicis etiam sugillantibus ipsum, cum quibus dimicandum non esse censebat, summa gravitate et venustate respondit, ne maledictis certare videretur. Nam Libanio scribens, cuius eo tempore eloquentia maxime celebrata est, inquit, orationem ipsius rosae similem esse, nitidam et fragrantem, sed tamen spinis et aculeis circumdatam. Ac virtutum quidem caeterarum Basilii ingens ornamentum fuit eloquentia, quae in eo tanta fuit, ut nunc quidem nullius ecclesiastici scriptoris extent monumenta, qui rectius et melius locutus sit. Ac diligentia in loquendo et figurarum et ornamentorum delectus indicant iudicii sanitatem et prudentiam. Quare hunc scriptorem utile est cognoscere: nec dubito legentibus ea quae sunt ipsius propria et *γνήσια,* placiturum esse. Nam monachorum regulas magna ex parte falso ei adscribi certum est. Et si qua pars ab eo scripta est, ut Paulus inquit, etiam bonos doctores supra fundamentum stipulas extruere, agnoscamus et deploremus communem hominum imbecillitatem, et normam sequamur in iudicandis scriptis hanc, ne quid probemus, quod a scriptis propheticis et apostolicis dissentit, et testimonia non aspernemur, quae certa autoritate ab Apostolis tradita esse, vetustas consentiens adfirmat. Dixi.

No. 82. an. 1545.

De verbo ὀρθοτομεῖν.

In Declam. T. III. p. 412 sqq., in Serv. T. III. p. 392., in Erford. T. III. lit. H, 5. et apud Richard. T. III. p. 351.

Oratio recitata a Doct. Georgio Maiore, de verbo ὀρθοτομεῖν. (Erford. addit an. 1545.)

Sciamus hos nostros congressus non esse prophana spectacula, sed convenire nos, ut aliquid de coelesti doctrina dicatur, et ut in hoc coetu fiat invocatio Dei, ac petamus servari ministerium Evangelii, et haec nostra studia necessaria ad omnium salutem regi. Haec cum fiunt, hi congressus etiam ad hoc dictum pertinent: Ubicunque duo aut tres in nomine meo congregati fuerint, ibi in medio eorum sum. Hanc promissionem auditores initio cogitate, et mentes ad invocationem Dei exuscitate. Ac quoniam hoc loco meae partes iam in dicendo primae sunt, meque velut *ἔξαρχον* esse precationum oportet, mea verba quaeso piis animorum motibus subsequimini. Primum tibi, aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et conservator et opitulator, conditor Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, gratias agimus, quod et filium nobis misisti, et Evangelii lucem nobis accendisti, et hactenus servas. Deinde etiam te ardentibus votis oramus, ut non sinas hanc Evangelii lucem extingui, sed noticiam filii tui serves inter nos, regas ministerium Evangelii et doctrinae studia, et colligas tibi aeternam Ecclesiam: has etiam politias, quae sunt hospitia Ecclesiae tuae, et disciplinam tuearis.

Haec vota saepe apud animos vestros, praecipue in hoc congressu, cui interesse Deum non dubium est, ingeminate: quod ut faciatis maiore animorum motu, cogitate et praesentes calamitates orbis terrarum, et pericula quae impendent. Multis locis simul grassantur fames, pestilentia,

bellum, saevitia adversus Evangelium, et fanatici furores. Haec mala, ut Graeci dicunt, *ἔσχατα ἐσχάτων*, ne Germaniam opprimant, serio petamus.

Videtis nunc frumenti inopiam esse, et spirantibus Boreis trium mensium siccitate terram duratam esse, nec posse scindi aratris, nec semina accipere aut fovere: quae siccitas si erit diuturnior, metuo fore nobis coelum aeneum et terram ferream, ut vox divina minitatur. Et una cum fame grassari alia multa mala solent. Nec tantum haec frumenti inopia metuenda est, sed formidetur et illa comminatio, quae extat apud Prophetam Amos, in qua dicitur: Mittam famem audiendi verbi Dei. Ubi vox Evangelii consilescit, primum mentes amissa agnitione Dei, dolorum magnitudine oppressae, ruunt in aeternum exitium: deinde et aliae calamitates impietatem comitantur, seditiones, dissipationes, bella, urbium excidia, vastationes. Haec ne accidant, quae et accidere possunt, et iam eclipsibus denunciata sunt, et multorum furores merentur ac irritant, precandum est. Quoties coelum ferrugineum iam aspicis, hunc ipsum tibi boream claudentem terram, de ira Dei, et de poenis nostris concionari scias: et curam exuscites, ut flectere Deum vera pietate studeas. Hanc nobis consolationem monstravit ipse filius Dei, qui cum de ultimi seculi malis concionatur, pollicetur Ecclesiae miseriarum publicarum mitigationem.

Haec praefatus sum, quia praesertim in hoc loco, ubi de studiis doctrinae dicitur, prodest simul commonefieri rudiores de communibus miseriis, ut earum cogitatione accendatur cura recte colendi Deum, cuius rei praecipua pars est, diligentia recte docendi et discendi.

Usitatum est autem aliquid dicere de ministerio evangelico, ad quod haec pia studia in scholis Christianis pertinent. Ideo dicam de admonitione Pauli, qui praecipit Timotheo, ut studeat recte secare verbum Dei, seu, ut ipse loquitur, *ὀρθοτομεῖν*. Haec sententia reprehendit multorum persuasionem, qui doctrinam Ecclesiae sine literis et sine eruditione ab omnibus indoctis explicari posse somniant. At Paulus magnam eruditionem, diligentiam, iudicium, denique artem requirit, cum iubet recte secari doctrinam, id est, recte distribui partes, et singulas apte proponi, et concinne ad eas res accommodari, de quibus vox divina loquitur. Plato inquit: Ut catuli lacerant mordicus apprehensos panniculos, ita indocti sententias varie raptatas corrumpunt. Haec in exemplis maxime conspici possunt. Quam multae sunt insulsae interpretationes Origenicae, qualis haec est in Romanis, cum ex hoc dicto: Ego aliquando sine lege vivebam, ratiocinatur, animas omnium hominum simul conditas esse et in Paradiso fuisse ante promulgatam legem.

Tales hallucinationes multae ex eodem scriptore proferri possent, in quibus cernitur, ei valde defuisse diligentiam recte et concinne interpretandi sermonem apostolicum. Interdum tales depravationes ab inscitia ortae sunt. Sed pene saepius ingeniorum petulantia per ludum transformavit dicta in alienas sententias. Magis autem merentur poenas hi ludi, quam corruptelae nomismatum. Sic armarunt Pontificem duobus gladiis, propter hoc dictum: Ecce duo gladii hic. Cumque nota sint exempla, et passim obvia sint, non adiiciam plura. Quam perniciosum erratum est in hac confusione, quod monachi non recte tradiderunt discrimen legis et Evangelii. Hic error tanquam in unum quoddam Chaos, universam doctrinam coelestem confudit. Nec deprehenditur haec confusio humana sagacitate, sed singulare Dei opus est, instaurantis Ecclesiam, proferre hoc discrimen. Nam humana ratio, quae legem seu disciplinam externam utcunque intelligit, non perinde cernit illam alteram doctrinae partem, scilicet Evangelium de reconciliatione, procul positum supra conspectum omnium angelorum et hominum. Ideo facile obscuratur caligine humanarum opinionum, quam Deus, ut Ecclesiam sibi colligat, subinde depellit.

Ad hoc munus excitavit initio Patres, deinde Prophetas: ad hoc munus et filium Dominum nostrum Iesum Christum misit, deinde Apostolos. Flexit et postea aliquorum mentes ad illustrandam hanc partem. Et sine ulla dubitatione Dei beneficium est, haec recens doctrinae repurgatio, quam et amplecti grato pectore decet, et fideliter tueri: quod sine vera pietate, sine literis, sine acerrimo studio non fiet.

Cum autem a nobis praecipue, qui in hanc militiam a Deo vocati sumus, doctrinae possessio defendenda sit, sciamus Dei mandatum esse, ut diligentiam in discendo praestemus. Id cum alias saepe traditum est, tum vero hac voce *ὀρθοτομεῖν* significatum est: quae magis intelligetur,

si fons metaphorae consideretur. Arbitror enim sumptum esse verbum a sacerdotum officio, qui secabant hostiarum membra, nec enim licebat temere partiri, ut cuique videbatur: sed Deus alia membra abiici, alia sibi inflammari, alia attribui sacerdotibus voluit. Plane ars erat dividere hostiam. Nec putemus ritus illos barbaricam consuetudinem fuisse, ac nullas causas, nullas significationes habuisse: imo vero et causas rituum, et quarum rerum essent imagines, Prophetae et alii pii ac eruditi sciebant. Sed nobis in hac nostra inscitia, difficile est eas causas et imagines recte explicare. Ideo multi in texendis allegoriis insulsi sunt. Sed recitabo et ego, quid mihi de his typis videatur, et a praeceptoribus meis, vera pietate colendis, peto enarrationem magis concinnam.

Magna sapientia est lex divina, et cum utilitati hominum consulit, tum vero ritus ipsi multa arcana de voluntate Dei monent. Iussit Deus sibi inflammari adipem et caudam, sacerdotibus vero attribui pectus et harmos. Hic videmus habitam esse utilitatis rationem: nam hae partes cum maxime carnosae sint, pectus et harmi, datae sunt vescendae sacerdotibus. Voluit enim Deus ali sacerdotes pecudum oblatione. Adeps et cauda parum habent carnium, seu cibi, ideo has potissimum partes absumi igne iussit.

Nec nihil de significationibus cogitabant Aaron, Phinees, Zacharias, et similes sacerdotes inter sacrificandum. Videbant pectus et harmos sibi attribui, ut monerentur sacerdotes et pectus esse populi et baiulos. Boni doctores consilio regunt populum, et praecipuam molem curarum et dolorum in tota gubernatione sustinent. Et cum haec membra prius offerebantur Deo levata, et in dextrum et sinistrum latus mota, multa secum ipsi cogitabant. Primum agnoscebant ab hoc uno et aeterno Deo institutum esse hoc sacerdotium: deinde et auxilium in hac oblatione petebant, et ad eum celebrandum omnia consilia referenda esse statuebant. Et in hac suorum laborum et suae militiae cogitatione, mente intuebantur summum sacerdotem filium Dei, quem sciebant praecipue pectus et humerum esse universae Ecclesiae. Filius suppeditat consilium, et pro nobis sustinet tristissimas poenas, et placat iram patris. Ab hoc summo sacerdote consilium et robur petebant: huius onus sciebant longe gravius fore omnibus aerumnis, quas etiam fidelissimi gubernatores alii quocunque tempore tolerant. Sciebant tota victima significari Mediatorem, qui sacerdos et placator futurus erat, et propter eum norant hoc ministerium institutum esse.

Quod vero sanguine aram conspergi oportuit, norant non pecudum, sed Mediatoris sanguine universam Ecclesiam redimi. Cum vero caudam et adipem conflagrare videbant, agnoscebant indicio Dei hanc nostram mortalem naturam subiectam esse morti et ingentibus aerumnis: sed abolito peccato in morte, postea naturam restitui. Nasci nos ad delicias fingimus, et curae hominum consiliaque ad hoc praecipue referuntur, ut suaviter vivamus. At scias illam suavitatem conflagrare oportere, non regna, non tyrrannides, non gloriam, non hominum plausus hoc ministerio quaerendos esse. Haec et similia cogitabant pii sacerdotes, flammam sacrificii intuentes, et hac consolatione leniebant dolores, quod non temere, non casu perirent victimae, sed quod et Deo iubente oblatae, et ad celebrandum Deum hae partes inflammatae essent. Gaudebant igitur se quoque non temere dimicare in acie, affligi, sustinere ingentes aerumnas: sed haec certamina suscipi iubente Deo, et late spargi in eis noticiam Dei, ut in Psalmo dicitur: Propter te mortificamur tota die.

Videmus igitur in his spectaculis sacrificiorum propositas esse imagines, quae significant, quales esse ministros doctrinae coelestis, et quae sustinere, et quo consilio oporteat: sint pectus et baiuli populi, sustineant agones et vetustatis nostrae interitum, et referant suas aerumnas ad celebrandum Deum. Has imagines rudior aetas consideret, et adiungat exempla, quorum omnium maxime illustre est ipse filius Dei. Deinde caeteri sacerdotes, qui praeclare functi sunt suo munere: videlicet Patres, Prophetae, Apostoli, et horum omnium milites et *παραστάται*.

Cum autem et ipsi prorsus ad eandem militiam vocati simus, nostrae voluntates et studia ad illas imagines congruant, et imitentur haec exempla, quae Deus nobis non frustra proposuit: pectora instruamus vera doctrina, ut de Dei voluntate et salutari vitae gubernatione alios docere possimus: robur a filio Dei petamus, ut sustinere labores ministerii possimus: nec misceamus vitiosas cupiditates, sed praeparemus nos ad miserias ferendas, ac portum intueamur aeternum, qui iam hac navigatione petendus est, videlicet aeternam consuetudinem Dei et filii eius, et universae

Ecclesiae. Tales esse quicunque student, horum voluntates ac labores iuvabit et reget Deus, ut haec dulcissima vox Pauli testatur: Deus est qui efficit ut velitis, et bona perficiatis, ut aliqua ipsi vere grata fiant.

Charissimi auditores, cogitemus vitae causas totum curriculum et exitum. Dolendum est, magnam partem generis humani furentem, tantum ingrata Deo facere, et pestes esse communis societatis. Excerpsit autem Deus sibi Ecclesiam, in qua certe vult sibi officia grata praestari. Vult circumferri doctrinam Evangelii, ut agnoscatur et vere invocetur: vult hanc lucere in confessione nostra et diligentia regendorum morum. Annitamur ergo, ut huius coetus pars simus, qui Deo grata officia praestat, non simus hostes Dei et pestes humani generis. Has nostras adhortationes scitis quotidianas esse, quibus ut multi vere moveantur, faciat Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, et inter nos semper colligat, servet ac regat Ecclesiam. Amen. Dixi.

No. 83. an. 1545.

De quaestione Simsonis.

In Declamat. T. III. p. 422 sqq., in Servesl. T. III. p. 401. et apud Richard. T. III. p. 190. Item in Tomo III. Erfordiano lit. J, 4.

Oratio de quaestione proposita a Samsone, Iudic. XIII., habita a Decano M. Ioanne Durstenio. 1545.

Saepe auditis, institutos esse hos congressus scholasticos, non ut olim spectacula Circensia, aut ludos theatrorum, voluptatis causa: sed ut adiuvent doctrinae honestae propagationem, qua Ecclesiae et vitae humanae opus est. Adferantur ergo huc animi non profani, sed de gubernatione Ecclesiae, de causis cur doctrina data sit, de periculis publicis, deque iuvanda defensione doctrinae cogitantes, et ardentibus votis petentes, ut Deus studia nostra regat et defendat. Seu ad ortum flectis oculos, seu ad occasum, pericula sunt in conspectu. Ad eurum Turci Ecclesias et politias vastant, ad occasum in Belgico et in Celtica, et in multis aliis regionibus exarsit saevitia regum adversus verae doctrinae professionem. Itaque nisi Deus ipsi reliquias Ecclesiae sibi et servaret et defenderet, noticia filii Dei in terris penitus extingueretur. Haec cogitanda sunt, quoties huc convenimus: et Deo gratiae agendae, quod lucem doctrinae nobis accendit et impertit, et vota facienda sunt, ut studia doctrinae salutaris non sinat extingui. Id cum facimus, scriptum esse meminerimus: Ubicunque duo aut tres convenerint in nomine meo, in medio eorum sum, et quicquid petent, fiet eis. Hanc promissionem etiam ad nostros congressus pertinere statuamus, si mentes pias adferimus. Adiungite igitur vota vestra ad meam orationem: Gratias tibi agimus Deus aeterne, pater Domini nostri Iesu Christi, quod voce Evangelii colligis et servas tibi Ecclesiam: et oramus te, ut mentes nostras et studia semper gubernes, et nos vasa misericordiae et salutaria nobis et Ecclesiae tuae facias.

Cum autem aliquid hoc loco dicendum sit, et in deligendis argumentis saepe tempori serviatur, dicam et ego de quaestione Samsonis, quae significationes continet maximarum rerum, de quibus iam dici solet, cum memoria resurrectionis Christi celebratur. Idque eo feci libentius, quia narratio illa Samsonis non aliena est a philosophia. Primum enim mos consideretur illorum temporum. Quaestio proponitur in convivio: multae autem sunt veteres narrationes, quae ostendunt hunc publicum fuisse morem in conviviis, seu historias recitare, ut apud Virgilium Aeneas Troiae excidium narrat: seu audire musicos, ut apud eundem poëtam Iopas canit errantem Lunam Solisque labores, Arcturum, pluviasque hyadas, geminosque triones: sed quaestionibus certare, quae continebant aliqua naturae arcana, aut aliquam de virtute commonefactionem, ut in Esdra quaeritur, quid fit fortissimum. Ita Samson hic quaestionem ex arcanis naturae operibus sumit: nam cum animadversum sit alia insecta oriri ex aliis naturis, quaeritur, unde apes nascantur.

Hic igitur morem veterem cogitemus, exemplum honestum esse, quod eruditis colloquiis simul exhilarabantur, et docebantur animi in conviviis, non strangulabantur helluatione. Deinde physica exempla consideremus. Plutarchus haec quatuor recitat: ait, ex tauris putrefactis apes nasci, ut et Virgilius scripsit: ex equis crabrones, ex asinis scarabeos, ex hominibus serpentes.

Hanc varietatem sapientes viri, qui haec in literas retulerunt, consideratione dignam esse duxerunt. Etsi autem causae non satis pervestigari

possunt, tamen aspici haec exempla Deus voluit, et aliquid significant. Nec tauri dubia est significatio, erant enim victima tauri. Sic igitur ex Christo victima mel et apes, id est, Evangelium et Ecclesia oriuntur. Equi, id est, equites heroici degenerantes gignunt crabrones: asini, id est, plebeii, scarabeos seditiosos, inimicos aquilis, id est, imperiis. Sed tristissimum est, quod de homine dicitur. Cur ex praestantissima natura serpentes erumpunt? Cohorresco referens. Cum enim serpens initio virus suum homini infuderit, ex eo contagio serpentes postea nascuntur: ac significatum est, hominem in morte manentem serpentis diaboli similem esse. Quid tristius de humanis miseriis cogitari potest, quam homines damnatos eo labi, ut diabolorum similes fiant? Huius tanti mali cogitatione expavescant animi, et ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, instauratorem iusticiae et vitae confugiant, et liberationem petant, sicut filius iubet, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis.

Cum igitur haec exempla naturae sciret Samson, simile experimentum proposuit, aliis ignotum. Audierant fortasse, ex tauris apes nasci, sed de leonibus nihil tale compertum habebant.

Novam igitur quaestionem adfert, vicinam illis usitatis experimentis, sed tamen inusitatam: quid sit, de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo? posterior pars tauris conveniebat: sed obscuratur hoc membrum priore, nam tauri non sunt σαρκοφάγοι, non laniant animantium corpora. Non igitur potest, nisi ab ipso Samsone, explicari arcanum: ut significaretur, Evangelium non nisi ab isto Christo proferri ex sinu aeterni patris, et Ecclesiae patefieri. Deinde, ut puella dilecta caeteris arcanum aperit, ita voce et ministerio Ecclesiae late spargitur Evangelium. Et venustissime significatum est, Ecclesiam doctricem audiendam esse, ministerium Evangelii venerandum esse. Ideo enim addit: Si non arassetis mea vitula, non invenissetis expositionem. Significat autem leo mortuus mortem superatam in ipso Christi corpore, mel et apes, hoc est, Evangelium et Ecclesia nascuntur: estque Evangelium cibus, quo iusticia et vita aeterna in credentibus restituitur.

Hanc imaginem breviter recensui, ut cum in his feriis praecipue celebranda sint beneficia filii Dei, nunc quoque in hoc congressu cogitatio rerum maximarum accenderetur. Cum autem filius Dei vicerit tetrum ac venenatum serpentem, peccati et mortis autorem, et nobis ipsum invocantibus vere velit opitulari: oro eum, ut et mella sua et hos nostros alveolos, id est, scholam servet, et in his alveolis apium examina et labores regat. Et a nostris alveolis fumos, id est, sophisticam et ambitionem, et fucos, id est, ignavos, et doctrinae corruptelas depellat. Denique totum mellificium nostrum, id est, Evangelii et aliarum honestarum artium studia regat. Dixi.

No. 84. an. 1545.

De dicto Mosis etc.

In Declamat. T. III. p. 579 sqq., in Servest. T. III. p. 549. et apud Richard. T. III. p. 115. Etiam in libro: Georgii Principis Anhaltini conciones et scripta etc. (Witeb. 1570. fol.) p. 396. Est enim oratio synodica quam Melanthon scripsit Georgio Principi Anhalt., qui illam (ut in fine legitur) „recitavit in Synodo feria II. post Trinit. an. D.M.XLV."

Oratio de dicto Moysi Gen. 35.: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini.*

Cum ait Psalmus de Domino nostro Iesu Christo filio Dei: Ascendit, dedit dona hominibus, significat, ut Paulus interpretatur, dare eum Prophetas, Apostolos, Pastores et Doctores. Primum ergo gratias Deo aeterno Patri, et Domino nostro Iesu Christo ago, et ut vos agatis, oro, quod et saepe inde usque ab initio mundi et nunc recens immensa bonitate instauravit Ecclesiam suam, missis salutaribus Doctoribus et Pastoribus: et toto pectore oro, ut postquam me ad ministerii evangelici societatem vocavit, me clementer regat et adiuvet, ut ministerium mihi iniunctum et susceptum sit foelix et salutare.

Paulus inquit, sufficientiam nostram ex Deo esse: monet hoc nostrum ministerium non humana sapientia, non quamvis excellenti ingeniorum acie, non ullius creaturae viribus foeliciter administrari posse, sed ita esse salutare, cum nostrae mentes et lingua sunt organa Dei, per quae vocat et accendit pectora auditorum.

Nulla igitur fiducia meae industriae, aut virium mearum, nulla ambitione aut captatione delatum mihi hoc ministerium suscepi, sed simplici animo et pio studio, vocationi morem gessi, ut

in aliqua parte meus labor Ecclesiae Dei serviat, immo proposita mihi esse acerba odia, certamina et pericula video.

Non ita sum rudis et ignarus vitae communis, ut nesciam quid homines impii, praesertim potentes, quorum magnus est numerus, de toto hoc ministerio sentiant. Deinde hoc tempore, in his dissidiis Ecclesiae, maioribus periculis et aerumnis exerceri gubernatores manifestum est: scio igitur me ad labores, curas, sollicitudines et certamina (ut quidem indies experior) vocatum esse, quae ut gubernet filius Dei Dominus noster Iesus Christus, oro.

Ego certe cohorresco, ordine considerans partes mei officii.

Doctrina primum inspicienda est in hoc templo et omnibus locis, quorum inspectio mihi commendata est, mea etiam voce declarare me coram vobis et tota Ecclesia oportet, quid sentiam, ut sciatis me puram Evangelii doctrinam de filio Dei Domino nostro Iesu Christo profiteri, et defensurum esse.

Deinde ceremoniae ad Evangelii normam regendae sunt, emendandi vitiosi cultus, et proponenda vera Dei invocatio.

Postea gradus et ordines hominum considerandi.

Primum fratres collegii nostri ad verae professionis et ad omnium meorum consiliorum societatem adiungere cupio.

Postea etiam mores populi, disciplinae severitate ad pietatem et modestiam revocandi et flectendi sunt.

Etsi autem singulae partes plenae sunt difficultatum, tamen si fratrum collegii nostri voluntates mecum congruent, et ab eis adiuvabor, spero caeteras officii partes faciliores fore.

Certe inde usque ab initio summis sacerdotibus ad tabernaculum in Israël, et postea Episcopis, adiuncta fuerunt collegia, quia unus homo gubernationem sustinere non potest, sed necesse est eum habere Senatum aliquem, et adiutores, quorum cum voluntates et sententiae in professione verae doctrinae congruunt, Ecclesiae sunt foelicissimae, ut Psalmus monet: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.

De hoc consensu filius Dei Dominus noster Iesus Christus in postremo agone suo ante mortem orat Patrem aeternum: Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Id est, primum coniuncti sint tecum in verae doctrinae agnitione et vera invocatione, deinde inter se sint concordes.

Hanc coniunctionem utinam et inter nos efficiat Deus et aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi.

Ac ego quidem vobis fratribus collegii nostri defero sinceram benevolentiam, et polliceor me perfecturum omni studio, ut piam inter nos concordiam et constituam et tuear. Sed vos quoque oro et obtestor propter Dominum nostrum Iesum Christum, ut et vestras mentes ad gloriam Dei illustrandam, ad vestram et communem salutem, et ad hanc concordiam inter nos, flectatis. Quod si facietis, et Deo gratum officium facietis, et aeternae vitae gloriam consecuturi estis, et hanc totam regionem et patriam vestram magnis bonis ornabitis. Nam constituta nostra concordia, erit certa doctrinae et iudiciorum ecclesiasticorum sedes, etiam ad posteritatem. Quod bonum maxime optant et expetunt omnes prudentes et pii in hac tota regione nostra.

Ut autem talis inter nos concordia constituatur, a Deo nos ordiri oportet. Nulla potest esse hominibus firma societas, nisi mentes a Deo coniunctae sint. Sint (inquit Christus) sicut nos unum sumus, id est, primum nobiscum sint unum, vera agnitione et invocatione nobis adiuncti sint, postea inter sese concordes.

Primum ergo proposui dictum Iacob: Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini. Id dictum nos omnes hortatur, ut ante omnia verum Dei cultum et veram invocationem discamus et amplectamur.

Ad hoc condita est hominum natura, et post lapsum per Christum redempta, ut Deum agnoscat et celebret, non ad perfruendas in hac vita voluptates, non ad quaerendam potentiam nascimur, quae brevi momento duratura est, sed ad res aeternas nascimur, ad agnitionem et celebrationem Dei, ad sapientiam, ad iusticiam et ad dulcissimam consuetudinem cum Deo aeterno. Inchoari autem hanc lucem in hac vita oportet, sicut scriptum est: Haec est voluntas Dei, ut omnis, qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Et rursus: Qui non credit, iam iudicatus est. Veram igitur de Deo doctrinam audiamus et amplectamur, ne aeterna ira Dei et aeternis suppliciis opprimamur.

Dicent igitur aliqui: Scimus et fatemur, nos ad agnitionem et invocationem Dei conditos esse, et cupimus non solum collegii nostri, sed totius Ecclesiae concordiam retinere in hac doctrina et his ceremoniis, quas longa vetustas iam comprobavit. Nulla nova doctrina, nullae novae ceremoniae recipiendae sunt.

Hic magnum certamen oritur, quod tamen a piis, qui Evangelii vocem audire volunt, facile diiudicari potest.

Fratres, non affero novam doctrinam, sed una est Evangelii vox, quae semper in Ecclesia Dei sonuit, sed subinde admiscuit diabolus, spiritus blasphemus, et homicida, corruptelas aliquas, quas et Deus subinde sustulit, illustrata rursus Evangelii luce. Audierant Israëlitae legem Mosi, sed doctrinae puritatem corruperant, et idola excogitaverant. Missi sunt igitur Prophetae, qui doctrinam repurgarent et vera officia pietatis rursus monstrarent. Deinde cum Pharisaei et Sadducaei pene delevissent Prophetarum doctrinam, missi sunt Simeon, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli. Hi rursus accenderunt lucem verae doctrinae, ac praecipue in hac emendatione conspicitur immensa Dei misericordia, quod Ecclesiam, postquam diaboli praestigiis et humana infirmitate, erroribus implicatur, subinde ad se retrahit, sicut retraxit ex aeterna morte primos parentes Evam et Adam, cum lapsi nullam Evangelii vocem adhuc nossent, nec possent expectare aliam a iusto iudice sententiam, nisi ut in aeternum exitium abiicerentur. Ut igitur hos ex ipsis inferis revocavit Deus, ita subinde instaurat Ecclesiam.

Nec potest negari, multis saeculis magnam fuisse caliginem doctrinae et manifestas prophanationes.

Videte ipsa templa et aras, quotidie quam multi polluta conscientia, ignari quid agant, et tantum ventris causa, vel certe ex consuetudine, seu superstitione potius, Missas legunt, et se offerre dicunt filium Dei pro tota Ecclesia.

In hac consuetudine nova et ignota veteri Ecclesiae prophanationes tetras esse manifestum est, offendi autem Deum horribiliter his peccatis monet Paulus, cum dicit: Reos esse corporis et sanguinis Domini omnes qui indigne sumunt, maxime vero sacrificulos, qui polluta conscientia, et ignari quid agant in Missa, conferunt coenam Domini in quaestum.

Pharisaica pertinacia et duricies esset, nolle fateri abusus Missarum, cum sint in conspectu.

Deinde invocatio mortuorum occupavit templa ita, ut Christi invocatio valde obscurata sit.

Domestica vero vita sacerdotum, propter legem coelibatus, manifestam habet turpitudinem.

Nunc etiam monasteria (quotquot adhuc sunt) aspicite, in quibus nulla prorsus sunt studia doctrinae, tantum ceremoniis et ventri servitur. Et hypocrisis in quaestu est.

Hi crassi abusus oriuntur ex tenebris doctrinae. Quia enim lux Evangelii de veris Dei cultibus, de poenitentia, fide, invocatione, vere bonis operibus, de reiiciendis cultibus humanis, obscurata fuit, secutae sunt depravationes Sacramentorum, et excogitati novi cultus similes Ethnicis. Deinde cum excaecatae essent mentes Epicureo contemptu Dei, aut idolorum cultu, mores etiam contaminati sunt, et relicta est honesta disciplina.

Haec sunt ob oculos et in conspectu, et iam prorsus erant futurae ethnicae tenebrae, nisi Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi immensa misericordia rursus accendisset lucem Evangelii sui, quae pios ab erroribus et a vitiis revocat, et veram invocationem Dei et vera pietatis officia monstrat.

Non igitur novam doctrinam, sed unicam, veram, perpetuam, puram Ecclesiae Catholicae Dei sententiam proponimus, et illustramus, quam praecepit audiri aeternus Pater, cum de filio suo Domino nostro Iesu Christo dixit: Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Si Evangelium iudicamus non esse commenticiam fabulam, ut Numae aut Mahometi religiones excogitatae sunt, ut essent frenum vulgi, quod superstitione facilius capitur, quam vi et armis domatur.

Audiamus vocem coelestem, quae praecepit, ut doctrinam Christi amplectamur, et hac sola affirmat monstrari Deum et veram Dei invocationem, et hanc doctrinam solam ait ducem esse ad aeternam salutem.

Nec nos novam doctrinam afferimus, nec vos novo exemplo Evangelium aspernamini.

Utrumque usitatum est in Ecclesia inde usque ab initio mundi, primae et veteris doctrinae Evangelii renovatio, et contumacia multorum, qui nolunt turbari suam tranquillitatem mutatione aliqua et correctione praesentium rituum.

Dimicabant sacerdotes Iudaici de suis sacrificiis, ne autoritas aut quaestus diminuerentur.

Ita nunc monachi propugnant suas ceremonias, quas venales habent: caeterum metuunt potentiae diminutionem, si mutatio aliquarum legum fiat. Multi licentiam voluptatum suarum astringi nolunt.

Hi sunt fontes odiorum adversus Evangelium.

Nunc autem sanabiles omnes adhortor, obtestor propter gloriam Dei, et per suam salutem.

Primum ut statuant unam esse veram et a Deo traditam religionem, seu doctrinam de vita aeterna, quae per Prophetas, Christum, Apostolos, patefacta et propagata est. Caeteras vero religiones omnium gentium commenticias et fabulosas esse.

Vere igitur veniet Dominus noster Iesus Christus, et iudicaturus est totum genus humanum, et dabit vitam aeternam, iis qui Evangelium amplexi sunt, et abiiciet in aeterna supplicia, qui Evangelium contempserunt.

Haec qui vere credunt, hos deinde obtestor propter Christum, et suam et Ecclesiae salutem, ut iuxta Evangelium et ipsi discant, Deum vere invocare, et alios de invocatione Dei docere sinant.

Sed obiicitis consuetudinem longi temporis et multorum saeculorum consensum, et disputatis non esse paucorum aut privatorum instituere has emendationes.

Facilis adhaec responsio est doctis et piis, quibus nota est Ecclesiae antiquitas.

Vetera monumenta clarissime testantur, Missas privatas, invocationem mortuorum, et alias corruptelas doctrinae et ceremoniarum, quas tolli cupimus, recens in Ecclesiam pervasisse. Non igitur novam doctrinam aut novas ceremonias afferimus, sed ad Evangelii puritatem, ad Apostolorum et veteris Ecclesiae doctrinam et ceremonias redimus, et errores ac idola abiicimus, sicut hic praecipit Iacob, et praeceptum est aeternum et immutabile: Fugite idola.

Poterant se tueri longi temporis consuetudine, et multarum gentium consensu etiam auditores Iacob. Nam multo ante apud gentes illas extincta fuerat vera Dei noticia. Multo magis Iudaei adversus Apostolos abrogantes legem Mosaicam vetustatis autoritate, et Prophetarum exemplis niti poterant, cum quidem et a Deo datam esse legem Apostoli faterentur, sed tamen necesse fuit legem Evangelio cedere, quod et ante legem et politiam Mosi promissum, et brevibus promissionibus editum, et Ecclesiae commendatum fuerat.

Sed clamant non concedendum esse, ut pauci et privati publicam emendationem instituant.

Imo omnibus est dictum de filio Dei. Hunc audite. Omnibus praecipitur: Abiicite Deos alienos, et fugite idola. Omnes vocat filius Dei, cum inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hic promissiones amplissimae audientibus Evangelium proponuntur, ut saepe alias.

Saepe etiam horrendas poenas minatur Deus, omnibus Evangelii contemptoribus. Deuter. 18.: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero ipsi: qui autem verba eius quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor ero. Et Baptista inquit: Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum. Et in priore epistola ad Corinthios Cap. ultimo dicitur: Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha. Id est, (ut divus Ambrosius et quidam alii interpretantur) Dominus venit. Significatur enim statim affuturum esse filium Dei vindicem, ac puniturum omnes Evangelii contemptores et hostes. Veniet haud dubie, et non cunctabitur, ut inquit Propheta. Etsi homines Athei, qui hanc generationem et hunc interitum hominum aeterna lege volui arbitrantur, ut Physici somniant: rident ea, quae de venturo iudice Christo dicuntur, sed pii hanc formam execrationis, Maranatha, usurparunt, ut se et alios commonefacerent, ut advenientem iudicem Christum metuerent.

Audiant ergo et formident hanc execrationem omnes, si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha. Sciant certo Christum venturum esse, ut puniat Evangelii contemptores.

Sic et ad Galatas scribitur: Si quis aliud Evangelium docebit, Anathema sit. Ne existimate leve aut humanum convicium esse, dici Anathema. Sed scitote dici Anathema, hominem damnatum, cui Deus ita irascitur, ut totas gentes puniat et rerum naturae m ledicat, nisi ille sceleratus e medio tollatur. Ut si parricidam dicas Anathema esse, Cain, Absalon, et similes. Pro-

hibet ergo societatem defensionis impiae doctrinae, ut societatem parricidii, et similium scelerum.

Quare etiamsi gubernatores negligant Ecclesiam, ut saepe omnibus aetatibus neglexerunt, tamen privati audire, amplecti, illustrare Evangelium, recte agnoscere et invocare Deum, mores suos vera pietate regere debent.

Omnibus et singulis haec mandata esse manifestum est, quia filius Dei saepe inculcat has voces, quae complectuntur omnes, ut apud Ioannem dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis credens in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui non credit, iam iudicatus est.

An cum Paulus Romae concionaretur, expectandum fuit auditoribus decretum Senatus aut Neronis? Imo vox Dei sonans per Apostolum, audienda et amplectenda fuit, etiamsi omnes gubernatores audiri eam prohibebant, qui religionum mutationem iudicabant magnarum seditionum et dissipationum causam fore. Ita etsi optandum est Reges et Episcopos omnes communi animo et communi consilio veros Dei honores restituere, ac recte emendare Ecclesias, tamen cum minime obscurum sit, multos pertinaciter agnitam oppugnare veritatem, et manifestos defendere abusus. Quid horum Synodos, Iudicia, decreta, reformationem expectatis? Quid, inquam, expectatis? Quisnam promisit nobis hodiernum, nedum crastinum diem? Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Audis Evangelii vocem, iuxta hanc te ipse reformes: Age poenitentiam, abiice idola, incipe veram Dei invocationem, et emenda mores.

Haec est vera Ecclesiae reformatio, cum voce Evangelii singuli removeamur. Non cum potentes et sapientes huius mundi instituunt fucosas conciliationes. Et miscent dogmata adulterina veris.

Normam unam simplicem et perspicuam tradidit aeternus Pater, qui iussit audiri filium: Huius voci obtempera, nec deterrearis ullis humanis iudiciis.

Qualis haec est amentia? quantus furor? putare frustra missum esse in terras filium Dei? Putare frustra Deum inde usque ab initio generi humano se patefecisse? Sic autem sentiunt illi, qui cum nolint audire concionantem filium Dei, quaerunt hominum opiniones.

Legis ambigua dicta de Deo apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, et alios. Fateor, hos ingeniis, doctrina, sapientia, eloquentia excelluisse. Sed de Dei voluntate cur non audis ipsum Deum se patefacientem? Cur non audis filium missum, ut arcanam voluntatem nobis exponat? Ita etsi sunt homines docti, sapientes, eloquentes, qui nunc orbem terrarum gubernant, tamen de voluntate Dei, non hominum iudicia, sed vocem Dei consulamus. Id cum saepissime praecipiat Deus, moveamur eius mandatis, et incipiamus audire Evangelium, expendamus quid vere dicatur, conferamus doctrinarum genera, videamus quanta sit prophanatio coenae Domini, quantum erroris in aliis falsis cultibus, si audiemus, aderit Spiritus sanctus, ac ducet nos in omnem veritatem.

Nec putate locum esse Spiritui sancto, donec ardent pectora Evangelii odio, nec audiunt, nec meditantur scripta prophetica et apostolica, nec conferunt genera doctrinarum. Fides ex auditu est verbi Dei, ut Paulus inquit, non illucescit animis, nisi audias, nisi mediteris Evangelium, et cum audire et amare coeperis, Deus augebit lucem tuae mentis, suo Spiritu te reget et adiuvabit, sicut scriptum est: Habenti dabitur. Et ad Philippenses scribitur: Deus est qui efficit in nobis, ut velimus, et ut perficiamus, ea quae ipsi grata sunt. Cum velle coeperis et amas Evangelium, etsi humanae infirmitati difficile est, sustinere certamina doctrinae, et diabolus varie oppugnat pios, tamen aderit Deus ac reget et iuvabit militiam tuam, ut sit tibi et Ecclesiae salutaris: vult enim aliqua sibi grata in genere humano fieri, vult ab aliqua parte celebrari, ne totum genus humanum frustra conditum sit, et totum ruat in aeternum exitium.

Proh dolor, maxima pars generis humani facit ingrata Deo, et omni genere scelerum iram eius irritat, Epicurei, Haeretici, Mahometistae, Iudaei, horrendis contumeliis Deum, et filium eius Dominum nostrum Iesum Christum afficiunt, deinde tyranni iniustis bellis et caedibus dissipant Ecclesias, magna pars hominum obscoenis libidinibus et aliis vitiis Deum offendit.

Sed ne universa hominum natura pereat, Deus tamen aliquos excerpit, videlicet Ecclesiam suam, quae ei grata facit, audit, invocat ipsum, celebrat filium, studet propagare et illustrare Evangelium, regit mores suos ne noceant aliis, ne polluant Ecclesiam.

Haec sunt grata Deo, etsi mundus hoc studium et haec officia superbe despicit.

Gloriatur Iulius Caesar victo Pharnace, et inscriptionem in triumpho, Veni, Vidi, Vici, circumfert. Sit hoc magnum, sed multo maius opus est, et Deo gratius, una aliqua vera pii Pastoris conciuncula, quam illa quamvis gloriosa victoria, sic scito tuum hoc studium, cum disces Evangelium, multo melius opus esse, et Deo gratius, quam plerosque labores parandorum imperiorum, qui inter homines maxime gloriosi esse dicuntur.

De studio discendi et propagandi Evangelii, inquit Christus: In hoc glorificatur Pater coelestis, ut fructum copiosum feratis, et fiatis mei discipuli. Hunc dicit praecipuum esse honorem Patris aeterni, fieri discipulos Christi et propugnatores Evangelii. Amplectamur ergo Evangelium, nec superbis impiorum iudiciis, nec magnitudine periculorum deterreamur: aderit enim nobis Deus, et gubernabit consilia, actiones et exitus, sicut scriptum est: Ego ipse senescentem Ecclesiam portabo, ego feci, ego feram, ego portabo et salvabo. Hac quidem spe ego vocatus ad gubernationem harum Ecclesiarum, non detrectavi vocationem, in qua scio mihi multorum odia subeunda esse, et expectanda varia pericula, sed commendo me Deo, gestanti Ecclesiam, ac oro, ut me regat, adiuvet et defendat.

Vos quoque adhortor et obtestor propter gloriam Dei, et Domini nostri Iesu Christi, propter salutem vestram, propter patriam et universam Ecclesiam, ut etiam Evangelium Dei amplectamini, et consensu vestro iuvetis emendationem Ecclesiarum. Scitis hactenus neglectam esse inspectionem Ecclesiarum, multos fuisse et esse Pastores prorsus ignaros Evangelii, neglectam esse disciplinam et morum censuram, autoritatem iudiciorum pene amissam esse. His malis necesse est mederi, qua in re opitulari mihi et Ecclesiae, et patriae, consensus vester, plurimum poterit.

Addidit Deus collegia Episcopis omnibus temporibus, ut haberet gubernator consilii socios, tanquam Senatum certum: quare cum has geram vices, maxime opto, vestris me consiliis uti posse, quod fiet, si veram et puram Evangelii doctrinam amplexi fueritis, quod si facietis, et gloriam Dei ornabitis, et vestrae saluti consuletis, et patriam vestram ingentibus beneficiis afficietis, et profutura est pietas vestra universae Ecclesiae et posteritati.

His causis moveri honestas mentes decet, ego certe moveor, et Deum oro, ut me regat.

Et de mea conscientia et voluntate hoc polliceor, me certo scire, genus doctrinae quod amplexus sum, verum et pium esse, et nunquam, Domino adiuvante, ulli errori locum concessurum esse, sed fideliter et moderate de consilio probatorum hominum omnia quae officii ratio postulabit, facturum esse.

Nec debeo reliquis vobis sacerdotibus, qui ad Ecclesiarum gubernationem simul adhibiti estis, consilio, adhortatione, autoritate deesse, quin vos quoque commonefaciam, ut concrediti oneris magnitudinem consideretis: non enim hominum, sed Dei negocium agitis, vestra enim opera, doctrina ac ministerio, ad excitandam provehendamque piorum in Christum fiduciam, Deus uti voluit, sicut Paulus inquit: Dei cooperarii sumus. Quare memineritis vos, non ullius hominis, neque adeo ullius creaturae, sed Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptis ovibus pascendis, praefectos esse: adeoque vestri muneris inprimis censeri, ut sacras literas sedulo meditemini, utque ab omni humano commento depuratas, Ecclesiae fideliter ac diligenter proponatis, ne ullius vestrûm vel culpa, vel ignavia neglectae Christi oves (quod clementer avertat Deus) fame pereant: nam sanguinem illarum de manibus nostris requiret Dominus, ut Propheta ait, Quin potius spirituali alimonia refectae, salutem consequantur aeternam.

Proinde, ut Paulus inquit, vosmetipsos praebeatis formam bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem, sermonem sanum, irreprehensibilem, ut is qui repugnat vobis, rubore suffundatur, nihil habens, quod de vobis dicat mali.

Ad hoc etiam modis omnibus studeatis, mores vestros ad normam, ab Apostolo suis discipulis Timotheo et Tito praescriptam, formare et instituere, ut sanae doctrinae inculpata vestra vita respondeat, et iuxta divi Petri sententiam, exemplaria gregis efficiamini, quo et oves, vestrae curae commissae, Deo credentes, vestro quoque exemplo bonis operibus praeesse discant, ne sint infrugiferae, et sic doctrina Servatoris nostri Dei ornetur in omnibus, neve propter nos sermo Dei male audiat, inter eos qui foris sunt, (et quod maius est) ne multorum simplicium, piorum tamen corda offensa, a sana doctrina alienentur.

Si quis vero, quod absit, hanc nostram benevolam admonitionem contemnens, vel verbo vel exemplo aliis offendiculo fuerit, is noverit impune se hoc non facturum, neque iustae animadversionis poenam effugiturum.

Postremo cum Apostolo adhortor, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus in eminentia constitutis, ut placidam ac quietam vitam degamus, cum omni pietate et honestate, glorificantes in corde et corpore nostro Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, benedictus Deus in saecula saeculorum, Amen.

Oremus igitur, ac coniunctis votis et vocibus canremus una: Da pacem Domine in diebus nostris, etc.

No. 85. an. 1554.

De officio ministrorum Evang.

In Declamat. T. III. p. 600 sqq., in Servest. T. III. p. 568. et apud Richard T. III. p. 54. Item in libros Georgii Principis Anhaltini conciones et scripta etc. (Witeb. 1570. Fol.) p. 402. — Est enim oratio in Synodo pastorum habenda, quam Mel. scripsit in usum Georgii Anhaltini, qui eam recitavit Synodo feria post Ursulae, M. D. XLV.

Oratio (synodica) de officio eorum, qui sunt in ministerio Evangelii.

Veteri lege honesta et utili mandatum est, ut in singulis regionibus praecipui gubernatores Ecclesiarum, quotannis bis, inferiores Pastores, ac doctrinam explorent, et pia consilia, quae ad retinendam Evangelii puritatem et ad disciplinam sanciendam profutura videntur, communi deliberatione quaerant, mansitque eius moris vestigium, seu umbra potius hactenus tot saeculis. Nos igitur pio studio et morem vetustum retinemus, et quantum Deus concedet, ea facturi sumus, propter quae Ecclesia hos conventus indici voluit. Commonefaciemus Pastores de suae functionis magnitudine, inspiciemus doctrinam, et de caeteris rebus, quibus nostra diligentia utcunque mederi potest, vobiscum deliberabimus.

Haec ut ordine fiant, primum nunc inter publicas preces, quibus petimus, ut Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi servet ministerium Evangelii, Pastores hortabor, ut de suo officio diligenter cogitent. In quolibet vitae gradu primum intelligere unumquenque necesse est, proprium suae personae munus, et (ut nos loquimur) vocationem suam, a quo, ad quod opus delecti simus, quae auxilia, qui exitus expectandi sint, quae sit futura laborum et certaminum meta, cui reddenda sit omnium consiliorum et actionum ratio. Haec non cogitare in vita, stupor est, ut multi omnibus temporibus sacrificuli fuerunt, qui nunquam secum ipsi quaesiverunt, quod munus sustinerent. Exempla sequebantur ut simiae, cum viderent alios servare certos ritus ad aram, imitabantur eorum gestus, ignorantes quid agerent.

Postquam autem Deus immensa misericordia nobis lucem Evangelii accendit, et nos de veris evangelici ministerii officiis commonefecit, excussa priore socordia, discamus, quod sit nostrum munus, et in eo obeundo diligentiam et fidem praestemus. Magna res est, et a Deo instituta, et sine auxilio Dei administrari non potest gubernatio politica: sed haec vestra functio, docere Evangelium Christi, retinere puritatem Evangelii, diiudicare dogmatum controversias, regere Ecclesiam, et sustinere hostium furores, longe superat, dignitate, difficultate et magnitudine periculorum, gubernationem politicam.

Etsi inferior videtur hic gradus, quia non sumus muniti potentia et opibus: tamen re vera ministerio evangelico nulla functio mandata angelis ac hominibus in coelo et in terra maior est.

Res ipsas mente intueamur, et paulisper ab externis tragoediis, quae impediunt iudicium, oculos deflectamus. Non intuearis in Paulo vulnera, compedes, supplicia, non in Pastore inopiam, squalorem, famem, exilia: sed ipsum ministerium. Edidit ex arcano sinu Deus vocem Evanlii, hac colligit sibi aeternam Ecclesiam, hac in mentibus accendit novam lucem', et veram Dei agnitionem, hac voce effuso in nos Spiritu sancto, inchoat in nobis vitam aeternam, ut Paulus affirmat, dicens: Evangelium esse potentiam Dei, qua salvi fiant credentes. Et ad Corinthios ait: Evangelium esse ministerium Spiritus, non literae, id est, per quod effuso in mentes Spiritu sancto, vita aeterna accenditur.

Huius tanti muneris magnitudo, nulla ullius angeli, aut hominis eloquentia satis praedicari potest. Nam hoc uno munere homines praecipue

a caeteris animantibus, et Deum invocantes a contemptoribus Dei differunt. Imo nisi a Deo tegeremur, et hinc ad aeternam Dei consuetudinem voce Evangelii traduceremur, genus humanum frustra, et ad exitium tantum natum esset, et vere, ut etiam sapientes Ethnici scripserunt, miserrimus esset omnium animantium homo, qui non solum corporum morbis et morti, ut pecudes, obnoxius est, sed etiam multis aliis ingentibus doloribus in hac vita excruciatur, qui bestiis ignoti sunt. Quantis contentionibus, et quam inanibus franguntur summi viri in imperiis, Hercules, Pompeius, Iulius, Cato, et alii innumerabiles, qui cum tota eis vita in magnis aerumnis consumpta esset, tandem indignissima morte oppressi, quem viderunt portum, in quo acquiescerent? Nullum, quia luce Evangelii carebant. Sic igitur illi viri praestantes virtute periisse videntur, ut saepe pulcherrimae violae in terra calcatae pedibus, intereunt. Et tamen isti hoc fuerunt miseriores, quod cum magno sensu doloris extincti sunt.

Aspiciamus igitur hominum vitam, consideremus quae res nos a bestiis discernat, deinde quid praestent boni malis, unde sint aeterna bona. Cumque haec donari voce Evangelii sciamus, magnitudinem divini muneris agnoscamus, et Deo gratias agamus, quod hoc ministerium instituit, et nostrum officium diligenter et fideliter faciamus.

Nostra vox non tantum sonat praecepta de moribus, ut Socratica, aut Platonica, quae non inchoat vitam aeternam, sed est organum quo Deus vere et sine ulla dubitatione in mentibus credentium est efficax propter filium, et largitur bona aeterna, quae, ut omnes norunt, omnibus interituris commodis et ornamentis longe anteferenda sunt. Ut igitur bona aeterna praecipue expetenda sunt, ita sciamus ministerium Evangelii summum gradum esse omnium functionum.

Haec postquam praefatus sum, nunc vos de duobus praeceptis, quae sunt omnium summa, et continent plaeraque alia, commonefaciam, quorum primum est, ut Evangelii puritatem, quod nunc Dei beneficio in nostris Ecclesiis sonat, non sinatis corrumpi aut adulterari, sed incorruptam veritatem tueamini. Alterum praeceptum est, ut diligenter caveatis, ne, aut dogmatum corruptelis, aut aliis inanibus rixis concordiam publicam turbetis. Etsi multa alia quoque praecipi necesse est, tamen, ut gubernator in navi mente portum prospicit, et ad hunc dirigit cursum, et in alto mari procul extra terrae conspectum avectus notat sidera, Ursam, Orionem, Pleiadas, et alias insigniores stellas, quas tanquam duces sequatur, ita nos haec duo praecepta in nostra gubernatione praecipua esse ducamus. Haec semper in conspectu sint, haec regant omnes conciones, deliberationes, et actiones. Vitato in docendo opiniones, quas scis veris Ecclesiae iudiciis reiectas esse: Non pugnato de omnibus rebus, et si quid incidet, de quo iudicabis certandum esse, refer ad superiores, ut sine dissidio publico remedium quaerant.

Magna est naturae humanae infirmitas, magnae et variae sunt ingeniorum dissimilitudines, multae naturae biliosae, iracundae, morosae, pugnaces. Sed nos, qui aliis diligentia regendorum morum antecellere debemus, nosse morbos nostros oportet, ne errantibus affectibus frenos laxemus. Non potest fieri in hac confusione vitae, quin multa indigna accidant, quae, nisi nostra lenitate sanentur, causam magnis discordiis praebere possunt. Sed profecto omnibus gubernatoribus multa ingentia incommoda toleranda sunt, ut Deus multa et magna vitia in nobis immensa misericordia tolerat. Hanc animorum moderationem nisi induemus, cogitate quaeso, quis sit modus, quis finis rixarum futurus? Si de omnibus rebus, quae nobis displicebunt, bella movere voluerimus.

Cum autem de his duabus virtutibus, de studio veritatis et amore concordiae, plurima dici possint, et multa quotidie legatis ipsi, non ero prolixior. Tantum unum argumentum recitabo, quod mihi ipsi quotidie inculco. Nulla dies abit quin cogitem de filii Dei morte, et admirando agone, in quo ante mortem luctans ipse secum sanguinem sudavit. Eum agonem ingressus pro Ecclesia precatur, cum suum sacrificium, ut postulat sacerdotis officium, offert.

Hic duas res petit in Ecclesia servari, Veritatem et Concordiam. De veritate inquit: Pater, sanctifica eos in veritate. Et quam iudicet esse veritatem, ostendit, inquiens: Sermo tuus est veritas. De concordia vero dicit: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos, id est, sincera benevolentia inter se devincti sint, nec excitent dissidia.

Ad huius nostri summi Sacerdotis preces adiungamus nos quoque voluntates et vota: peta-

mus et ipsi, ut Deus haec duo bona praestat, ac tueatur veritatem et concordiam. Ut autem serio petamus, flagrent pectora nostra amore harum optimarum rerum: commendatam fidei nostrae veritatem, ad posteros incorruptam propagare studeamus. Deinde pacem et tranquillitatem communem Ecclesiae omnibus officiis alamus. Sit in conspectu filius Dei, haec petens a Deo in illo extremo agone, et sacrificii sui oblatione, in qua simul nobis, sudans iam sanguinem praecipit, ut inter nos diligamus. Non in me tantum, aut in Ecclesiam ferrum stringis, quisquis inutilem rixam moves. Sed multo magis in illum ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui ibi pro te iam sacrificat agonem suum ingrediens. Si non vis Ecclesiae parcere et posteritati, parce huic ipsi Christo oppresso tunc horribili dolore, quem propter mea, tua, et omnium scelera sustinet. Cur eum in illo ipso sacrificio pro salute tua, et omnium, coram Deo prostratum iugulare conaris?

Si hoc modo inflammatores dissidiorum saepe cogitarent sceleris atrocitatem, multi certe se reprimerent.

Obtestor autem vos propter illum ipsum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, pro nobis crucifixum et resuscitatum, ut huic nostrae admonitioni, in qua vobis mandatum, non a me excogitatum: sed divinum, ut mei muneris ratio postulat, propono, obtemperetis. Meministis scriptum esse: Deus dilectio est, Qui in dilectione manet, in Deo manet. Itaque illae pestes ac Erinnyes, quae sine iusta et necessaria causa rixas movent, et concordiam turbant, abiectae sunt a Deo et a nobis, ubi res cognitae erant, nisi resipiscant, ex Ecclesia Dei eiicientur.

Nunc ad commonefactionem addo et consolationem. Scio vos in hac magna vitae humanae confusione, multas publicas et privatas calamitates timere. Sed hac vos consolatione sustentate, quam proposuit Deus in capite 51. Esaiae: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos. Pollicetur Deus se umbra manus suae protecturum esse ministros Evangelii, quia ipse hoc ministerium instituit, et verbum suum nobis commendavit.

Etiamsi contemnimur a superbis Epicureis, aut incurrimus odia potentum, aut conflictamur inopia, et aliis difficultatibus, tamen non deficiamus a Deo, nec abiiciamus ministerium Evangelii. Sed hac consolatione erecti, petamus et expectemus auxilium a Deo: sciamus nos umbra dextrae divinae protegi, ut plantemus coelos, id est, ut hortum amoenissimum Ecclesiae aeternae, ipso iuvante, conseramus et ornemus.

Postquam audivistis commonefactionem et consolationem propositam optimo studio, nunc quaeso, ut mecum, immo, ut cum summo Sacerdote filio Dei, nos omnes uno pectore dicamus:

Tibi omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator omnium rerum, et conditor Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, iuste et misericors, gratias agimus, quod hactenus servasti Ecclesiam tuam, teque oro, ut propter filium Dominum nostrum Iesum Christum deinceps quoque eam in his regionibus serves: Fac ut Evangelii vox semper sonet in his Ecclesiis, et multorum pectora ad te flectas, ut tibi vere obediant, et fiant membra Ecclesiae tuae aeternae: Da pacem his regionibus, et concordiam gubernatoribus. Amen, Dixi.

No. 86. an. 1546.

De lingua hebraica.

In Declamat. T. IV. p. 485 sqq., apud Richard. T. I. p. 347., in Servest. IV. p. 440 et in T. III. Erford. lit. n. 5., ubi refertur ad ao. 1549, sed ex opinione. Inveni apographon in cod. Monac. 88. no. IV. p. 126. ubi inscribitur: „Oratio Phil. Mel., quam recitavit Andreas Wisliogius in Regiomonte Prussiae anno dom. 1546."

Oratio de studiis linguae ebraicae.

Saepe in hoc tam longo itinere, inde usque a ripa Albis, ad hunc sinum maris Balthici, cogitans de hac [1]) senili peregrinatione, non tam deploravi meum exilium, quam aerumnosas Ecclesiae fugas omnium temporum, imo rerum omnium instabilitatem. Quid enim mirabilius est, quam hanc linguam gentis Ebraeae, natam procul ad Euphratem, seu Iordanem, nunc ab homine Germano hic doceri in littore maris Balthici, inter Germanos, Sarmatas, et alias gentes, quae prorsus alienissimae a literarum cultura fuerunt? Sed quia Deus spargit Ecclesiam in totum orbem terrarum,

---

1) Cod. Monac. 88. *hac mea.*

et cum doctrina coelesti circumfert literas et linguas, agamus ei gratias, quod undique aeternam Ecclesiam colligit, et quanqam miserae sunt peregrinationes, tamen in hac militia ei serviamus, et vocem Evangelii et has literulas, quae prosunt ad illustrandam doctrinam coelestem, bona fide tueamur et propagemus. Cum igitur hanc nostram militiam gratam esse Deo existimem, primum in hoc exordio mei muneris: invoco [2]) Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ac oro, ut meos labores regat et adiuvet. Deinde illustrissimo Principi gratias ago, quod suas gentes ad veram Deo agnitionem invitat, et in his terris ministerium Evangelii et scholas constituit: quae cum sint praecipua boni gubernatoris opera, hortandus est, ut, quod facit, haec tanta bona ornare pergat.

Nunc vero adolescentibus aliquid dicendum est de causis, cur lingua prophetica cognoscenda sit, ut operam et tempus utiliter collocaturos se esse intelligant. Nam in tanta vitae fugacitate cavendum est, ne rebus inutilibus immoremur, sed ut quaeramus et paremus ea [3]), quae aditum nobis patefaciunt ad aeternam Dei consuetudinem. Sit autem omnium vita directa ad hos fines, ut Deus recte celebretur, et Ecclesia ornetur. Postremo ut nos ipsi in Ecclesia Deo serviamus, ac aeterna praemia expectemus. Propter hos fines Deus arcanum decretum de filio patefecit generi humano, misit filium, et ministerium Evangelii instituit, ad quod retinendum opus est multiplici eruditione, sed tamen praecipue linguarum noticia. Ideo semper Deus servat et subinde excitat doctores et studia linguarum.

Ac de caeteris artibus et linguis alii professores suo loco dicunt. Multae magnae causae sunt, cur Latine et Graece discendum sit, quia iis linguis non tantum propter monumenta doctrinae apostolicae, sed et propter reliquam vitam et Philosophiam opus est. Hanc autem propheticam propter unam causam vobis commendo, videlicet ut nativa sententia Prophetarum et Apostolorum retineatur.

Hanc causam omnes qui coelestem doctrinam amant, tantam esse intelligunt, ut alia non sit quaerenda. Ut enim filius Dei inquit de margarito, quod emendum sit venditis praesidiis et omnibus facultatibus: ita sciunt [4]) omnes, qui furores Epicureos detestantur: eam doctrinam, in qua se Deus patefecit, prae omnibus aliis rebus expetendam esse.

Sed dicunt aliqui, transfusa esse monumenta Prophetarum in Latinam linguam, et nunc in Germanicam, quare non videatur opus esse lingua Ebraea [5]). Haec oratio a me non acerbe exagitabitur, nam et ego interpretationibus libenter utor: et Deo gratias ago, quod excitavit aliquorum mentes, ut interpretationes luculentas ederent. Existimo enim, Deum ideo voluisse edi interpretationem a septuaginta, tempore Ptolemaei Philadelphi, aut aliquanto post, ut homines pii inter gentes, qui doctrinam de vera invocatione Dei a Iudaeis passim sparsis toto orbe terrarum didicerant, libros propheticos [6]) graece legere possent, quod ea lingua tunc maxime communis erat. Etsi autem ea interpretatio saepe, ut in pictura quae umbras tantum imitatur corporum, obscurius reddit sententias, tamen lectio tota mediocris est, quare et Apostoli ea usi sunt. Postea Hieronymi diligentia, Prophetae satis perspicue loqui coeperunt. Germanice vero nunc a Luthero multo foelicius redditi sint. Has interpretationes et ipse lego, et ut assidue legat populus, opto. Interea tamen in scholis fontes noti sunt. Necesse est igitur eruditiores, et quos Ecclesia vult custodes esse ac interpretes sacrorum codicum, nosse linguam Ebraeam, ut certum sit interpretationes congruere cum fontibus. Deinde nulla tam foelix interpretatio erit unquam, ut non aliqua occurrant *σφάλματα*, et in locis recte conversis tamen multum lucis adfert collatio.

Possem exempla recitare innumerabilia. Sed cum unum atque alterum recitavero, res ostendet, quam utile sit nosse fontes. In illa vetustissima concione ad Cain, in qua proponitur statim ab initio doctrina de futuro iudicio, et de poenis humanorum scelerum, sententia in fontibus illustrior est, ubi sic legitur: Si bonus fueris, eris acceptus: sin autem malus, peccatum tuum cubabit ut reveletur. In hac brevitate mira emphasi res maximae signatae [7]) sunt, discernuntur boni et mali: et bonos adfirmat Deus acceptos esse. De malis

2) Cod. Monac. 88. *invocabo.*

3) Cod. Monac. 88. *ea bona.*

4) Cod. Monac. 88. *sciant.*

5) *Ebraea*] cod. Monac. 88. *peregrina.*

6) *libros propheticos* non habent libri impressi.

7) *signatae*] cod. Monac. 88. *significatae.*

dicit, fore ut etiamsi aliquantisper quiescat peccatum, id est, ut poenae differantur, ut multi diu stulta servitute laxant frenum omnibus cupiditatibus, tamen certo poenas secuturas esse. Restat igitur iudicium post hanc vitam. Apud Esaiam capite 26. legitur: Vetus error abiit. Haec verba prorsus sunt suppositicia, cum in eo loco illustris definitio fidei contineatur: Aperite portas, ut ingrediatur gens iusta, custodiens fidem, quae est cogitatio firma, te pacem servaturum esse sperantibus in te. Quam dulcis consolatio est, et perspicua fidei descriptio testatur fidem esse, non tantum ut daemones credunt, poenas malis propositas esse: sed illum assensum, quo acquiescimus in promissionibus, et statuimus nos recipi et exaudiri. Lectio igitur in fontibus illustrior est. Sed omitto hanc exemplorum recitationem, cum Psalmi vobis in quotidiana precatione multa exempla offerant, quae ostendunt plurimum lucis accedere, cum Ebraica lectio inspicitur: ut in Psalmo: Exurgat etc., item in Psalmo: Nisi Dominus aedificaverit domum etc., ubi quid dicat interpres, filii [8]) excussorum, nemo suspicari potest sine Ebraica lectione. Constat igitur, necessaria esse linguae Ebraicae studia, ut fontes inspici possint: quod saepe in omni enarratione fieri necesse est.

Dixi de literis: nunc dicam communiter de oratione Ecclesiae, quae in literis propheticis et apostolicis extat. Etsi monumenta Apostolorum Graece scripta sunt, tamen cum semper adscitae linguae referant aliquem quasi succum nativae, sermoni Graeco multae sunt phrases et figurae Ebraicae admixtae: quae ut recte et dextre intelligantur, studia linguae Ebraicae in Ecclesia colenda sunt. Toties dicit Paulus: Iusticia Dei in Evangelio patefacta est. Hoc dictum aures Latinae ita accipiunt, ut si diceretur: Iusticia Alexandri Macedonis cognita est in puniendo proditore Darii. Sic igitur intellexerunt multi, iusticiam Dei patefactam esse, qua Deus est iustus iudex et vindex: cum longe aliud Ebraica phrasis significet, videlicet, iusticiam Dei patefactam esse, id est, approbationem, qua Deus nos recipit, seu iustos pronunciat. Et error foecundus est, ex hac ipsa hallucinatione multae falsae opiniones sequutae sunt. Profecto deplorandae sunt multorum seculorum tenebrae, quae harum appellationum significationem ignoraverunt: quid sit gratia, fides, iustificatio, quid intersit inter legem et Evangelium, inter praecepta et promissiones. Has voces legi apud Paulum scitis, cuius tota oratio Sibyllae foliis similis est, nisi lector ad phrasin Ebraicam assuefactus sit. Et cognita phrasi, facilis est diiudicatio multarum maximarum controversiarum. Cum igitur necesse sit in Ecclesia sermonem divinum, figuras et phrasin intelligere, studium linguae Ebraicae necessarium est.

Nec iudiciis prophanis ab hac sententia mentes pias abduci velim. Si non sumus Epicurei, sed vere statuimus aeternam mentem architectatricem rerum, et hanc in Ecclesia patefactam esse, in eductione populi Israëlitici ex Aegypto, et deinde mortuis in vitam revocatis: et voluntatem illius aeternae mentis quaerendam esse non in Philosophia aut humanis iudiciis, sed in illis aeternis decretis, quae tot editis testimoniis proposita sunt, et quae filius resurrectione sua confirmavit: necesse est, nos decreta divina ex sermone Dei, quem Prophetae et Apostoli literis mandarunt, discere. Nec licet novas de Deo opiniones, et nova numina fingere, ut finxerunt Ethnici seu Orpheus et Hesiodus: sed ex ipsius Dei sermone discendum est, qualis sit, quomodo agnosci, quibus officiis coli velit. Vere igitur Ecclesia est grammatica interpres divini sermonis, quod cum ita sit, perspicuum est necessariam esse linguae propheticae cognitionem, iis praesertim, qui, ut dixi, custodes sunt doctrinae coelestis, et quos alii indoctiores de locis obscuris consulunt.

Exposui veras et necessarias causas discendae linguae Ebraicae, quas valere apud homines literatos, qui doctrinam Ecclesiae amant, non dubito: Dei etiam testimonio moveri eos velim. Semper addidit Deus linguarum donum, et studia saepe restituit. Vult igitur linguam servari. Deinde exemplis moveamini. Vult Deus in ministerio evangelico donum esse interpretationis. Fidelissimi autem interpretes linguam Ebraicam etiam senes didicerunt, quia iudicabant lectionem Ebraicam consulendam esse, ut Hieronymus, Lyranus, Burgensis: et nostro tempore Galatinus, Complutensis, Wesselus, Capito, Rudolphus Agricola, et multi alii. Verum alii ignari linguae, ut Hugo, et similes multi, quales sunt interpretes? lignum findunt clave, et seras aperiunt securibus, ut in proverbio dicitur. Nec ego de cuiusquam

8) Cod. Monac. 88. *filiis*.

authoritate, quidquam decerpo. Sed veterum libri et quotidianae conciones ostendunt, multum adiuvari pios et doctos linguae cognitione.

Neque haec ita dico, quasi non errent etiam saepe illi, quibus lingua Ebraea ita nota est: ut Iudaei, etsi grammaticam suam bene callent, tamen flagitiose hallucinantur in tota Prophetarum enarratione. Sed multae sunt errorum causae. Iudaei voluntates impias adferunt, et sycophantico more perspicua dicta Prophetarum tenebris volentes involvunt, aut corrumpunt. Deinde cum Evangelium lux sit Prophetarum, inde consilium interpretationis sumendum est. Etsi enim congruunt Prophetae, et conciones filii Dei et Apostolorum, tamen hae sunt planiores, et hinc doctrinae methodus sumenda est de Legis et Evangelii discrimine, quod qui non didicerunt ex Paulo, prorsus caeca nocte, ut dicitur, navigant in lectione Prophetarum. Addam et hoc, Iudaeis et multis aliis deest iudicium de ratione dicendi, quod nemo sine cultura ingenii habere potest, hoc est, sine usu dialectices et rhetorices, et sine exercitiis scribendi et dicendi. Sit igitur in lectione Prophetarum voluntas amans veritatis, et inimica sophisticae. Sit mens recte imbuta primis elementis doctrinae ecclesiasticae, sit non rudis communium literarum. Ad haec si adiunxerit linguam Ebraicam, multo verius et dexterius enarrabit Prophetas, quam alii ignari linguae.

Haec de necessitate dixisse satis sit. Nunc pauca addam de historiis et de eloquentia Prophetarum. Magnum donum Dei est, quod in Ecclesia extat continua historia omnium mundi temporum, non interrupta usque ad monarchiam Persicam. Ac ne ignota esset series sequentium rerum, Deus singulari consilio contexuit historiam, excitatis Graecis scriptoribus. Nam aliquanto ante finem Ieremiae, inchoat historiam Herodotus: postea Graecorum, Latinorum et Germanorum continua historia extat. Necesse est autem doctos viros in Ecclesia tenere integram seriem temporum, ut quae sit doctrina, et quae mutationes extiterint, considerent. Una est enim de Deo vera sententia, quae ab initio divinitus certis testimoniis Ecclesiae tradita est, haec sine historiae consideratione iudicari non possunt: et in his historiis, gentium origines conferendae sunt. Haec sine literis fieri nequeunt.

Postremo de eloquentia Prophetarum libenter dicerem, si aut ipse magis ad dicendum idoneus essem, aut res tanta brevitate exponi possit. Illud tantum dicam, ad praemonendos adolescentes. Magna vis est vera eloquentia, quae est facultas res bonas sapienter et perspicue exponendi. Id cum faciant Prophetae, homines sapientissimi, et qui dicendo rexerunt suam rempublicam, et luminibus verborum et sententiarum venustissimis utuntur: si qui eis detrahunt eloquentiae laudem, valde errant. Psalmi, Salomonis sententiae, et omnium Prophetarum conciones, tanto nitore verborum et figurarum et tanta varietate affectuum conspersae sunt, ut a videntibus non sine magna admiratione legi possint. Quod autem in vulgaribus interpretationibus interdum sermonis vitia sunt, et pauci figuras et ornamenta intelligunt, ob eas causas non existimentur lingua nativa ita loquuti esse. Et quae sint rerum pondera, quam illustres figurae, quam ardentes affectus, quanta rerum magnitudo, de quibus concionatur, considerandum est. Regunt suas civitates Demosthenes et Cicero, et earum gubernatione eloquentiam suam consumunt, quam esse refertam politica sapientia, et ornatam mirando splendore verborum, res ipsa ostendit. Sed Esaias Ecclesiam et Ecclesiae domicilium regit: et non tantum humano more de politica sapientia, de bellis movendis aut gerendis concionatur: sed de Dei voluntate, de toleranda obsidione propter expectationem divini auxilii, de vitandis foederibus cum impiis regibus, de ruinis maximorum imperiorum Chaldaici et Persici, et de venturis in Asiam Macedonibus, de mansura Ecclesia Dei, et de venturo liberatore generis humani, et posteris David iuxta promissionem, de mortuis in vitam revocandis, de vera Dei invocatione, de causis propter quas imperia dissipantur et delentur, de remediis et veris consolationibus in omni genere calamitatum. Hae maximae res longe superant materias Demosthenicas et Ciceronianas, et magnitudo rerum gignit splendidam orationem apud Prophetas: qui cum sint viri sapientes, mira luce et emphasi verborum has res maximas exponunt. Qua de re non dubito ita sentire ubique terrarum homines pios, eruditos, sapientes, et non rudes periculorum vitae communis. Sed adolescentes interdum inepta imperiorum iudicia audiunt, quibus detrahitur Prophetis eloquentia. Hunc errorem prodest probis mentibus eximi. Cum autem non possit de eloquentia fieri iudicium, nisi ex perpetua oratione et integris voluminibus, exempla hic ostendere nimis longum

esset, sed quotidiana precatio ex lectione Psalmorum et Prophetarum exempla offert. Unicum tamen locum recitabo. Esaias in capite penultimo praedicit mansuram esse Ecclesiam, quanquam futura sit exigua: ut nunc videmus in tanta confusione orbis terrarum, maximam esse perturbationem imperiorum. Talem igitur fore Ecclesiam inquit, ut si vindemitor sterili tempore inveniat passim aliquas grandes et plenas uvas, et laetus eam sibi ubertatem gratuletur. Quam sit illustris haec imago, res gestae ostendunt. Cum dissipata politia decem tribuum, manerent tamen reliquiae, plane similes erant illis uvis sparsis rarius in magna vinea: et nunc ita sparsi sunt pii in imperiis. Hac autem imagine et similibus promissionibus nos consolemur: cumque sciamus ibi Ecclesiam Dei mansuram esse, ubi doctrinae coelestis studia erunt, eo diligentius doceamus et discamus.

Dixi breviter, et studia gentis Ebraeae necessaria esse, et eloquentiam esse Prophetarum dignam eruditorum consideratione et laude. Sed haec omnia magis in ipsis enarrationibus ostendi possunt, quam nunc in praefatione breviter indicari. Aliquid tamen ad invitandos studiosos dicendum fuit, qui quidem gravissimas discendi causas habent, videlicet, ut si non sunt Epicurei, sed vere timent Deum, discant doctrinam, in qua se Deus patefecit, et fontes quaerant: tum ut seipsos confirment, tum ut Ecclesiam erudire possint. Has causas plurimum valere apud pias mentes non dubito: quas quidem ut accendat etiam ad haec studia Deus, opto, propter ipsorum et publicam salutem, cum sine huius linguae cognitione puritas doctrinae in Ecclesiae servari non possit.

De me non prolixe dicam, callere me linguam propheticam mediocriter, multi norunt in iis Academiis, in quibus antea docui, ubi et diligentiam et fidem auditoribus probavi. Spero igitur, me recte et utiliter facturum officium in hac Academia: tradam Grammaticen Ebraeam, et adiungam Psalmorum enarrationem, ut exempla lectionis, vocabula et phrasin proponam. Haec simplicissima docendi ratio doctis viris etiam in aliis Academiis probatur. Sequar autem sententias probatas nostrae Ecclesiae, quas solas et veras et nativas esse non dubito. Caeterum Academiae universae polliceor, me in officio, legibus Academiae et iudiciis nostri Senatus obtemperaturum esse, et communis concordiae tuendae fore studiosissimum. Dixi.

No. 87. an. 1546.

De Ionatha.

In select. Decl. T. III. p. 1 sqq., Servest. T. III. p. 1., in Tomo III. Erford. lit. E. et apud Richard. III. p. 177.

Oratio de Ionatha, filio Saulis, recitata a Decano collegii philosophici Ioanne Vitebergensi (Ioanne Stolsio).

Cum in caeteris artibus, tum vero in doctrina de vitae gubernatione, via docendi duplex est: quarum prior est, tradere praecepta seu regulas, seu leges: altera natura posterior, sed illustrior, exempla regulis addere, quae cum magis in oculos incurrant, altius penetrant in animos et naturas sequaces, non monstrosas, non feras, non distortas, magis movent et accendunt.

Has docendi vias ambas, cum intelligerent sapientes viri, qui primi tragoedias scripserunt, viderentque vitae praecepta ab aliis nuda proposita esse, imagines insignes pinxerunt, quae de omnibus officiis in vita, de libidinum, ambitionis et crudelitatis poenis spectatores et auditores commonefacerent, ut frenare et cohercere temerarios impetus discerent.

Sed nunc Graecas tragoedias, etsi sapienter scriptae sunt, omitto, ac ad fontem omnium legum, videlicet ad historiam vetustissimae Ecclesiae venio. Haec quoque et praecepta tradit voce Dei sonantia ex rupe Sinaïde, et addit exempla insignia, recte et secus factorum praemiorum et poenarum: primum, ut doceat, quae sit voluntas Dei, quid probet, quid non probet, quas actionum metas proponat, quem portum iustis, quos exitus sceleratis, denique quem monstret universi generis humani finem. Deinde, ut nos ipsi ad hanc normam dirigamus nostra consilia, et cum voluntatem Dei agnoscamus, tum vero et nostrae saluti consulamus.

Ut igitur praecepta coelestia iussit Deus semper in conspectu habere: ita vult exempla, quae proposuit innumerabilia, nobis familiaria esse, ac saepe a nobis aspici et considerari. Nec vero simul complecti quisquam omnia potest. Ideo alias alia recitanda sunt. Ac nunc Ionathae historiam excerpsi, quae quasi concio est de multarum et excellentium et necessariarum virtutum officiis.

Etsi autem non sumus Stoici, qui copulatas esse omnes virtutes dicunt, tamen cum bonum virum nominamus, hoc ei decus tribui intelligatur, quod vulgo iustitiam universalem vocant, id est, omnium necessariarum virtutum actiones, quae legibus praeceptae sunt. Ita in Ecclesia, cum hominem Deo placentem celebramus, magnum ei chorum virtutum tribuimus, quarum has vocamus necessarias omnibus, quae Decalogi voce omnibus praecipiuntur. Et ut in uno scelere semper multa scelera insunt, ita cum una virtute multas vicinas et tanquam ἀδελφὰς consociatas esse necesse est. Sed aliae aliis magis eminent.

Ita in Ionatha erant agnitio vera Dei, timor Dei, fiducia, invocatio, et caeterae his affines, quas prima Decalogi tabula praecipit. Etsi enim adolescens tanquam Tyro in castra ductus est, tamen et domi Samuelem audiebat, et castra illa adhuc disciplina sanctiore regebantur, quam aliarum gentium exercitus ullius temporis.

Lucet igitur exemplum invocationis Dei in praelio, in quo unus Ionathas cum armigero suo totum exercitum hostilem vertit in fugam. Nam haec sunt fidei et invocationis verba, cum ait: Non difficile est Deo, etiam paucorum manibus vincere.

Sunt hae quidem praecipuae virtutes, quae sunt reliquarum et semina et alimenta: sed oculis magis expositae sunt actiones externae civiles, videlicet modestia: qua cum ipse gentium more regni haeres esset, cessit tamen Davidi, nec regnum ut videbatur debitum suae familiae, appetivit. Deinde constantia, qua in aula patris impii, et Deo pietatem debitam praestitit, et fidem amico. Postremo tolerantia, cum non deficeret a Deo, etiamsi videbat se bene meritum in tristes aerumnas incidere.

Ut autem in aliis gemmis aliae dotes magis spectantur, propter gratissimum virorem, Smaragdus placet, et quia Venerem fugit, et medetur comitialibus. Carbunculus magni fit propter flammeum fulgorem, etiam in tenebris conspicuum. Ita in aliis exemplis aliarum virtutum imagines illustriores proponuntur. Hoc igitur decus in Ionatha praecipue consideremus, videlicet, quod volens Davidi de regno cessit: quae quanta fuerit animi moderatio, ita magis intelligi poterit, si communem vitam intuebimur, et animadvertemus, quantum incendium sit in praestantibus naturis honoris et regni cupiditas, seu ambitio. Omnium temporum historia exemplorum plena est, inde usque a Cain, nec tantum in gentibus ignaris verae doctrinae de Deo, ambitio civilia bella infinita excitavit: haec Marium et Syllam, Pompeium et Iulium, Antonium et Augustum, et alios innumerabiles commisit. Sed etiam in Ecclesia tristissimarum dissipationum saepe causa fuit. Etiam frati Moysi, Aaron invidet principatum, qui tamen ingentium periculorum plenus erat. Postea et cum utroque de principatu dimicat eorum cognatus Chora. Denique in toto genere humano haec pestis horribiliter grassatur. Nec tantum de viris praestantibus dictum intelligatur, Omnis cura viris, uter esset induperator: sed etiam inter infimos aemulationes sunt, certamina de priore loco. Pugnat autem id malum cum iustitia, quae suum cuique locum geometrica proportione tribui iubet, et saepe exitiale totis gentibus. Quare magna virtus fuit Ionathae, reprimere ambitionem, nec in Ecclesia et patria civile bellum accendere.

Quam difficile autem fuerit cedere, cum more gentium videretur Ionathas haeres, et diu unus summum locum tenuerat, fuerat patris legatus, tribus magnis praeliis sine patre hostes profligaverat, erat ornatus divino testimonio, ac pene par Davidi erat virtute et rebus gestis, caeteris vero omnibus praestantibus viris in populo Dei longe antecellebat. Talem ne virum existimatis sine aliquo dolore potuisse regnum abiicere? Sed flammas ambitionis consilio et modestia extinxit, quae remedia petebat ex doctrina coelesti.

Primum norat mandatum Dei esse, ne quis appetat regnum sine vocatione: sciebat praesertim in Ecclesia Dei, et in hac politia divinitus constituta, regnum nulli homini debitum esse, sed proprium Dei esse: et divino consilio alias alios in hoc populo ad summam gubernationem evectos esse. Sciebat se frustra pugnaturum esse, si alium quem Deus vocasset, excutere conaretur. Nec volebat turbari Ecclesiam et patriam.

Haec cogitans, frenabat ipse suam cupiditatem, et petebat se a Deo adiuvari, ne frenum cupiditati laxaret, non dicebat ut Thebus tyrannus in tragoedia:

> Nam si violandum est ius, regnandi gratia
> Violandum est: in aliis rebus pietatem colas.

Sed Deo se subiiciebat, et se intra septa sui loci modeste continebat. In hoc exemplum tanquam

in speculum assidue intueamur, sitque Ionathas monitor frenandae et reprimendae ambitionis.

Quid tristius cogitari potest, quam in Ecclesia Dei doctores, qui de modestia quotidie concionantur, inter se certare? ut certarunt Atreus et Thyestes, Eteocles et Polynices, Romulus et Remus, denique alii parricidae innumerabiles. Cohorresco toto corpore, cogitans quantum in ea re mali sit: et tamen ut semper alicubi haec pestis grassata est, ita metuendum est aliquanto post multo latius grassaturam esse. Ideo optimi adolescentes, adversus hunc furorem et vestra diligentia et pia precatione pectora vestra munite: primum, quae res sit ambitio, et quae sit virtus contraria, diligenter discite, ut morbus agnosci possit, ne quis fucosa specie deceptus, pravam cupiditatem alat et confirmet: deinde mandata Dei et exempla illustria colligite, quae nos ad modestiam et *ταπεινοφροσύνην* salutarem nobis et communi societati retrahunt.

Non est igitur, inquies, appetenda gloria, non tuendus locus qui virtuti debetur? Imo vero assentior, appetendam esse gloriam, sed rite et ordine. Ideoque definitiones tenendae sunt, quas recitabo. Paulus in Galatis inquit: Probet unusquisque suum opus: ita apud sese gloriam habebit, non ex aliis. Iubet ut suo quisque munere recte fungatur, et intra eas metas se contineat, et prudenter consideret, quid recte, quid secus fuerit. Si in hac *δοκιμασίᾳ* videris recte facere officium, vere habes gloriam, id est, tuae conscientiae approbationem: quae est ingens decus, et magna cura expetendum et tuendum. Cumque ita tibi eris conscius, non pendebis ex aliis, id est, nec captator eris aurae popularis, nec obtrectatione aliorum colligere tibi opinionem studebis. Haec sapientissime monuit Paulus, quasi digitum intendens in magnam partem hominum, quorum non est haec praecipua cura, ut recte faciant, sed ut vulgi plausus aliis artificiis aucupentur. Suntque duae viae usitatissimae, assentatio et obtrectatio. Extruatur ergo ex Pauli dicto haec definitio:

Ambitio est, fiducia nostri appetere maiora vocatione, cum mens nec timeat Deum, nec propriam infirmitatem agnoscat: ut Antonius poterat inter principes cives esse, si quievisset, sed cum summum fastigium sine iusta causa adpetit, ipse sibi exitium accersit.

Econtra vero *ταπεινοφροσύνη* opposita ambitioni, mixta est ex iusticia et modestia. Est enim timere Deum, et agnitione propriae infirmitatis non appetere maiora vocatione, facere nostri muneris officia, fiducia divini auxilii, nec alia Dei organa despicere.

His definitionibus collatis intelligi potest, quae actiones suscipiendae sint, et intra quas metas continere se quisque debeat. Non vult Deus Ionathan ociosum esse, aut verae gloriae negligentem, sed suum ei locum tribuit. Quod cum intelligat Ionathas, et suo loco faciat officium, civis est salutaris sibi et aliis. Et plus verae gloriae haec animi moderatio habet, quam vel totius orbis terrarum imperium tenere. Nam haec moderatio congruit ad mandata divina, ut ad Thessalonicenses scribitur: *φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν, καὶ ἴδια πράσσειν.*

Sed inter exempla huius generis maxime eminet filius Dei, Dominus noster Iesus Christus. Cogita quaeso, quam turbe tibi sit te efferre, despicere alios, alios de loco detrudere: cum filius Dei se abiecerit infra nos omnes, et in sese derivarit iram aeterni Patris, prostratus coram Deo, ac reus, perinde ac si vere ipse se polluisset turpissimis sceleribus meis, tuis, et omnium. Quanta est haec abiectio sui, derivare in sese infamiam aliorum? Perinde ut si amicus aliquis tuus in sese famam caedis a te factae derivaret. Et longe plus est coram Deo sic se abiicere.

Huius exempli cogitatione ambitionis flammas extinguamus, praesertim cum etiam dixerit Christus: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Et quotidiana experientia ostendit verissimum esse dictum Petri: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Magnum igitur in Ionatha decus est haec modestia, quam diximus.

Sed cur interficitur talis vir Deo placens, et optime meritus de Ecclesia? Haec est longior disputatio, quam ut hic explicari possit. Monet autem non deficiendum esse a Deo, etiamsi differantur praemia. Expectat Ionathas aeterna bona, et Deus posteritatem Ionathae ornat magna gloria, quae ipsa testimonium est huius versiculi:

ἐσθλῶν παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Nam reliqua tota stirpe Saulis deleta, mansit posteritas Ionathae annis amplius quingentis post Davidem. Dicerem etiam de constantia Ionathae, quanquam in impia aula viventis, nisi temporis

angustia prohiberet. Reliquam igitur partem historiae ipsius, alio tempore illustrabimus. Dixi.

No. 88. an. 1546.

De Maccabaeis.

In select. Declam. T. III. p. 10 sqq., Servest. T. III. p. 10., in Tom. III. Erford. lit. E, 5. et apud Richard. T. III. p. 183.

Oratio de Machabaeis, recitata a Ioanne Stiglio, cum testimonium eruditionis tribueretur aliquot honestis viris renunciatione Magistrorum.

Si tantum eo colerentur doctrinae studia, ut in ocio et tranquillis temporibus, inde voluptas aliqua petatur, sicut in conviviis hilarioribus Musica adhibetur: hi congressus, et de doctrina sermones, non congruere huic tempori viderentur. Sed quia alii magis necessarii fructus ex literis capiuntur, omnium esse temporum cogitationem de doctrina statuendum est. Semper lumen vitae esse debet agnitio Dei, quae lectione assidua confirmanda est. Semper literae rectrices sint consiliorum et actionum. Sed in periculosis tempestatibus maior est utilitas doctrinae. Accendit invocationem Dei, lenit dolores monstratis veris consolationum fontibus, ostendit portum, in quo mentes acquiescant. Quanquam igitur moto bello, studia quasi conterrita, languidiora fieri videntur: tamen ut homines docti nunc vel maxime de utilitate doctrinae cogitemus, utrum literae voluptatis causa praecipue discantur: an vero ut praesidia salutaria sint adversus omnes casus. Quid, quod non tantum propter hanc mortalem et fugacem vitam opus est eruditione, sed multo magis, ut aeterna vita nunc in nobis inchoetur.

Cum autem nunc multi frementes irascantur temporibus, ut nihil dicam δυσφημότερον, multi quaerant quae spes reliqua sit, et in tanta caligine, qua veluti dirigenda sit navis: reprehendenda est haec animorum mollicies, quae hominibus doctis indigna est, praesertim in Ecclesia Dei, quae scit in hac vita sibi non esse certam tranquillitatem propositam. Sciamus igitur omnino aliquid aerumnarum communium ferri oportere, undecunque sint vel causae, vel initia. Et quanquam possunt esse aliae propiores ἀφορμαὶ, et quasi venti, quibus subito excitati sunt hi fluctus: tamen aliquam esse causam, sua quisque scelera communium calamitatum sciat. Ut autem de Aeschine dicit Demosthenes, serio eum nunc post bellum dare consilium, cum antea tacuerit: ac perinde facere, ut medicus, qui cum viventi aegroto noluisset opem ferre, postea sequens funus, dixerit, Si hic homo fecisset hoc et hoc, non fuisset mortuus: ita nunc multi de aliis disputant, qua moderatione utendum fuerit, qui ipsi in sese etiam inquirant, et suam conscientiam interrogent, an culpa careant. Dixit aliquis in tanta caligine opinionum aliquid inconsiderate, veritatem quaerens, ut Aeschylus gravissime dicit errare illum quoque, qui sapientior sit sapiente, ἁμαρτάνει τε καὶ σοφοῦ σοφώτερος: aut fecit aliquid vehementius, dum fugit idola. Quid tu interea Epicuree, aut Cynice? Nullane re Deum offendisti? aut defendisti idola, aut adplausisti defensoribus turpi assentatione: pollutus es libidinibus, et aliis sceleribus. Quare et te facem aliquam fuisse publici incendii agnoscas, nec culpam tantum in alios derives.

Sed ut Homerus saepe inquit, praeterita relinquamus, ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυκται, ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ: et consilium in praesentia quaeramus, quid agendum sit, qui cursus, qua spe tenendus. Qua de re, ne adolescentes necessaria studia abiiciant, aliquid omnino dicendum esse duxi.

Et quia exempla velut in illustri posita loco magis incurrunt in oculos, similia Ecclesiae tempora quaeramus. Huius aetatis certamina non dissimilia sunt contentionibus, quae de cultu Dei fuerunt Machabaeorum tempore. Nam manifestum est, multa membra doctrinae ecclesiasticae quae antea depravata fuerunt, in hac emendatione recte illustrata esse. Hanc lucem doctrinae extingui volunt idolorum defensores. Ut igitur tunc Machabaei, et qui cum eis sentiebant, suo quisque loco, veritatem, alii iustis armis in defensione necessaria patriae propugnabant, alii docendo tradere incorruptam posteris studebant: ita nunc suo quisque loco veritatem discat, amplectatur, amet et tueatur. Ac vetera illa exempla ducum et docentium diligenter contemplemur, quam ad rem necessaria est consideratio dissipationis publicae, quae tum fuit in illo regno divinitus constituto. Duo inter se viri audacissimi de

pontificatu contendebant, interfecto priore pontifice Onia. Horum certamen attraxit Antiochum, qui totum regnum opprimere armis conabatur. Sed cum familia regia, Davidis posteritas, usque ad id tempus ducum titulo Reip. utcunque praeesset, reprimere Antiochum initio conatus est vir fortis Ioannes Hyrcanus, Mariae atavus, qui dux suae gentis eo tempore fuit. Hoc interfecto, postea Resp. orbata duce sine ullo custode et sine praesidio fuit, ac passim inermis multitudo trucidabatur ut pecudes. Hic quanta virtus privati hominis Machabaei fuit, qui voluntarios aliquot milites contraxit, et hanc exiguam manum ingentibus hostium copiis opponere ausus est? Nec deerant tunc quoque, qui hoc consilium reprehendebant, qui vociferabantur, privatum non debere arma capere, stultitiam esse, parvum agmen obiicere ingentibus exercitibus. Sed ardebat Machabaei pectus fide, sciebat Deo hoc officium viros fortes omnes debere, ut verae doctrinae possessionem tueantur: ut coniuges, liberos, patriam, patriae disciplinam armis tegant. Norat hanc militiam Deo gratissimum cultum esse, et adiuvari eam divinitus. Sic cum sentiret, nec deesse officio vellet, videte quam multae in una re virtutes extiterint. Intellectus et amor doctrinae coelestis, obedientia Deo debita, pietas erga patriam, magnitudo animi orta ex fiducia praesentiae Dei, moderatio ingens in perferendis amicorum et civium iniuriis. His virtutibus cum faveret Deus, foelix et salutaris fuit eius militia Ecclesiae Dei, quo nullum maius donum optari potest. In hunc igitur ducem intuentes, cum et voluntatem ipsius, et Dei testimonia, qui hanc militiam pulcherrimis victoriis ornat, considerabimus, virtutes ipsius pro nostro modo imitemur. Etsi enim dulce nomen est pacis, et non sunt accersenda bella: tamen cum inferuntur, praesertim ad delendam veram de Deo doctrinam, ad inducendas in patriam, barbaras, impias, crudeles gentes, ad legum et disciplinae eversionem: hic vero exuscitemus nos coelesti voce, et anteferamus vitae nostrae gloriam Dei, et patriae salutem: nosque non ad ocium et voluptates in hac vita conditos esse meminerimus, sed ut Dei testes et Ecclesiae defensores simus: nec pericula aut mortem in ea militia defugiamus, victuri postea in consuetudine Dei, ubi aeternis praemiis haec virtus ornabitur. Quantum decus erit in illo aeterno coetu, praedicari hoc triumphali carmine? ISTI sunt sancti, qui pro testamento Dei suum sanguinem fuderunt, et in sanguine Agni stolas suas laverunt.

Cum autem infinita sit oratio de huius militiae laude, non immorabor, praesertim in re omnibus bonis et virtutem amantibus notissima, diutius. Rursus autem de his nostris studiis dicam, quae propter discordias publicas apud multos in odio sunt. Sed propter has ipsas causas, quia sunt opinionum dissidia, et alienatae sunt voluntates, necesse est maiore cura recta discere, amplecti et propagare: cuius rei exemplum et ipsa historia Machabaeorum ostendit, de quibus scriptum est: Docti in populo multos docebunt. Ne tum quidem inter classica et inter civium supplicia eruditi homines, et firmi, doctrinae studia abiiciebant. Erant enim refutandi impii, qui religiones inter sese confundebant, cum multi disputarent nihil interesse inter Graecas et Iudaicas opiniones de Deo: unum numen a quo condita sit rerum natura, ab omnibus gentibus coli, etiamsi diversae sint appellationes. His praestigiis tum quoque multi decipiebantur: quas ut perspicue confutarent, opus fuit erudite discerni religiones. Hic docti monebant deerrare omnes a vero Deo, qui non agnoscerent eum in ea doctrina, in qua se ipse certis et illustribus testimoniis patefecit: nec sciri voluntatem eius, an et cur exaudiat, nisi promissiones teneantur, in hac una gente propositae. Cumque non essent leviores pugnae disputationum, quam dimicationum in acie, magnitudo rerum excitavit, erudiit et acuit multos, ut religiones rectius discernerent, quod nunc quoque faciendum est. Sunt enim multi, qui ut idola stabiliant, artificiose ea fucis pingunt. Multi, postquam vident ocium suum interturbari, quanquam antea visi sunt probare veras sententias, tamen nunc se retexunt, simulant studium moderationis, iubent pacis causa largiri quaedam adversariis, fingunt astute conciliationes ambiguas, quae tanquam cothurni, utrique parti videantur congruere. Ac ut fuit quispiam nomine Ecebolus, qui cum esset Ethnicus, metu Constantii imperatoris adiunxit se Christianis, deinde Iuliani tempore rursus palam fuit hostis Christianorum: cum vero rursus imperio potitus esset princeps, Christum agnoscens Valentinianus, rediit et Ecebolus ad Ecclesiam: tales Chamaeleontes nunc quoque multi sunt, qui colorem subinde mutant. Ideo bonae mentes maiore cura instruant se solida doctrina, ne Dei noticia in terris extinguatur.

Et quanquam athei multi adversabuntur, et magnos tumultus excitabunt: tamen sciant Deum sedaturum esse eas tempestates, et servaturum Ecclesiam, ut tunc quoque Machabaeis restituit Rempublicam. Nos nostrum officium bona fide faciamus, hoc est: necessaria moderate doceamus, et eventus Deo commendemus.

Haec regula saepe coelesti voce tradita, semper in conspectu habenda est. Sic enim in Psalmo dicitur: Subditus esto Deo, et ora eum. Ideo conditi, et sanguine filii Dei redempti sumus, ut Dei templa simus, et vera in nobis de Deo doctrina luceat. Nec aliquid ἐφόδιον ex hac vita auferre possumus.

Quare sive tranquilla, sive turbulenta sint tempora, sit haec praecipua cura, ut pura et nativa de Deo doctrina pectora instruamus. Hoc cum fit, literarum et multarum artium studia adiungi necesse est, ut quotidie videtis in Ecclesia multarum linguarum et artium usum esse, magna res et difficilis est, explicatio et diiudicatio controversiarum religionis. Et haec communis vita indiget ope multarum artium, quae in scholis discendae sunt, quarum non ideo nullam utilitatem fore existimetis, quia bellum minatur vastitatem Germaniae: sed cum Ecclesiam Dei mansuram esse non dubium sit, sperate etiam domicilia et hospitia Ecclesiarum mansura esse. Et hanc ipsam ob causam diligentius discite, quia ibi mansura est Ecclesia Dei, ubi vel mediocria erunt piae doctrinae studia. Et cum haec mundi senectus pene iam delirans habitura sit varias confusiones, maior sit discendi cura, ut normam recte iudicandi certiorem teneamus, multa etiam eruditorum et bonorum consiliis mitigari possunt: denique magna levatio est, dolorem ea doctrina, quae causas humanarum calamitatum, et portum in quo acquiescendum est, monstrat.

Has adhortationes studiosi saepe cogitent, et se non solum ad discendum, sed etiam ad omnium virtutum amorem exuscitent. Sint constantes, et arte humanas miserias ferre discant, nec deserant suam stationem fracti metu, aut mollicie animi. Sciant etiam, ideo Ecclesiam praecipue exerceri magnis aerumnis, ut invocatio sit ardentior, et mitigari eventus nostris gemitibus ac precibus. Ideo crebro repetamus haec vota:

Te omnipotens et vive Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et opitulator una cum filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, qui colligis haereditatem filio tuo ex hac misera massa generis humani, et eam mirando consilio redemisti, et mirandis modis servas: invocamus et oramus, ut propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, mentes nostras Spiritu sancto regas, et in hac urbe et in his regionibus Ecclesiam tibi colligas et serves, et studia verae doctrinae protegas, ut te vere invocemus et perpetuo celebremus. Dixi.

No. 89. an. 1546.

In funere Lutheri.

In select. Declam. T. III. p. 20 sqq., Servest. T. III. p. 19., apud Richard. T. III. p. 749. et in Tom. III. Erfordiano lit. B, 1. —. Prodiit etiam separatim: Oratio in funere M. Lutheri recitata. Viteb. 1546. 8. 1 pl. Lips. 1546. 8. Germanice: Oratio über der Leich Luthers am 22. Tag Febr. verteutscht durch C. Cruciger. Witth. 1546. 4. 1 pl. Sermon über der Leich Luthers, verteutscht durch Joh. Funk. 1546. 4. 2 pl.

Oratio in funere D. Martini Lutheri,
(d. 22. Febr. a Melanthone recitata).

Etsi in hoc publico luctu mea vox dolore et lachrymis impeditur: tamen in tanta frequentia aliquid dicendum fuit, non ut ab Ethnicis fiebat, tantum de mortui laudibus: sed potius ad commonefaciendum coetum de miranda gubernatione et periculis Ecclesiae, ut qua de re angi, quas res praecipue expetere, ad quae exempla dirigere vitam debeant, cogitemus. Etsi enim homines prophani in tanta confusione vitae temere omnia et casu ferri arbitrantur: tamen nos multis perspicuis Dei testimoniis confirmati, seiungamus Ecclesiam a prophana multitudine, et statuamus vere eam regi et servari divinitus? et eius politiam recte aspiciamus, agnoscamus veros gubernatores et eorum curriculum consideremus, et eligamus duces et Doctores idoneos, quos quidem et pie sequamur et veneremur. De his tantis rebus et cogitari et dici necesse erit, quoties reverendi viri D. Martini Lutheri, charissimi Patris et praeceptoris nostri, mentio fiet: quem etiamsi multi prophani homines acerbissime oderunt, tamen nos qui scimus fuisse ministrum Evangelii divinitus excitatum, amemus ac probemus, et testimonia colligamus,

quae ostendunt eius doctrinam non esse seditiosas opiniones, sparsas coeco impetu, ut homines Epicurei indicant: sed demonstrationem voluntatis et veri cultus Dei, et explicationem sacrarum literarum, et praeconium verbi Dei, id est, Evangelii Iesu Christi.

Etsi igitur in his orationibus, quae tali loco habentur, multa de ornamentis privatis eorum qui laudantur, dici solent: tamen ego ea parte orationis relicta, tantum de hoc praecipuo loco dicam, videlicet de munere ecclesiastico. Ita enim bonae mentes semper statuent: Si doctrinam in Ecclesia salutarem et necessariam illustravit, Deo gratias agendas esse, quod eum excitaverit, et ipsius labores, fidem, constantiam, et caeteras virtutes laudandas esse, ac memoriam eius bonis omnibus charissimam esse.

Sit igitur hoc orationis nostrae initium. Sedet, ut Paulus inquit, filius Dei ad dextram aeterni patris, et largitur bona hominibus, id est, vocem Evangelii et Spiritum sanctum: quae ut impertiat, excitat Prophetas, Apostolos, Doctores et Pastores, et hos sumit ex hoc nostro, id est, discentium coetu, qui legunt, audiunt, amant scripta prophetica et apostolica. Nec tantum illos vocat ad hanc militiam, qui tenent ordinariam potestatem: sed saepe illis ipsis bellum infert per Doctores ex aliis ordinibus delectos. Estque iucundum et utile spectaculum, intueri Ecclesiam omnium aetatum: et considerare bonitatem Dei, qui subinde salutares Doctores, ita continuato ordine misit, ut tanquam in acie prioribus decedentibus, mox alii in horum vestigia insisterent.

Nota series est primorum patrum, Adae, Seth, Enoch, Methusalem, Noë, Sem, hoc vivo, et in vicinia Sodomorum habitante, cum iam oblitae gentes doctrinae Noë et Sem, passim idola colerent, excitatus est Abraham, ut esset collega Sem, et socius huius summi operis, propagandae verae doctrinae. Huic successerunt Isaac, Iacob, Ioseph, qui in universa Aegypto, quae tunc fuit florentissimum regnum toto orbe terrarum, doctrinae lucem accendit. Deinde Moses, Iosue, Samuel, David, Elias, Eliseus, quem audivit Iesaias, Iesaiam Ieremias, hunc Daniel, Danielem Zacharias. Deinde Esdras, Onias. Post hunc Machabaei. Deinde Simeon, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli. Hanc continuam seriem iuvat aspicere, quae est illustre testimonium praesentiae Dei in Ecclesia.

Ac post Apostolos sequitur agmen, quod etsi fuit imbecillius, tamen Dei testimoniis ornatum est: Polycarpus, Irenaeus, Gregorius Neocaesariensis, Basilius, Augustinus, Prosper, Maximus, Hugo, Bernardus, Taulerus, et alibi alii. Etsi enim haec postrema senecta squalidior est: tamen Deus semper aliquas reliquias servavit. Et lucem Evangelii splendidiorem accensam esse voce Lutheri, manifestum est.

Annumerandus est igitur illi pulcherrimo agmini summorum virorum, quos Deus ad colligendam et instaurandam Ecclesiam misit, quos quidem praecipuum florem esse generis humani intelligamus. Fuerint sane magni viri Solon, Themistocles, Scipio, Augustus, et similes, qui magna imperia vel constituerunt, vel rexerunt: tamen longe inferiores sunt his nostris ducibus Iesaia, Baptista, Paulo, Augustino, Luthero. Haec vera discrimina intelligere nos in Ecclesia decet.

Quae igitur res magnae et verae a Luthero patefactae sunt, quae ostendunt eius curriculum laudandum esse? Clamant enim multi turbatam Ecclesiam, et controversias inextricabiles sparsas esse. Hic respondeo talem esse gubernationem Ecclesiae. Cum Spiritus sanctus arguit mundum, dissidia propter impiorum pertinaciam oriuntur, et culpa est eorum qui audire filium Dei nolunt, de quo coelestis pater inquit: Hunc audite. Lutherus veram et necessariam doctrinam patefecit. Fuisse enim tenebras in doctrina de poenitentia densissimas, manifestum est. His discussis ostendit, quae sit vera poenitentia, et quis sit portus, quae firma consolatio mentis, quae expavit sensu irae Dei. Illustravit Pauli doctrinam, quae ait, fide iustificari hominem. Ostendit discrimen Legis et Evangelii, iustitiae Spiritus, et politicae. Ostendit et veram invocationem Dei, ac totam Ecclesiam ab ethnico furore revocavit, qui fingit Deum invocari, etiamsi mentes academica dubitatione oppressae fugiant Deum. Iussit fide et bona conscientia fieri invocationem, et quidem ad unum mediatorem filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris, et interpellantem pro nobis, deduxit nos: non ad statuas aut homines mortuos, ut horribili furore homines impii statuas et homines mortuos invocant.

Monstravit et alia vera officia Deo grata, et vitam civilem ita ornavit et munivit, ut nullius unquam literis ita ornata et munita sit. Denique seiunxit a necessariis operibus puerilem paedago-

giam humanarum ceremoniarum, et ritus ac leges impedientes veram invocationem Dei. Et ut illustra doctrina coelestis propagaretur ad posteritatem, vertit in linguam Germanicam prophetica et apostolica scripta, tanta perspicuitate, ut haec ipsa versio plus lucis adferat lectori, quam plerique commentarii.

Adiunxit et ipse multas enarrationes, quas longe antecellere omnium enarrationibus, quae extant, Erasmus etiam affirmare solebat. Et, ut scribitur, de instaurantibus Hierosolymam, altera manu eos aedificasse, altera gladium tenuisse: ita ipse et praeliabatur cum hostibus verae doctrinae, et simul enarrationes plenas doctrinae coelestis condebat, et multorum conscientiis opem tulit piis consiliis.

Cumque magna pars doctrinae supra humanum conspectum posita sit, ut doctrina de remissione peccatorum et fide, necesse est fateri a Deo eruditum esse: ac multi ex nobis viderunt eius luctus, in quibus didicit, fide statuendum esse, nos et recipi et exaudiri a Deo.

Semper igitur in omni aeternitate bonae mentes beneficia, quae Deus Ecclesiae per Lutherum dedit, celebrabunt. Et primum Deo gratias agent. Deinde et ipsius viri laboribus multum debere se praedicabunt, etiamsi homines athei, qui totam Ecclesiam rident, haec *κατορθώματα* iudicant esse inanem ludum, aut furorem.

Nec inextricabiles disputationes motae sunt, nec contentionis pomum, ut aliqui false dicunt, Ecclesiae obiectum est, nec proposita *σφιγγὸς* aenigmata. Nam sanis et piis, et non calumniose iudicantibus, facile est, collatis sententiis videre quae congruant cum coelesti doctrina, quae non congruant. Imo in omnium piorum mentibus has controversias iam diiudicatas esse, non dubium est. Quia cum Deus conspici se, et voluntatem suam in sermone prophetico et apostolico velit, in quo se patefecit, non existimandum est sermonem illum ambiguum esse, ut folia Sibyllae. Quae turbata volant rapidis ludibria ventis.

Sed aliqui non mali tamen quaesti sunt, asperiorem fuisse Lutherum quam debuerit. Nihil disputo in alterutram partem, sed respondeo id quod Erasmus saepe dixit: Deus dedit huic postremae aetati propter morborum magnitudinem acrem medicum. Cumque tale organum adversus hostes veritatis superbos et impudentes excitarit, ut ad Ieremiam inquit, Ecce, dedi verba mea in ore tuo, destruas et aedifices: et voluerit eis tanquam hanc Gorgonem obiicere, frustra expostulant illi cum Deo. Nec regit Deus Ecclesiam humanis consiliis, nec vult organa sua prorsus similia esse. Illud autem commune est, ut mediocria et moderata ingenia impetus ardentiores seu bonos seu malos minus probent. Vidit Aristides Themistoclem ingenti motu animi res magnas suscipere et foeliciter gerere: etsi autem foelicitatem gratulabatur Reipublicae, tamen incitatum illius animum ex eo cursu revocare studebat.

Nec ego hoc nego, peccare interdum vehementiores impetus: nemo enim in hac naturae infirmitate prorsus sine labe est. Interim tamen, si quis talis est, ut veteres de Hercule, Cimone, et aliis dixerunt, *ἄκομψος μὲν, ἄλλα τὰ μέγιστα ἀγαθὸς*, vir bonus et laude dignus est. Ac in Ecclesia, si, ut Paulus inquit, recte militat, retinens fidem et bonam conscientiam, Deo placet, et a nobis venerandus est.

Talem fuisse Lutherum scimus. Nam et constanter doctrinae puritatem defendit, et conscientiae integritatem retinuit. Iam quis est, cui quidem notus ille fuit, qui nesciat, quanta humanitate praeditus, quanta huius in congressibus familiaribus suavitas, quam minime hic contentiosus, aut rixator fuerit? Et adiunctam tamen omnia gravitatem habuerunt, eam quae in tali viro esse deberet, nam in hoc,

ἀψευδὲς ἦθος, εὐπροσήγορας στόμα.

Vel potius erant secundum Paulum omnia *ὅσα ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προςφιλῆ, ὅσα εὔφημα*, ut illam asperitatem *ζήλου* veritatis, non *ἐριθείας*, aut acerbitatis fuisse manifestum sit. Atque horum nos omnes et externi plurimi testes sunt: de reliqua autem vita, quam ad annum LXIII. produxit in maximo et acerrimo studio pietatis et omnium bonarum rerum atque artium, si laudationem viri instituissem, quam illustrem et speciosam orationem habere possem? Nullae vagae libidines unquam in eo animadversae sunt, nulla seditiosa consilia: imo autor potius aliquoties fuit abiiciendorum armorum: non miscuit causis ecclesiasticis artificia augendae potentiae vel suae, vel suorum. Hanc et sapientiam et virtutem esse iudico tantam, ut sola humana diligentia accersi posse non videatur: sed divinitus etiam frenari animos oportet, praesertim acres,

excelsos, ardentes, qualem omnino Lutheri fuisse res ostendit.

Quid dicam de caeteris eius virtutibus? Saepe ipse interveni, cum lachrymans precationes suas pro tota Ecclesia dixit. Sumebat enim sibi fere quotidie certum tempus ad Psalmos aliquos recitandos, quibus sua vota gemens et lachrymans miscebat: ac saepe dixit se succensere istis, qui aut propter ignaviam, aut propter occupationes dicunt satis esse solo gemitu precari. Ideo formae nobis divino consilio praescriptae sunt, inquit, ut lectio mentes accendat: imo ut vox etiam profiteatur, quem Deum invocemus.

Itaque cum multae graves deliberationes de periculis publicis saepe inciderint, animadvertimus eum ingenti animi robore praeditum fuisse, minimeque ψοφοδεῆ, nec ullis unquam fractum terroribus. Nitebatur enim sacra, ut dicitur, ancora, id est, auxilio Dei, nec fidem excuti sibi patiebatur.

Caeterum et acie mentis tantum valebat, ut unus in obscuris rebus maxime videret quid conduceret. Nec erat, ut multi putant, negligens in consideranda Repub. aut inspiciendis aliorum voluntatibus, sed et Rempub. norat, et omnium cum quibus vivebat, sensus ac voluntates sagacissime perspiciebat. Et quanquam ingenii vis acerrima erat: tamen avidissime legebat scripta ecclesiastica vetera et recentia, et omnes historias, quarum exempla singulari dexteritate ad praesentia negocia transferebat.

Eloquentiae vero ipsius perpetua monumenta extant: qua par fuit haud dubie iis, in quibus vis oratoria summa fuisse existimat.

Talem virum summa vi ingenii praeditum, instructum doctrina, longo usu exercitatum, multis excellentibus et heroicis virtutibus ornatum, ac a Deo ad Ecclesiae instaurationem delectum, denique complexum nos omnes paterno animo, ex hac nostra consuetudine evocatum esse, nostra causa merito dolemus. Sumus enim simillimi orphanis praestanti et fideli patre orbati. Sed quia Deo obtemperare necesse est, memoriam tamen virtutum et beneficiorum ipsius apud nos interire non sinamus. Ac ipsi quidem gratulemur iam familiarem et dulcissimam cum Deo et filio eius Domino nostro Iesu Christo, Prophetis et Apostolis consuetudinem, quam fiducia filii Dei semper et petivit et expectavit, ubi non modo iudicio Dei et testimoniis universae coelestis Ecclesiae probari suos labores, quos in propagatione Evangelii sustinuit, audit: sed etiam ipse iam eductus ex mortali corpore tanquam ex carcere, et ingressus in scholam multo eruditiorem, Dei essentiam, et in filio duas naturas coniunctas, et totum consilium conditae et redemptae Ecclesiae prope contemplatur: quas res maximas, involutas et brevibus oraculis propositas, cum fide hic considerarit, nunc coram videns, laetitia summa adficitur, et Deo iam ardens tota mente gratias agit pro tanto beneficio.

Hic discit cur filius Dei λόγος καὶ εἰκὼν aeterni patris dicatur: et quomodo vinculum sit Spiritus sanctus amoris mutui, non solum inter aeternum patrem et filium, sed etiam inter ipsos et Ecclesiam. Initia huius doctrinae et rudimenta in hac mortali vita didicerat, et saepe de his summis rebus, de discernenda invocatione vera et falsa, de vera agnitione Dei intuente patefactiones divinas, et discernente verum Deum a commentitiis numinibus gravissime, sapientissimeque disserebat.

Multi in hoc coetu audierunt eum aliquando enarrantem hoc dictum: Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis. Ubi primum auditores hanc amplissimam consolationem infigere animis iubebat, quae adfirmat, coelum apertum esse, id est, nobis ad Deum patefactum esse, irae divinae repagula, confugientibus ad filium, amota esse, Deum prope iam nobiscum versari, et invocantes ipsum, ab eo recipi, regi et servari.

Hoc decretum Dei, quod homines ἄθεοι fabulosum esse vociferantur, monebat opponendum esse humanae dubitationi, et pavoribus qui deterrent fugientes animos, quo minus invocare Deum ausint, nec acquiescant in Deo.

Deinde angelos ascendentes et descendentes in Christi corpore, ministros Evangelii esse dicebat, qui primum duce Christo ascendunt ad Deum, et ab eo Evangelii lucem et Spiritum sanctum accipiunt. Postea vero descendunt, id est, ministerio docendi inter homines funguntur.

Addebat autem hanc interpretationem, etiam illos ipsos spiritus coelestes, quos usitate vocamus angelos intuentes in filium, erudiri et laetari hac miranda copulatione duarum naturarum: et cum huius domini milites sint in defensione Ecclesiae, quasi manu eius gubernari eos.

Harum optimarum rerum nunc spectator est, et ut antea inter Evangelii ministros ascendebat et descendebat ducente Christo: ita nunc angelos

cernit mitti ab eo, et sapientiae divinae et operum divinorum consideratione una cum eis fruitur.

Meminimus quanta cum voluptate Prophetarum politiam, consilia, pericula, liberationes recitabat, et quam erudite omnia Ecclesiae tempora conferebat, ut flagrare se illorum summorum virorum desiderio non vulgari significaret.

Hos nunc complectitur, et gaudet vivas audire, et reddere voces. Ili hunc suum *συμφοιτητὴν* laeti salutant, et una gratias Deo agunt, colligenti et servanti Ecclesiam.

Ipsum igitur Lutherum beatum esse non dubitemus. Nostra vero orbitate angamur: et quoniam Dei voluntati, postquam eum hinc evocavit, nos quoque obtemperare necesse est, sciamus hoc quoque velle Deum, ut memoriam virtutum ipsius et beneficiorum retineamus. Id iam officium praestemus. Agnoscamus eum fuisse organum Dei salutare, et eius doctrinam studiose discamus. Virtutes etiam nobis necessarias pro nostra mediocritate imitemur: timorem Dei, fidem et ardorem in invocatione, integritatem in ministerio, castitatem, diligentiam vitandi seditiosa consilia, cupiditatem discendi. Utque de caeteris piis gubernatoribus Ecclesiae, quorum extant historiae, saepe multumque cogitandum est, de Ieremia, de Baptista, de Paulo, ita saepe huius viri doctrinam et cursum consideremus, et gratiarum actionem et precationem adiungamus, quod nunc quoque in hac frequentia fieri decet. Mecum igitur vera pietate animorum dicite.

Gratias agimus tibi omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex verax, fortis et liberrime, quod colligis filio tuo haereditatem ex genere humano, et servas Evangelii ministerium, et nunc quoque per Lutherum instaurasti: ac ardentibus votis precamur, ut deinceps Ecclesiam et serves et regas, et obsignes in nobis veram doctrinam, sicut Iesaias de suis discipulis precatur, et nostras mentes Spiritu sancto tuo accendas, ut te recte invocemus et mores nostros pie regamus.

Deinde quia magnorum gubernatorum interitus saepe denunciant posteritati poenas, vos obtestamur, et omnes quibus docendi munus commendatum est, ut de periculis orbis terrarum cogitetis. Alibi Turci grassantur, alibi minantur bella domestica alii hostes, passim etiam magna est ingeniorum petulantia, quae praesertim postquam Lutheri censuram vereri desinent, maiori audacia doctrinam recte traditam corrumpent.

Haec mala ut Deus avertat, diligentiores simus in regendis moribus et studiis, semperque infixam hanc sententiam animis teneamus, tantisper donec puram Evangelii doctrinam retinebimus, audiemus, discemus, amabimus, fore nos Dei domicilium et Ecclesiam, sicut inquit filius Dei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Hac nos amplissima promissione ad discendam doctrinam coelestem accendamus, et sciamus propter Ecclesiam servari genus humanum et politias, et illam aeternitatem futuram mentibus intueamur, ad quam nos Deus vocavit: Qui quidem nec frustra se tam illustribus testimoniis patefecit, nec frustra filium misit, sed vere diligit et curat haec beneficia magnifacientes. Dixi.

No. 90. an. 1546.

Vita Hieronymi.

In select. Declamat. T. III. p. 71 sqq., in Servest. T. III. p. 67., in Tom. III. Erfordiano lit. G, 3. et apud Richard. T. III. p. 728.

Oratio de vita D. Hieronymi Stridonensis, recitata a Ioanne Stigelio.

Cum per sese honesti sunt hi congressus, doctrinae et disciplinae causa instituti, tum vero hoc tempore levationem aliquam moesticiae bonis mentibus adferunt, quod multis de causis fit. Nam conspectus ipse bonorum virorum gratus est: deinde sermonis communicatio aegritudinem animorum lenit, et mutuis exemplis accenditur invocatio. Quod igitur et praecipue necessarium est, et maxime erigit animos, primum sit in hoc congressu, videlicet ut simul vota faciamus, ut Deus regat ac servet Ecclesiam et scholam, et hospitium hoc nostrum, et hos parietes qui adolescentiam discentem literas et doctrinam coelestem, et nostras coniuges et parvos liberos nostros tegunt, defendat. Nec inanem esse precationem nostram existimemus. Cum enim ideo exerceri Deus Ecclesiam ingentibus periculis sinat, ut liberationes ostendant Dei praesentiam in Ecclesia, vult se invocari, ut

et nos et alii agnoscamus ipsius ope nos servari. Vero igitur gemitu mecum invocate Deum.

Te omnipotens et vive Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, oro, ut propter filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, nostri miserearis, et nos regas Spiritu sancto tuo, nec deleri sinas in his locis studia verae doctrinae, nosque protegas: cum tu, qui es *καρδιογνώστης*, scias qua quisque voluntate sit erga Ecclesiam tuam. Non opes, non potentiam, non voluptates quaesivimus: sed simplex studium discendae verae doctrinae habuimus, et habemus. Id adiuves, ut promisisti, nec deleri veritatem tuam furoribus eorum, qui stabilire falsam invocationem, et commentitia numina conantur, permittas. Haec postquam precati sumus, nunc ut consuetudo est, ad erudiendos excitandosque adolescentes aliquid addemus. Argumentum autem valde locuples hodiernus mihi dies suppeditat, quo Hieronymi Stridonensis historiam in Ecclesia, ut existimo, ad accendenda studia discentium proponere, usitatum est. Cum enim alios aliorum doctorum virorum, Philosophorum et Scriptorum Ecclesiae historias recitasse hoc loco scirem, et iudicarem haec exempla inventuti utilia esse ad mores regendos, et ad iudicandum de multis doctrinae partibus, facile in deligendo argumento, huius viri historiam praetuli: praesertim cum et praeclare meritus sit de Ecclesia Dei, et cum vitae exemplis, tum vero scriptis eruditis iuvare studiosos possit.

Nec ego, quod in laudationibus multi inepti faciunt, pingam imaginem, in qua virtutum omnium perfectio fuerit, sine ullo naevo: sed bona fide et candide historiam narrabo: et quibus in rebus benemeritus sit de Ecclesia, dicam. Addam etiam quae tum ipsi, tum temporibus defuerunt, qua ex narratione tamen hoc intelligetis, inter eos, quorum extant monumenta, Hieronymum unum de summis viris fuisse. Ut autem medicum scire necesse est, cui morbo unde remedia sumenda sint: sic in discendo quaerendum est, quae doctrina ex quibus fontibus haurienda sit. Extare igitur vera de scriptoribus indicia plurimum conducit, praesertim in Ecclesia ubi plurimum refert, ne limpidi fontes doctrinae coelestis, vel veneno, vel coeno iniecto corrumpantur.

Primum autem de vita eius et moribus breviter dicam, in quibus multae sunt virtutes, quarum cogitatio mentes generosas ad imitationem accendere potest. Ardor discendi tantus fuit, ut multas linguas ita didicerit, quasi nativae essent singulae: deinde sedulitas laudanda est, quod magnam partem orbis terrarum pervagatus est, ut linguas et doctrinam Ecclesiae cognosceret. Ex Italia profectus in Gallias venit usque ad Treviros: et inde emensus tot terras et maria lustravit, Asiam et Syriam, et consuetudine eruditorum, qui tunc excellebant, Nazianzeni et Epiphanii, utrique enim familiaris fuit, excultus est. Haec consuetudo cum bonis, magnum indicium est, nullam fuisse labem in moribus. Scitis enim illud, quod summi oratores, Demosthenes et Aeschines ex Euripide citarunt: cum vides qualium consuetudine quisque utatur, ne querendum quidem esse qualis sit ipse. Talis enim unusquisque est, qualium delectatur familiaritate. Sed priusquam de virtutibus eius dicam, patria et incunabula studiorum recitanda sunt.

Natus est Hieronymus Constantii tempore in oppido Stridone, quod situm in confinio Dalmatiae et Pannoniae, narrat ipse suo tempore a Gotthis deletum esse. Extat autem hodie oppidum in Istria nomine Stringa, inter Portulam et Primontem: cuius appellatio cum affinis sit Stridoni, locum eum esse natalem Hieronymi existimant. Nec tantum coniectura a nomine sumitur, sed etiam a tumulo patris. Ibi enim monumentum est Eusebii, quod patris fuisse nomen ipse narrat, cum quidem gratulatur sibi hanc foelicitatem, quod utroque parente Christiano natus sit, et inter ipsos parentum complexus doctrina Ecclesiae Dei imbutus.

Rem familiarem ante Gotthicas irruptiones satis amplam habuisse parentes, significat, cum fratrem Paulinianum remittit ad tuendas reliquias. Cum igitur parentes et recte sentirent, et haberent unde sumptus praebere filiis ad discendum, postquam domi prima elementa literarum pueri percepissent, Romam eos, ubi tunc linguae latinae sonus nativo purior et dulcior erat, quam alibi, mittunt: seque scribit Hieronymus Donati auditorem fuisse. In rhetoricis Victorinum audivit, qui propter confessionem verae sententiae postea a Iuliano crudeli supplicio adfectus fuit. Qualia autem Romae studia tunc fuerint, longum esset narrare. Usitatum erat utramque linguam Graecam

et Latinam discere: et ingeniosi et facundi discebant Rhetoricen, et declamationibus exercebantur, quo in genere una cum nobiliss. Romanorum liberis apparet Hieronymum diu multumque exercitatum esse: cumque natura ad copiosum et grande genus orationis duceretur, eius aetatis licentia in declamando tumidiorem reddidit. Arbitror autem non solum orationem eius rectiorem et pressiorem futuram fuisse, sed etiam diligentiorem eum futurum fuisse in delectu rerum, et in tota forma doctrinae quasi aedificii extruenda: si ad illud rhetoricum tyrocinium adiunxisset Philosophiam, quae et proprium sermonem amat, et negotiis de quibus dicendum est, certa septa et metas circundat. Quo in loco venit mihi in mentem fabella de somnio Hieronymi. Ipse narrat, se in somnio plagas accepisse, quod Ciceronianus esset: ac commonefactum, ut relictis prophanis literis, plus operae collocaret in divinas. Credo eum narrare quod accidit. Ut enim vulgo dicitur. Causidicis lites, aurigae somnia currus: ita ingeniosis omnibus usitatum est, crebra de suis negociis, studiis, curis, somnia cernere, quorum multa etiam sunt *μαντικά*. Exercuit vigilantem haec cura et deliberatio. Cum enim revera Deum timeret, et divino adflatu ad iuvandam Ecclesiam incitaretur, depositis interdum libris prophanis, ut nos quoque facimus, miseriam humanam deploravit: videns summorum ingeniorum vim aut in nugis consumptam esse, aut falsas de Deo et de multis naturae partibus opiniones sparsisse, aut confirmasse. Quid dulcius est amatoriis poëmatis ingeniosissimorum hominum Graecorum et Latinorum? quae legens doleo profecto, nos non pari suavitate res divinas canere.

Quid de Cicerone dicam? Etsi multa honeste dicit, tamen dolendum est, illo aureo eloquentiae flumine non vehi res in Philosophia meliores. Deinde etsi in vulgaribus ac levibus molestiis Philosophia lenit animi aegritudines: tamen in maioribus doloribus non acquiescimus, nisi Dei voluntate cognita ex iis monumentis, quae ipse certis testimoniis tradidit. Haec cum saepe vigilans cogitaret Hieronymus, eadem somniasse eum, nequaquam mirandum est. Ac narrat hoc somnium ipse, ut aliis hortator esset, ne negligerent coelestem doctrinam, capti immodica admiratione prophanorum scriptorum. Quod autem Theodorus Gaza salse dixit, si propterea quod Ciceronianus esset Hieronymus, plagas accepisset, magna iniuria affectus esset, non expostulabimus cum Theodoro: credo enim virum non solum eruditione, sed etiam sapientia praestantem, ut audivimus, cum dicendi genera conferrentur hoc loco, qui nihil habet veneni, non eloquentiam Hieronymo detraxisse, sed significasse dissimilem formam esse orationis in utroque, quod fatendum est. Et si in eloquentia sunt aliquae paucae formae excellentes, ut in pictura, ad quas qui proxime accedunt, praestantes sunt artifices: tamen in tanta imbecillitate generis humani, magnus usus est etiam aliorum, qui etiamsi procul ab illa perfectione absunt, tamen lineas meliorum operum utcunque imitantur, et dicunt res bonas: et ita dicunt, ut intelligi possint, quod ipsum tamen difficile est, et magnum esse decus prudentes intelligunt. Longior est autem haec tota disputatio de eloquentia, nec huius est loci. Satis magna laus est Hieronymi, quod cum natura esset uber, perfecit studio legendis fontibus linguae, ut bonis verbis uteretur, et res bonas mediocriter exponeret: imo quod hac sermonis copia, quae necessaria est interpreti, magnam lucem attulit Prophetis. Sed relicta iam adolescentia, videamus reliquum vitae eius cursum. Praecipue autem quaerendum est in Ecclesia, quid quisque de Deo senserit, et unde genus doctrinae acceperit: ut sciri possit, an probatae fidei doctores sequatur, et an cum norma apostolicae doctrinae congruat. Affirmat igitur Hieronymus se amplecti synodum Nicenam, et hanc acriter propugnat, et nominat probatissimos doctores, Nazianzenum, Apollinarium, Antiochenae Ecclesiae Episcopum, Epiphanium Episcopum in Cypro, et Didymum Alexandrinum, qui omnes tunc natu grandes, familiares fuerant iis, qui dixerant sententias in synodo Nicena, et post eos lumina fuerunt Ecclesiae praecipua. Horum ut se confirmaret sententiis, procul eos in longinquis regionibus, Nazianzenum in Cappadocia, Epiphanium in Cypro, Apollinarium Antiochiae, Didymum in Aegypto quaesivit. Scitis multos laudari, qui doctrinae causa multas regiones adierunt, et multae sunt in ea re virtutes: sed profecto maior laus est, non solum eruditionem, sed etiam fidei confirmationem in scholis excellentissimis, ut erant Antiochena et Alexandrina, et apud probatissimos doctores quaerere. Nunc si tales viri uspiam essent, magna profecto virtus esset eorum, coram sciscitari sententias, et vivas audire et reddere voces. Interea et legit ipse praecipuos interpretes

Prophetarum et Apostolorum, et universam antiquitatem Ecclesiae cognovit, contulit omnium aetatum certamina, ut piorum iudicia de maximis rebus et teneret et sequeretur. Adiunxit et linguae Ebraicae studium: quam ut recte disceret, praeceptores disertissimos in ea lingua quaesivit, et quia affinis est Syriaca, hanc etiam tunc vernaculam Syriae inter hospites didicit. Hac multiplici eruditione instructus, instituit opus utilissimum, videlicet Prophetarum ex fontibus translationem in linguam Latinam, qui ut recte intelligantur, servat Deus in Ecclesia donum linguarum, et ut tunc ederetur nova interpretatio, Deus accendit Hieronymi pectus, et studio discendae linguae flagrans adiuvit. Si quis autem negat praeclare meritum esse de Ecclesia hoc labore, non solum ingratus, sed etiam prorsus indoctus est. Nam antea tantum extabant Prophetae ex Graeco conversi. Graeca autem interpretatio admodum negligenter facta est. Et cum semper degeneret aliquantulum etiam foelix translatio, Latina ex Graecis transfusa deteriora erant, ut res ostendit. Multum igitur Latini codices ab Hebraeis discrepabant, quod cum ita esset, boni et docti omnes expetebant interpretationem propiorem fontibus, qua in re cum Hieronymi labor profuerit Ecclesiae, hoc eius beneficium candide et grato pectore celebrare nos decet. Non est enim inerudita interpretatio, nec infoelix, etiamsi interdum aliquod *σφάλμα* occurrit: quia vix unquam longa oratio in alienam linguam ita transfunditur, ut nihil ab archetypo discrepet. Et inprimis difficile est Hebraeum sermonem, qui et brevior est, et phrasin habet valde alienam a Latina consuetudine, in Latinum transferre. Quare magis mirandum est, universum corpus ita bonis verbis redditum, et recte distinctum esse, quam quod interdum deerravit. Intelligo et hoc affirmari a doctis, non solum nobis Prophetas illustratos esse, sed etiam linguae Ebraeae intellectum hoc Hieronymi labore servatum esse.

Agnoscamus igitur et Dei beneficium, et ipsius viri vigilias et lucubrationes grati praedicemus. Ut enim Virgilius inquit, difficilius esse Herculi clavam extorquere e manibus, quam Homero versum: ita multo verius dici potest, difficilius esse Herculi clavam extorquere e manibus, quam phrasin Ebraicam in Latinam transfundere. Plura de hoc Hieronymi beneficio dici posse, omnes prudentes vident, sed ego iam ad alia propero. Diligentiam viri considerate, vel in hac re, quae videtur leviuscula. Nomenclaturas edidit locorum Ebraicorum, quas non distinxit ut Cosmographus, sed ut viator ipse per totam Palaestinam vagatus, intervalla oppidorum suis passibus metitus est.

Narrat igitur situs, et discernit numero passuum a locis insignibus, et recitat variatas appellationes. Haec diligentia et in ipso virtus fuit egregia, et posteritati prodest. Cumque fama eruditionis ipsius late sparsa est, multi ab eo passim explicationes obscurarum sententiarum flagitarunt, quibus respondere labor fuit non exiguus. In his laboribus, cum semel atque iterum Romam reversus esset, (nam aliquandiu haesit apud Damascum, Episcopum Romanum, qui eius opera in epistolis scribendis, et in synodis usus est) tandem tamen in Syriam rediit, et in illo ipso rure, quod filium natum ex virgine primum excepit, consenuit, vel et ossa eius humo tecta sunt. Dixi praecipue de studiis doctrinae ecclesiasticae, caeterum quanta fuerit cognitio historiarum Graecarum et Romanarum, libri indicant, in quibus non solum multa quae nunc extant et eruditis nota sunt, recitantur, sed etiam alia sumpta ex vetustis autoribus, qui interierunt. Narrat alicubi, triginta tyrannos Athenis interfecto quodam Phidone, vocasse eius filias, ut nudae in convivio, in quo patris cruore area respersa erat, saltarent: has vero tantam immanitatem fugientes, sese praecipites ex alto deiecisse. Quo exemplo triginta illorum virorum crudelitas illustrius pingitur, quam ullis aliis narrationibus, quae nunc extent. Hic autem cogitare subit, quantum malum sit tyrannis, quae deletis legibus grassatur in homines, ut ferunt caeci impetus, ambitio, ira, libido, seu potius ut animi a furiis agitantur. Nam id saevum malum non est tantum humanum, ut nunc huic nostrae Ecclesiolae, honestis matronis, virginibus, infantibus, piis sacerdotibus, et Dei vocem fideliter sonantibus, minitatur exitium Gypaeetus, cum non solum a nobis non sit laesus, sed etiam constet eos culpa carere, imo ipsius regionibus etiam aliqua ex parte nostri labores serviant: sed depellet, ut spero, Deus ab his nostris nidulis diram volucrem. Redeo autem ad Hieronymum, de cuius eruditione cum dictum sit, de moribus etiam quaedam addenda, qui tamen magna ex parte ex studiis cognosci possunt. Nam ut Deo serviret, suscepit tantos labores peregrinae linguae discendae, et in-

terpretandi Prophetas. Et fuisse mores iustos et castos, multa sunt testimonia. Laudatissimorum virorum perpetua amicitia, ipsius fiducia in refutandis adversariis, quibus respondens, inquit, sibi prorsus nullum crimen obiici posse. Talis conscientia vere est, ut Pindarus inquit, suavis nutricula senectae. Iracundiorem aliqui fuisse disputant, et in respondendo fere contumeliosum. Non excuso: sed qui hoc reprehendunt, non considerant, cum semel exarserunt in Ecclesia certamina, quanti sint animorum impetus, nec tantum styli saevitia, sed multo peioribus modis certatur, calumniis, factionibus, insidiis, manifesta vi, ut Cain fratrem interfecit, Iudas proditor est Domini. Cum ita ardent animi, infinitam crudelitatem exercent, quae in bonis etiam interdum inflammat iram et vindictae cupiditatem, ut extra metas provehantur, sed de moribus satis dictum sit. Reliquum erat, ut de scriptis diceremus, in quibus praecipua laus est interpretationum et earum refutationum, in quibus praeliatur cum Arianis. Multa Origenis deliramenta ipse quoque damnavit, Pelagianos refutat languidius, cum multa tamen, si cum candore leguntur, recte dicat. Sed ipse sibi non constat: adversus Iovianum superstitiose coniugium abiicit, et ut erat assuefactus in declamando, exempla miscet, quae non conveniunt Ecclesiae concionibus. Sed cum in hac humana imbecillitate singulae aetates sua quaedam habeant incommoda, prudenter et iuste iudicemus. Eligamus recta, et laudemus ea, in quibus benemerita est vetustas: errata vitemus, deplorantes humanam imbecillitatem: et commonefacti lapsibus veterum, censuram de nobis quoque agamus, et vigilantes simus in cavendis erroribus. Studium vero et constantiam voluntatis in bonis consiliis, et tolerantiam praestantium virorum imitemur, eos vero quorum literae nos erudiunt, propter utilitatem nostram etiam magis amemus. Talis cum fuerit Hieronymus, ut non solum exempla ab eo multarum virtutum sumere possimus, sed etiam ut eius laboribus quotidie fruamur, in legendis Prophetis et in Ebraicae linguae interpretatione: haec bona agnoscamus, ac primum Deo gratias agamus, servanti donum linguarum: deinde quod iustum est, virtuti debitum honorem tribuamus, et ipsum Hieronymum grati praedicemus, coram etiam aliquanto post in vita aeterna ei gratias acturi. Dixi.

No. 91. an. 1546.

De maxilla Simsonis.

In select. Decl. T. III. p. 427., Servest. T. III. p. 406., item in T. III. Erfordiensi lit. C, 1. et apud Richard. T. III. p. 193.

Oratio de maxilla Samsonis, recitata a Doct. Casp. Crucigero, cum daretur testimonium doctrinae Maximiliano Mauro.

Etsi hi congressus, quia doctrinae studia coli, et mediocrem esse tranquillitatem et disciplinam ostendunt, voluptati omnibus bonis esse debent: tamen nunc quidem, cum ad tumulum reverendi patris et praeceptoris nostri, Martini Lutheri, consedimus, et mens atque oculi ipsum requirunt, qui praecipuum erat huius coetus ornamentum, et vere, ut Homeri verbis utar, μετέπρεπε ἀγρομένοισι, luctus noster et dolor renovatur. Quare cum cogito, quantam rerum molem tali orbati gubernatore nunc sustineamus, valde impedior in dicendo, animi consternatione et moesticia. Sed hanc mihi consolationem propono, quod filius Dei perpetuo se adfuturum esse Ecclesiae, in qua vox Evangelii sonat, pollicetur: et clare testatur, se non relicturum esse nos orphanos. Etsi igitur imbecilles sumus, et huic oneri quod sustinemus impares: tamen nec studia, nec spem salutis abiiciamus, sed statuamus in hac militia ministerii evangelici filium Dei certo nobis opitulaturum esse.

Cum autem in his congressibus haec duo praecipue fieri deceat, invocationem Dei, et explicationem aliquam utilem ad docendam iuventutem, et ad pium in animis motum excitandum, ut vero gemitu pro salute Ecclesiae vota faciant: ego quoque primum Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori omnium rerum et Ecclesiae suae, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, ago gratias, quod se patefecit, et filium constituit placatorem καὶ μεσίτην, et ei colligat aeternam Ecclesiam: ac toto pectore oro, ut non sinat extingui Evangelii lucem, sed colligat ac servet filio haereditatem aeternam inter nos, et nos gubernet ac adiuvet, et haec hospitia Ecclesiae et honestam disciplinam tueatur.

Haec vos quoque mecum ardentibus votis a Deo petite, cum toties tam severe Deus de invocatione praeceperit.

Cum autem iam testimonium doctrinae tribuendum sit huic docto et honesto viro, Magistro Maximiliano, dicam aliqua de ministerio Evangelii, ut iuventus magis amet studia literarum, quae necessaria sunt ad ministerii evangelici conservationem. Et prodest de tanto munere, in quo se Deus patefecit, et per quod aeternam Ecclesiam sibi colligit, saepe multumque cogitare.

Humanae mentes sine luce divina petulanter vagantur in inquisitione Dei, ut idola varia omnium gentium et diversa Philosophorum deliramenta ostendunt. Sed Deus immensa bonitate, tanquam ex arcana sede prodiens, certis et illustribus testimoniis sese patefecit: et familiariter loquens nobiscum, tradidit nobis doctrinam, quam vult perpetuo sonare et propagari, et testatur, sine illa se non agnosci, seque hac ipsa et huius doctrinae cogitatione, et non aliter, colligere sibi Ecclesiam, accendere in hominibus novam lucem, et inchoare in eis salutem aeternam. Adfirmat etiam se custodem fore huius doctrinae, nec permissurum esse, ut furor diaboli et tyrannorum deleatur. Excitat igitur salutares doctores, et quidem hos sumit ex his scholasticis agminibus, ex iis qui Prophetarum et Apostolorum scripta legunt, discunt, meditantur, et hos doctores ornat ingenti honore, cum vocat eos *συνεργοὺς θεοῦ*, quia ipsorum voce Deus sese impertit nobis.

Est igitur Evangelii ministerium unum ex summis Dei beneficiis, quae generi humano largitur, quod cum ita sit, agnoscendum et venerandum est, et omnia officia parva, omniaque officia magna, quae conducunt ad eius ministerii conservationem, studiose praestanda sunt. De hac re multae sunt in Prophetis et Apostolis luculentae conciones: suntque prolixae descriptiones huius tanti muneris in posteriore epistola ad Corinthios capite tertio, ubi vocem Evangelii nominat ministerium spiritus, quod Deus vere efficax sit hac voce: et in epistola ad Ephesios, ubi inquit, filium Dei sedere ad dextram aeterni patris, et dare dona hominibus, videlicet Prophetas, Apostolos, pastores et doctores. Hae conciones eo diligentius cogitandae sunt, quia prophanae mentes superbe deridcnt et doctrinam, et has laudes et professores. Negant se videre aliam aut utiliorem sapientiam in libris propheticis et apostolicis, quam qualis est philosophica, aut legum civilium sapientia: nec videri Deum efficacem esse per illas squalidas pagellas Evangelii.

Postremo, nihil minus consentaneum videtur, quam hos miseros homines sonantes Evangelii vocem, Dei synergos esse, quos quidem ipsi iudicant *καθάρματα καὶ ἀλάστορας* esse generis humani, ut nunc experientia nos docet, quam invisi, quanto in odio simus potentum.

Adversus haec prophana iudicia, divinis testimoniis nos muniamus et confirmemus. Nam et Deus voluntatem hac de re suam ideo toties expressit, ne prophanis iudiciis fracti, Evangelium abiiciamus. Et passim, ut dixi, extant luculentae et perspicuae de hac re conciones. Sed typi multi idem significantes etiam propositi sunt, de quibus omnibus uno tempore dici non potest.

Nunc autem delegi Samsonis historiam, in qua favi in faucibus mortui leonis nati, significant Evangelii mella, quae conspersa sanguine Christi, alimenta sunt vitae aeternae. Sed haec historia alias explicata est.

Dicam igitur de altera, in qua narratur unus Samson mille Palaestinos interfecisse maxilla asinae, ac postea sitienti Samsoni, et invocanti Deum, scaturientem aquae fontem ex ea mandibula erupisse.

Historia vobis omnibus nota est, in qua cum alia multa insignia et memorabilia exempla, tum vero etiam significatio de Christo et eius victoriis et Ecclesiae fonte proponitur.

Historia palam monet, ut credamus Ecclesiam semper divinitus defendi, ut tunc defensa est. Ostendit item invocationem nostram non esse irritam.

Erat miles Dei Samson, ut nos scholastici sumus Dei milites: cumque magnitudine laboris in illa asperrima militia defatigatus, aestu et siti periturus videretur, a Deo fontem petivit. Ut autem huius invocatio non fuit irrita, ita sciamus vere et nos exaudiri, praesertim in huius militiae nostrae periculis.

Sed in hac historia, ut in involucro, aliae dulcissimae significationes continentur. Samson pictura est filii Dei, fortissimi ducis, et cum toto diaboli regno belligerantis. Hic dux non aliis armis, nisi maxilla utitur, id est, ore sonante Evangelium. Et haec est asinae mandibula, id est, populi Israelitici: quem ut asinum Deus lege et disciplina oneravit, et laboribus culturae agrorum, id est, docendae Ecclesiae et propagandae doctrinae.

In hoc populo maxillae sunt Prophetae, quorum labor est foelix, praeliante filio Dei, et regente mentes et linguas Prophetarum. Sed hic ipse dux inter praeliandum aestu et siti languefactus est, cum victima fieret in agone et morte adfixus cruci: ubi tamen, invocans aeternum patrem, ex morte revixit. Estque ei ex mandibula asinae, id est, ex populo Israel, ex prophetico collegio ortus fons, id est, Ecclesia, quae per ipsum, per Apostolos et per doctores, qui fuerunt deinceps, et sunt et erunt usque ad resurrectionem mortuorum, colligitur.

Semper autem intelligatur hic dux praeliari mandibula, quae quidem similis est collegii, quod erat in populo Israël: ut tunc Elias, Eliseus, Esaias et postea Apostoli fuerunt maxillae: ita deinceps maxillae sunt Polycarpus, Irenaeus, Augustinus, Lutherus, denique omnes pii ministri in tota Ecclesia.

Et sunt unius asinae mandibula, quia una est, prophetica et apostolica doctrina, quam legere, discere, meditari et sonare pios doctores oportet.

Ne putate, homines feros, rudes literarum, ignaros propheticae et apostolicae doctrinae, quales sunt multi Episcopi et Canonici Centaurorum similes, propter loci dignitatem ministros Evangelii esse. Nec putate alios, qui quanquam sunt literati, tamen propheticam et apostolicam doctrinam aspernantur, ministros Evangelii esse.

Sed ex hac asina, id est, ex collegio prophetico et apostolico, necesse est sumptam esse mandibulam, quia hac doctrina sola se patefecit Deus, sicut Paulus inquit, Ecclesiam extructam esse super Prophetarum et Apostolorum ministerium.

Haec vos consideratio adolescentes moveat, ut statuatis non aliunde de Dei essentia et voluntate sumendam esse doctrinam, nisi ex Prophetarum et Apostolorum monumentis, et haec pio studio et vera animorum intentione discatis: nec pudeat vos huius asinae labores et tolerantiam imitari.

Sed vos ad eundem modum, disciplina regite, et facite operas in agro Dei, hoc est, in Ecclesia: et in hac assiduitate laborum et aerumnis ingentibus, quae ferendae sunt in hoc ministerio, talem praestate tolerantiam, qualem praestabat Hieremias, Daniel et alii. Haec veniant in mentem, cum mandibulam asini nominare auditis. Accidet autem vobis quoque ut Samsoni, ut aestu et siti in his certaminibus pene interituri videamini: ut nunc bella et vastationes nobis multi minantur. Sed exaudiet nos Deus in his magnis periculis, precantes, ne Ecclesiam deleri sinat.

Haec tam multa hic pulcherrimus typus monet, de quibus cum saepe alias etiam dicatur, et saepe dicendum sit, nunc brevior ero, etsi haec explicatio multo tenuior est, quam qualem magnitudo rei postulabat.

Mihi etiam interdum in mentem venit, mandibulam significare illam ipsam humanam naturam in filio Dei, adsumptam ex hoc populo. Sed hanc interpretationem nunc relinquo.

Vosque propter Deum omnes obtestor, ut mandibulam Christi, id est, totum ministerium Evangelii vera pietate veneremini, et Deum nobiscum precemini, ut hoc ipsum ministerium et studia Evangelii regat et tueatur: quod certe faciet, si nos et doctrinam amabimus, et nostram gratitudinem Deo pro tanto munere, pietate morum declarabimus. Dixi.

No. 92. an. 1546.

De dicto Pauli: Deus est etc.

In select. Decl. T. III. p. 435., Servest. III. p. 413., in T. III. Erford. lit. D, 3. et apud Richard. III. p. 358.

Oratio de dicto Pauli: Deus est, qui efficit, ut velitis et perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant; recitata a Doct. Maximil. Mauro.

Cum dictum sit iam in his congressibus praecipue faciendam esse invocationem Dei, et deinde de aliqua doctrinae parte disserendum: tum ad erudiendos iuniores, tum vero ad excitandos omnes, fiet a me quoque meo loco et mea mediocritate utrumque. Etsi enim nec ardet animus in invocatione, quantum opto, nec satis eruditionis aut facultatis, ad hunc coetum docendum aut excitandum, adfero, tamen scimus dictum esse: Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem. Etiam in imbecillibus amat et provehit Deus initia virtutum, modo ut proficere velimus. Quare et haec mea vota et hanc orationem Deo gratam esse spero.

Primum igitur Deo aeterno, patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quod immensa bonitate se patefecit, et filium suum Dominum no-

strum Iesum Christum placatorem constituit, et Ecclesiam sibi aeternam ac haereditatem filio voce Evangelii colligit. Denique quod in meo pectore Evangelii lucem accendit. Et oro, ut propter filium suum Dominum Iesum Christum meam mentem, vocem, studia, consilia omnia, Spiritu suo sancto gubernet, sicut promisit filius: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Haec vota, quae saepe quotidie mecum repeto, nunc clara voce in Ecclesia Dei recito, ut pro me et pro sese singuli meo exemplo idem precentur, ut filius Dei peculiari promissione communem precationem ornavit, dicens: Si duo ex vobis consenserint in terra, quicquid petent, dabitur eis a patre meo coelesti.

Nunc venio ad alteram mei muneris partem. Saepe autem ad me consolandum et confirmandum cogito Pauli dictum, quod extat in epistola ad Philippenses: Deus est, qui efficit in nobis, ut velitis, et ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant.

Haec sententia cum mihi admodum familiaris sit, nunc quoque de argumento cogitanti sese obtulit. Quare cum consolationem et mihi et omnibus piis salutarem contineat, caeteris argumentis hoc tempore relictis, hanc dulcissimam Pauli concionem enarrare decrevi.

Nec volo altissime ordiri, sed summum sententiae breviter exponere. Non vult Paulus, ut cessemus ignavi, et veluti inutilia terrae pondera, tantum somno et ventri dediti simus, ut enthusiastae et alii similes finxerunt, quaerendas esse latebras, fugiendam administrationem Ecclesiae, politias et oeconomias, et in ocio expectandos novos adflatus, in quibus non fides quidem luctetur cum nostra imbecillitate: et sustententur animi voce promissionum, sed cernantur alia quaedam coelestia spectacula. Remove haec a Pauli dicto somnia. Cum Deum nominat, et cum ait, a Deo accensas esse nostras mentes, loquitur de Deo se patefaciente per Evangelium. Hunc Deum, qui prodiens ex arcana sua sede, sese nobis voce Evangelii patefecit, vult nos agnoscere et invocare: hunc ait Ecclesiam sibi colligere, ac hominum mentes ex illa ingenti confusione et tenebris generis humani ad se flectere.

Hoc cum sit, sonante doctrina, quam Ecclesiae suae tradidit, profecto vult nos eam amplecti: non repugnemus ei, non indulgeamus nostris dubitationibus et cupiditatibus, sed doctrinae obtemperemus. Quae quidem nos statim in medium certamen et in aciem mittit, ubi alios in alia parte gubernationis vitae exercere oportet fidem, invocationem, timorem, obedientiam. Haec initia an in pectore tuo accensa sint, manifeste iudicare potes. Scis, an ut Cyclopes aut Epicurei, contemnas Deum: an ut alii superbi, qui Philosophorum opiniones de Deo amant, asperneris Evangelium. An vero hanc unam doctrinam de Deo, per Prophetas, Christum et Apostolos propagatam, veram esse statuas, et an eam normam sequi velis in Dei invocatione et caeteris officiis. Haec intelligi, cerni et iudicari possunt.

Itaque ubi iam sunt haec semina pietatis, quia difficultas gubernationis vitae, et pericula paulatim magis conspiciuntur, multorum animos ita frangunt, ut quadam mollitie abiiciant fidem, et hos magnos labores, quos Ecclesiae propositos vident. Hic necesse est languentibus auxilium ostendere, et trepidantes confirmare.

Sic ergo hanc Pauli sententiam audiamus, non ut stoicum dictum deterrens nos, ne quid agamus, sed ut consolationem in maxima difficultate gubernationis vitae, et in certaminibus acerrimis. Omnes in quibus semina sunt doctrinae coelestis, quique eam amatis, et Deum recte celebrari optatis, inchoata studia et labores urgete: nec vos deterreri malorum odiis, magnitudine certaminum et periculorum existimetis: nec desperate eventus et exitus placidos, et scitote, Deum et opitulaturum esse vobis et gubernaturum exitus.

Hanc consolationem tradit hic Paulus, quam necessariam esse vobis omnibus, facile ex suis quisque aerumnis et periculis intelligere potest. Coepit aliquis gubernator, ut Constantinus, Evangelium amplecti, idque ut Deus recte innotescat et celebretur, propagare studet, et statuas et commenticia numina evertit. Hanc tantam rem cum inchoat, multa impedimenta obiiciuntur. Diabolus adversus eum irritat impios, qui et ipsi aegre ferunt suas opiniones labefactari, aut turbari suam tranquillitatem. Nec talis vir recta moliens, tantum angitur de suis periculis, sed metuit exitus tetros, vel quia frustra res tantas moveat, vel quia imperiorum dilacerationes et gentium vastationes secuturae sint.

In hac sollicitudine quid faciet? Hac se consolatione sustentet, quam hic Divus Paulus recitat: Dabit Deus ut perficiatis, avertet vastationes quas metuis, ut alibi scriptum est: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Cum igitur tam dulcis consolatio in talibus dictis proposita sit, infigatur animis, ut nos in cursu honestorum consiliorum confirmet.

Addidit autem Divus Paulus eruditissime rationem a causa finali sumptam: Quam ob causam colligit et iuvat Deus Ecclesiam? Propter hanc, inquit, ut aliqua Deo grata fiant.

Haec enim nativa est verborum sententia. Estque eruditis iucundum et valde utile, intelligere phrasim, et verborum pondera. Discernit autem hoc loco Divus Paulus mundi furores, qui iram Dei horribiliter irritant, a salutaribus actionibus et Deo placentibus, quae fiunt in Ecclesia. Quasi dicat: Non vult Deus universum genus humanum frustra conditum esse, et furenter ac assidue Deum contumelia adficere: sed excerpit aliquam partem, quae agnoscat ipsum, et vere celebret, et ei grata officia praestet, videlicet Ecclesiam. At in reliqua multitudine quales sint furores, indicat Psalm.: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Plurimi palam sunt Epicurei, horribili amentia adseverantes, nihil esse Deum, nullam esse providentiam, omnia casu nata esse, et interire casu, nihil restare hominis quod vigeat et sapiat post hanc vitam. Alii multi fingunt sibi ipsi numina, et Dei honorem tribuunt statuis.

Tales si consideres, facile intelligi potest, cur dicat Paulus: Ideo Ecclesiam excerpi ex genere humano, et iuvari, ut sint aliqui grata Deo facientes. Nam Epicurei et statuarum cultores tantis contumeliis irritant iram Dei adversus seipsos et adversus totam rerum naturam, ut propter execrandos horum furores subito interiturum esset universum genus humanum, nisi Deus suae illi haereditati parceret, quam excerpit, et quae veros Dei honores tueri studet. Quid multi alii? qui Deo anteponunt libidines, tyrannides, iniustam vindictam, rapinas? His sceleribus quantum irascatur Deus, conspici in poenarum exemplis potest, nam multae magnae gentes inde usque ab initio generis humani propter has causas deletae sunt. Has poenas vult nobis Deus commonefactiones esse, ut de magnitudine irae divinae cogitemus. Legis, matres in obsidionibus coctos filios rursus intra materna viscera condidisse. Legis, in urbe Xanthiorum pendentem de tecto matrem, et de collo matris strangulatum infantem: imo nunc vides grassari in Pannonia Turcos, trucidare infantes a parentum complexu avulsos: deinde parentes in servitutem, morte tristiorem abducere. In his exemplis monstrat; Deus iram suam: sed ne totum genus humanum in sempiternis miseriis sit, Deus immensa misericordia propter filium colligit Ecclesiam, et iuvat, ut ei aliqua grata fiant. Nero Deum immani furore contemnit: at Paulus interea veram de Deo doctrinam spargit, vere eum invocat, et praestat caetera officia ipsi grata. Ita nunc, etsi multi tyranni et alii hostes Evangelii Deum contemnunt, tamen pii concionatores Deo grata faciunt: et pii scholastici sedulitas discentis Evangelium, gratius opus Deo est, quam Herculis, Alexandri, aut Iulii labores ingentes in tot praeliis, in tot urbium excidiis, in tot gentium dissipationibus consumpti.

Haec collatio saepe cogitanda est, ut nos ad studia et ad honestas actiones hae duae causae invitent: quod videlicet auxilium Dei promittitur. Et quod adfirmat Deus officia Ecclesiae sibi grata esse. Quod cum ita sit, propter pia studia et veram invocationem, magna praemia dat singulis privatim, et totis gentibus communiter. Pacem, victum, moderata imperia, doctrinarum lucem, in consiliis et negotiis privatis et publicis foelices successus, dat Deus: quia Ecclesiae officia probat. Quid est tristius, quam hominem ita vivere, ut tantum irritet iram Dei, et cumulet sibi et aliis poenas? E contra quid melius est, quam ita vivere, ut Deo cursus tuus placeat? et tibi et patriae tuae salutaris sit?

Haec cogitantes, et ipsi excitemur ad recte faciendum, et petamus auxilium Dei, ut hic docet Paulus: Deus efficit, ut perficiatis. Tu igitur, aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto tuo, miserere nostri, propter mediatorem nostrum Iesum Christum, et accende pectora nostra Spiritu tuo sancto, nos rege, et iuva, ut studia nostra et totum nostrum curriculum tibi gratum sit, et celebret veris honoribus, et sit salutare nobis et universae Ecclesiae, Amen. Dixi.

No. 93. m. 1546.

De dicto: Attende lectioni etc.

In select. Decl. T. III. p. 475., Servest. III. p. 502., Richard. III. p. 364. et in T. III. Erford. lit. b. Item in libro: Georgii Principis Anhaltini conciones et scripta (Viteb. 1570. fol.) p. 405., ubi in fine recitata dicitur

a Georgio Anhaltino in synodo pastorum „die lunae post Trinit. in Ecclesia cathedrali Merseburg." Vid. Ep. Melanth. Vol. VI. p. 692.

Oratio [synodica] de dicto Pauli 1. *Timoth.* 4: *Attende lectioni, consolationi et doctrinae etc.*

Salutari consilio prima Ecclesia statim Apostolorum temporibus hunc morem instituit, ut quotannis in qualibet provincia pastores vicinarum Ecclesiarum a suo gubernatore convocarentur, ut fieret inspectio doctrinae et morum, et deliberationes de aliis rebus necessariis haberentur. Estque rectissimum ordiri hos conventus a precatione, et aliqua pia commonefactione: ideo initio mecum veris et ardentibus animorum votis precamini: Te omnipotens Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et conservator et opitulator, conditor Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, verax, iuste, liberrime, fortis et iudex, oramus, ut propter Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, *λόγε καὶ εἰκόνα ἀΐδιον σου,* quem voluisti pro nobis esse victimam *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην,* ut accendas corda nostra Spiritu sancto tuo, et colligas tibi Ecclesiam aeternam in his nostris regionibus, eamque regas et serves, nec sinas extingui lucem Evangelii tui, et tuearis doctrinae coelestis studia et disciplinam, et defendas ac gubernes hospitia Ecclesiarum, ut semper in his regionibus sint pii coetus te vere invocantes et celebrantes. Cumque dixeris: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, supplici pectore oramus, ut propter gloriam tuam, aeterne Deus, haec bona nobis praestes, Amen.

Hanc precationem etsi initio conventus facere nunc maxime convenit, tamen assidue nobiscum repetamus, non solum in templis et publicis congressibus, sed etiam cum soli sumus, cogitantes de nostra salute, et de Ecclesia, omnibus locis et temporibus.

Cum autem et commonefactio hoc loco de officio pastorum facienda sit, et alias de alia parte officii dicendum sit, ut in alia synodo de tuenda verae doctrinae concordia, orationem habui: ita nunc cessantes ad studium doctrinae, ad legenda scripta prophetica et apostolica, et pias enarrationes adhortari vos decrevi, quod ut intelligatis, praecipi non mea voce, sed voce Spiritus sancti, dictum, quod extat in Epistola Pauli ad Timotheum, vobis propono: Attende lectioni, adhortationi et doctrinae. Hoc praeceptum inter ea numeremus, quae ad omnes pertinent, et quibus obtemperare omnes necesse est. Vetus est enim, inde usque a principio in Ecclesia saepe repetitum. Nam ita Deuteronomii sexto inquit Deus: Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens et surgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, ut sint in conspectu, et inscribes ea limini et ostiis domus tuae.

Haec verba nota esse omnibus arbitror, quorum sententia crebro deinde repetita est. Ut Psalmo primo: In lege eius meditabitur die ac nocte. Ac ut multa omittam, vox aeterni patris de filio clamitat ad universum genus humanum: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Quare praeceptum de cognoscenda doctrina, quae Ecclesiae a Deo tradita est, semper praecipuum fuit.

Eadem et sententia est Paulinae vocis, quae cum de re maxima concionetur, attente eam consideremus: et quod iubet ipse Paulus, attendendum esse lectioni, id faciamus in hoc ipso dicto, hoc est, cum quadam intentione animi consideremus quid dicat. Initium autem enarrationis sumatur a reprehensione falsissimae persuasionis, quae multorum animos semper a scriptis propheticis et apostolicis abduxit, et abducit. Multi doctrinam de moribus, quae nascitur nobiscum, seu Philosophiam sufficere existimant ad agnitionem Dei: nec praeterea aliud genus doctrinae expetunt, ac horribili superbia contemnunt patefactiones divinas, scripta prophetica et apostolica, et ministerium evangelicum. Multi etiam, qui vitae praecepta in prophanis legibus et scriptis concinne et arte quadam distributa esse vident, longe anteferunt eos libros doctrinae coelesti, quam non iudicant simili diligentia et arte scriptam esse.

Quid igitur, inquiunt, opus est patefactione Dei? Quid libris propheticis et apostolicis? Vident eadem sine literis homines ingeniosi, aut certe iucundius tradita legunt a disertis scriptoribus Latinis et Graecis? O deplorandam caecitatem generis humani, o flagitiosam ingratitudinem. Num levem rem et ociosum spectaculum ducunt esse isti, quod Deus ex illa sua arcana sede prodiens, statim initio et deinceps saepe, certis et illustribus testimoniis se generi humano patefecit, nos allocutus est, mirandum decretum ignotum

universae creaturae omnibus angelis et hominibus promulgavit? Hoc tantum beneficium vel aspernari, vel negligere, omnium scelerum atrocissimum est. Nec enim patefactiones illae Dei loquentis cum Adam, cum Noha, cum Abraham, cum Moyse, cum Samuele, cum Davide, cum Daniële, et deinde Christi nati ex virgine et palam versantis inter Iudaeos, conciones tantum ad illos pertinebant, qui miranda testimonia tunc in re praesenti cernebant. Ad nos omnes pertinent, omnes pro his ingentibus beneficiis prostratos iacere coram Deo oportebat, ac gratias ei agere, ac celebrare immensam bonitatem, quod se huic miserae naturae hominum patefecerit, eamque vero amore complecti se ostenderit. Ideo enim mandavit, literis comprehendi has patefactiones, ideo instituit ministerium evangelicum, ut sciamus semper eum et versari in Ecclesia, et alloqui nos, et ad nos omnes pertinere omnium temporum patefactiones.

Non frustra se ostendit generi humano Deus, non obscurum, non leve signum amoris est erga nos, quod prodiit Deus, quod nos allocutus est, quod voce sua nos in vitam ex media morte revocat.

Nec eadem sunt doctrinae genera, ut prophani homines falso existimant, Philosophia et illae promissiones de rebus aeternis, quas tradidit Ecclesiae, cum se generi humano ostendit. Cum Adam reus esset ante auditam consolationem, quid ratiocinari aliud poterant vel angeli vel ipse, nisi hoc ipsum, quod docet ratio? Deus iustus et verax, minitatus exitium huic generi, iam perdet Adam et Hevam, nec decretum hoc mutabit. Hic cogitate quaeso, quanto in dolore fuerint primi parentes, acie mentis tunc voluntatem Dei magis cernentes, quam nos hebetes et infirmi cernere possumus. Sed in hoc dolore et in vestibulo mortis cum essent, rursus immensa bonitate ostendit se Deus: alloquitur eos, arguit peccatum, et edit promissionem de reddenda vita: immo et vestit hanc iam deformatam naturam, quasi ipsa veste significans novam naturam, quae nos post mortem circundaturus esset. Et hanc promissionem scribi voluit, de hac promissione palam filius nobis concionatus est, et perpetuum in Ecclesia ministerium huius vocis institutum est, quod sonat non tantum legem, sed hanc promissionem reconciliationis et vitae aeternae: quam nulla creatura vidisset, nisi Deus ipse eam promulgasset.

Dissimilis est igitur Ecclesia aliarum gentium, quia doctrinam habet de Dei essentia et voluntate, traditam voce Dei certis et illustribus testimoniis, quae discenda, audienda et amplectenda est, et quam nulli creaturae mutare licet. Quod enim multi homines audacter finxerunt aliam doctrinam, nova numina, ut Orpheus, Hesiodus, Arius, Machometus, et alii innumerabiles hi tetri furores a diabolo orti sunt, qui ut odium suum declaret, Deum tantis contumeliis adficere studet. Haec exempla fugienda nobis esse sciamus, nec aliter de Deo sentiendum esse, quam sicut se patefecit: imo ut in alvo matris sedet foetus, suis quibusdam quasi fasciolis involutus, ita mentes nostrae huic doctrinae quasi involutae maneant. In hac una audiant nobiscum loquentem Deum, sicut vox aeterni patris inquit: Hunc audite.

Cum igitur Ecclesia proprium genus doctrinae teneat, procul supra et extra humanae mentis iudicia, Philosophiam et leges positum, necesse est nos Ecclesiae libros legere, discere et amplecti, et procul ex animis illam superbissimam persuasionem eiicere: quae, ut diximus, somniat, nihil opus esse his libris, quia alioqui cernatur ingenii acie doctrina vitae. Imo nec Angeli, nec homines, promissionem reconciliationis, sine patefactione nosse potuerunt. Ideo Paulus nos ad lectionem deducit: Attendite, inquit, lectioni, quasi dicat: At certum genus doctrinae alligata est Ecclesia Dei, nec nobis fingere alia numina, alios Deos licet, ut finxerunt Orpheus, Hesiodus, Mahometus, et alii. Tradidit vobis certissimis testimoniis hic rerum conditor, qui vere Deus est, suam vocem mandatam literis: hanc vult nos audire, haec scripta Prophetarum et Apostolorum legite, ex his sumite doctrinam de voluntate et essentia Dei: hanc toto pectore amplectimini, nec ab ea avelli vos ullis aliis opinionibus sinite. Quaecunque alia doctrinae genera de Deo sparsa sunt inter homines, quae pugnant cum propheticis et apostolicis scriptis, tetri et diabolici furores sunt, horribiliter a Deo damnati. Ut igitur unica et vera doctrina de Deo extet in genere humano, necesse est custodiri, retineri, legi, disci, hos ipsos libros propheticos et apostolicos, qui ne deleantur, Deus ministerium Evangelicum et instituit et servat, ut semper vox horum librorum inter homines sonet. Imo ut sint aliquae Dei bibliothecae, semper aliquas politias servavit, in quibus hic thesaurus custoditus est. Nec eversae

sunt politiae illae, priusquam negligere hunc thesaurum coeperunt.

Hierosolyma et floruit, et urbium toto orbe terrarum pulcherrima fuit, donec bibliotheca Dei fuit. Postea cum libros divinos negligeret, ita deleta est, ut non solum aedificia incendio perierint, sed etiam tota gens dissipata sit, et in eo loco nunc latronum specus sint. Idem accidit omnibus urbibus Asiae et Graeciae, in quibus cum florentes Ecclesiae quondam fuerint, desertis studiis, ipsae urbes eversae sunt. Quoties igitur in his regionibus iter facitis, et oppidorum moenia, coetus hominum, politias, templa videtis, cogitate vobiscum, haec ornamenta, Dei benignitate adhuc integra esse, ut sint bibliothecae divinae, et ut studia coelestis doctrinae colantur, credite. Servat haec oppida Deus, non ut sint voluptatum, luxus, avaritiae et aliarum cupiditatum cubilia, sed ut sint doctrinae invocationis et celebrationis Dei domicilia.

Ac prorsus cum Pauli concione congruit dictum Christi, quod extat apud Ioannem in capite quarto decimo: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

In hac dulcissima concione filius Dei non solum praecipit, ut doctrinae custodes simus, sed etiam addit promissionem amplissimam, diligi a Deo huius doctrinae custodes, eosque Dei domicilium esse. Neque cogitari, neque expeti melius quicquam potest, neque quicquam esse melius ulli creaturae potest, quam fieri eam Dei domicilium. Hanc promissionem quaeso saepe vobiscum cogitate, ut vos ad custodiendos, legendos et propagandos libros Ecclesiae accendatis.

Nec vero dubito, quin multorum animis plurimum profutura sit huius sententiae crebra cogitatio, si recte et dextre eam intelligent. Pertinet autem hoc quoque ad meum officium, admonere vos de vera enarratione.

Multi, quod dolendum et deplorandum est, ante haec tempora ita hoc dictum Christi interpretati sunt, non ut prodesset mentibus, sed ut in desperationem eas adduceret, dixerunt enim legis vocem esse, flagitantem integram obedientiam: quam cum nemo praestet, hac voce omnes condemnari. Haec interpretatio non quadrat ad hunc locum. Alia est sententia huius concionis. Praeceptum proponitur custodiendi libros, et discendi doctrinam coelestem bona conscientia, et huic officio additur promissio: Qui bona conscientia legunt, discunt, custodiunt, amplectuntur hanc unicam Ecclesiae doctrinam, hi sunt, qui et diligunt Deum, et a Deo diliguntur. Doctrinae tuendae curam nobis commendat filius Dei, et promissione addita nos consolatur, nec vult hac consolatione terreri mentes aut ad desperationem adigi: de eo officio loquitur, quod Ecclesia praestare et potest et debet, et pii, qui eruditione et prudentia antecelluerunt, omnibus temporibus fideliter praestiterunt. Hac interpretatione cogitata, ad nos ipsos hanc sententiam accommodemus; simus et nos custodes, lectores et propagatores doctrinae non ignavi, non infideles.

Recitavi mandata, quae praecipiunt lectionem, quibus moveri omnes debent. Moveat autem vos et cogitatio de duplici fructu, scilicet publico et privato. Si negligatur lectio, et non discant doctores assidue, ministerium publicum extinguitur, cuius interitum sequuntur aeternae poenae, et excidia universarum gentium, ut Hoseae 4. dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ita reiecta est tribus levitica. Sic reiecti sunt in aliis locis postea ignavi Episcopi. Puniet igitur Deus et nostras regiones, si per ignaviam, si contemptu doctrinae et iudicii divini lectionem sacrorum librorum abiiciemus. Quod ne fiat, singuli nos ipsos cogitatione mandatorum Dei, poenarum et praemiorum ad diligentiam exuscitemus. Infinita de hac re oratio esse posset: sed quia haec ipsa commonefactio saepe repetitur ab aliis, et ego propter imbecillitatem prolixe dicendi laborem ferre non possum, ero brevior.

Dixi autem de publica utilitate lectionis, quod scilicet lectioni et studio servetur publicum ministerium, quo Deus est efficax, et sibi aeternam Ecclesiam colligit. Iam et privatim sua quisque mentis fructu moveatur. Lectione accenditur et alitur lux divina, in corde uniuscuiusque crescunt omnes virtutes, agnitio Dei, timor, fides, dilectio, iustitia, tolerantia, castitas, denique sapientia in gubernatione. Ac si quis cogitat, satis esse semel atque iterum legisse unam atque alteram pagellam, hic prorsus doctrinae coelestis magnitudinem, nec nostram imbecillitatem, nec illam discendi rationem considerat. Barbarica imaginatio est, si quis non assidua lectione accendendam mentem et augendam doctrinam existimat. Scitis ita scriptum esse, Evangelium esse

potentiam Dei ad salutem omni credenti, et esse ministerium spiritus. Cogitatione Evangelii, Deus est efficax in cordibus legentium, imo praesentis Dei vocem audientium. Et libri Prophetarum et Apostolorum cum eruditissime scripti sint sine literis, sine eruditione, non possunt enarrari. Quid fieret, si abiectis libris et literis fingeret quisque quas vellet sententias, ut fecerunt Ethnici, Mahometistae, Iudaei recentes, et nunc Anabaptistae? Memini sapientem quendam principem in Germania, cum in urbe Monasteriensi furores anabaptistici grassarentur, dicere: Nunc se magis intelligere, quantum opus sit literis, et eruditione, ad servandos certos libros et nativam sententiam. Quia si non regeretur Ecclesia certis libris et nativa enarratione, fanaticos et audaces homines quotidie nova portenta excogitaturos esse, et gloriaturos se ad statu divino regi. Haec pericula cogitantes, maiore studio libros et custodiamus et legamus.

Haec de lectione breviter dicta sunt, quam nominat Paulus, ut significet Ecclesiam ad certos libros et unicum quoddam doctrinae genus alligatam esse. Cumque de totis libris primum dixit, postea dividit partes materiarum, quas continent. Partim enim continent doctrinam, id est, dogmata seu articulos, qui ostendunt qualis sit Deus, et quomodo se patefecerit, unde sit haec rerum natura, unde peccatum et mors; quomodo et quo tempore filius Dei missus, crucifixus et resuscitatus sit, quae beneficia nobis donet; partim vero conciones divinae sunt adhortationes, traducentes animos ad adfectum aliquem, ad timorem, fidem, spem, dilectionem, laeticiam, et ad bona opera. Ita partes materiarum distribuit, de quibus hoc tempore dici non potest. Admonere tantum vos volui, ut cogitetis, prudentissime significari Pauli verbis, ad quos fines dirigenda sint studia, videlicet ad agnitionem veram Dei, deinde ad accendendos pios adfectus. Aderit Deus discentibus, et ubicunque haec scintilla accensa est, ut cupiat mens proficere, gubernabit Deus studia, et faciet, ut tota nostra gubernatio sit salutaris, sicut scriptum est: Deus est, qui facit ut recta velimus, et ut perficiamus, ut aliqua ipsi grata fiant. Hunc ipsum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum regat et iuvet totum ministerium nostrum Spiritu suo sancto, ut vere celebretur vera et aeterna divinitas, et multi fiant haeredes laetissimae et aeternae consuetudinis cum Domino nostro Iesu Christo et universa electorum Ecclesia, Amen. Dixi.

No. 94. an. 1546.

Discrimen Ecclesiae et imp. mundi.

In sel. Decl. T. III. p. 475 sqq., Servest. T. III. p. 451., Richard. T. III. p. 108. et in Tomo III. Erford. lit. Q, 5. Item in libro: Georgii Principis Anhalt. conciones et scripta, p. 409 b. Est enim oratio synodica a Melanthone Georgio Anhaltino scripta, qui eam recitavit Mersburgi d. 25. Oct. 1546. — Apogr. in cod. Guelph. in Fol. num. 11. 10. p. 217. coll. Epist. Vol. VI. p. 250.

Oratio [synodica] de discrimine Ecclesiae Dei et imperii mundi; ex Esaiae Cap. 59.

Cum in hac tanta moestitia temporis, et harum regionum luctu, praecipue a Deo consolatio petenda sit, qui ideo de Ecclesia, de imperiis, de vita aeterna, suam sententiam patefecit, ut in magnis huius vitae aerumnis dolorem nostrum leniat, et portum nobis aliquem ostendat; ego cum alia multa de causis miseriarum humanarum, ac de remediis cogito, tum vero praecipue in hac consolatione acquiesco, quod toties adfirmat Deus utrunque, et impiorum tumultus duriter, Ecclesiam in hac vita quassaturos esse, et tamen semper usque ad resuscitationem mortuorum, et deinde in omni aeternitate mansuram eam esse, nec Evangelii ministerium interiturum esse, etiamsi ruinae imperiorum magnae futurae sunt.

Nam mirando consilio Deus ex hac misera massa generis humani aeternam sibi Ecclesiam omnibus temporibus colligit: ut in maximis bellis concionati sunt Samuël, Elias, Eliseus, Esaias, Ieremias et alii, ut dicitur: Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Nec vult Deus aut doctrinae vocem, aut invocationem in genere humano ullo tempore conticescere: imo hanc ipsam ob causam sinit Ecclesiam duriter exerceri, ut curam discendi et invocationem in nobis exuscitet.

Haec cum ita sint, quanquam propter doloris magnitudinem vix prodire possum, tamen cum caeteras partes officii nostri adhuc administro, tum vero hanc concionem ad vos consolandos habere

decrevi, speroque meam vocem multum ad vos consolandos valituram esse, non solum quia hic mihi locus superior inter vos attributus est, sed multo magis quia meam voluntatem erga Ecclesiam, et moesticiam meam ipsi novistis, ut aegroti facilius aegrotantium sermones et consilia audiunt. Vobiscum autem perinde ut mecum loquar, et vestram moesticiam iisdem remediis lenire studebo, quibus ego utcunque me sustento. Cum video triste bellum in Germania motum esse, et sicut in incendio paulatim diversas regiones inflammari, agnosco horrendam iram Dei, non solum praesentia mala, caedes tot hominum, disciplinae perturbationem et multorum locorum vastationes deploro. Sed magis etiam crucior, quod nullus finis bellorum civilium prospici potest. Semel motae civiles discordiae non nisi miranda Dei ope, post multa secula sedantur. Interim si studia doctrinae, ut alicubi fieri solet, extinguantur, vel interiturae sunt Ecclesiae funditus, vel certe squallidiores multo erunt, et horrida barbaries secutura est: ut post Apostolorum aetatem, ruente imperio Romano, excidiis urbium eruditarum, literae et doctrina Ecclesiae simul ita oppressae sunt, ut vix umbra veteris doctrinae manserit.

Talium malorum consideratione cum nunc et contabescam et consumar, vos quoque excruciari non dubito. Sed in hoc dolore hanc, ut dixi, promissionem nobis proponamus, quod mansuram esse Dei Ecclesiam scimus, cuius promissionis oracula cum multa passim extent in prophetica et apostolica doctrina, nunc praecipue vobis illud recitare decrevi, quod extat apud Esaiam cap. 59. quod eo visum est huic loco accommodatius, quia non solum de aeternitate Ecclesiae concionatur, sed etiam qui coetus sit Ecclesia Dei, et ubi sit, docet, et laudat ministerium docendi Evangelii, et nos ad amorem discendi exuscitat. Haec est autem concio Dei apud Esaiam: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps usque in sempiternum.

Utile est praeceptum in omni vita, opponere communibus aerumnis hoc illustre testimonium bonitatis divinae: quod videlicet prodiens ex arcana sua sede, generi humano se patefecit, sua voce tradidit promissionem reconciliationis et vitae aeternae, et filium misit, ut esset placator. Etiamsi sumus in magnis aerumnis aliquantisper in hac vita, tamen laetemur hoc tanto beneficio, quod Deus nobiscum familiariter loquitur, et multis magnis miraculis testatur se confugientes ad filium vere recipere, exaudire, et aeternis bonis ornare. Non simus adeo duri, ferrei, ut hac tanta bonitate nihil moveamur, et existimemus nos non esse curae Deo, cum tam familiariter se generi humano ostenderit. Ut autem edidit promissionem de nostra salute, ita adfirmat se coetum aliquem semper servaturum esse, in quo et sonet vox Evangelii, et amplectentes eam vocem, haeredes faciat vitae aeternae.

Ideo apud Esaiam dicitur: Hoc est foedus meum cum eis. Et qualis sit gubernatio, qualia sint beneficia in hoc coetu, verba ostendunt. Adfirmat in ore posteritatis semper mansuram esse doctrinam, promissionem traditam prophetis, et hac voce doctrinae Spiritus sanctus accendit in auditoribus novam lucem, sapientiam, et iusticiam aeternam.

Est igitur Ecclesia Dei coetus hominum amplectens Evangelium, in quo coetu Deus ministerio Evangelii vere est efficax, et agentibus poenitentiam, et credentibus promissioni reconciliationis, dat Spiritum sanctum et vitam aeternam: interea vero in hac vita multi admixti sunt non renati, qui tamen de doctrina consentiunt.

Procul autem ex mentibus et ex omni sermone eiiciamus illorum somnia, qui Ecclesiam Dei nusquam cerni aiunt, et pingunt sibi extra totum genus humanum, agmen invisibile tanquam Ideam Platonicam. Vult Deus exaudiri Ecclesiam in toto genere humano, vult eam conspici. Non frustra se patefecit, vult se agnosci, audiri, accipi suas promissiones, ut in psalmo dicitur: In omnem terram exivit sonus eorum. Et Paulus inquit: Quos elegit, hos et vocavit.

Magna consolatio est hoc ipsum scire, nullos usquam electos ad vitam aeternam esse, nisi in hoc agmine vocatorum, et doctrinam filii Dei audientium et amplectentium, et semper in eo agmine aliquos esse electos. Haec consolatio cum gratissima piae menti esse debeat, circumspectemus ubi sit Ecclesia, ubi cerni possit, ut sciamus nos quoque cives eius esse. Quare semper ibi sciamus vere esse Dei Ecclesiam, ubi ministerium est Evangelii, id est: ubi vox sonat doctrinae filii Dei, ritus ab ipso traditi servantur, quos voluit

esse et testimonia suarum promissionum, et confessionis nostrae signa.

Agnosci igitur Ecclesia, exaudiri et cerni potest, quia genus doctrinae habet certum, traditum a Deo per Prophetas, Christum et Apostolos, et ritus habet incurrentes in oculos. Ac Dei beneficio nunc non opus est procul eam quaerere. In hoc nostro consessu, in vestris familiis, pagis, oppidis, scitote vere Ecclesiam Dei esse, quia ibi est Evangelii ministerium: nec dubitate, in eo numero aliquos esse electos ad vitam aeternam, qui nunc quoque pars sunt eius posteritatis, de qua dicitur in Esaia: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae sunt in ore tuo, non recedent ab ore posteritatis tuae.

Gratias igitur agamus Deo, quod patefecit se, quod promissiones tradidit, quod earum voce semper aeternam Ecclesiam sibi colligit. Deinde quod ostendit ubi sit illa Ecclesia, quam vere diligit, et aeterna gloria ornaturus est, et nos ipsos ad huius Ecclesiae societatem vocavit. Postremo, quod adfirmat semper talem coetum, doctrinae custodem in hoc mundo mansurum esse.

Haec ingentia beneficia opponamus aerumnis, quibus communis hominum natura in hac vita certo Dei consilio onerata est, in quibus non irascamur iudicio ipsius, sed quadam moderatione doloris expectemus mitigationem et liberationem.

Sed quomodo, inquies, mansura est Ecclesia, cum tantae sint regnorum mutationes et ruinae? ubi florentissima fuit in Syria, in Aegypto, in Asia, nunc dominatur impia quaedam barbaries, inimica filio Dei. Cohorresco, cum illa exempla cogito, quae magnitudinem irae Dei ostendunt. Sed hoc ipsum saepe praedixit Deus, non esse certam in allis imperiis sedem Ecclesiae: idque eo praedixit, ut sciamus aliud esse mundi imperia, aliud Ecclesiam Dei et causas harum aerumnarum cogitemus.

Servat Deus Ecclesiam suam etiam inter ruinas imperiorum. Ubicunque audies incorruptam Evangelii vocem, ibi te versari in Ecclesia certo statuas, sive sedes sit in politia tranquilla, sive in perturbata aut oppressa servitute. Causam autem migrationum nos praecipue consideremus, cum studia negliguntur, et ita laxatur disciplina, et impunitas est scelerum, et multi aut pravis cupiditatibus praetexunt Evangelium, aut idola stabiliunt, aut Cyclopum more spreta religione, quaerunt potentiam aut voluptates. Deus vindex horribilibus poenis declarat iram suam, ut dicit ipse: Deus tuus ignis consumens est. Singuli igitur suos mores diligentius regant, et maiore cura suum quisque officium faciat. Nunc autem ad nostrum ordinem haec concio praecipue habetur, qui difficillimam rem in tota hominum vita administrat, scilicet gubernationem Ecclesiae, quae et doctrinae explicationem et morum censuram continet.

Ac saepe neglectio doctrinae peperit religionum confusiones et discordias, unde bella exitialia totis gentibus orta sunt. Sicut apud Prophetam Hoseam dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Hac comminatione tanquam fulmine commonefacti, excitemus nos ad studia doctrinae colenda, et ad diligentiam in toto ministerio praestandam. Exempla poenarum sunt in conspectu in his regionibus et aliis. Et metuo, aliquanto post venturas esse multo tristiores. Sed tamen mitigabit has tantas aerumnas Deus, si cura erit maior regendorum morum et faciendi officii. Non existimetis vos ad otium et ventris voluptates vocatos esse, sed custodes estis muneris omnium maximi, quae Deus generi humano dedit, ut Malachias scripsit: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius.

Custodiri autem pura doctrinae sententia sine lectione, meditatione et collatione eruditorum non potest, imo ad hoc studium etiam precatio pia addenda est, ut Deus mentes et iudicia regat, sicut saepe dicitur in Psalmo: Iustificationes tuas doce me. Addi etiam oportet exercitia pietatis in moribus, quae sunt lumen doctrinae. Nam ita demum alios recte docebimus, cum prius nos ipsos erudiemus, et ad Evangelii normam dirigemus nostram conscientiam et vitam.

Ut igitur recte sonent vocem Evangelii nostrae conciones, et verbum Dei sit in ore nostro, ut Esaias inquit, saepe legendi sunt Prophetae et Apostoli, et audiendae peritorum enarrationes. Ideo enim Deus vult Evangelii ministerium publica voce docentium exerceri, ut enarratio aliqua fiat, sed conveniens fontibus, et ut eam enarrationem rudiores etiam audiant. Saepe a me dicuntur, cumque idem toties Deus praeceperit voce Prophetarum, Christi et Apostolorum, et praemia discentibus, et poenas aspernantibus doctrinam proponat, hae commonefactiones non sunt

contemnendae. Ego vindex ero, inquit Deus, si quis non audierit Prophetam, videlicet, filium Dei. Hoc fulmen nos ad audiendum et discendum Evangelium exuscitet.

Cum autem sine tua ope aeterne Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et Ecclesiae tuae, nec lux doctrinae servari possit, te oro propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, ut in his regionibus et alibi tibi perpetuo colligas Ecclesiam, te in aeterna laeticia cum filio celebraturam, et tuearis lucem Evangelii, et reddas piam et salutarem pacem his gentibus, ac disciplinam gubernes, et Principum et docentium et populi mentes Spiritu sancto ad veram invocationem et vera pietatis exercitia flectas. Amen. Dixi.

Nr. 95. an. 1547.

De Dorothea Principe.

In select. Decl. T. III. p. 214 sqq., Servest. T. III. p. 205. et in T. III. Erford. lit. b, 2. Apud Richardium non legitur. — Nemo eo offendatur, quod Georg. Sabinus hanc orationem sibi conscribi a Melanthone, socero suo, curavit. Ex Epistolis enim Vol. V. p. 411. et p. 422. conspicitur, Melanthonem Sabino scripsisse etiam eam orationem, quam praelegit Regimonti, quum ibi munus Professoris iniret. Vid. etiam Epp. Vol. III. p. 1104.

Oratio habita a Georgio Sabino, in funere Dorotheae, coniugis illustrissimi Principis Alberti Marchionis Brandenb., Prussiae Ducis etc., *quae obiit III. Idus Aprilis, anno* **1547.**

Etsi societate lachrymarum ac veris gemitibus dolorem, et ostendere debemus, et significare aliqua ex parte possumus, tamen cum tam multae tamque graves dolendi causae concurrant, nullius tanta eloquentia est, ut exponere hos dolores pro magnitudine, aut levare eos oratione mediocriter queat: tantum abest, ut ego qui et ingenii imbecillitate et moesticia singulari impedior, convenientem huic loco orationem habere possim. Luget optimus princeps nobilissimae et charissimae coniugis interitum, in qua pulcherrima omnium virtutum copulatio fuit: qui quidem etsi sua ipsius solitudine, suo dolore et suo desiderio cruciatur, tamen cum intuetur filiam, quam habet unicam et charissimam, videtque intimos sensus pectoris ipsius, pater sapiens et liberorum amans, pene exanimatur: et quanquam in eo celsitudo animi, in omni fortunae varietate magna semper fuit, tamen nunc pene succumbit moerori, et vix erigit sese ipse, Deinde augent tristitiam, huius temporis aliae calamitates. Cum in hoc horribili Germaniae bello magnis curis de republica et de omni posteritate exerceretur, etsi iis consolationibus, quas Deus Ecclesiae suae tradidit, ac ratas esse iussit, magnitudineque animi se sustentabat, tamen has sollicitudines saepe leniit dulcissima consuetudo nobilissimae et sapientissimae coniugis, cum qua suas curas quasi partiebatur. Id solatium nunc quoque fatalis hic casus eripuit. Deinde Princeps filia cuius nunc ea aetas est, ut non solum naturali στοργῇ, sed etiam iudicio matrem amarit, et eius virtutes iam intellexerit, et imitari ceperit, quanto in dolore est? Postremo lugent dominam hae nostrae Ecclesiae, Scholae et optimi quique omnium ordinum homines: et quia sciunt affici nos debere Principis optimi luctu, et quia virtutes et beneficia dominae meminerunt. Has tantas causas dolendi, cuius oratio aequare potest? Mihi quidem eas cogitanti, vox et spiritus dolore intercluditur. Sed quoniam aliquid omnino dicendum est, et significatio ostendenda nostri luctus, quaeso ut mihi veni detis, quod magnitudini rerum nequaquam par est oratio: vosque pro vestra prudentia cogitetis ipsi, quam iustum officium sit, adfici luctu optimi Principis et filiae: et quantam iacturam respublica fecerit, amissa tali domina. Deinde et consolationes divinitus traditas, cum Ecclesiae doctrinam de voluntate Dei et de immortalitate teneatis, ipsi vobis subiicite. Cum autem commemoratio laudum et virtutum in funeribus piorum hominum facienda sit, et ut ipsorum memoria sit diuturnior, et ut alii talibus exemplis commonefacti ad virtutem et ad invocationem Dei exuscitentur, ego quoque laudes illustrissimae Principis Dorotheae recitabo: sed ut potero, non ut magnitudo virtutum ipsius et pulcherrima decora postulabant.

Nata est Princeps Dorothea in familia nobilissima Regum Danicorum, patre Rege Friderico, et matre Anna, filia Marchionis Ioannis Electoris, filii Alberti Marchionis, qui propter excellentiam virtutis dictus est Achilles Germanicus. Cumque semina virtutum, et igniculos a parentibus, quorum natura fuit praestantissima, acceperit, multum postea in natura optima, recta institutio va-

luit. Hic si velim rhetorico more de splendore natalium dicere, et de Cimbricorum Regum et de Marchionum Brandeburgensium laudibus, quam longa narratio futura esset? Sed totam hanc partem praetereo, quia etsi est magnum decus generis nobilitas, quam fateor etiam quandam esse virtutis inchoationem, tamen alia sunt veriora ornamenta. Didicit literas et sinceram doctrinam de Deo et filio eius, Domino nostro Iesu Christo, et omnia exercitia pietatis, et aliarum virtutum optima disciplina assuefacta est, inde usque a pueritia, parentum diligentia. Cumque non solum studiose audiret docentes in Ecclesia, sed etiam libros divinitus nobis commendatos, scriptos a Prophetis et Apostolis, et eruditorum explicationes ipsa legeret avidissime, summam doctrinae coelestis ita mente complexa est integram, ut consensum Catholicae Ecclesiae nosset, et vero iudicio ac toto pectore amplecteretur, et falsa dogmata non solum erudite refutaret, sed etiam acriter aversaretur: fuitque apud patrem et fratrem Reges sanctissimos monitrix, ut una, vera et consentiens docentium vox esset in Ecclesiis, et ne locus erroribus, qui tunc passim fanaticas opiniones spargebant, concederetur.

Sicut olim Theodosii imperatoris filia Placidia fratri Arcadio monitrix fuit de puritate doctrinae retinenda, et postea Martiano imperatori hortatrix, de synodo Chalcedonensi convocanda. Nec voluntatem hanc et curam retinendae puritatis doctrinae unquam deposuit, sed iudicium idem haud dubie ad dulcissimam Dei et filii eius, Prophetarum ac Apostolorum, Mariae, Evae, et coetus coelestis universi consuetudinem attulit. Cum igitur inclytus Princeps noster, comperisset indolem esse in ea praeclaram, mores optimos, agnitionem et invocationem Dei veram, coniugium eius et pio consilio expetivit, et assentientibus patre Rege Danico, et gravissimis regni principibus, obtinuit: Venit igitur regis filia Dorothea, ad Albertum Marchionem Brandeburgensem, Borussorum Ducem, non ut Thetis ad Peleum Delphino vecta, Nereïdum comitatum adducens, sed afferens veri Dei agnitionem et invocationem, et omnium aliarum virtutum chorum, summaque concordia et mutuo amore cum marito usque ad extremum spiritum vixit annos unum et viginti. Nec fuit infoecunda, sed peperit filios duos, nempe Albertum et Fridericum Albertum: filias item quatuor, Luciam, Dorotheam, Catharinam et Annam Sophiam, quae unica superstes est. Lucere autem virtus Dominae in coniugio praecipue cepit, in quo cum ad normam coelestem, totum vitae curriculum dirigeret, hanc sibi Pauli regulam proposuit, complectentem omnes piae matronae virtutes: servatur mulier per filiorum generationem, si manserit in fide, dilectione, sanctitate et modestia.

Primum recte intelligebat vitae genus, in quo erat: sciebat coniugium, et aerumnas, quas sexus muliebris in partu et educatione sobolis sustinet, Deo placere, sed adeo addi oportere virtutes necessarias, primum fidem, deinde caeteras. Ardebat autem in pectore eius fidei lumen adeo non obscurum, ut in professione, studio doctrinae, in assidua invocatione Dei, in moderandis moeroribus et retinenda animi constantia clare conspiceretur. Nec tantum ceremoniis seu tragoediis colebat Deum, sed veris officiis. Audiebat quotidie enarrationem doctrinae coelestis, legebat ipsa, disserebat cum Principe de praecipuis doctrinae membris. Nec more academico quaslibet opiniones vel admittebat, vel mirabatur, ut mos est levium ingeniorum, aut curiosorum: sed unicam esse veram, perpetuam et immotam de Deo sententiam adseverabat, quae illustribus testimoniis in Ecclesia patefacta est. Hanc utraque manu, imo toto pectore, amplectebatur. Hanc discernebat ab ethnicis et aliis opinionibus: huius cogitatione se ad invocationem et ad aliarum virtutum officia exuscitabat. Denique hanc ducebat vere sacram ancoram esse omnibus actionibus et periculis.

Fuit autem inter caetera testimonia fidei ipsius, hoc quoque, quod eximio studio Academiae nostrae constitutionem et conservationem adiuvit. Et ad alia multa beneficia hoc addidit: Decem adolescentibus, qui in familiis nobilibus erant nati, discentibus literas praebuit sumptus de suo, eis praeceptorem sua pecunia praefecit: quos ut ad discendum invitaret, et studia saepe inspici curavit, et saepe missis ex venatione ac piscatione muneribus commonefieri de officio iussit. Constantini mater et aliae multae heroides templa condiderunt, et coetus adiunxerunt canentium, qui et ipsi (ut ego arbitrer) initio scholarum similes fuerunt: postea, ut multa bona instituta, paulatim ignavia hominum corrumpuntur, studia literarum deserta sunt, et umbra mansit, videlicet rituum observatio. Ac recentior aetas multa

ociosa collegia instituit. At haec nostra Princeps, cum recte intelligeret doctrinam coelestem, et sciret Deum praecipue flagitare curam conservandae doctrinae, non ociosos coetus instituit, sed erudiri adolescentium, et imbui ipsa doctrina divinitus tradita voluit, ut ad posteritatem ipsa quoque custodes aliquot Evangelii transmitteret. Specimen fidei suae etiam praebuit in luctu amissis filiis ac filiabus, cum dolorem ingentem cogitatione voluntatis Dei vicit, sentiens non casu nasci, non casu extingui homines, et evocatam ex hac mortali vita pueriiam Deo dicatam, et nondum malis exemplis corruptam, certo traduci ad aeternam Dei et Ecclesiae consuetudinem. Qua de re hanc sententiam in ore habebat: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis.

Postremo et in hoc agone, cum ex hac mortali vita discessura esset ipsa, quanta lux fidei in eius invocatione fulsit, ut arsit desiderio et consuetudinis coelestium? repetens subinde aliquas Evangelii voces, quae adfirmant Deum certo nos propter filium mediatorem recipere: quoties etiam tunc ingressa in hanc commemorationem, erudita disputatione contulit dogmata, et refutavit errores eorum, qui pias mentes a conspectu filii Dei abducunt, et de promissione divina dubitare iubent. Sed satis dictum sit de fide ipsius, cum constet totam eius vitam, invocationem quotidianam, et sermones domesticos, fuisse assidua fidei exercitia.

Ut autem in dicto Pauli mox fidei adiungitur dilectio, ita et ipsa copulavit cum fide dilectionem, id est, propter Deum iusto ordine dilexit coniugem, liberos, familiam et cives. Fuit amor mutuus in utroque coniuge talis, ut vere posses de eis illud vetus dicere, corpora quidem duo esse, animam vero unam. Deinde suo ordine caeteros dilexit: ac ut de populo dicam, iusta et benefica erga omnes fuit. Adiit parturientes, et consilio ac labore suo, imo et invocatione Dei, periclitantibus opem tulit: ipsa etiam fessis labore partus, cibos coxit, adiit aegrotos: cumque veteri heroico more et coleret artem medicam, et multa remedia sua manu parata haberet, multis feliciter medicata est. Quotidiana vero liberalitas erga egentes insignis fuit. Aliis pecuniam, aliis frumentum, aliis vestes dabat: eoque in genere altera erat Elisabetha Pannonica, quam propter hanc beneficentiam erga egentes et calamitosos, praecipue laudari scitis. Norat autem fines et metas officiorum, quae matronas decent, nec gubernationem iudiciorum impediebat. Et ut erat iusta et severitatis amans, atrocia scelera legibus puniri volebat.

Sed si quando petebatur, ut pro reis aut damnatis intercederet, si non erat atrocitas, legum severitatem ipsa quoque misericordia leniri verecunde orabat. Domestica negocia, et Ecclesiae fovendae studium ad se pertinere ducebat. Nec ingessit se consiliis gubernationis politicae, sed de Ecclesiis monere interdum Principem aliquid solebat, praesertim sicubi audiret spargi semina dissidiorum in doctrina. Nam cum et ingenio valeret, ac doctrinam Ecclesiae recte intelligeret, et gravissimo iudicio statueret, corruptelas et discordias vitandas esse, vigilantissima et acerrima erat: planeque similis, ut supra dixi, Placidae Theodosii filiae, in concordia Ecclesiae tuenda. Ac ne quis suspicetur me ingenii acumen immodice praedicare, signa ab aliis artibus sumat, quam haec studio tenebatur. In arte medica vel mediocriter periti, quantam varietatem rerum mente complectuntur? membrorum in corpore positus, morborum causas et genera, remediorum diversitatem? At de his non solum disserebat, ut artifex, sed etiam in usu prudentiam adhibebat artifice dignam. Apud Homerum laudat Nestor Agameden filiam Augiae regis, hoc versu: Quae quot terra ferax gignit, tot pharmaca novit. Non ausim ne quidem peritissimis tantam laudem tribuere, sed tamen arbitror nostram Principem non multo pauciora remedia novisse, quam illa Homerica Agamede noverat.

Praeterea cum acumen in epistolis insigne specimen ingenii sit, epistolae Principis nostrae testantur plurimum eam ingenio valuisse: in quibus etsi gravitas matronae Principi conveniens servatur, tamen et in monendo, et reprehendendo, castigando, sententiae sunt admodum argutae, et ad causam apte congruentes, et penetrantes in intimos animorum sensus, et forma orationis generosa et perspicua est.

In dicto Pauli quod recitavi, ad dilectionem, id est, ad iusticiam et beneficentiam, proxime adiungitur castitas. Usitatum est enim in sermone apostolico, castitatem nominari sanctitatem. Ingens ornamentum caeterarum virtutum esse castitatem, etiam Ethnici dixerunt, et extat digna memoratu sententia Bacchylidis, veteris lyrici poëtae, qui principi optimo Hieroni Syracusano

familiaris fuit. Caeteras virtutes sine pudicitia similes esse pulchrae statuae, quae tamen capite truncata sit, legitur dictum his versibus redditum:

Ut cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic alii mores spreti sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiae.

Nos vero in Ecclesia manifestis testimoniis erudiit Deus, prorsus necessariam esse virtutem in omnibus castitatem, nec placere ullos Deo sine ea: ac ne posse quidem in mente impudica, laxante frenum obscoenis cupiditatibus, existere caeteris virtutes, fiduciam acquiescentem in Deo, veram invocationem et dilectionem Dei. Nec praeceptis tantum, sed etiam horribilibus poenis declaravit Deus voluntatem suam hac de re, et declarat quotidie. Manet enim Dei sententia immota: Scortatores et adulteros iudicat Deus: ut in diluvio, in excidiis Sodomorum, Thebarum, Troiae, Sybaris, et aliarum innumerabilium urbium ostendit. Cum igitur voluntatem Dei nosset Princeps noster, ac sciret Deum mentem castam esse, et in quotidiana invocatione sic discernendum esse verum Deum a malis spiritibus, ut hunc cogitemus esse Deum, rerum conditorem, qui se patefecit misso filio, et est iustus, verax, beneficus, castus: ita mores rexit, ut ad regulam aeternam, quae in mente divina castitatem sancit, congruerent, nec labe ulla unquam ab ea castitas violata sit. Semper et Deum pura et impolluta conscientia invocavit, et unico coniugi suo corpus servavit castum et sanctum.

Magna cura oculos, linguam, gestus omnes ita gubernavit, ut castae mentis signa conspici possent. Et ut honestis exemplo esset ad gravitatem tuendam, non oculi errantes, non locus indignus matrona, non fabellae, non gestus ullus liberior in ea animadverti potuit. Et gravitatem sanctitatemque Dominae, totus coetus in gynaeceo imitabatur. Non ibi ocium voluptates invitabat, non admittebantur illecebra cupiditatum, lectiones aut cantilenae, aut sermones ulli magis faceti aut belli, quam qui decent gravissimas et sanctissimas matronas. Sed distribuebat Domina et operas et precationum ac lectionum tempora: ut adhuc gynaeceum, piae doctrinae et virtutis schola est. Nec tantum ad colum et ad acus assidere puellas voluit, sed ad duarum rerum doctrinam, quam ipsa colebat, eas adsuefecit: coëgit ut legerent libros propheticos et apostolicos, et alia scripta moribus et pietati utilia. Cumque remedia multa fere toto anni tempore adpararet, multiplici labore virgines et exercuit et erudiit. Quantam enim laborum varietatem in apparandis remediis esse necesse sit, non obscurum est. Ac simul puellis, rerum naturas et usum remediorum monstrabat, easque ad laborem ipsa doctrinae suavitate invitabat. Quid de hortis dicam, in quibus ipsi flores lugere Dominam nunc videntur? Hos habuit in hac Arctoa et frigida regione non minus amoenos, quam Alcinoi hortos fuisse narrat Homerus. Cumque conquisiti essent magna varietate salubrium herbarum, colebantur a virginibus, non propter corporis voluptates, sed ut honesto labore exercerentur, ac simul naturam rerum considerarent, et multa remedia discerent. In his hortis et Domina et virgines velut Naïades, dum aut semina terrae mandant, aut sitientem terram rigant, aut plantas humi serpentes erigunt, laudes Dei conditoris huius pulcherrimae naturae rerum canunt. Haec honesta exercitia, plena eruditionis, disciplinam esse cum aliarum virtutum multarum, tum vero castitatis (praesertim cum accedit doctrina de ira Dei, et de poenis certo comitantibus inquinationes corporum) consentaneum est. Sed accessit et alia virtus, modestia videlicet, seu temperantia, quam Paulus adiungit caeteris, in eo dicto, quod supra recitavimus. Multarum maximarum virtutum nutrix est temperantia in cibo ac potu, Verissimum est enim quod dicitur:

Quin corpus onustum,
Hesternis vitiis animum quoque praegravat ipsum,
Atque affligit humi divinae particulam aurae.

Cum autem sedes illa divinitus condita ad cogitationem de rebus divinis, quassatur densis et turbidis halitibus a cibo et potu ortis, et crapula assiduam vertiginem efficit, impediri et languefieri intentionem mentis, in cogitatione de Deo et precatione, manifestum est. Quare ad veram invocationem Dei necessaria est temperantia. Deinde et ad castitatem et ad moderationem in omnibus actionibus prodest, ut omnes sani testantur. Itaque cum natura temperans esset, consuetudine etiam, quae in primis in eo genere multum valet, perfecerat, ut modico cibo et potu contenta esset: nec laborum, studiorum ac precationum tempora impendebat conviviis, nec splendore conviviorum aut vestium excellere studebat, quamvis preciosas vestes plurimas haberet. Sed dolebat potius, harum rerum cura in omnibus aulis alia negotia

necessaria impediri. Denique mediocritatem et moderationem in omnibus rebus amabat. Et quanquam virtute et gradu honoris antecellebat, ut vult Deus esse hominum gradus: tamen locum singulis convenientem tribuens, etiam inferiores propter Deum diligebat, nec superbe fastidiebat, sed tanquam pares societate Ecclesiae et virtute, honore afficiebat.

Ingenia prudenter diiudicabat, in singulis certas virtutes suspiciebat. Obtrectationes et sermones virulentos adeo non audiebat, ut stomachose etiam interpellaret, et abrumpi eos cogeret. Multorum inter suos dissidia, sua autoritate diremit. Nec tamen egressa est suorum officiorum metas, non impediit iudicia, non leges, non curiam, sed suo loco ita benefecit, quibus potuit, ne quid de autoritate cuiusquam Magistratus diminueret, neve ordinem Reipub. et pacem turbaret. Nam ad hos duos fines omnia vitae consilia et omnes actiones retulit, ad ornandam gloriam Dei, et ad publicam pacem. Cum igitur ad Pauli concionem, complectentem omnes piae matronae virtutes, congruant mores Principis Dorotheae, placuisse eam Deo iudicandum est, qui cum eam ad coelestium consuetudinem traducturus esset, exitum etiam vitae mortalis placidum ei, et sanctissimis moribus ipsius congruentem dedit. Cum naturam vi morbi superatam esse sentiret, tranquillo animo se velut ad iter praeparavit, ac subinde miscens votis et invocationi confessionem fidei, saepe haec verba repetiit: Non casu extitit haec mundi pulcherrima compages, nec casu natum est genus humanum, sed esse Deum conditorem rerum, sapientem, beneficum, iustum, veracem, castum, toto pectore credo, ac te aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti multis testimoniis edita voce Evangelii, et misso filio, de quo clamasti: Hunc audite, adfirmo, vere Deum esse, conditorem rerum, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto. Te credo genus humanum non frustra condidisse, nec frustra te nobis toties patefecisse, sed vere iudicem esse generis humani, et colligere tibi aeternam Ecclesiam, celebraturam te in aeterna consuetudine et laeticia. Credo et filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, mirando consilio a te missum esse, ut quia peccatum pro nobis fiebat ipse, nos iusticia Dei per eum fieremus. Utque cum reciperes nos in gratiam placatus, effunderes in nos ex tuo pectore Spiritum sanctum, et in nobis aeternam vitam, lucem et iustitiam accenderes. Haec ut in Evangelio tuo, quod protulit ex arcano sinu tuo filius, tradita sunt, toto pectore credo, et confiteor me miseram natam ex sordida natura, non arsisse dilectione tui, ac fide, ut debebam, ac multos errores ac vitiosas cupiditates in omni vita circumtulisse, et saepe tuam voluntatem meis erroribus et lapsibus offensam esse, vehementer doleo. Cum autem miseris filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, ac praeceperis ut ad eum confugeremus, et promiseris te recepturum omnes ad ipsum vera fide confugientes, te supplex oro, ut mihi omnia mea peccata, omnes errores, omnes labes remittas, propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis fieri victimam: et ut Spiritu sancto tuo initia vitae et iusticiae aeternae in me accendas, meque ad societatem tuae Ecclesiae coelestis, quae te in aeterna laeticia intuebitur et celebrabit, clementer abducas. Credo tuis promissionibus, et fiducia filii tui mediatoris me sustento, non fiducia mearum virtutum, tuamque iram placatam esse confido, et certa spe coelestium consuetudinem expecto. Tibi etiam gratias ago et agam in omni aeternitate, cum pro caeteris beneficiis innumerabilibus, tum pro patefactione tui, et pro filio nobis donato, et voce Evangelii edita, quodque me ad agnitionem tuae lucis vocasti, nec in ethnica caligine et aliis erroribus reliquisti. Te etiam Iesu Christe, fili Dei, crucifixe pro nobis et resuscitate, imago patris aeterni, qui mediator constitutus es inter patrem et nos, ac dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, oro toto pectore, ut mei misertus, pro me intercedas apud aeternum patrem tuum, et in me Spiritu sancto tuo vitam aeternam, lucem et iusticiam accendas. Gratias etiam ago tibi, et agam in omni aeternitate, quod mea causa et propter salutem meam aeterno patri supplex es, et victima pro me factus es. Hoc tuum ingens beneficium praedico, discedens ex hac mortalium consuetudine, ac adversus regna diaboli et omnium impiorum furores, qui tibi maledicunt, adfirmo, tuam doctrinam traditam tua voce, et Prophetarum et Apostolorum literis, sonantem in hac tua Ecclesia, cuius discipulam me esse profiteor, veram esse, et execror ethnicos et haereticos furores cum tua voce pugnantes. Sit lucerna pedibus meis verbum tuum,

in quo dixisti: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Oro etiam te Deus aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, ut carissimum coniugem meum, et dulcissimam filiam regas et serves, et in his regionibus ministerium Evangelii, Ecclesias et Politias defendas. Haec saepe ingeminans diebus decem, et sese adversus pavores confirmavit, et charissimo coniugi Principi et dulcissimae filiae lenire moesticiam studuit. Saepe etiam hortata est filiam et caeteras virgines, ne coelestem doctrinam aut voluptatibus aut corruptelis dogmatum excuti sibi paterentur, neve sinerent extingui timorem, fidem, et invocationem Dei. Denique hic extremus agon totus illustre testimonium fuit fidei, et aeternae iusticiae iam in corde accensae. Et inter haec vota, et has confessiones a corpore anima sancta et Deo cara placidissime discessit. Hic mortalis vitae finis fuit, ipsi quidem Dominae minime tristis, sed optimo Principi filiae, et nobis omnibus valde luctuosus: ac ne principis et filiae ingentem dolorem augeam, qui causas sui moeroris maximas, etiam nobis tacentibus, vident, de nobis dicam. Ferreus est, qui in tanto publico luctu, cum videat Principis et praecipuorum virorum in omnibus ordinibus, nobilium et sacerdotum lachrymas, cum filiae Principis et tot honestissimarum matronarum eiulatus audiat, sine moerore esse potest. Causas igitur dolendi cogitemus, adficiamur luctu optimi Principis et filiae, ut iubet nos Deus, praesertim Principum benemeritorum adversos casus nostros ducere, et nostri amoris erga eos significationem societate moesticiae ostendere. Deinde eo doleamus, quod tale decus et exemplar virtutum, haec regio amisit, quodque Patronam Ecclesiarum, literarum et multorum calamitosorum amisimus. Sed lachrymae vocem impediunt, ideo hanc partem orationis abrumpo. Utinam autem, ut dolendi causas propter populum exposui, ita possem aliqua ex parte tanto vulneri Principis et filiae mederi. Ac filiam quidem patri omnes ordines commendant, eumque orant, ut et ob hanc causam fortius repugnet dolori, ut eius oratione et vultu filia a summa luctus acerbitate abducatur. Etsi autem, Princeps illustrissime, pietas tua laudanda est, quod extincta charissima coniuge tanto dolore et desiderio eius adficeris (non enim ii sumus, qui nihil dolere, sapientiam aut virtutem esse finxerunt, removeantur ab Ecclesia disputationes illae Stoicorum. Nam et indidit Deus humanis pectoribus *στοργάς*, quae moneant, ut nostros diligamus, secundis eorum rebus laetemur, et adversis doleamus, et ut nostrorum desiderio adficiamur: et haec fieri iubet, sed moderate), agnoscamus mala nostra, ac doleamus.

Sed tamen propter has duas causas dolor moderandus est. Primum, quia non est repugnandum iusticiae Dei, quae universum genus humanum morte oneravit. Deinde etsi mors malum est, tamen firmissima assensione tuam celsitudinem amplexam esse has divinas sententias non dubito: Preciosa mors Sanctorum; item: Beati qui in Domino moriuntur. Non est mors extremum malorum, sed piis iter est ad dulcissimam Dei consuetudinem. Levat dolorem in quacunque re, si quid inesse boni cernitur. Ergo mentis oculos defigito in haec bona. Etsi abest coniunx tua a conspectu tuo, et filiae dulcissimae, tamen laeta fruitur iam conspectu, sapientia et sermonibus Dei, et filii eius Domini nostri Iesu Christi, Prophetarum, Apostolorum. Iam in coetu coelestium matronarum audit disserentem Mariam de filio, audit Evam de prima conditione generis humani, de suis aerumnis et liberationibus concionantem. Audit Saram et caeteras similes matronas commemorantes Dei beneficia. Audit denique patrem etiam suum, Regem pium et Deo charum, filiosque ac filias complectitur. Nihil utrique vestrum optatius fuit, quam ut illa dulcissima coelestium consuetudine frueremini, ad quam quod prior adducitur coniunx tua, si volumus vera dicere, gratulanda est ei haec felicitas. Nam haec quae de consuetudine aeternae Ecclesiae adseveramus, non sunt fabulosa ac similia poëmatum de campo elysio. Nos in Ecclesia Dei testimoniis illustribus confirmatas esse divinas promissiones scimus, videlicet resuscitationem filii Dei, et multorum aliorum, qui extincti revixerunt. Certo igitur adfirmandum est, homines ad Deum conversos vera poenitentia et fide, et acquiescentes in mediatore filio Dei, discedentes ex hac vita, duci ad laetissimam aeternae Ecclesiae consuetudinem. Meministi autem Princeps totum vitae curriculum coniugis, plenum pietatis, et in hoc extremo articulo clarissima signa animi acquiescentis in filio Dei animadvertisti. His iactis fundamentis consolationum, et quod Deo obediendum sit, et quod coniunx tua coelestium consuetudine fruatur:

deinde adiungito alias consolationes, quod non amiseris coniugem, sed rursus eam complexurus sis, et in consuetudine perpetua, eruditissimos et suavissimos sermones collaturi sitis, quod Deo tuam et filiae, et harum Ecclesiarum salutem ardentissimis votis commendet, quod turbulentissimis temporibus ex hac misera vita evocata, iam ad portum pervenerit, nec sit obnoxia nostris periculis. Laeteris etiam cogitatione virtutum ipsius, Deoque gratias agas, quod vitae sociam tantis ornatam virtutibus, et concordi animo et voce verum Deum invocantem (quod vinculum est amicitiae arctissimum) tibi dedit. Harum te consolationum omnium cogitatione a moesticia abducito. Nec tuae solum tristiciae, sed etiam charissimae filiae mederi studeas. Huic ut sapiens pater omnibus officiis, imo et arte, lenias dolorem: quare commemoratio maternarum virtutum multum ei profutura est.

Populum vero adhortor, ut memoriam retineat laudatissimae Principis, et propter gratitudinem, et ut ex eius vita, fidei et virtutum exempla imitanda sumat. Propterea enim Deus in Ecclesia multos excellentibus virtutibus ornat, ut alii eorum exemplo invitentur, erudiantur, et confirmentur. Haec ut potui, dixi, multo brevius, quam magnitudo rei postulabat. Nunc in funeris caeremoniis non solum lachrymis dolorem vestrum declarate, sed etiam pia precatione salutem illustrissimi Principis, et filiae, et Reipublicae, ac vestram, Deo commendate. Tali invocatione Deus coli se postulat, vult a se peti vitam et salutarem gubernationem generis humani. Nec aestimemus tales precationes, otiosos ritus esse, ut multi divinae voluntatis ignari audacissime iudicant: sed sciamus, velle Deum, hunc sibi tribui honorem, ut vere agnoscamus et fateamur eum horum summorum bonorum autorem esse, et vere ea petentibus largiri. Dixi.

No. 96. a. 1547.

De dicto: Sis intentus etc.

In select. Declamat. T. III. p. 542 sqq., in Servest. T. III. p. 514. et in libro: Georgii Principis Anhaltini conciones et scripta (Witeb. 1570. Fol.) p. 412b. Item apud Richard. T. III. p. 373. — Nam est oratio synodica, scripta Georgio Anhalt., qui illam recitavit in synodo d. 5. Oct. 1547.

Oratio [synodica] de dicto Pauli: Sis intentus lectioni etc. (recitata a Georgio Princ. Anhaltino.)

Misericordiae Domini, quod non consumpti sumus, inquit Hieremias, non de sui tantum temporis tristissima calamitate, sed etiam de aliis Ecclesiae dissipationibus. Nam et in hoc tristi bello, quod exarsit ante annum in his regionibus, quae antea fuerunt florentissimae, funditus periissemus propter delicta nostra, quae et multa sunt et magna, nisi Deus ipse in ira iustissima misericordiae suae recordatus esset, et iustas poenas sua immensa bonitate leniisset. Itaque initio gratias agimus toto pectore Deo aeterno Patri domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et Ecclesiae suae, una cum filio suo domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto suo, quod poenas mitigavit, et intervallum aliquod tranquillum reddidit, et Ecclesiae suae reliquias servat. Precamur etiam toto pectore, ut piam et salutarem toti Germaniae pacem restituat, nec sinat extingui inter nos lucem sui Evangelii, ac deleri veram invocationem. Hanc precationem assiduis votis repetamus, et in domesticis Ecclesiis et in publicis congressibus. Iam vero priusquam in dicendo progrediamur, his piis votis Dominicam precationem addamus, ardenti fide clamantes: Abba Pater noster!

Cum autem (venerandi Consacerdotes) veteri et honestissimo more ad deliberationem de nostra gubernatione convenerimus, et prima cura esse debeat doctrinae, initio vos, ut saepe feci antea, adhortandos esse duxi, ad studium doctrinae, et ad lectionis assiduitatem, quod ut gravi autoritate facere possem, illud ipsum praeceptum, quod Paulus Timotheo proponit, vobis hoc loco iterum recitare et inculcare decrevi. Id enim scripsit Paulus non tam propter Timotheum, cuius pectus flagrare amore doctrinae sciebat, quam totius posteritatis causa.

Sunt autem verba haec: Sis intentus lectioni, consolationi, et doctrinae.

Hanc sententiam cum legunt homines prophani, existimant puerilem esse commonefactionem, non magni momenti, ut si paedagogus hortetur auditores ad lectionem Grammatices. Etsi autem illa etiam paedagogia rei magnae nutricula est, tamen hic de rebus multo maioribus dicitur, et non solum doctrinam continet haec Pauli sen-

tentia gravissimam, sed etiam consolationem dulcissimam, iis qui propter studia sunt in odio, et magnis aerumnis exercentur. Me quidem ipsum saepe in his nostris periculis et miseriis erexit haec ipsa commonefactio, disputantem cur studia doctrinae colam, quae irritent odia hominum, cum possimus in tranquillitate et dignitate vivere, literis omnibus abiectis? Huic reprehensioni cum oppono mandatum Dei, qui praecipit legi, audiri, cognosci, amari libros Evangelii, rursus acquiesco, et non solum delector studio, sed etiam humana omnia postponenda esse lectioni coelestium librorum, et his studiis fortiter statuo. Mihique ipse subiicio hoc Pauli dictum: Sis intentus lectioni, et illas voces idem praecipientes: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Item: Qui non audierit, ego ultor ero. Denique constat saepissime repetitum esse hoc praeceptum de discendo Evangelio.

In hac cogitatione simul etiam tetram ingratitudinem et contumaciam generis humani deploro et detestor, cum singulare et summum bonitatis divinae specimen sit, quod ex arcana sua sede prodiens, nobis se patefecit, nos dulcissime alloquitur, et profert sapientiam ignotam omnibus creaturis, quae unica remedium certum et efficax est ingentium malorum generis humani. Hic quid est indignius, quam Deum nos alloquentem audire nolle, ac tantam bonitatem aspernari? quae conspicitur hac ipsa in re, quod toties tam illustribus testimoniis se patefecit? Quis hanc ingratitudinem non existimet dignam esse atrocissimis poenis? Ac multiplex est ingratitudo, multi Athei audacissime affirmant fabulosos esse libros propheticos et apostolicos, eosque legi prohibent, ut Politianum audio dixisse, interrogatum an legeret sacros libros? semel se legisse, nec tempus ulla in lectione peius se posuisse. Et alius quidam interrogatus de sacris libris, nihil, inquit, curo quinque libros Moysi, hoc curo, quomodo pagos quinque meis praediis addere possim. Talis contemptus non solum ingratitudo est, sed horribilis furor et blasphemia, quae praecipua causa est calamitatum publicarum in hac vita, et deinde sine ulla dubitatione suppliciis aeternis compensabitur.

Verum non tantum Epicureos illos accusemus, sed nostrum frigus etiam agnoscamus, ne nos quidem ardemus studio legendi et meditationis cura, sicut ardere nos oportebat. Raro pagellas paucas evolvimus, et legimus sine attentione, sine cogitatione divinae voluntatis, perinde ut ignavi, et hebetes legunt poëmata.

Ut igitur pectora nostra accendantur ad amorem studii, infigamus animus hoc Pauli dictum: Sis intentus lectioni, quod ut planius intelligatur, continet enim eruditissimam partitionem, addam enarrationem, ut spero, non ingratam studiosis.

Tria membra sunt: Iubet legere, docere, et consolari.

Cur autem a lectione orditur? Hic et discernit coelestem doctrinam a Philosophia, et monet alligatam esse Ecclesiam ad libros propheticos et apostolicos. Caeterae artes, ut Arithmetica, et legum doctrina extruuntur ex principiis natura notis, non sumunt initium a lectione, sed promissio Evangelii propria, decretum Dei arcanum fuit, procul supra et extra conspectum omnium Angelorum et hominum positum, quod patefactum Deus tradidit Patribus et Prophetis, ac voluit mandari literis, et librorum custodiendorum curam Ecclesiae suae mandavit. Immo, ideo politias aliquas servat, ut sint velut bibliothecae sacrorum voluminum, ut politia Moysi annis mille quingentis has ob causas defensa, servata, et divinis testimoniis ornata est, ut et bibliotheca esset codicum propheticorum, et testis esset, divinitus acceptam esse eam doctrinam. Cum igitur Ecclesiae doctrina non oriatur a luce ingenii humani, sed ex voce Dei mandata literis cognoscenda sit, necessariam esse lectionem manifestum est, et sapienter Paulus primum de lectione praecipit. Quod cum ita sit, assuefaciamus et nos ipsos, et nostros, ut studiose legamus divinos libros. Cumque necesse sit servari, et legi hos libros, literarum studia amemus et colamus. Et quanquam in odio sunt, tamen nostros labores Deo placere, et curae esse sciamus. Haec consolatio saepe cogitanda et repetenda est, quia minus suavia fiunt literarum studia hoc tempore, cum non solum praemia nulla sunt honestissimi laboris, sed etiam potentum et sapientum iudiciis premuntur, et in odium adducuntur, qui literas semina esse dissidiorum clamitant. Adversus talia iudicia praeceptis Dei nos consolemur, quae libros sacros et legi et cognosci severissime iubent.

Dixi supra partitionem eruditam esse, et cur primum facta sit mentio lectionis, breviter exposui. Addam et caetera membra. Non satis est legere sacros libros, sed accedat doctrina. Id est:

Ex lectione sumatur doctrina redacta in corpus, et testimonia in libris monstrentur; ostendatur legis et Evangelii discrimen, et ordine tradantur articuli fidei, et erudite illustrentur, ac prudenter fontes eorum considerentur, in quibus locis propheticorum et apostolicorum librorum singuli tradantur.

Discernatur doctrina de Deo, propria Ecclesiae ab ethnicis et aliis opinionibus. Necesse est enim sentire de Deo, sicut se patefecit, monstratis tribus personis, aeterno Patre, Filio, et Spiritu sancto. Exponatur mirandum Dei consilium, quod cum sit iustus, et horribiliter irascatur peccato, ita demum placari iustissimam iram voluerit, quia filius factus est supplex pro nobis, et in sese iram derivavit, et pro nobis piaculum et victima factus est. Doctrinam etiam teneamus de duabus in filio naturis, iuxta illud: Et verbum caro factum est. Deinde discernamus doctrinam de remissione peccatorum gratuita, ab opinionibus ethnicis et pharisaicis, quae fingunt pro nostris delictis precium et compensationem seu λύτρα esse nostra benefacta, discernamus fidei iustitiam a disciplina, discamus qui sint veri cultus, discernamus invocationem Dei propriam Ecclesiae ab ethnica, discamus quid sit Ecclesia, et quid ab imperiis differat. Haec omnia in symbolo in explicatione Articulorum fidei ordine exponenda sunt.

Non est, ut multi indocti existimant, Ecclesiae sapientia, barbaricum, ineruditum, et agreste doctrinae genus, ut fuerunt leges multarum gentium. Nec est tantum Philosophia de moribus, ut multi putant, et ut nos meminimus quendam Theologiae doctorem dicere: Etiam amissis libris propheticis et apostolicis, tantum in Ethicis Aristotelis sapientiae esse, ut ex eo libro solo satis doceri Ecclesia possit. Ac possem similes errores multorum recitare, quorum commemoratio eo prodest, quia et monet ut prudenter discernamus genera doctrinarum, et hortatur nos ad discendum, ne rursus lux Evangelii extinguatur, et nova caligine veritas involvatur. Ideoque Paulus diligentiam et attentionem non solum in legendo postulat, sed etiam in docendo. Magnum enim et difficile opus est, vere, recte, proprie, distincte, perspicue explicare doctrinam Ecclesiae, ita ut et tu ipse circumferas in mente quasi ideam integri aedificii, summam doctrinae, et similem ideam pingas in mentibus auditorum. Sit autem docentis norma lectio. Nam ex illis fontibus, id est, ex libris propheticis et apostolicis sumenda est explicatio.

Et haec diligentia recte docendi, primum necessaria est ad veram agnitionem Dei et ad animarum salutem: deinde et ad concordiam publicam retinendam utilis est. Plerunque enim dissidia oriuntur inde, cum negligentes Doctores dicta impropria spargunt, quae dissimiles opiniones, et ut ita dicam, dissimiles ideas in mentibus auditorum gignunt. Sit igitur oratio docentis propria, distincta et perspicua, et sit una consentiens vox Ecclesiae, verum Deum recte et ardenter invocans.

Nunc de tertio membro dicam, videlicet de consolatione. Non satis est legere libros sacros, nec satis est doctrinam nosse, ut norunt multi hostes Dei. Sed accedat ad lectionem et ad studium doctrinae, ultimum illud opus, scilicet consolatio, ne oppressi peccato et morte, pereamus. Non delectaris Deus perditione nostra, scriptum est, et Deus ipse inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Patefecit igitur se Deus, dedit Evangelii vocem, misit filium, non ad hoc unum opus, ut arguat peccata, sed praecipue ad hunc finem, ut voce Evangelii et Spiritu suo sancto consoletur et erigat pectora nostra, et in nobis lucem et iusticiam accendat, nosque abolito peccato et morte, haeredes vitae et salutis aeternae efficiat.

Cumque Paulus consolationem lectioni adiungit, hoc ipsum monet, Deum per hanc ipsam vocem promissionum, quam in libris propheticis et apostolicis legimus, efficacem esse, quod etsi prophanis ridiculum videtur, tamen nos in Ecclesia certo scimus, Deum ideo instituisse ministerium Evangelii, ut legamus, discamus, audiamus vocem Evangelii, et ut per eam vocem in nobis lux coelestis a Spiritu sancto Dei accendatur. Haec ita fieri certum est, cum voce promissionum nos sustentamus, et dubitationi ac diffidentiae repugnamus. Itaque execrandi sunt Enthusiastae et Anabaptistae, et similes, qui spretis libris et omissa lectione novos afflatus expectant, ut audivi dicere quendam Anabaptistam, se non uno nummo empturum esse omnes codices coelestis doctrinae in unum cumulum collatos. Ac illius quidem furor manifestus erat, sed initium talium furorum oritur ex hac opinione, quae fingit lectionem et cogitationem divinarum promissionum inutilem

esse, ut ignari exercitiorum fidei, nesciunt acquiescendum esse in ipsis promissionibus, et expectandam esse mitigationem malorum, fiducia misericordiae Dei in promissionibus ostensae. Et ethnico more satis esse putant, si mores mediocri disciplina regant, interim corda sunt sine fide et plena dubitatione. Quid dicam, intelligunt bonae mentes non omnino rudes exercitiorum fidei.

Ad hunc igitur finem lectio et doctrina referantur, ut in nobis, cum consolatione erigimur, in vera poenitentia, et in omnibus periculis, accendatur fides, et inchoëntur vita et iustitia aeterna, sicut scriptum est: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum esse verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Audivistis enarrationem dicti Paulini: Nunc vos adhortor et obtestor propter gloriam Dei, et salutem Ecclesiae, ut huic divino praecepto obtemperetis, et in studiis vestris hanc commonefactionem sequamini, ut et legatis libros sacros, et inde doctrinam integram Ecclesiae sumatis, eamque exercere, in consolandis vobis et aliis discatis.

Nullius rei cura, nullus labor, in hac tota vita utilior, aut magis necessarius est, quam haec doctrinae coelestis meditatio, quae et certum praesidium est vitae praesentis, et aditus est ad aeternam salutem, ut Paulus inquit, Evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

Sed patrocinantur aliqui suae ignaviae, et satis esse dicunt, semel atque iterum legere sacros libros, saepius eadem relegere, videri inanem βαττολογίαν esse.

Utinam multi sint qui semel atque iterum ita legant omnes libros propheticos et apostolicos, ut veram, nativam, et incorruptam sententiam in locis praecipuis et dogmatibus teneant et meminerint.

Ne ego quidem requiro scrupulosam diligentiam in minutis rebus, sine quibus certitudo dogmatum, seu articulorum fidei, conspici tamen potest, sit enim enarratio analoga fidei, ut Paulus inquit, et hanc normam intuentes, proprietatem sermonis adhibita dexteritate, sequamur, et assint amor veritatis, et candor, nec propterea totas conciones Prophetarum abiiciamus, etiam sicubi Grammatici unam aliquam vocem non eodem modo interpretantur, quarum disputationum diiudicatio saepe facilis est dextre indicantibus. Et ut sint pauca quaedam vocabula veteris linguae, non satis nota, in his non periclitatur salus Ecclesiae, ut Demosthenes dixit: Non in eo periclitari Graeciae salutem, si manum huc vel illuc verterit.

Sed profecto vituperanda est arrogantia eorum, qui tantum ingeniis confidunt, ut exhausisse se sapientiam divinorum librorum existiment, postquam eos bis aut ter perlegerunt.

Ecclesiae doctrina de multis magnis rebus concionatur, quae non subito penitus comprehendi possunt, deinde et instrui mentes oportet, ad refutanda falsa dogmata. Ut autem arma in promptu habeas, necesse est familiariter nosse sacros libros. Praeterea unicuilibet privatim opus est, ad suae fidei confirmationem, crebra repetitione eorum testimoniorum, quae planissima et maxime perspicua sunt. Ad haec omnia opus est assidua lectione. Cumque mentes humanae fere quotidie novis modis oppugnentur, subinde novis commonefactionibus pectora munienda sunt. Et abeunt studia in mores. Quare animi eorum, qui lectione assidua excitantur, magis flectuntur ad cogitationem de Deo, et ad omnium virtutum officia.

Denique moveamur Pauli dicto, qui hic et attentionem et assiduitatem praecipit, cum ait: Sis intentus lectioni. Et alibi inquit: Sermo Dei abunde inter vos habitet, et vobis familiaris sit.

Huius anni calamitates etiam nos admoneant, ut in totius vitae gubernatione, et in officio simus diligentiores. Saepe hoc anno ad aram lachrymis et precibus pacem petivimus, et mitigavit Deus poenas. Sed erit durabilior pax, si mores nostri erunt modestiores, et si cogitatione doctrinae pectora nostra ad ardentiora vota exuscitabimus. Languidior est enim omnis precatio, sine doctrinae cogitatione. E contra, si aut ebrii voluptatibus, aut occupati avaricia, negligemus doctrinae studia, accidet nobis hoc, quod in tristissima comminatione apud Hoseam praedictum est: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Omnia bella impediunt literarum studia, et faciunt squallidiores Ecclesias, ut unius anni calamitas ostendit.

Quanta autem solitudo Ecclesiarum, quantae tenebrae secuturae essent, si, quod Deus clementer avertat, rursus in his regionibus bellum incenderetur.

Non dubitemus autem, nobis et communi Ecclesiae, gemitus nostros, lachrymas, vota, et caetera pia officia, ad pacem et ad alia Dei dona retinenda, profutura esse. Sic enim inquit Deus:

Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, id est, me in vera conversione invocate: quod si facietis, exaudiam vos, et poenas mitigabo. Hac promissione divina exuscitemur, ut simul et pacem petamus, et modestius vivamus, et studia doctrinae coelestis diligentius colamus. Dixi.

No. 97. an. 1548.

De Luthero et aetatibus Ecclesiae.

In select. Declamat. T. III. p. 38 sqq., in Servest. T. III. p. 36., in Tomo III. Erford. lit. O, 8. et apud Richard. T. III. p. 763.

Oratio de Martino Luthero, vel de aetatibus diversis ac temporibus Ecclesiae, et dissensionibus Ecclesiarum nostro tempore; recitata cum decerneretur gradus Melchiori Isindero, Suidnicensi. [d. 8. Nov. 1548.]

Cum ante biduum in die natali Lutheri de argumento Orationis deliberarem, multaque dura meo tristi cum corde putarem, ut veteri versu utar, et propter diem natalem, assidue quasi ob oculos obversaretur Lutherus: ita deplorare orbitatem nostram cepi, ut aliud argumentum instituere non possem.

Ut enim de bello non dicam, quod fortassis illo vivo nequaquam motum esset, sed fuerit sane haec calamitas fatalis: hoc recentius malum, videlicet doctrinae mutatio, non fatis, sed humanis consiliis proprie tribuendum est, quod quidem eo vivo ipsius voce reprimi facile potuisset. Nunc cum aliis iudicium, aliis autoritas desit, nec sit monitor unus par illi, et multi vel errore, vel adsentatione, fucosa pro veris recipiant, distrahuntur Ecclesiae, sparguntur corruptelae rerum antea recte traditarum, stabiliuntur pravi ritus, pariter in omnibus languefit invocatio, ut semper fit in dubitatione: deinde in multis dubitatio parit Epicureum contemptum Dei, et omnium religionum: et aliquanto post, ubi de hoc ipso pomo Eridos pugnare inter se docti ceperint, novae dissensiones et aliae dogmatum depravationes orientur.

Haec mala cum sint in conspectu, fieri non potest, quin homines modesti in nostris Ecclesiis magno dolore adficiantur. Et tamen sunt Eceboli, qui ne gemitus quidem Ecclesiae liberos concedunt, sed statim vociferantur, seditiosos esse omnes, qui non adplaudunt corruptelis doctrinae, ac dolent turbari Ecclesias, et piorum invocationem: clamant, nos privatis adfectibus, odiis superbia impediri, quo minus ipsis adsentiamur. Fac nos adsentiri, num propterea homines pii in populo, qui liberius iudicant, adsentientur? Nec obscurum est, si veras sententias abiiceremus, secuturas esse in populo maiores discordias, et maiora odia adversus religionem.

Non blandimur vulgo, sed vera piorum indicia intuemur: deinde etiam infirmitati populi, sanctarum matronarum et puerorum aliquid concedendum est, ut filius Dei dicit, valde cavendum esse, ne pueri offendantur. Haec si qui cogitantes optant non turbari has Ecclesias, in quibus et vox doctrinae vera sonat, et mediocris est modestia, imo etiam quarum iam propter alias calamitates magna est moesticia, num seditiosi iudicandi sunt? cum quidem nec arma gerant ipsi, nec praesidia ulla quaerant, nec alios ad movendos tumultus hortentur.

Etsi autem video, quantum sit periculi, etiam modestissime significare iudicium, tamen arbitrabar in hac frequentia auditorum hortandos esse iuniores, ne sinant turbari invocationem suam varietate opinionum, sed agnita vera sententia, acquiescant in ea, et accendere fidem veris exercitiis discant. Loquor de re magna, et perspicue dicam, quod necesse est in Ecclesia dici. Cum excruciat animum dubitatio de parte aliqua doctrinae praecipua, non solum invocatio extinguitur, sed etiam odium omnium religionum accenditur. Cavendum est igitur summa vigilantia et prudentia, ne his exitialibus morbis pectora inficiantur. Ut igitur praemunitae sint mentes, teneatur Pauli regula scripta ad Timotheum: Bonum depositum custodito per Spiritum sanctum. Paulus et Timotheo et aliis auditoribus veram, integram, perspicuam et incorruptam doctrinae formam tradiderat. Hanc bona fide, ceu depositum custodire iubet, ut ad posteros sine corruptelis propagaretur. Hanc ipsam Pauli doctrinam cum illustraverit Lutherus, et nobis commendaverit, ceu depositum, fideliter custodiendam, non sinamus eam depravari, non adducantur mentes a Deo superstitionibus arte fucatis, non excutiatur invocatio varietate aut ambiguitate opinionum.

Nec novum exemplum est, rebus recte traditis, postea fingi corruptelas. Ludit hoc modo dia-

bolus non in Ecclesia tantum, sed etiam in artibus. Ut cum philosophia recte constituta esset in doctrina Aristotelis et Theophrasti, postea pravae naturae studio novitatis petulanter quaesiverunt novas opiniones, et quasi a media et regia via deerrantes, contrarios errores amplexae sunt. Epicurus voluptatem obviam sensibus arripuit. Huic tribuit ἀριστεῖα hac omnia metitur. Removet a gubernatione mundi Deum, et audacissime fingit ex concursu atomorum casu omnia mundi corpora nata esse: hunc Solem quem cernimus, et sidera, fortuita incendia esse dicit: denique ut solvat mentes hominum religione et legibus, ex universa natura tollit ordinem. Hi furores cum non placerent Zenoni viro tetrico, ut quam longissime ab eis recideret, profert metas longius ipse quam oportet. Ille omnia casu fieri dixerat, et volui omnia sine ordine et sine necessitate. Hic contra, necessarie et legibus immotis fatorum fieri omnia contendit, etiam Phalaridis scelera. Ille nominaverat bona, voluptatem, virtutem, bonam valetudinem, divitias: hic solam virtutem contendebat bonum esse. Ille adfectus omnes dicebat congruere naturae, etiam obscoenos, et inimicos societati humanae: hic nullos. Postea cum Arcesilas videret quarundam disputationum labyrinthos inextricabiles esse, longius proferens et ipse opinionum metas, finxit omnia incerta esse. Tales furores secuti sunt, cum antea Philosophiae forma non male constituta esset. Nec accusanda est hic tantum vanitas humanorum ingeniorum, sed etiam daemonum malicia: quibus voluptati est, odio Dei veritatem involvere tenebris, ut caecas mentes postea facilius impellat, ut ruant in tetra scelera.

Lusit in Ecclesia inde usque ab initio, multo petulantius. Eodem modo, ut nunc, promissionum divinarum doctrina obscurata est, cum Adam, Seth, Enoch, Noha, Sem, Abraham docuissent, fide accipi remissionem peccatorum, fide oportere mentes acquiescere in Deo, et ita petere et expectare bona: ceremonias vero signa esse ad docendum necessaria. Alii contra non intelligentes quomodo fiat invocatio fide, aut quid sit acquiescere in Deo, et ab eo expectare auxilium, tantum mirati sunt ceremonias: harum imitatione Deum se colere putabant, et hac persuasione paulatim eas cumulaverunt. Ideo varia idola collocata sunt, et mactatae non tantum pecudes, sed etiam humanae hostiae: et instituti sunt multi nefandi ritus, ut Bacchi orgia, plena stuprorum et libidinum. Paulatim enim diabolus ab exemplis initio speciosis gradum facit ad turpiora.

Sed consideremus tempora post praedicationem Apostolorum, quae etiamsi alius aliter distribuere potest, tamen opinor perspicue hoc modo discerni, ut prima aetas ac pura, sit ipsa apostolica, et proxima discipulorum, qui doctrinam nondum dilutam Platonicis opinionibus ac superstitiosis ritibus tradebant.

Secunda aetas est Origenica, in qua iam caligo effusa erat doctrinae de fide, et in Ecclesiis late dominabantur philosophia Platonica et superstitio.

Etsi semper Deus semina purae doctrinae in aliqua parte servat, tamen saepe diu vagantur errores in magna parte Ecclesiae, quos tamen postea Deus emendat, ut post Origenicam aetatem Augustini voce Ecclesia repurgata est. Sit igitur Augustini aetas tertia, in qua ad fontes revocata sunt hominum studia. Sed mox propter bella Gothica et Vandalica dissipatis Ecclesiis, secuta est quarta aetas monachorum, in qua paulatim tenebrae creverunt.

Quid est enim doctrina Thomae aut Scoti, nisi barbaries conflata ex confusione duarum malarum rerum, ineruditae et nimis garrulae Philosophiae, et cultus idolorum, videlicet abusus Coenae Domini, invocationis mortuorum, coelibatus, superstitionum monasticarum.

Etsi igitur, ut antea dixi, tunc quoque Deus semina purae doctrinae in aliquibus servavit: tamen manifestum est, maiorem partem Ecclesiae tenebris obrutam fuisse. Has depellere cepit Deus immensa misericordia, luce Evangelii per Lutherum rursus accensa. Et quanquam multae gentes voci Evangelii adversatae sunt, ut semper accidit: tamen in multis regionibus pia constitutio Ecclesiarum facta est, et integrae doctrinae summa sine corruptelis extat.

Sit igitur haec quinta aetas, in qua Deus Ecclesiam iterum ad fontes revocavit. Estque tanta evidentia rerum, quae patefactae sunt, ut sani omnes fateantur, doctrinam quae sonat in Ecclesiis nostris, vocem Evangelii esse. Nam et illi ipsi, qui iam novis praestigiis eam corrumpere conantur, hoc praetextu populo se commendant: res easdem se adferre dicunt, tantum ritus quosdam externos pacis et concordiae causa restituendos esse. Hanc γοητείαν nisi adhiberent, nemo eos

audiret. Sed vos, qui in studiis doctrinae versamini, mementote custodes vos esse doctrinae coelestis: ac diligenter considerate, quod Deus vobis depositum per Prophetas, Apostolos, denique et iam per Lutherum commendaverit. Si sunt res eaedem, cur isti agyrtae turbant Ecclesias? Si non sunt res eaedem, fateantur nos necessariam habere causam, cur eis non adsentiamur. Non levis res est mutatio doctrinae in Ecclesia.

Et hoc praesertim tempore struuntur insidiae veritati non vulgari sophistica, removentur aliqui manifesti abusus, quos excusare in hac luce Evangelii, summa esset impudentia. Interea tamen retinentur nervi, quibus confirmatis, stabiliuntur iidem abusus in aliis gentibus, et paulatim rursus occuparent animos populi in nostris Ecclesiis. Si audient nostri pueri invocari mortuos, non potest fieri, quin obscuretur doctrina de mediatore filio Dei: postea paulatim fiducia transfertur ad homines mortuos, quod quasi propior sit cum his familiaritas, et quasi magis adficiantur similium et familiarum aerumnis. Sed cum sciamus, quomodo prius in Ecclesia cultus idolorum creverit, initiis occurrendum est, ut in omni medicatione praecipitur. Nihil astute dico, nihil seditiose, sed moneo, ut necesse est, ut puritatem doctrinae bona conscientia tueamur, propter gloriam Dei, propter salutem Ecclesiae, et propter nostram invocationem. Dent veniam nobis homines prophani, qui ignorant conscientiae dolores, si non volumus adprobatione errorum sauciare conscientias nostras, quia talia vulnera non facile medicabilia sunt.

Haec ut iam dicerem, etiam Lutheri recordatio me movit, ad cuius tumulum haec oratio habetur: qui ut caeteras Pauli sententias nos fideliter meminisse voluit, et interpres Paulinae doctrinae planior fuit, quam quisquam alius, cuius extant literae: ita et hanc sententiam nos utraque manu, ut ita dicam, retinere iussit: Bonum depositum custodito per Spiritum sanctum.

Sed cur additum est: Per Spiritum sanctum? qui humana vigilantia non potest cavere omnes insidias. Sed accedat invocatio, ut Spiritu sancto pectora nostra regantur, ut vitare laqueos possint. Te igitur fili Dei, mediator, crucifixe pro nobis et resuscitate, custos Ecclesiae tuae, oro, ut nostri miserearis, et pro nobis apud aeternum Patrem intercedas, et nos Spiritu sancto tuo gubernes, et pia studia doctrinae et eorum hospitia tuearis, nosque adiuves, ut te in aeterna gratitudine et laeticia celebremus. Dixi.

No. 98. an. 1548.

De tribus farinae satis.

In select. Declamat. T. III. p. 443 sqq., in Servest. T. III. p. 421. et apud Richard. T. III. p. 199. Idem in Tomo III. Erford. lit. N, 4. — Mittit eam Mel. amicis d. 8. Oct. 1548.

Oratio de tribus farinae satis, habita in renunciatione gradus Magisterii philosophici a Phil. Melanthone.

Adfirmat Deus se Ecclesiam suam ita servaturum esse, ut cum in vinea non uberrimo tempore, paucae tantum uvae natae sunt, sed adeo pulchrae et gratae colono, ut diligenter eas custodiat, et laetus Deo pro his muneribus gratias agat. Sic cum hactenus et Ecclesias in his regionibus et hunc nostrum hortulum servet, primum vos adhortor, ut pectora et linguae vestrae mecum et gratias agant Deo, et petant, ut deinceps nos servet et gubernet. Non foelices sunt hominum conatus sine auxilio Dei. Sed gemitus et vota ad filium Dei custodem agminis discentium adferamus, et sciamus ea non esse irrita.

Tibi igitur omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, verax, iuste, caste, misericors, gratias agimus, quod hactenus nos servasti, nec casu nos superstites esse sentimus: sed tuae misericordiae tribuimus, quod non deleri nos fontes pateris, quodque discentium coetus aliquos protegis. Ac ardentibus votis te propter filium Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum et resuscitatum oramus, ut deinceps nos serves, et mentes nostras gubernes, ut studia et omnia consilia sint salutaria nobis et aliis, et ut vere simus vasa misericordiae, et te vera gratitudine celebremus.

Haec vota in his congressibus saepe repetenda sunt: non enim existimemus eos prophana spectacula esse, sed disciplinae causa instituti sunt, et ut in Ecclesia, ita in hac frequentia sint praecipui actus, invocatio, et commonefactio de doctrinae studiis, et de disciplina.

Nunc igitur ut accedat commonefactio, enarrabo dictum venustissimum, in quo Ecclesiae et scholarum imago pingitur: Simile est regnum coelorum fermento, quod mulier miscet tribus satis farinae, ut tota massa fermentetur.

Scitis usitatum esse, sumere imagines ex physicis exemplis, quae quidem blandiores sunt, cum a rebus domesticis et ex oeconomia sumuntur.

Ac opposita est haec imago persuasioni pharisaicae, quae cum fingeret regnum Messiae, imperium mundi fore, simile Cyri aut Alexandri imperio, pollicebatur stultae multitudini provinciarum partitionem, ocium, opes, voluptates. Haec quia grata sunt, mirabiliter fascinatae erant mentes hac opinione. Nam quae volunt homines, ea libenter credunt, ut inquit Demosthenes.

Sed contraria imago regni Messiae hic ostenditur. Imo, inquit, Ecclesia non reget imperia mundi, sed erit doctrix, et ut mater familias miscebit aliquot modiis farinae fermentum: id est, animis et pectoribus auditorum inseret doctrinam, ut sensus ac motus animorum ad Deum flectantur.

Ut autem propius aspiciamus hanc imaginem, consideremus unde sumpta sit, et singula verba expendamus. Narratio prorsus similis est in Genesi de convivio, in quo Abraham excipit tres viros, inter quos erat filius Dei, ubi mandat matrifamilias, ut cito coquat panes ex tribus farinae satis, et mactat ipse tenerum vitulum.

Movet me narrationis similitudo, ut existimem Christum eius convivii memorem, inde sumpsisse hanc imaginem, et quasi deducere auditores ad considerandum illud ipsum convivium, quod etiam imago est Ecclesiae. Abraham sacerdos mactat vitulum, qui significat venturam victimam: materfamilias panes, id est, doctrinam distribuit. Assidet ipse filius Dei, qui semper adest Ecclesiae suae, et convivas suo sermone recreat, et promissionem praecipuam repetit. Intellexit Abraham quid ageretur, nec similem duxit esse eam coenam quotidianis officiis, erga alios hospites, sed agnovit Dominum, quem sciebat Ecclesiae custodem esse, et fore victimam pro nobis. Hunc cernunt oculis Abraham et Sara, huius pectus et genas dulcissimo complexu premunt, hunc audiunt concionantem de miranda promissione, et de iudicio Dei.

Et quia fiunt illustriores historiae, consideratione locorum, locum etiam oculis aspicite in tabulis vestris. Hic festus dies, et haec panegyris celebrata est in Hebron, quae deinde Mamre nominata est, quae distabat quinque miliaribus Germanicis, et paulo amplius a Hierosolyma: fuitque postea ipsi Abrahae, Isaac et Iacob, sepulturae locus, quasi ut expectarent corpora in eo ipso vestigio vitae restitutionem, in quo promissio edita erat.

Cum autem non dubium sit, huius coenae recordationem suavem fuisse ipsi hospiti, saepe multumque cogitanti de patribus, tanquam de dulcissimis amicis: consentaneum est inde narrationem in Evangelio sumptam esse, nosque velut ad eius coenae considerationem, imo ad has ipsas epulas deduci. Arbitror etiam coenae institutae in Ecclesia typum fuisse illud ipsum convivium.

Sed undecunque sumpta est narratio in Evangelio de tribus satis, verba certe congruunt, et idem significant. Nunc partes recitemus.

Fermentum significat doctrinam. Et cum propter similitudinem tales fiant collationes, considerandum est, quae sint utilitates fermenti, et in pane, et in corpore hominis nutriendo. Fermenti effectus sunt in pane, inflare, rarefacere et attenuare. Haec primum eo conducunt, ut in pane singulae partes recte et aequaliter coqui possint. Deinde nostris corporibus utilior est panis rarior, tenuior, levior, ac aequabiliter assatus: facilius enim arripit natura nostri corporis attenuatas et rarefactas partes, et ipsa mixtura fermenti rarefactionem in ventriculo adiuvat. Deinde et sapor ex acido et salso mixtus, concoctionem irritat et acuit. Figit etiam et quasi glutinat nutrimentum. Cum igitur multae et magnae sint utilitates fermenti, Galenus aliquoties dicit, minime salubres esse panes non fermentatos.

Iam ad doctrinam fiat collatio dextre, non exiliter et curiose.

Flatus et motus novos doctrina exuscitat in pectoribus, et squalorem cordis nostri discutit, et firmum nutrimentum est animarum, novam vitam et laeticiam quasi succum novum gignens.

Sed cur tria sata sunt? Hic primum moneo rudiores, satum Ebraicam appellationem esse mensurae, quae fere duos modios veteres Romanos continet. Tria igitur sata pene medimnum efficiunt, qui congruit cum usitata Lipsica mensura, cui a scapha nomen est: quae tantum farinae continet, quantum semel in mediocri familia pinsitur. Nec dubito, numerum certo consilio et in Genesi

scriptum esse, et postea repetitum, ut lectori non hebeti discrimina aliqua in audientibus significarentur.

Nec mihi displicet, quod aliqui tria tempora intelligunt, coetum vocatum ante diluvium, coetum vocatum post diluvium usque ad resurrectionem Christi, et deinde coetum, qui vocatur inde usque ab Apostolis ad finem mundi.

Sed cum vires praecipuas in natura hominum considero, aptissime accommodari ad eas hic numerus videtur. Res enim in conspectu est, tres praecipuas vires Evangelio in eas infuso emendari et renovari: ἡγεμονικὸν, θυμικὸν, καὶ ἐπιθυμητικὸν.

Ac ut de singulis pauca dicam, etsi gloriosum nomen est summae partis, quae vocatur ἡγεμονικὸν, tamen in ea multum est caliginis et vitiorum, retinet mens etiam in hac vitiosa natura noticiam aliquam legis, ut numerorum, aut figurarum. Sed tamen sine Evangelio de filio Dei, magnae tenebrae sunt in mente. Alii furenter negant esse Deum, tollunt providentiam, et discrimen recte et secus factorum: alii in perpetua dubitatione manent. Alii ludunt fingendis novis numinibus infinitis. Neque hi errores tantum grassabantur inter Ethnicos. Sed omnium aetatum atque hominum sine luce Evangelii similes sunt errores de Deo, et de invocatione. Et multitudo semper favet iis opinionibus, quibus innutrita est, ut dicitur: πᾶν τὸ σύντροφον γλυκύ.

Nec raro peccat ἡγεμονικὸν specie sapientiae: ut cum politici gubernatores attemperant religiones ad imperia, et pacis causa laxant dogmata: ut in Synodo Syrmiana tollebatur ὁμοούσιον ex symbolo, et inserebatur ὅμοιον, ut symbolum utrique parti, velut cothurnus utrique pedi convenire videretur.

Deinde in secundo et tertio gradu virium hominis quanta sunt incendia pravarum cupiditatum, ambitiones, aemulationes, odia, malevolentiae, livores, cupiditas vindictae, dolores propter repulsam, avaritia, libidines? Nec est ulla tam moderata natura, quae non sentiat aliquas errantes cupiditates.

Cum autem doctrina Evangelii velut fermentum viribus nostris miscetur, iam quasi flatus novi fiunt. Mens incipit recte agnoscere Deum, et statuit summa reverentia audiendam esse vocem Dei, ad hanc normam iudicia omnia, et omnes motus cordium convenire oportere. Non ludit opinionibus de Deo, ut Philosophi, aut idolorum plastae: non inflectit doctrinam ad politicas opiniones, sed reverenter acquiescit in voce patefacta a Deo.

Deinde et in corde fit quasi succus novus, dilectio Dei, studium quaerendae veritatis, et tuendae tranquillitatis in Ecclesia, benevolentia erga omnes, modestia reprimens ambitionem, mansuetudo condonans communi tranquillitati iniurias.

Sint igitur haec, ut dictum est, tria sata ἡγεμονικὸν, θυμικὸν, et ἐπιθυμητικὸν, seu mens, voluntas, et cor in homine, quibus misceri fermentum, id est Evangelium, oportet, ut melior succus in nobis fiat.

Quo autem modo fiat haec conversio, ex communi doctrina de poenitentia scitis. Cum doctrina arguit peccata, corda expavescunt, ita velut acido et salso sapore roduntur.

Deinde cum accedit consolatio, audita promissione, redditur vita et laeticia, quasi novo succo infuso. Neque haec subito perficiuntur, sed longa et assidua subactio et assatio fiat: et quod verbis Ebraeis in Genesi diserte significatum est, studiose legenda, audienda, meditanda est doctrina coelestis, et in quotidianis miseriis ad invocationem et vera exercitia transferenda. Hoc est subigi farinam, et assari in cineribus, id est, inter varias aerumnas: quibus commonefacti, agnoscamus iustam et magnam esse iram Dei adversus peccata in toto genere humano, et velut in cineribus abiecti et summissi, deploremus nostra delicta, et petamus nos servari propter mediatorem. Sicut in cineribus iacebant exules Ieremias et alii, cum incensa patria, tota gens miserabiliter dissiparetur.

Haec admonitio de assiduitate subactionis, accendat in nobis diligentiam et curam discendi, sciamus non subito rerum maximarum doctrinam totam arripi. Nec sumant sibi potestatem dogmatae condendi in Ecclesia Dei, homines ociosi, qui utcunque obiter degustarunt doctrinam.

Et quoniam imago panum praecipue ad scholasticos pertinet, vocabula etiam interpretabimur, quid vocaverit antiquitas panes in cineribus assatos. Differunt panes materia, differunt et modo assationis: ac nimis longum esset omnia persequi. Tantum hoc addam: Alii panes κλιβανῖται, id est, furnarii dicti sunt, nostro more in furnis assati

sunt: quos quidem meliores esse, Galenus dicit. Sed ars est recentior. Alius modus fuit vetustior, in foco inter cineres, vel in testa assari panes. Hi dicuntur ἐγκρύφιαι, quasi testi cineribus, quorum saepe fit mentio in Graeca lectione propheticorum librorum. Et in Levitico in quadam descriptione oblationis satis concinna allegoria traditur a Graecis interpretibus, panem ἐγκρυφίαν typum esse Christi in sepulchro, tanquam inter cineres iacentis.

Sed in aliis locis ad nos auditores, proprie ac commodanda est figura. Nos sumus ἐγκρύφιαι obruti cineribus, squalidi, aerumnosi: sed hanc consolationem teneamus, Deo placere haec doctrinae studia, eumque custodem esse sui coetus, et semper agmina aliqua discentium servaturum esse, et colligi hoc modo aeternam ipsi Ecclesiam. Hac confirmati consolatione, has scholasticas operas et amemus, et studiose faciamus, et Ecclesiae ac posteris Philosophiam et doctrinam de Deo incorruptam tradamus. Dixi.

No. 99. an. 1548.

De dicto: Ego pro te oravi etc.

In select. Declamat. T. III. p. 497 sqq., Richard. T. III. p. 315., Servest. T. III. p. 472. et in Tom. III. Erford. lit. F, 5. Item in Georgii Principis Anhaltini concionibus et scriptis p. 421.

Oratio [synodica] de dicto Christi, Luc. **22.**: *Ego pro te oravi, ne deficiat fides tua etc.* (Recitata a Georgio Anhalt. in Synodo d. 7. Nov. 1548.)

Etsi ingens Dei beneficium est, quod genus humanum et hoc domicilium generis humani, videlicet, hanc pulcherrimam machinam coeli et terrae, et elementorum arte dispositam, et optimo ordine distributam, condidit: tamen multo maius beneficium est, quod ex arcana sede sua prodiens, patefecit se generi humano, et illustribus testimoniis tradidit certam doctrinam et promissionem, quae et regeret mentes, et consolationem efficacem ostenderet in summis calamitatibus, imo quae esset testimonium praesentiae Dei inter nos, qui hac ipsa voce nos sibi copulatos servat, defendit, et ab aeternis miseriis liberat. Hoc ingens beneficium assidue considerandum est, et ad hanc praecipuam consolationem in omnibus miseriis confugiendum est.

Cum igitur nunc et praesentes aerumnae multae duriter premant Ecclesiam, et in conspectu sint alia ventura pericula, et res ostendat praesidia et consilia humana non posse nobis opitulari, faciamus illud quod rex Iosaphat inquit: Domine cum nescimus quid agendum sit, oculos nostros ad te attollimus, in te intuemur, a te auxilium petimus. Itaque audiamus vocem Dei, monstrantem veras consolationes, et nos cogitatione praesentiae et auxilii Dei erigamus et confirmemus.

Scitis autem hos nostros congressus institutos esse propter has tres causas, ut fiat inquisitio de doctrina et de gubernatione Ecclesiarum: deinde ut et commonefactione excitetur diligentia, et in aliquibus consolatione leniatur dolor. Postremo, ut gemitus et vota coniungamus in publica precatione, et petamus, ut Deus servet Ecclesiam, et poenas mitiget.

Ut igitur et mihi ipsi et aliis consolationem et commonefactionem proponam, delegi dictum filii Dei, in quo ante agonem Petro commemorat periculum, et deinde consolationem et praeceptum addit, inquiens: Simon, Simon, ecce Satanas depoposcit vos, ut cribraret vos tanquam frumentum; ego autem pro te oravi, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

Saepe haec narratio cogitanda est, quia res multas et magnas continet. Primum recitatur periculi magnitudo, quod quale et quantum sit, mentes ebriae fiducia suae sapientiae, lascivientes voluptatibus, nequaquam considerant. Sibi igitur indulgent, quaerunt opes et voluptates, ardent ambitione, aut ludunt opinionibus, et negligunt doctrinam a Deo traditam. Talia pectora diabolo cum pateant, sequuntur infinitae confusiones in vita: quia alii spargunt prophanas opiniones, alii munus docendi Evangelii prorsus negligunt. Ita paulatim et distrahuntur Ecclesiae, et crescunt tenebrae, et multa tetra vitia.

Monet igitur nos filius Dei de insidiis diaboli, ac vult nos vigilantes esse, et bene munire pectora lectione et meditatione doctrinae, ardere invocatione, et repellere illecebras diaboli. Quod cum facimus, adiuvat nos conantes filius Dei, orat aeternum Patrem, ut servet Ecclesiae reliquias, depellit diabolos, et Spiritu suo sancto nostras mentes, consilia et actiones gubernat.

Cum autem pericula nostra nunc non sint obscura, existimo multos inter vos cogitatione

eorum valde excruciari. Videtis enim passim Ecclesiis inferri corruptelas doctrinae, vagari pios pastores, exulantes cum miseris et aegris uxoribus et parvis liberis, sine viatico, sine hospitiis. Alicubi capti expectant ultima supplicia.

In his tantis miseriis cum praesidia humana aut nulla, aut infirma sint, qua nos consolatione sustentare possumus? Hic sciamus, non casu, non humanis tantum consiliis Ecclesiam collectam esse, sed Deum vere patefactum esse generi humano, et illustria testimonia patefactionis ostendisse, resuscitationem mortuorum et alia miracula: ac certo promisisse sibi hunc coetum, qui Evangelii custos est, semper curae futurum esse, et quidem semper se talem aliquem coetum in genere humano servaturum esse, se ducem et protectorem fore familiarum nostrarum, in nostris exiliis se monstraturum esse hospitia, se post hanc vitam traducturum esse nos ad dulcissimam aeterni patris et Ecclesiae coelestis consuetudinem, ac verba promissionum infigere animis. Sic enim inquit Deus Esaiae quadragesimo sexto. Ego vos etiam senescentes gestabo, ego feci, ego feram, ego portabo. Item: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te enutriet. Et filius Dei inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Item: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Etsi autem homines Epicurei has consolationes derident, et inanes verborum sonos esse iudicant, tamen luceat in nobis fides. Nostra constantia declaremus, nos revera Deo credere, ab ipso petere et expectare auxilium. Si adfirmamus serio, non commenticiam, non fabulosam esse doctrinam Ecclesiae, statuamus etiam has promissiones veras et ratas esse. Accendatur in nobis aliqua fidei scintilla, petamus et expectemus a Deo auxilium: et hac spe simus in confessione veritatis firmi, etsi quid erit patiendum, non frangamur animis, non irascamur Deo et Evangelio, non superemur dolore, sed sustentemus nos cogitatione praesentiae Dei.

Haec est propria Ecclesiae militia, in qua et discit quid sit fides, et cultus Deo gratos et λογικὴν λατρείαν praestat. Vocat enim Deus Ecclesiam ex confusissima multitudine generis humani, et vocat non ad ludos et ad delicias, sed ut in magnis certaminibus de iudicio et voluntate Dei, et de mediatore Domino nostro Iesu Christo testimonium coram universo genere humano dicat.

Huic testificationi diabolus, qui odit Deum, horribiliter adversatur, quare ut initio praedictum est, saevitiam in Ecclesiam exercet, et calcaneos nostros mordet, ac impellit sua organa, ut delere veram Ecclesiam conentur. Itaque alii alias aerumnas sustinent: subeunda sunt odia, tolerandae contumeliae, ferendae miseriae exiliorum, et supplicia. Sed hic imbecillitas nostra gemens, et fugitans haec mala, queritur tanto oneri non esse pares nostras vires. Haec querela et vera et laudanda est. Nam agnoscere imbecillitatem, pium et utile est, ut quaeramus opitulatorem. Hic audi filium Dei, qui utrumque adfirmat, sese pro nobis deprecatorem esse, et sese nobis adfuturum esse in his aerumnis. Non relinquam vos orphanos, inquit. Et Paulus ait: Responsum mortis in nobis habuimus, ne fiducia nostri extollamur, sed confidamus in Deo, exuscitante nos ex morte: qui et ex tanta morte nunc nos eripuit, et erepturus est. Et aliquanto post inquit: Deo gratia, qui semper triumphat in nobis per filium.

Ideo Ecclesia sustinet onera maiora viribus, ideo desunt humana praesidia, ut conspiciatur praesentia Dei. Non solus vagaris in exilio, sed antecedit filius Dei, et cinctus es casto agmine angelorum. Erit metator et ipse filius Dei, et ostendet hospitium. Haec vera esse, fides statuit: et quorum animi hanc consolationem non admittunt, in his non accensam esse fidei lucem, eo ostendunt, quia promissiones divinas existimant inanes sonos esse.

Nos vero etsi sumus languidi et imbecilles, tamen erigamus nos voce Dei, et adsentiri conemur, et sciamus hunc conatum a Deo adiuvari, sicut ille in historia evangelica inquit: Credo domine, sed opem feras diffidentiae meae.

Postquam autem de consolatione dixi, venio ad alteram partem, videlicet ad hoc dictum: Et tu conversus, confirma fratres tuos. Haec vox praecipit omnibus, ac praecipue gubernatoribus, ut et docendo et consolando pios labascentes aut trepidantes erudiant et confirment. Multi omnibus temporibus decepti sunt: quia errores fucosa specie ornati, non possunt ab omnibus agnosci.

Quare eruditiores prudenter et recte diiudicent controversias, detegant fucos, proponant nu-

dam veritatem, non alant studia factionum, non quaerant plausus sui theatri: sed curent extare et conspici res veras, ut gloria Dei celebretur, et Deus vera invocatione colatur, nec abducantur mentes a vero Deo. Talis explicatio rerum et necessaria est, et difficilis et periculosa: sed docti sciant se hoc officium Deo debere. Hi meminerint has severissimas conciones: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor eum et ego coram patre coelesti. Item: Qui non colligit mecum, dispergit. Item: Labia sacerdotis custodiant scientiam. Item: Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, hoc est, qui aut sciens cedit hostibus Evangelii, imbecillitate animi: aut qui ipse sophismatum praestigiis involvit veritatem, et confirmat errores.

Quare in docendo et in discendo simus diligentiores, nec sinamus induci caliginem veritati nunc in Ecclesiis lucenti. Sed cum res sint difficiles, adhibeatur etiam cura, ut et ipsi eas recte discamus, et aliis dextre et proprie explicemus.

Aliqui indocti stolide vociferantur de rebus non intellectis, nec veritatem et gloriam Dei illustrare student, sed stultis vulgi adfectibus adsentantur, dicunt convicia in magistratus. Hoc modo nec erudiuntur, nec confirmantur boni, sed irritantur voluntates potentum, quod non est utile. Vincant in docendo, non convicia, non nostrae tragoediae, aut satyrae, sed autoritas divina, vox Dei, et ipsa veritatis perspicuitas. Certe qui non vult cedere autoritati divinae, nunquam cedet ineptis conviciis, quae homines sani et prudentes, etiam cum vere dicuntur, tamen non sine dolore audiunt. Amemus utranque virtutem veritatem et modestiam: doctrinam ornemus gravitate et modestia.

Plerumque etiam fit, ut indocti propterea quia res desunt, pro argumentis convicia cumulent, et hac ipsa vociferatione suam inscitiam traducant, et causae noceant apud eos qui argumenta postulant. Sciunt prudentes, non temere, non sine perspicuis testimoniis divinis recipiendum esse dogma ullum: quia Deo reddenda est ratio de approbatione et reiectione dogmatum. Sciunt et hoc: Qui cito credit levis est corde. Ideo fundamenta vera et divina testimonia prudens auditor flagitat.

Extruantur ergo conciones ex veris fundamentis: sint argumenta adeo perspicua, ut convinci animos intelligant omnes sani, et sine calumniis iudicantes. Deinde cum de doctrina confirmatae sunt mentes, addatur consolatio: Quia etiam recte eruditi, tamen saepe in confessione sunt trepidi, metuunt vel sibi vel suis familiis, vel amicis: vel metuunt maiores confusiones publicas, vel nolunt videri nimis morosi, duri, hostes concordiae et pacis, denique multa argumenta humana debilitant animos. Hic etiam magnitudo bonitatis divinae consideretur.

Promisit aeternus Pater se ex pectore suo effusurum esse Spiritum sanctum in nos, ut et lucem veritatis in mentibus accendat, et cordi robur addat, et exuscitet impetus, ut testificari de veritate fortiter ausint, nec deterreantur minis aut metu, imo ne decipiantur blanditiis potentum, nec capiantur laqueis sophismatum. Pugnat enim diabolus variis modis, astutia, blanditiis, terroribus. Nec aut doli tantum humana sapientia deprehendi et vitari, aut ruinae humana fortitudine contemni possunt: sed Deus addidit nobis doctorem, et confirmatorem Spiritum, ex suo pectore effusum.

Quid autem maius et melius dare potest Deus, quam quod et filium nobis donavit, et societatem suae naturae, cum in corda nostra Spiritum sanctum effundit: quem quidem effundi in vos, si modo petitis, nullo modo dubitate. Sic enim scriptum est: Quanto magis dabit pater coelestis Spiritum sanctum petentibus?

Hac consolatione nosipsi nunc quoque confirmemus nos, et petamus et expectemus gubernationem, defensionem, auxilium in his nostris periculis.

Te igitur fili Dei Domine Iesu Christe, oramus supplices, ut cum professus sis, te precatum esse, et precari pro Ecclesia tua, deprecator sis et pro nobis: qui cum Evangelium tuum reverenter audiamus et fide amplectamur, certe sumus Ecclesiae tuae membra: et non relinquas nos orphanos, sed erudias, regas, defendas et confirmes nos. Colligas etiam tibi Ecclesiam in his regionibus et serves eam, ut te celebret vera pietate, gratitudine et laeticia in omni aeternitate. Dixi.

No. 100. an. 1548.

De dicto: Posui verba mea etc.

In select. Decl. T. III. p. 609., Richard. III. p. 223., Servest. III p. 577. et in Georgii Principis Anhalt. concionibus et scriptis p. 415 b. Nam est oratio synodica, Georgio Anhaltino scripta, qui eam recitavit in synodo Merseburgi d. 28. Maii 1548. Vid. etiam Epp. Vol. VI. p. 906 et 916.

Oratio [synodica] de dicto Esaiae 51.: Posui verba mea in ore tuo etc.

Condidit Deus genus humanum ad societatem, et generatione, educatione, institutione, contractibus, imperiis, et multis magnis et mirandis vinculis societatem devinxit. Vult enim consociatos esse homines, ut simul unam vocem doctrinae de Deo sonent, et alii alios erudiant. Ideo et coetus esse Ecclesiam voluit, et ita instituit ministerium, ut publici et honestissimi congressus fiant. Vult enim agnosci filium a toto genere humano, vult ubique exaudiri vocem suam, sicut Psalmus inquit: In omnem terram exivit sonus eorum. Non vult Evangelium esse arcana Eleusinia, non vult homines seiunctos, et abditos in latebras, gignere suas quasdam opiniones, sed congregationem et instituit, et praecipit, ut Psalmi saepe dicunt: In medio Ecclesiae laudabo te. Et: In conveniendo populos et reges in unum, ut serviant Domino. Addidit etiam promissionem congressibus: Ubicunque duo aut tres convenerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Haec cum ita sint, decet nos cum alios publicos Ecclesiae congressus pie amare, tum vero libenter his nostris conventibus interesse, qui ad retinendam doctrinae puritatem et concordiam utiles sunt. Ac profecto nihil in vita hominum pulchrius et dulcius est, quam multos bonos et doctos viros convenire, et de doctrina coelesti amanter colloqui, conferre sententias, et illustrata veritate, sese et alios ad fidem, timorem Dei, et ad invocationem exuscitare, et ita confirmare mentes, ne a Deo aberrent, neve in Ecclesiis limpidos fontes doctrinae turbari sinant, admistis falsis opinionibus.

Necesse est autem eos, qui praesunt conventibus, commonefacere alios de nostro officio, ac praecipue de cura discendi, et retinendae puritatis doctrinae. De hoc argumento, etsi saepe alias a me dictum est, tamen et nunc, ut idem argumentum repetam, temporum periculis moveor.

Quandocunque Deus tradit aut renovat doctrinam, statim obruere eam Diabolus, ut Deum contumelia afficiat, conatur. Ut offudit nebulam Hevae, ut eam a voce divina abduceret. Ita postea saepe omnibus aetatibus inductae sunt tenebrae coelesti doctrinae. Ac vidistis hac nostra aetate fanaticos multorum furores. Talia pericula in hac hominum imbecillitate semper metuenda sunt, et adversus ea non solum eruditione, et nostra vigilantia, et constantia mentes muniendae sunt, sed etiam Deus orandus est, ut ipse insidias, quae saepe struuntur singulari astutia, depellat. Accedere tamen in nobis discendi curam oportet, quam saepissime praecipit vox divina. Sed summa est talium praeceptorum in his verbis: Prehendite clypeum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi spiritus ignita extinguere.

Ut autem alias, ex aliis dictis commonefactionem sumpsimus, ita nunc vobis proponam hoc dictum, quod apud Esaiam legitur, ubi Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi inquit ad Evangelii Doctorem: Pono verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos.

O dulcem concionem universo generi humano, quae primum docentibus, familiarissime nota esse debet, deinde et populo saepe recitanda est. Affirmat enim colligi Ecclesiam doctrina divinitus tradita, et defendi dextra Dei ministerium et coetus discentium, et quis sit ministerii evangelici autor ac defensor, et quae sit utilitas monstrat. Haec quotidie omnibus piis, maxime vero docentibus cogitanda sunt.

Exordiar autem interpretationem dicti a fine seu effectu ministerii, de quo concionatur, videlicet ab hac particula: Ut plantes coelos. Nominat Deus Ecclesiam, coelestem hortum, quia ad consuetudinem aeternam cum Deo et filio eius colligitur. Ea consuetudo vincit amoenitate non solum caeteros hortos omnes, et politias cunctas quaecunque fuerunt, sed etiam primum illum hortum, in quo genus humanum conditum est. Ac semper omnibus in conspectu sit hic finis, et haec meta. Semper cogitemus, et conditos esse homines, et per filium Dei ex aeterno exitio retractos, et voce divina vocari ad hunc portum, ut in omni aeternitate, conspectu Dei, et societate sapientiae et iusticiae eius fruamur.

Hunc finem prospicere et expetere, et anteferre omnibus aliis rebus oportet, qua in conside-

ratione causae quaerendae sunt, quomodo et quibus ductoribus ad hunc finem perveniri possit. An ad omnes homines pertineat tantum munus? Hic initium sententiae considerandum est. Ut possit genus humanum ad vitam coelestem redire, Deus immensa misericordia promissionem edidit, in qua iurans affirmat, se propter filium, qui est Mediator, et pro nobis victima factus est, recepturum esse omnes, qui ad hunc filium confugiunt, et fiducia filii credunt, iustissimam iram aeterni Patris placatam esse. Hac promissione semper inde usque a primorum parentum lapsu revocavit ad se omnes homines. Cum enim Deus sit verissime iustus, aequalem esse, et sine *προσωποληψία* non dubium est. Vocat omnes, et quod ad ipsius voluntatem attinet, vult omnibus reddere salutem.

Nec audiendi sunt Stoici, qui fingunt Deum inaequalem esse, et paucos quosdam in fatalibus tabulis scripsisse, quos etiam invitos et repugnantes ad se attrahat, caeteros vero reiici, etiamsi ad filium confugiant.

Removeantur hae Stoicae imaginationes, et sciamus Deum immensa misericordia omnibus hominibus aequalem esse. Sed quod multi aspernantur vocem divinam, id fit hominum culpa et contumacia. Interea tamen semper aliquis est coetus, qui vocem divinam audit, et promissione divina confirmatus, filium, Dominum nostrum Iesum Christum agnoscit, et ad Deum accedit, eumque vere invocat, et ei obtemperare incipit. Hic coetus est Ecclesia Dei propria, et est hortus ille coelestis, de quo dixi. Sic igitur huic horto plantae inseruntur, sic educuntur; sic homines ad Deum redeunt, quia Deus ipse ministros, tanquam horti sui Colonos, constituit, quos iubet sonare vocem Evangelii sui. Hac voce divina Ecclesia colligitur. Ideo inquit apud Esaiam: Pono verba mea in ore tuo. Colligitur Ecclesia Dei aeterna, non hominum sapientia, non legibus Solonis aut Lycurgi, non decretis Regum, Pontificum, Principum, aut ullorum, quamvis sapientum, alienis ab Evangelio, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Nihil dici tristius potest. Nam Anathema vocantur homines reiecti a Deo, quibus adeo horribiliter irascitur, ut nisi tollantur, poena simul totas gentes, contagio pollutas, obruat.

Cum igitur Deus vos ad ministerium Evangelii vocaverit, mementote hoc dictum: Pono verba mea in ore tuo. Sciamus doctrinam a Deo traditam, aliis proponendam esse, non fingendas opiniones nostra curiositate, vel audacia, non amplectendas esse corruptelas accommodatas potentum cupiditatibus, ut eorum gratiam ineamus, ut saepe accidit.

Magna multitudo fuit ex multis gentibus collecta, quae statuam regis Babylonici adoravit. Multi Iudaei Bacchanalia Ierosolymae celebrarunt, ut Antiocho gratum facerent.

Fuit Ecebolus quidam orator, qui regnante Constantio, ut gratior esset Imperatori, voluit inseri Ecclesiae Christi. Postea regnante Iuliano, Imperatoris impietati applausit, et rursus palam hostis fuit Christianorum, et saevitiam adversus eos adiuvit. Tertius Imperator secutus Iovianus: hunc ut placaret iratum, rediit ad Christianos, religionum speciem semper ad tempora et dominos accommodans.

Non putemus autem paucos aut fuisse antea, aut nunc esse Ecebolos, qui se ad praesentem potentiam inflectunt, et speciem religionum mutant pro temporibus, ut Chamaeleon subinde alium colorem induit. Praecipue autem talis inconstantia in doctoribus perniciosa est, ut saepe ostendit experientia.

Quare vos, carissimi fratres, propter Deum et propter salutem vestram, et propter Ecclesiam obtestor, ut memores huius dicti: Pono verba mea in ore tuo. Custodes vocis divinae maneatis fideles et firmi, nec aliam doctrinam pugnantem cum Evangelio, quod ipsi hactenus docuistis, et scitis vere Dei vocem esse, recipiatis. Omnibus aetatibus diabolus insidiatur Ecclesiae Dei, et artificia tentat varia, ut praestigiis obruat veritatem, et Deum contumelia afficiat, et multos homines a Deo avellat. Quare non existimemus hoc tempore nihil esse periculi, sed nos ipsos exsuscitemus ad maiorem vigilantiam in cavendis imposturis, et ad curam cogitandi de fontibus doctrinae. Et simul oremus filium Dei, ne sinat extingui lucem doctrinae suae in his regionibus, sicut de Petro inquit: Oravi pro te Petre, ne fides tua deficiat. Nam profecto astutissimorum et fallacissimorum spirituum insidiae sola humana diligentia non satis caveri possunt. Sed affirmat filius Dei sese nobis affuturum esse, et gubernaturum mentes nostras, et consilia Spiritu sancto ex suo pectore in nos effuso, qui sit ductor ad omnem veritatem, ut ipse inquit.

Redeo autem ad dictum, quod ex Esaia citavimus. Improbat Deus alienam doctrinam a sua, cum ait: Mea verba vobis commendabo. Addit autem diserte: In ore tuo. Hic publicum vocis nostrae ministerium instituit, et ad hanc vocem in publicis congressibus audiendam omnes homines vocat. Hac voce Deus est efficax in genere humano, ut Paulus inquit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Ridiculum videtur non Epicureis tantum, sed etiam universae hominum sapientiae, quae aliena est a Deo, miserorum hominum docentium in Ecclesia voce in mentibus hominum, inchoari aeternam lucem, iusticiam et vitam. Sed haec est propria sapientia Ecclesiae Dei, divinitus patefacta.

Affirmat Deus se non velle totum genus humanum funditus perire, sed hoc modo restituere iusticiam et vitam aeternam omnibus, qui Evangelium amplectuntur. Hac luce regi nos sinamus in hac tristi caligine huius vitae; hac consolatione nos in magnis aerumnis et doloribus sustentemus, ac certo statuamus vere nobiscum colloqui Deum voce ministerii, certo nobis dare bona, quae vox ministerii nobis promittit. Denique ut foetus immaturus in alvo matris, antequam editur in lucem, sedet involutus fasciolis suis, et illo suo mirando domicilio, et victitat succo, quem attrahunt Cotyledones, ita nos in hac vita sciamus velut involutos verbo Dei esse oportere, et coelestis vitae succum attrahere per vocem ministerii.

Quare non solum Epicurei execrandi sunt, qui totam de Deo doctrinam fabulosam esse vociferantur, sed etiam hypocritae fanatici damnandi sunt, quales fuerunt olim Enthusiastae, et nuper Anabaptistae, qui cum ignorent quid sit fides, nec discant acquiescere in promissione divina, sibi ipsi fingunt afflatus, et ex suis imaginationibus de Dei voluntate statuunt. Has tenebras intelligi et vitari necesse est, et contra vox ministerii amanda et veneranda est, ac lectio librorum audienda et cogitanda est, atque ita fides accendenda, cum mentes in promissionibus acquiescunt, ac certo statuunt hanc esse voluntatem Dei, quam coelestis sermo proponit. Haec commonefactio quam necessaria sit de dignitate ministerii, et usu vocis divinae, pii experti exercitia poenitentiae, et consolationes in veris doloribus intelligunt.

Non possum in tanta rerum amplitudine de singulis partibus satis copiose dicere, sed breviter significo, quo dictum, quod ex Esaia recitavi, referendum sit.

Restat autem haec pars: Et umbra manus meae protegam te. Antea dixit colligi Ecclesiam voce divina ministris commendata. Sed cum magna pars generis humani non obtemperet Deo, et non solum doctores Evangelii, sed etiam totos discentium coetus delere conetur, inter saevissimos hostes, quae vitae spes esse potest? ubi erunt hospitia discentibus, pueris, mulieribus? Quomodo ad posteros propagari doctrina potest, si nulla certa et durabilis studiorum sedes est unquam.

Hac sollicitudine angi nos humanum et iustum est. Erigit igitur Deus anxias mentes addita ad constitutionem ministerii, promissione dulcissima. Ego, inquit, umbra dextrae meae te protegam. Prohibebunt spargi vocem Evangelii Reges et Pontifices, qui ideo defendunt sua idola, quia nervi sunt potentiae et opum. Nec tantum expellent vos ex vestris sedibus, sed etiam multos interficient. Interea tamen ipse coetus aliquos semper servabo, et hospitia attribuam studiis piae doctrinae, etiam cum deerunt humana praesidia.

Texit Deus sine praesidiis humanis in Iudaea matronas, ingeniis, virtute, forma excellentes, Mariam, Elizabeth, Annam, et harum similes alias multas, cum tamen illo ipso tempore vagarentur in tota regione exercitus multarum gentium, quarum singularis est petulantia, Syriaci, Aegyptii, Arabici, Parthici, Romani, et alii, et omnia ibi latrociniorum et stuprorum plena essent. Interim Elizabeth, in suo vico filiolum Ioannem collocabat in cunas, et basiolum fronti aut genis affigebat, et operis domesticis vota miscebat, septa castis angelis, qui in excubiis erant, et propter hoc tuguriolum a toto vico grassantes milites arcebant. Ita nunc custodiet Deus aliquas familias et regiones, in quibus vera fit invocatio.

Non existimemus genus humanum tantum humana sapientia regi ac servari, ut Philosophi disputant. Sed sciamus Deum inspectorem esse omnium piorum et impiorum, et quanquam summa imperia fere semper tenent impii, tamen interea non sinit Deus in toto genere humano extingui noticiam filii sui, et veram invocationem, sed servat aliquod semen sanctum, ut nominat Esaias, idque inter magna pericula mirandis modis defendit, ut agnosci praesentia Dei possit. Ideo filius Dei iubet nos expectare defensionem divinitus,

inquiens: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Estque inter vera pietatis officia, hoc ipsum, petere et expectare a Deo, familiae et hospitii tui incolumitatem, et interea retinere constantiam in explicatione vera et modesta doctrinae, ac animo paratum esse ad tolerandas iniurias propter veritatis propagationem. Talis si erit vita, eventus ipse testabitur, Deum custodem esse nostrarum familiarum.

Scitis et promissiones, in quibus Deus pollicetur nobis defensionem, et mandata, ut incolumitatem divinitus petamus et expectemus, saepe repeti, ut in his dictis: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit. Item: Ego vos etiam senescentes gestabo. Haec oracula divina non existimemus inanes sonos esse, sed hac ipsa consolatione fidem in nobis accendamus, et spe coelestis auxilii constantiam in doctrinae professione retineamus.

Ad hoc opus praecipue condita est hominum natura, ut in nobis luceat vera Dei noticia, et ut hanc propagemus, ac nostra obedientia testetur nos sine simulatione de Dei voluntate et iudicio sentire, vera esse quae docemus.

Hunc finem omnium vitae officiorum, et hoc summum opus non negligamus, in quo, ut gloriam Dei illustremus, et toti Ecclesiae utiliter serviamus, adiuvari nos a Domino nostro Iesu Christo, toto pectore oro.

Hanc brevem commonefactionem saepe vos in animis vestris repetite, vosque ipsos ad amorem ministerii evangelici excitate, et in his communibus aerumnis consolamini cogitatione talium dictorum, quale hoc est apud Esaiam: Pono verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos.

Ut autem quotidie his cogitationibus misceri gratiarum actionem et preces necesse est, ita nunc quoque addamus huic commonefactioni gratiarum actionem et precationem.

Tibi igitur omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, gratias agimus, cum pro omnibus aliis beneficiis, tum vero pro immensa misericordia, qua nos miserrimos homines propter filium tuum recipis, et voce Evangelii tui hanc voluntatem tuam patefacis, et nobis salutem reddis, et in his ipsis regionibus Ecclesiam aeternam tibi inter nos colligis, teque supplices oramus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, ut miserearis nostri, propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis esse victimam, et sanctifices ac regas nos Spiritu sancto tuo, et deinceps in his regionibus aeternam tibi Ecclesiam colligas, ac honesta ac tranquilla hospitia Ecclesiis et doctrinae studiis concedas, ut multi in hac vita, vera invocatione et vera obedientia te celebrent, et postea fruentes tua sapientia et iusticia, in dulcissima consuetudine tua, tibi in omni aeternitate gratias agant. Dixi.

No. 101. an. 1548.

De dignitate artis medicae.

In select. Decl. T. IV. p. 244 sqq., Richard. II. p. 111., Servest. T. IV. p. 222. et in T. III. Erford. lit. d, 5.

Oratio de dignitate et utilitate artis medicae, habita a D. Melch. Fendio, cum gradus Doctoris decerneretur Petro Sibileno Torgensi, 7. Aug. 1548.

Principio gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto suo, quod ut Ecclesiam suam in saevis tempestatibus servat, ita et tabulas naufragii nostri miranda bonitate colligit, ut vox Evangelii incorrupta adhuc sonet in publicis congressibus, et in thalamis in invocatione piorum omnium, et in institutione primae aetatis, et studia verae Philosophiae non solum mediocri frequentia et diligentia, sed etiam sine monstrosis opinionibus colantur. Ac oro Deum fontem sapientiae, ut diutius vos servet, et doctrinae studiis pacem diuturnam concedat.

Cum autem hodie doctrinae testimonium tribuendum sit viro docto in arte Medica, et usitatum sit, de ipsa arte in talibus congressibus aliquid dici, etsi nullius eloquentia par est amplitudini huius artis, tamen qualicunque oratione commonefieri iuniores necesse est. Non igitur instituam laudationem, cum utilitas in conspectu sit omnibus, et dignitas in consideratione naturae

tanta sit, ut nullius oratione satis declarari possit: sed tantum obiurgabo, non iuniores modo, sed nos omnes propter ingratitudinem et ignaviam, quarum utraque plurimum habet turpitudinis, propter multas causas.

Tanta est duricies humanorum pectorum, ut non mirandum sit, veteres finxisse, homines ex lapidibus ortos esse. Omnes inde usque ab ea hora, qua primum nos ex alvo matris excipiunt manus obstetricum, per omnes aetatum gradus, utimur artis medicae beneficiis innumerabilibus. Quod cum ita sit, multi tamen nec cogitant artem Dei donum esse, nec Deo conditori remediorum, et monstratori artis, gratias agunt, nec reverenter de arte sentiunt ac loquuntur. Ipsae matres edito foetu, infinitis morbis obnoxiae sunt, quae sine ope medica servari non possent. Et in earum periculis remedia non tantum adhiberi ostentationis causa, sed vere efficacia et salutaria esse, plerunque testatur experientia. Saepe ubera medicanda sunt, saepe somnus arte revocandus. Matricis vero pericula pene infinita sunt. Deinde ulcera omnibus infantibus communia sunt, quae non maturescerent et alios morbos adferrent, nisi ars opem ferret.

Sed omitto hanc enumerationem, quae ne quidem magnis voluminibus integra comprehendi posset. Ideo autem ad illa prima initia vitae iuniores deduco, ut si cogitabunt, matribus se gratitudinem debere: simul considerent, multum se debere arti medicae, qua puerperis et foetui opus est. Ac in ea cogitatione non tantum diligentiam hominum aut remedia intueantur, sed bonitatem Dei agnoscant, qui et remedia condidit, et usum monstravit, ut aliqua ex parte huius vitae miserias leniret. Illa Cyclopis vox indigna est homine, qui ait se nec Iovis fulmina, nec imbres metuere, nec terrae sterilitatem, quia et rupes defendant suum specum, et in specu gregem habeat ovium, unde victitare possit. Similis est oratio multorum indoctorum ac barbarorum, qui et in tuenda valetudine temperantiam, et in periculis omnia remedia contemnunt. Ac ne cogitant quidem, Dei dona esse remedia et artem, sed hi Cyclopes cum Deo et natura bellum gerunt.

At bonae mentes sciant primum universae naturae vocem testificari, hunc mundum non casu extitisse, sed a mente aeterna architectatrice conditum et formatum esse: deinde et homini noticias insitas esse, quae congruentes cum mente divina rerum delectum ostendunt: ac in natura et in moribus iudicia nostra cum mente divina congruere debere. Vitam, bonam valetudinem, et vitae praesidia, Deus adfirmat res bonas, et a se conditas esse, et iubet nos frui his muneribus divinis.

Agnoscamus igitur haec dona, et ea amemus, et conditori gratias agamus. Ita scriptum est in sententiis Sirach: Honora medicum, Deus enim creavit eum propter necessitatem.

Haec sententia necessarium esse usum et remediorum et artis adfirmat, quod quidem ostendunt exempla quotidie.

Ac diserte addit Sirach: Altissimus creavit remedia ex terra, et a Deo est medicatio; quia non modo remedia ita distincta sunt consilio conditoris, ut alia alios morbos depellant, alia aliis membris conducant, sed etiam consilium medici divinitus regitur, et efficacia a Deo adiuvatur. Haec cum ita sint, moveamur et utilitate nostra, et conditoris bonitate, ut et remedia et hanc doctrinam magnifaciamus.

Arbitror autem bonas mentes non solum propter utilitatem delectari consideratione naturae, sed magis etiam propterea, quia tota haec naturae varietas velut theatrum est, in quo testimonia de Deo opifice illustria conspiciuntur. Initio domicilii figuram, et illam pulcherrimam machinam, in qua sidera vehuntur, ut dies, menses, annos, aestates, hyemes distinguant, ut dissimilis sit natura temporum, ut quotannis certo tempore gignat terra fruges, arte factam esse, manifestum est.

Deinde quanta ars est in tota hominis natura? Discrimen lucis et tenebrarum, discrimen noticiae et ignorantiae, fastigium in cerebro simillimum coeli, in quo et lucent noticiae, et repositae servantur. Et insita est quaedam de Deo lux, et additae multae noticiae aliae, quae sunt vitae norma, distinctionem et ordinem monstrantes, ut numeri, intellectus ordinis et consequentiae, discrimen honestorum et turpium, aeterno et immoto septo distinguens facienda et fugienda.

Haec extitisse casu, aut ex materia tantum impossibile est.

Clamat igitur ipsa rerum natura, et esse Deum, et esse sapientem, bonum ac beneficum, scelerum vindicem, custodem humanae societatis.

Non dicam nunc de tota humani corporis constructione, de stirpibus et plantis. tantum ad-

monebo, ut in tanta multitudine diversitatem usus ac virium iuniores contemplentur. Eupatorium, κιχώριον grata sunt epati; Philitis, asplenum, tamarix, teucrium, spleni.

Crocus, santalis, libanotis, cirsium, coralli, aurum, cordi. Artemisia, melissa, parthenium, pulegium, lymnesium, matrici.

Glycyrrhiza, iris, prasium, pulmoni.

Hyssopus, helenium, adiantum, chamaeleon, pectori.

Salvia, amaracus, rosae, helichrysum, cerebro.

Foeniculum, chelidonia, euphrosyne, oculis.

Malva, melilotum, chamaeleon, nervis.

Scammonea et rhabarbarum trahunt praecipue flavam bilem.

Agaricum, tripolium, aloë, trahunt phlegma.

Polypodium, colutea, trahunt atram bilem.

Sed enumeratio longior non est huius loci.

Hanc autem distributionem pene infinitam virium, quae et in speciebus manet perpetua, casu extitisse, nequaquam consentaneum est.

Et cum manifestum sit, artificem intuentem hominum naturam, haec ei adminicula addidisse, adfici eum cura generis humani necesse est.

Quid est autem honestius et homini convenientius, quam in natura quaerentem vestigia divinitatis, confirmare veram de providentia sententiam, agnoscere Deum opificem, et custodem generis humani, et intelligere talem esse Dei mentem et voluntatem, qualem se expressit in ea luce, quam in nos transfudit, ac discernere eum a malis naturis, in quibus ordinis confusio est, et dirigere consilia et mores ad illam normam in mente congruentem cum norma divina.

Haec maxime secundum naturam esse, omnes sani intelligunt: non illa Cyclopica, quae furenter defendunt Epicurei, omnia casu ex atomis conflata esse, ferri et confundi omnia sine ordine et sine mente rectrice, ac subinde alios mundos et alias species oriri. Talibus furoribus repugnare non solum sapientia, sed etiam excellens virtus est, grata Deo, et pro qua redduntur praemia divinitus. Ut autem et evidentius refutari vanitas, et maiore animi constantia rabies Epicureorum possit, aspectione pulcherrimi ordinis in natura, in mentibus persuasio de providentia diligentissime confirmanda est, saepe contemplandae sunt naturae partes, membrorum fabricatio, experientia respondens doctrinae in usu medicamentorum. Ut saepe levi errato periculum letale homines incaute sibi accersunt: ita e contra sagax medicus saepe letalia pericula remediis admodum vulgaribus discutit. Ac exempla recitare multa possem. Sed opinor plerosque ex vobis multa tum legisse, tum audivisse.

Cum igitur ars utilissima sit vitae ad valetudinem tuendam, et plurimum dignitatis propter maximarum rerum scientiam habeat, et laudata sit praeconiis divinis, et de providentia monstret illustria testimonia, expetendam, cognoscendam et venerandam esse, non dubium est.

Quod cum ita sit, honos etiam debetur viris bonis et eruditis, qui et amplissimae doctrinae custodes et propagatores sunt, et saepe hominum vitae opitulantur.

Semper in hoc ordine possessio fuit praecipuarum Philosophiae partium. Et arbitror inde usque a primis patribus, ab Adam, Noha, Abraham, Ioseph, propagatam esse doctrinam de coelestibus motibus, et de remediis, in familiis praestantioribus: et utcunque deinde ab iis, qui professione medici fuerunt, conservatam.

Est autem per sese magnum decus cognitio tam multarum rerum motuum coelestium, fabricationis humani corporis causarum, propter quas fiunt alterationes in corporibus, item morborum et remediorum.

Sed multo maius decus est, hanc scientiam ad salutem hominum transferre. Ideo enim Deus impertivit generi humano sapientiam: primum, ut ipse, qui est fons sapientiae, agnoscatur: deinde, ut salutaris sit quamplurimis. Et qui hanc artem fideliter exercent, in his necesse est copulatas esse multas virtutes, eruditionem, diligentiam, fidem, assiduitatem, prudentiam, tolerantiam in multis molestis rebus perferendis. Tali medico iustissimum est omni genere officii referri gratiam.

Sed non tantum vulgi ingratitudo in hoc genere magna est, sed etiam potentum. Et vix alii saepius experiuntur verum esse dictum usitatum: post munus illico senescit gratia, quam medici. Bonae mentes tamen considerent primum, quid Deo autori vitae et remediorum debeant. Deinde quam reverenter de doctrina sentiendum sit. Postea, quid Medici laboribus, fidei, et officiis debeatur. Haec cum reputarent sapientes Principes, in magno honore apud eos medici fuerunt, apud Ezechiam Esaias, apud Darium Democedes, quem remisit in patriam onerata navi auro ac argento:

apud Alexandrum Philippus, apud Antigonum Diocles, apud Antiochum Erasistratus, apud Augustum Antonius Musa, apud Antonium Galenus, et alii apud alios.

Ut autem doctrina, quam colimus, Philosophiae pars praecipua est, ita et voluntas sit philosophica, id est: Etiamsi multi ingrati sunt, tamen nos propter Deum, et virtutis causa, possessionem doctrinae tueamur, et multis benefaciamus. Talis si erit voluntas, Deo nostri labores et nostrae familiae curae erunt.

Vos autem iuniores adhortor, ut cogitatione utilitatis et dignitatis nostrae artis, simul ad doctrinae amorem animos exuscitetis, et in aspectione naturae, vestigia Dei diligenter consideretis, quae eum, ut Paulus inquit, adeo prope adesse ostendunt, pene ut manibus contrectari possit, ut et vindicem metuatis, et bona conscientia eum invocetis.

Volo etiam vos ad hanc meam orationem vestra vota adiungere: Te invocamus omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo: ac oramus, ut propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis esse victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, nos regas Spiritu sancto tuo, et studia doctrinae ac disciplinam gubernes, et tranquilla nobis hospitia concedas: et nunc, et deinceps aeternam tibi inter nos Ecclesiam colligas. Dixi.

No. 102. an. 1548.

De studiis lit. non deserendis.

In select. Declamat. T. IV. p. 415 sqq., Richard. T. I. p. 70. et in Servest. T. IV. p. 377. — Mylius in chronologia scriptor. Mel. refert hanc orationem ad an. 1548.

Oratio de studiis literarum non deserendis in hac confusione orbis terrarum.

Etsi illustre testimonium est providentiae divinae, pulcherrimus ordo multarum rerum in natura, ut ipsa mundi figura, et positus corporum certissimae leges motuum coelestium, vices temporum ad utilitatem rerum nascentium accommodatae, terrae foecunditas, specierum perpetuitas, propagatio et generationis modus, denique mens hominis, numeri, et aliae primae noticiae, et lumen in mentibus aeterno septo dirimens honesta a turpibus, iudicium conscientiae in recte et secus factis: quae omnia cum aspicimus, fateri cogunt, non casu extitisse hunc mundum, sed mentem aliquam aeternam fuisse architectatricem et hominum, et huius pulcherrimi domicilii nostri, et hanc inspectricem et iudicem esse nostrorum factorum: et hanc de Deo noticiam insitam esse humanis animis, ita agnoscimus, ut numerorum initia in nobis cernimus: tamen tanta est animorum seu mobilitas, seu levitas, ut assensio languefiat, cum hominum vitia et fortunae varietatem intuemur. Nemo sine erroribus et sine aliqua labe vivit: et Palamedi, Socrati, et similibus recte facientibus non prodest virtutis studium. E contra Apicio et multis similibus, qui se turpiter inquinarunt voluptatibus, tranquillus est vitae cursus ad ultimam usque senectam. Itaque non solum Democritus et Epicurus fingunt sine mente conditrice haec mundi corpora concursu atomorum temere conflata esse, et temere ferri ac moveri, nec mentem aliquam rectricem esse generis humani, sed etiam innumerabiles alii homines, cum morum confusiones, Politiarum, quae mediocriter fuerant constitutae, dissipationes, potentiam florentem eorum qui veritatem et iusticiam opprimunt, aspiciunt, etiamsi non dubitant esse Deum, conditorem et gubernatorem rerum, tamen remittunt studium virtutis, quod existimant magna ex parte inutile esse. Deinde in Ecclesia, cum ex studio veritatis ingentes motus exoriri videmus, imo sapientum quoque iudiciis improbari curam quaerendae veritatis: hic vero non solum inutiles literae, sed etiam perniciosae esse ducuntur, et in odium veniunt: ut res ipsa ostendit hanc causam esse, cur multi doctrinam ceu pestem aliquam fugiant, multi degustatam abiiciant.

Etsi autem valde difficile est, animos his remoris impeditos erigere, atque exuscitare, ut Deum aspiciant, ac voluntatem eius anteferant omnibus his offensionibus: tamen omnino pugnandum est, ne falsis opinionibus velut ventorum impetu a recta via depellamur. Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus. Etsi autem nullius oratio ignavos aut malos excitare potest, tamen bonae

mentes teneant in conspectu argumenta certa, quibus vel leniant dolorem suum, vel accendant studium.

Dicam igitur, quare non deserenda sint haec literarum studia, etiamsi nunc in ista confusione orbis terrarum, non solum honos nullus est literis, sed etiam odia et ingentia pericula discentibus proposita sunt.

Nec iam alloquor Democriti aut Epicuri applausores, qui providentiam derident: quos, etsi sunt impudentes, tamen vox ipsa naturae refutat, quae clamitat esse Deum, mentem aeternam, conditricem et iudicem generis humani. Sed vos alloquor, qui cives estis Ecclesiae Dei, et doctrinam coelestem scitis resuscitatione mortuorum confirmatam esse, eamque amplexi estis, moti cum testimoniis illis divinitus exhibitis, tum vero etiam luce accensa divinitus in mentibus vestris.

Nec vero inter Ecclesiae cives, cuiusquam plus valere oratio debet, quam eius oratoris, quem conditor universae naturae ad nos misit, inquiens: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Meministis autem hanc eius concionem: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Hic praecipit sermonem suum servari, id est, ut custodes doctrinae simus, ut legamus, audiamus, discamus, transmittamus ad posteros scripta, quae Ecclesia tradidit. Haec cum sine literis et multiplici doctrina fieri non possint, hanc nostram militiam docentium et discentium necessariam esse non dubium est. Non bella, non hominum furores, non dissipationes gentium moveant nos, ut studia literarum abiiciamus. Necesse est enim parere mandato divino, quod doctrinam arcanam, quam filius ex sinu aeterni patris protulit, legi, audiri et disci praecipit. Deinde cum promissio addita sit amplissima, (diliget doctrinae custodes aeternus pater, atque ita diliget, ut hos nominet domicilium suum, et inter eos vere versetur) ipsi curae erit, ne desint sibi et nobis hospicia, et ne labores sint inutiles. Sed recta et vera discamus, et modeste inquiramus veritatem, et expetatur doctrina, ut ornetur gloria Dei, non ut sit praetextus cupiditatum nostrarum.

Multi in his communibus miseriis irascuntur doctrinae, hanc esse facem huius incendii dicunt: qui quidem cum Deo irascuntur, his querelis augent, non sanant publica mala. Rectius est has indignationes compescere, ac modeste cogitare veras causas irae Dei adversus nos, ac deinde ex promissionibus divinis remedia petere, quod qui facient, primum ipsa modestia impetrabunt a Deo mitigationem publicorum et privatorum malorum. Postea et doctrinae cogitatio ac suavitas per sese *μαλακτικὸν* erit moesticiae. Praeterea verissimum est illud Sophocleum, *ὦ μῶρε, θυμὸς ἐν κακοῖς οὐ σύμφερον.* Multa peccant homines iracundia in rebus adversis: ubi si non tumultuarentur, et a Deo peterent liberationem, catastrophe futura esset placidior.

Multae sunt causae, cur Deus Ecclesiam aerumnis ingentibus onerarit: quas causas nosse, et saepe recordari, utile est. Multa sunt et magna delicta, praesertim in hac delira mundi senecta. Ideo crescunt poenae, ut filius Dei ipse praedixit: In hac mundi senecta maiores imperiorum et Ecclesiae confusiones futuras esse, quam fuerunt antea. Et denunciantur haec mala coelestibus signis. Vidistis recens horrendam Solis eclipsin, in qua iuncti in tenebris Sol, Mars, Venus, Mercurius et Luna, quam dira venena in hanc inferiorem naturam sparserunt? Iam his diebus congressus erit Saturni et Martis in aegocerote, in quo praecipua est saevitia utriusque stellae. Et ipse aegoceros per sese turbulentum sidus est. Propter quam causam vetustas, quae naturas stellarum et *μετέωρα,* involucris fabularum tegere solebat, finxit in gigantomachia Pana indutum specie aegocerotis, grassantem Typhona reti cepisse. Non igitur leves motus impendent, sed horribilis gigantomachia, quae non ideo sedabitur, quia multi Deo irascuntur, et maledicunt miseris scholasticis: sed ad flectendam iram Dei alia cura necessaria est, cogitandae sunt divinae promissiones, confugiendum ad Deum fiducia filii, et modeste vivendum, ac a Deo petendum, ut in ira misericordiae suae recordetur: curandum etiam, ut posteris veram et incorruptam sententiam de Deo tradamus, ut veris officiis Deus colatur.

Non igitur nunc per iracundiam aut desperationem abiicienda sunt doctrinae studia, sed potius inde iam remedia malorum petenda sunt. In his verissime Deus tecum colloquitur, promittit auxilium, aut invocationem exuscitet. Et experimur exemplis manifestissimis non esse irrita nostra vota.

Veniat hoc quoque in mentem, etsi aliae causae sunt potiores, quare Ecclesia tam duriter exercetur: tamen simul his calamitatibus commonefieri bonas mentes, ut sciant genus humanum non ad hanc tantum aerumnosam vitam conditum esse, sed alium restare portum, in quo homines Deo cari acquiescant. Nequaquam enim consentaneum est, hanc naturam conditam ad Dei agnitionem ac celebrationem, ad aeternas tantum miserias nasci, in quibus celebrare Deum non possit. Haec mihi cogitatio saepe leniit dolorem, quae quidem etiam magis movet animos, cum ex omni antiquitate Ecclesiae repetimus exempla miseriarum, quas pii tulerunt: quorum consideratio ostendit utrunque, et Dei consilio nos exerceri, et secuturam esse liberationem, si tamen doctrinam et invocationem non abiecerimus.

Dulciora fortasse studia sunt in rebus secundis, sed multi tunc blandiuntur sibi ipsi, et quaerunt ambitione aut φιλονεικίᾳ, opiniones inutiles. Hanc curiositatem aerumnae compescunt, quae nos ad necessaria timoris et fidei exercitia deducunt, ut nunc seria certamina rerum maximarum explicationem requirunt. Synodus Tridentina corruptelas quasdam edidit de lege Dei, et de promissionibus, quae duo capita sunt doctrinae coelestis praecipua. Legem obscurant, cum negant dubitationes, quae sunt in hominibus de Deo, item vitiosas cupiditatum flammas mala esse pugnantia cum lege Dei. Postea promissionem delent, cum iubent dubitare an in gratiam recipiamur, qua in dubitatione si relinquuntur animi, nec de timore recte docentur homines, nec consolatio pavidis proponitur, et excutiuntur invocatio et spes, cum mentes non audent in Deo acquiescere. Et sequentur alia decreta absurdiora. Nunc igitur non litigamus cum adversariis de parvis rebus, sed de gravissimis materiis, quae ad agnitionem et invocationem Dei pertinent, de quibus suo loco dicendum erit. Iam vero ideo tantum hoc commemoro, ut cum hae miseriae praebeant occasionem de rebus necessariis disserendi, sciatis discendi curam non remittendam esse. Imo quam tenerent pii consolationem in his ipsis calamitatibus, si haec dubitatio confirmanda esset? Si dubitet Laurentius, an Deo placeat confessio, quo animo supplicium adibit? quod erit robur in rogo? Cum Deus et promissiones tradiderit, et iureiurando nobis dubitationem eximere velit, ut cum inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat: surdae mentes atque aures sunt, quae nec promissionem, nec iusiurandum audire volunt, sed docent retinendam esse dubitationem, perinde ut haeret in Ethnicis, ignaris divinae promissionis. Quid interest inter Ecclesiam Dei et Ethnicos, deleta promissione? quae consolatio firma in summo dolore mentibus proponi potest, si tolletur ex conspectu divina promissio? Sed omitto nunc disputationem, quam quidem attigi, ut nunc valde opus esse studiis literarum intelligatis, et ne obruatur doctrina Ecclesiae propria et necessaria, et ne vos ipsi consolationem salutarem amittatis. Nam in hoc portu tantum acquiescunt piae mentes, quod intuentes promissionem fide, statuunt se recipi et exaudiri a Deo, et certam spem habent auxilii divini, ut vox illa inquit: Qui confidunt in eum, non confundentur.

Eo autem vobis et iucundiora et faciliora haec studia esse poterunt, quia Dei beneficio, recte vobis semina artium initio tradita sunt, et Ecclesiae doctrinam hausistis ex limpidis fontibus: nec initio instillatae sunt vobis ineptae opiniones, quae postea offundunt caliginem mentibus, quae impedit recta iudicia. Plurimum enim refert, quali doctrina principio rudia pectora imbuantur.

His igitur argumentis confirmati, ne sinatis vobis excuti doctrinae studia. Cogitate mandatum Dei esse, ut discamus: et Deo curae fore, ne nostri labores sint irriti, sicut Paulus inquit: Labor vester non erit inanis in Domino. Et quo minus tranquilla est vita, eo magis opus esse meditatione doctrinae, et ad excitandam invocationem, et ad leniendam moesticiam, et ne obruatur veritas. Denique haec ipsa modestia magna virtus est, in his motibus retinere hanc animi tranquillitatem, ne indignatione, aut desperatione studia doctrinae abiicias, aut frustra tumultueris, sed votis tua et publica mala levare studeas, et interim doctrinae conservationem tuo loco modeste adiuves. Hoc ipsum est levare aliqua ex parte communes miserias, quas ut Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani et Ecclesiae suae mitiget, toto cum pectore oro. Dixi.

No. 103. an. 1549.

De Iohanne Regiomontano.

In select. Declamat. T. III. p. 252 sqq., Richard. T. I. p. 605., Servest. T. III. p. 239. et in Tom. III. Erford. lit. U, 5. — Etiam separatim edita Witb. 1549. Cf. Strobelii bibl. Mel. No. 334.

Oratio de Ioanne Regiomontano, Mathematico, in renunciatione gradus Magisterii philosophici recitata ab Erasmo Reinholt, Salveldensi, Mathematum professore.

Initio gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et Ecclesiae suae angelicae et humanae, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu suo sancto, quod haec doctrinae studia non deleri sinit. Eumque toto pectore oro, ut nos gubernet, et studia adiuvet, ac inter nos colligat haereditatem filio suo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, quae ipsius bonitate in omni aeternitate fruatur, et eum celebret. Haec mecum vos omnes ardentibus votis petere decet. Nam et in his scholasticis congressibus miscenda sunt vota commonefactionibus de doctrina.

Cum autem usitatum sit hoc loco interdum recitare clarorum virorum historias, praesertim eruditorum, quia de his ipsis artibus quas illustrarunt multa monent, et recordatio talium virorum bonis mentibus grata est: collegi nunc qualemcunque narrationem de Ioanne Regiomontano, partim ex ipsius scriptis, partim ex viri doctissimi Ioannis Schoneri sermone, quae etiamsi brevior est, nec aviditatem vestram explebit, tamen iuventuti tradenda est, ut nosse et admirari hunc tantum virum incipiat, et harum ipsarum artium semina quae sparsit, appetat. Et quanquam ingenii vis et acies, eruditio et iudicii rectitudo praecipue in eius monumentis conspiciuntur, eaque animadversio solorum artificum est: tamen haec commemoratio de sedulitate, de editis operibus, de certaminibus quae ei cum artificibus fuerunt, de peregrinationibus, de summorum virorum amicitiis, cum alias multas in eo virtutes fuisse ostendit, tum vero et ingenii vim, et Enthusiasmum divinitus inditum ad has artes illustrandas, in eo fuisse aliquo modo significat. Equidem ut acumine eius delector in libris, ita ardorem animi admiror. Simul et mens volitat per universam rerum naturam, metitur coeli et terrarum spacia, et corpus discurrit per Germaniam, Italiam, Pannoniam, discit Graecam linguam, et quidem illum peculiarem sermonem Geometris proprium: confert suas sententias cum aliis eruditis. Non solum scribit ipse multa usui futura posteris, sed etiam machinas manu sua fabricat, instruit praela typographica. Hanc tantam varietatem laborum, ignava natura neque suscipit, neque sustinere potest. Sed qualiscunque umbra virtutum ipsius in tali narratione ostendi potest, gratam vobis hanc commemorationem fore spero.

Natus est Ioannes Regiomontanus in oppido Franciae, cui nomen est Mons Regius, quodque propter vicinitatem plerisque vestrûm notum est. Parentes audio fuisse honestos, et facultates habuisse mediocres, ut sunt res in nostris municipiis, unde utcunque liberos educare et erudire potuerunt. Scio et quosdam in ea familia natos, collegis nostris notos fuisse. Et quia res ostendit ingenia sumere impetus aliquos a coelestibus causis, recitabo etiam tempus, quo in lucem editus est, et siderum positum, quae nascenti fulserunt. Natus est iuxta usitatam numerandi rationem anno millesimo quadringentesimo, sexto et tricesimo, sexto die Iunii, quarta hora post meridiem, minuto 40. Etsi autem optarim in omnibus historiis integra themata eorum extare, in quibus vel bonitas naturae excelluit, vel monstrosa perversitas fuit: tamen cum totum thema oculis iudicari melius possit, nunc tantum horoscopum et loca planetarum recito. Fuit horoscopus quintus decimus gradus Scorpii, Sol, Luna, Mars et Mercurius simul in Geminis, quod signum minime significat feritatem, sed naturam moderatam, docilem, et disciplinae idoneam, in qua cum et lumina convenerint et Mars et Mercurius, fuit ingenium neque hebes, neque segne. Et bonitatem temperamenti augent Iupiter in Libra, et Venus in Cancro. Nec addam longiorem expositionem, sed eruditis considerandam relinquo, qui vident, qui positus vitae minitentur. Sed ingenii et morum significationes nequaquam praeposteras esse fatebuntur. Fuerint sane laeta naturae semina, fuerit ingenium docile et acre: neque tamen sine adflatu divino tot, tamque varias artes penitus percipere, tot linguas discere, tantos perferre labores, simul discendi, docendi, fabricandi machinas, spectandi stellarum loca, scribendi eruditissimas enarrationes, evolvendi tot labyrinthos, edendi tabulas suas, et alienas, item Ephemerides potuisset, praesertim

in tam brevi vitae curriculo, nisi illa mentis ac pectoris incendia Deus et fovisset et adiuvisset: ut solet immensa bonitate ad restituendas et conservandas artes vitae necessarias in omni genere subinde excitare et adiuvare artifices. Profecto enim Dei aeterni, qui fons est sapientiae, beneficium est, artium et doctrinarum in genere humano conservatio. Huic igitur gratias agamus, subinde restituenti lucem doctrinarum, et oremus, ne sinat eam extingui. Vult autem ad suam liberalitatem etiam accedere mediocrem in nobis diligentiam et sedulitatem: vult non fastidiis et contemptu abiici sua munera, quod in parabola de negotiantibus etiam in argumento graviore significatur. Nec absurde dictum est a Platone lib. 4. de legibus: *ὡς θεὸς μὲν καὶ καιρὸς τὰ ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα, ἡμερώτερον μὴν τρίτον ξυγχωρῆσαι τούτοις δεῖν ἕπεσθαι τέχνην.* id est: Deus quidem, et occasio, universi operis summam gubernat: sed tamen placidius est, concedere, artem quoque adiungendam esse, ut in navi; etsi tempestas dominatur, tamen non sint ociosi remiges, ita et munera divina reverenter accipiamus, et eis studiose fruamur, eaque propter gloriam Dei et communem utilitatem, quantum mediocri diligentia possumus, tueamur, ut scriptum est: Hoc flagitatur, ut fideles simus, atque hac ipsa in re hunc Regiomontanum imitemur: cui cum Deus ingenii et corporis vires discenti necessarias, praeceptorem excellentem, libros studiorum socios dedisset, has occasiones non neglexit, non ut multi alii voluptates et pecuniam praetulit, sed omnibus ingenii atque animi viribus in haec studia incubuit, quaesivit ubique eruditos, quorum sapientia erudiretur: et vicissim, quantum potuit, suis operibus artes illustravit. Quare et Deo agamus gratias, qui haec sua munera non omnino perire sinit, et voluntatem, intentionem et adsiduitatem in Regiomontano laudemus: quas ipsius virtutes ut propius aspiciatis, itinera eius cognoscite. Postquam in patria Grammaticen didicit, puer adhuc venit in Academiam Lypsicam, ubi Dialecticen et elementa in sphaerica avidissime arripuit. Sed natura flagrans discendi cupiditate, requirebat huius studii duces ac socios pulcherrimi laboris, et Viennam audierat praecipuum esse domicilium huius Philosophiae. Quare in Austriam admodum adolescens proficiscitur. Ibi invenit Purbacchium Bavarum, ingeniosissimum virum, et aetate ac autoritate florentem. Hic complexus Regiomontanum, cum naturae vim et voluntatem adolescentis considerasset, non solum hortator, sed etiam dux fuit in ipsa adyta sacratissima harum artium. Horum consuetudinem, studia, certamina dum cogito, veteres etiam scholas mente intueor, quarum diligentia hae artes propagatae sunt. Sic Theletem, Metonem et Eudoxum erudierunt sacerdotes Aegyptii, Eudoxus Platonem. Sic antea Atlas dicitur Orioni hanc doctrinam tradidisse: imo ut existimo, sic longaevi illi primis mundi temporibus, Adam, Noha, Sem, Ioseph, posteris hanc doctrinam tradiderunt, ac possessio eius in Aegypto retenta est inde usque a Ioseph ad Ptolemaei aetatem, et aliquanto amplius, plus duobus millibus annorum. Tam diu stabilem et certam huic doctrinae sedem Deus attribuit, inter varias monarchiarum mutationes. Sed ea tunc fuit praecipuorum monarcharum sapientia, ut non cum artibus, sed cum hostibus bella gerenda esse scirent, et in mediis bellis literarum domicilia, et doctorum coetus protegerent. Nunc proh dolor, vagatur haec sapientia sine patronis et sine certa sede, ut interitus harum artium metuendus sit. Sed Deum autorem oremus, ne sua munera perire sinat. Cum autem summa esset familiaritas cum Purbacchio, et assidua sententiarum collatio circiter decennium, multas obscuras materias, ut fit *σύν τε δύω ἐρχομένω*, illustrant, vel observant motus, ac deprehendunt Martis motum non congruere ad tabulas, sed duorum nonnunquam graduum errorem esse. Incipiunt igitur tabularum emendationem. Forte Bessarion, vir Graecus, doctrina excellens, cum esset Cardinalis, tunc ad Fridericum imperatorem Legatus erat. Is cum de Ptolemaei doctrina Purbacchium multa sciscitatus esset, et dexteritatem eius in explicando admiraretur, petivit ab eo, ut Epitomen componeret eius libri, cui titulus est *μεγάλη σύνταξις.* Id opus interruptum morte Purbacchii Regiomontanus absolvit: quia ut ipse narrat, moriturus Purbacchius, inter extrema mandata id petiverat. Qua in re valde mirandum est, tunc sine Graecis fontibus sententiam eos ex illis Arabicae versionis tenebris eruere potuisse. Id vero fieri nequaquam potuisset, nisi propter magnum usum in toto illo artium orbe demonstrationes eis obviae, et faciles penetrabiles fuissent. Sed tamen hoc ipsum opus Regiomontanus postea Romae, cum Graece didicisset, et Theonem conferret, emendavit. Extat Epistola Regiomontani plena pietatis, in qua prae-

ceptoris mortem deflet, et eius ingenium ita praedicat, ut omnibus aetatis suae Mathematicis anteferat.

Incesserat autem utrique cupiditas adeundae Italiae, Purbacchio et Regiomontano, tum ut doctos viros in Italia audirent (celebrabatur enim Blanchini fama), tum ut Graecae linguae operam darent, in qua fontes harum artium contineri sciebant, et Ptolemaeum sua lingua loquentem legere volebant. Eratque hortator Bessarion, ut secum proficiscerentur. Narrat etiam Regiomontanus, se adolescentem, cum videret duos ingeniosissimos viros, Purbacchium et Franciscum Mantuanum in versionibus geographicis Ptolemaei haerere, propter inscitiam Graecae linguae, valde doluisse, quod fontes inspicere non posset, nec Graecae linguae praeceptores haberet, eamque ob causam se decrevisse aliquando Italiam adire. Moleste tulerat adolescens, in versione descriptionis Danubii toties erratum esse. Nam cum in textu sit ἐκτροπή, quae est meatus, ubi influit alius amnis, ut ad Patavium Oenus influit in Danubium: verterat interpres multis locis scissiones, quasi caetera flumina sint Danubii brachia. Simili hallucinatione descriptio Padi obscurata est. Sed Purbacchii consilium de hac peregrinatione mors immatura antevertit: quo extincto luctus etiam Regiomontanum movit, ut facilius Viennam relinqueret. Comitatur igitur Bessarionem redeuntem in Italiam, cum iam non procul a tricesimo anno abesset. Romae cum Trapezontio saepe congressus est. Lustravit et bibliothecas, quae magis etiam accenderunt eum, ut Graecae linguae operam daret. Ardens igitur hac cupiditate, multa sua manu descripsit, et Ptolemaei libros sibi familiares fecit. Tunc et Dialogum contra Cremonensis Theoricas scripsit. Aliquanto post Ferrariam se contulit, ubi tunc erant Blanchinus et Theodorus Gaza, et Guarinus ibi Graece docebat. Hic navavit egregiam operam in Graeca lingua, amplius anno: tantumque didicit, ut et versus graece scriberet, qui adhuc extant, et expedite versari in Philosophis Graecis posset. Hic iam Ptolemaeum et Theonis commentarios conferre coepit. Aliquanto post discedens Ferraria, venit in Academiam Patavinam, ubi a Philosophiae studiosis rogatus, Alfraganum publice enarravit. Extat praefatio ibi recitata, in qua non solum disciplinas praedicat, sed etiam magno candore celebrat Mathematicos, qui tunc in Italia clari fuerunt, et quos sibi devinxerat amicitia propter societatem studiorum et virtutem. Absoluta enarratione Alfragani, cum iam Bessarion ex Graecia rediisset, contulit se Regiomontanus Venetias, anno millesimo quadringentesimo, quarto et sexagesimo. Hic et librum de triangulis magna diligentia conscripsit, et refutationes quadraturae circuli, quas Nicolaus Cusanus demonstrasse putabatur: Romam postea rediit, ubi libros Graecos et Latinos partim sua manu descripsit, (pinxit enim literarum figuras et venustate et facilitate magna,) partim magna pecunia describi curavit. Hic et certamina ei cum Trapezontio acerrima fuerunt, cuius hallucinationes, cum Theonem reprehendissent, ingenue refutavit. Peragrata Italia, rediit Viennam, ubi etsi docere coeperat, tamen evocatus a Rege Matthia, et ab Episcopo Strigoniensi, magnis ab utroque praemiis donatus est. Rex etiam pensionem ei annuam decrevit, aureos Hungaricos 200. Hic et regi et Episcopo instrumenta fabricavit ad observandos motus. Nam Episcopi magna erat eruditio in his disciplinis. Et Rex, quamvis nemo Principum eius aetatis bellicosior erat, tamen non erat rudis doctrinae de motibus coelestibus. Narrant et gravissimo morbo servatum esse Mathematici consilio. Nam cum Medici nullam in humoribus causam morbi deprehenderent, ac animadvertissent tantum mirificum esse languorem cordis, Mathematicus monuit, propter Eclipsin, quae minata fuerat Regis vitae, hanc imbecillitatem virtutum vitalium extitisse: nec causam in honoribus quaerendam esse, sed tantum cordis vires rebus suavibus fovendas. Ita Rex convaluit.

Eo tempore Regiomontanus et Episcopo illi tabulas directionum conscripsit, quarum initia etiamsi ab aliis sumpsit, tamen magna pars lucubrationis huius est ipsius propria. Et haec laborum communicatio iusta et laude dignissima est, priores artium semina tradere posteris, et posteros ea fideliter conservare et illustrare.

Eo ipso tempore Rex Pannoniae Matthias bellum movit adversus Bohemos, quae res multarum vicinarum regionum tranquillitatem turbavit. Bohemi partim Casimirum Poloniae Regem accersebant, partim regnum Duci Saxoniae Alberto tradere conabantur, partim invitabant Matthiam, qui, ut erat acerrimus, antevertit caeteros. Cum igitur Pannonia, Austria et tota vicinia plenae essent tumultuum, Regiomontanus tranquillam

sedem studiis suis quaerens, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo Noribergam se confert. In hac urbe ut mallet reliquum suae aetatis consumere, ipse has recitabat, quod artifices ibi essent idonei ad fabricandas machinas huic arti necessarias: deinde, quod per mercatores facilius in alias regiones inde literas transmittere posset. Cum enim iam praeclare instructus esset doctrina, et caeterorum iudicia explorasset, et se quantum potuit, ad mathemata illustranda et propaganda praeparasset, constituerat et veteres scriptores edere, et suas enarrationes publicare. Ad hanc rem instruxit officinam typographicam, et nomenclaturam proposuit librorum, quos editurus erat, quae adhuc extat, et quidem auspicato exorsus est ab editione Ephemeridum annorum triginta: fuitque tam gratus labor eo tempore, ut singula exemplaria duodecim aureis Hungaricis venderentur, et quidem appeterentur ab omnium gentium hominibus. Nemo Italus, Gallus, Pannonius, Sarmata, aut Germanus simile calendarium viderat. Veneti etiam in Graeciam invehebant. Scitis autem et velle Deum, ut anni discernantur, et erudita discrimina omnibus sanis valde grata esse. Quare furores Cyclopum detestemur, qui harum artium studia vel oderunt, vel contemnunt. Sumptus autem ad instruendam officinam typographicam praecipue contulit Bernhardus Walterus, e cuius familia Walteri sunt in his regionibus non ignoti, qui et facultates habebat amplissimas, et colebat doctrinae coelestis studia. Invitavit autem et aliorum multorum civium voluntates, ut has disciplinas degustare et cognoscere inciperent. Haec seminaria huius doctrinae primum Noribergae sparsa sunt. Quare usque ad haec tempora in ea urbe magis harum artium studia florent, quam in plerisque Academiis. Et sapientissimi senatus consilio stipendium certum artium, ut ad earum cognitionem iuventus adsuefiat: ac recens ibi multorum studia excitavit vir doctus et honestissimus Ioannes Schonerus. Videte autem quantam rem molitus sit Regiomontanus. Novas versiones instituit Ptolemaei Magnae constructionis et Geographiae. Adornabat et suarum emendationum confirmationes. Obiter et alia naturae opera scrutatur et patefacit. Inquirit quam alte vehantur supra terram vapores, et mirabili solertia deprehendit, non amplius duodecim milliaribus Germanicis eos ab horizonte distare. Legimus autem eo tempore duobus continuis annis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, ac rursus millesimo, quadringentesimo, septuagesimo secundo, arsisse duos cometas: quos tanta siccitas secuta est, ut fluminum et fontium venae exaruerint. Nominatim etiam narrant multorum oppidorum conflagrationem secutam esse. Et dimicarunt inter se de Bohemia, Hungari et Poloni. Et Mahometus Turcicus tyrannus in Europa Walachiam occupavit, in Asia Trapezuntinum regnum, ut alia multa omittam. Cum igitur Regiomontanus sciret non saepe duobus continuis annis incensos esse cometas, et moveretur magnitudine eventuum, qui secuti erant: edidit mirandum opus, de vero loco et magnitudine cometarum. Fuit eodem tempore Erfordiae vir doctissimus in his disciplinis, magister Christianus: cui quantum tribuerit Regiomontanus, ex eius Epistola adparet, in qua scribit, se molientem editiones utilium scriptorum, hanc ob causam libentius migrasse Noribergam, ne procul ab ipso abesset, quod maxime se ab eo adiuvari, et iudicio ipsius censuraque in multis materiis uti cupiat. Laudo artificis praestantissimi candorem, quod alienus fuit ab obtrectatione, et a malevolentia erga suae artis professores: et quidem arbitror serio huius pulcherrimi laboris socios, et censuram magni artificis quaesivisse.

Grata fuerat Romae inprimis editio Ephemeridum: et viri docti, qui eius ingenium et eruditionem norant, in Italiam eum retrahi cupiebant, ut frui eius doctrina possent. Hi sunt hortatores, ut Pontifex Sixtus eum Romam accersat, et causa recensetur, quod de emendatione Calendarii deliberationes futurae essent. Etsi autem aegre patiebatur avelli se Regiomontanus ab officina et a Ptolemaei editione, et praesagiens suam mortem, ut narrant, querebatur se gravatim hoc iter suscipere: vicit tamen Pontificis autoritas. Et causa proposita erat, quae virum cupientem utilitati communi servire movebat. Scitis enim quantum prosit, habere rationem anni recte ordinatam et emendatam. Huic negotio tanto, tamque utili deesse noluit. Credibile est etiam, eo minus abhorruisse ab hoc itinere, quia expetebat eruditorum colloquia, et invitabant eum bibliothecae. Redit igitur Romam, ubi cum non diu fuisset, mortuus est anno millesimo quadringentesimo et septuagesimo, quo anno videlicet Rex Pannoniae Matthias ingenti prelio Mahometum superavit ad Sinderoviam, in quo etiam vulnus accepisse Ma-

hometus dicitur. Quis autem non doleat, tanto ingenio non contigisse vitam longiorem, praesertim molienti res utilissimas? Extinctus est enim, cum iam ingressus esset primum et quadragesimum annum. Fama est, venenum ei datum esse a Trapezontii filiis, quia et versionem Ptolemaei taxaverat, et errata in commentario et reprehensiones Theonis refutaverat. Ac genesis non solum hominem βιοθάνατον significat, sed etiam ingenuum et pugnacem. Quare fortassis ei linguae libertas nocuit. Sed quoquo modo extinctus est, mors immatura fuit, ac etiamnum lugenda: propterea quod iis operibus, quae iam inchoarat, carendum est. Non praetereundum est autem, quod ad hanc tantam eruditionem et ad alias virtutes adiunxit pietatem erga Deum, ac ut vera agnitione eum et invocatione coleret, novum Testamentum integrum Graece sua manu elegantissime descripsit, quem Codicem mihi Schonerus inter alia eius monumenta monstravit. Et consentaneum est, tales viros, qui ubique vestigia divinitatis impressa rerum naturae vident, et propter eruditionem attente considerant, his testimoniis valde moveri: et multo firmius statuant, hunc mundum ab aeterna mente architectatrice conditum esse, et gubernari, quam alios homines, alienos ab hoc studio considerandi tam multa et illustria vestigia Dei in natura. Equidem saepe toto corpore cohorresco, quod cum tam multis testimoniis verissime ostendat Deus se prope adesse, et spectatorem ac iudicem esse omnium nostrarum actionum: tamen pectora nostra languidius eum metuunt, et non ardent fiducia eius. Quaqua te vertis in hac tota rerum natura, vel coeli figuram, motus et harmoniam cum elementis considerans, vel mirandam artem in opificio nostri corporis et terrae foecunditatem intuens, ordo in omnibus rebus clamitat esse mentem aeternam architectatricem. Et haec agnoscenda est, ut se in Ecclesia patefecit. Quod cum fecerit Regiomontanus, nunc eum existimemus et in ipso Deo cernere ideam totius mundi, et causas, hoc modo omnia condita sint: et coram aspicere coelestia corpora, et saepe cum primis patribus de inventione harum artium et ipsorum observationibus, tanquam συμφιλοσόφοις dulcissime colloqui, et Deum autorem celebrare.

Bibliothecam vero Regiomontani Walterus ille civis Noribergensis, de quo antea dixi, redemit, quo mortuo senatus adservari reliquias curavit: ex quibus vir doctissimus Schonerus quaedam utilia scripta edidit. Sed plura alia et longe utiliora haberemus, nisi tristi fato autor ante tempus extinctus esset.

Recensui breviter historiam doctissimi viri Regiomontani, quam prodest notam esse scholasticis. Etsi enim praestantia naturae transferri ad alios non potest, tamen voluntatem et sedulitatem aliquo modo imitari alii possunt. Primum autem in huius historiae cogitatione Deo gratias agamus, conservanti artes, et excitanti aliqua bona ingenia ad eas discendas et illustrandas: et eum oremus, ne nunc extingui talia studia sinat. Deinde ipsius etiam Regiomontani memoriam grati celebremus, et eius doctrina frui studeamus. Imitemur etiam, quantum possumus, eius studia et sedulitatem, denique has ipsas artes, quas illustravit, amemus et magnifaciamus. Neque aut illa miranda spectacula motuum coelestium frustra oculis hominum proposita esse, aut doctrinam inutilem esse existimemus: sed vere sciamus, et ordinem motuum, et doctrinam ipsam, commonefactiones esse de Deo, et doctrinam multis modis prodesse hominum vitae, quod in numeris, in metiendo, in anni ratione et cognitione situs regionum manifeste apparet. Dixi.

No. 104. (an. 1549?)

De vita Avicennae.

In select. Decl. T. III. p. 378 sqq., Servest. T. III. p. 359., in T. III. Erford. lit. I, 5. et apud Richard. T. I. p. 567.

Oratio de vita Avicennae, a Doct. Iacobo Milichio recitata.

Universa haec rerum natura mirandum theatrum est, in quo se Deus conspici, et expressa testimonia suae praesentiae, sapientiae, bonitatis, considerari voluit. Ideo tantam varietatem artis in constructione, collocatione, figuris, motibus et viribus, architectus immensae sapientiae adhibuit, ut fateri cogerentur humanae mentes, hoc pulcherrimum opificium non casu conflatum esse, sed vere esse mentem architectatricem: et firmissima adsensione statuerent, huic menti architectatrici oportere homines subiectos esse, et mores nostris congruere oportere ad illam aeternam normam, quae est in ipso conditore, qui suae lucis radios in nos transfudit, et ipsum conditorem veris laudibus celebrandum esse.

Propter hanc tantam causam naturae considerationem necessariam esse manifestum est. Deinde et utilitate nostra moveamur. quaerenda sunt vitae praesidia in hac tanta varietate rerum, quae sunt partim alimenta nostrorum corporum, partim remedia. Etsi autem studium et consilium eorum probo, qui cum recitant laudes artis medicae, aliqua ex parte ostendunt naturae considerationem dulcem et utilem esse: tamen amplitudo argumenti tanta est, ut vix pauca membra ex tanta mole excerpta, proponi et monstrari possint. Itaque fateor me deterreri magnitudine rei, quo minus orationem de laudibus artis, hoc est, de consideratione naturae instituere possim.

Interea tamen et meam et omnium ignaviam deploro, omnes enim sumus negligentiores in aspicienda natura, et hoc theatro Dei contemplando, quam oportebat: cum quidem et Deus ad hoc studium nos invitet, et nihil hac cogitatione dulcius sit, et valetudini ac vitae haec diligentia plurimum profutura esset. Quanquam autem nemo satis intentus spectator esse naturae potest: tamen omnia bona ingenia hortanda sunt ad hanc considerationem dignissimam homine: imo cum et Deus eam praecipiat, ipsum quoque naturae conditorem oro, ut multorum flectet mentes ad hoc studium, et exuscitet eas, ut in hac consideratione ipsum quoque agnoscant, venerentur et celebrent.

Laudanda est autem Medicorum diligentia, qui etsi totam naturam evolvere nemo unus potest: tamen multas partes prolatas monstrarunt, et earum noticiam generi humano servant, ac prodest horum monumenta legi, non Graeca tantum, sed etiam apud alias gentes et aliis aetatibus composita. Multa enim in natura et in arte deprehenderunt recentiores Arabes, quae Graecis ignota fuerunt: qua in re et ab ipsa regionum natura, in quibus fuerunt, multi adiuti sunt. Sunt enim feracissimae remediorum Syria, Arabia, Aegyptus, Cyrenaica, Africa, Hispania: et haec quidem loca perlustrarunt Arabici scriptores omnia, et gens valuit acumine ingeniorum, et huic uni studio dedita fuit, quod quidem a vetustissimis patribus, a Iob et similibus acceperunt. Et quanquam plerique multas corruptelas arti admiscuerunt, tamen nemo ex omnibus Arabicis scriptoribus artem purius ipso Avicenna tradidit. Ut itaque studiosis Avicennam commendem, recitare eius vitam et studia decrevi.

Natus est Avicenna anno Domini millesimo, centesimo quadragesimo quinto in urbe Commagenae Edessa, ad Euphraten sita et subiecta Regi Persico, ex patre nobili, cui nomen fuit Hali, et matre Cithara, Persici satrapae filia. quoties enim ipse patris sui meminit, Principem eum vocat, quae appellatio postea in filio haesit. Puer a parentibus praeceptori natalino traditus est, qui in illis terris ingenii et doctrinae laude floruit: qui cum animadverteret adolescentis naturam capacem esse disciplinarum, mox post prima elementa literarum, Dialecticam, Geometriam et Astronomiam discendam ei tradit. Dicunt autem, Avicennam singulariter delectatum esse lectione Euclidis, adeo ut Epitomen in hunc autorem conscripserit. In hoc cursu studiorum apud domesticum praeceptorem substitit usque ad annum aetatis decimum octavum. Pater vero Avicennae, qui et ipse ingenio magnus fuit, ubi in filio animadvertit vim ingenii et excitatam naturam, voluit eum in aulam Regis Persici tradere, et propter varietatem et magnitudinem negotiorum haberet occasionem exercendi ingenii: sed filius, qui aulae studia norat, precibus a patre impetravit, ut ocium ad discendum sibi concederet. Pater vero, qui et ipse delectabatur ingenio filii, id ipsi concessit, et commeatu instructum Alexandriam proficisci iussit: ubi adhuc erant reliquiae veteris celeberrimae scholae, quae sub Aegyptiacis Regibus et deinde Romanis temporibus docentium et discentium frequentia floruit. Etsi enim propter Sarracenicum imperium, iam Graecae linguae usus non erat vulgaris, et squallidius tradebantur omnes artes, et multae corruptelae doctrinis admixtae erant, tamen studia nondum prorsus conticuerant. Adhuc ibi haerebant reliquiae quaedam illarum praecipue artium, quibus vita humana carere non potest, ut Medicinae et Astrologiae: malitia autem gentis Sarracenicae utraque misera erat deformata. Pro Medicina enim ineruditam et confusaneam coacervationem experimentorum tradidit.

Pro Astronomia, quae motus coelestes certa ratione metitur, et apparentiarum coelestium causas et effectus inquirit, manticam quandam, imo magicam divinatricem protulit, Unde huius gentis immanem saevitiam diabolicae astutiae coniunctam videre licet: quae cum non posset in universum artes tollere, tamen ita deformavit.

Erat istis temporibus Alexandriae medicus Rasis, qui caeteros et doctrina et medendi foelici-

tate vincebat: ad hunc Avicenna se contulit. Cum enim videret Philosophiam prorsus absque medica arte imperfectam esse, animum ad Medicorum doctrinam adiecit, ut naturam integre evolutam, quantum omnino humana industria fieri potest, compleretur. Veteribus enim temporibus non fuit inhonestum principibus artem medicam discere, sicut Pelei, Achillis, Alexandri Magni, Pyrrhi, et multorum exempla testantur, hodie vero longe diversa sunt principum et potentum studia. Hunc Rasim grandiorem natu audivit adolescens Avicenna: quanquam autem multa in hoc doctore desiderabat, tamen inopia meliorem hunc sectatus est.

Postea vero cum et aetate et doctrina iudicium confirmasset, animadvertit in Rasi magis esse empiricam, quam rationalem doctrinam. Cum enim divino afflatu incitatus ad haec studia raperetur, facile deprehendit Doctoris sui imbecillitatem, et quid in ipsius doctrina veri aut falsi contineretur. Cum enim Rasis nimis procul a fontibus Hippocratis et Galeni recederet, necesse erat et ipsius medicationes erroribus non carere. Sic enim diserte inquit Avicenna lib. 4. cap. de universali febrium curatione. Profecto profuisset huic viro, ubi Rasim intelligit, non tam procul a Galeni et Hippocratis placitis discedere. Ita minus contradictionum ac errorum esset in ipsius scriptis.

Post quadriennium Alexandria discedit, et in oppidum Hispaniae Cordubam proficiscitur, ubi docebat Averrois, cuius fama excitatus, eo concessit. Averrois enim nomen istis temporibus fuit celeberrimum. Fuit autem Averrois ingenio acri, pugnaci, ventoso, et reprehensione aliorum famam sibi quaerebat: qua in re saepe contradicendi studio a veritate abductus, artes recte constitutas, sophisticis praestigiis labefactavit, temperamentorum mixturas tollit, humores in epate negat gigni, circa nutritionem novam et absurdam sententiam comminiscitur. Sed quid opus est commemorare singula? hoc solum egit, ut sublata autoritate veterum autorum, se in ipsorum locum collocaret.

Huc pertinent ipsius magnificae voces, quibus significabat se repurgaturum esse Philosophiam, illamque veram et sinceram, detorsis omnibus naevis, in medium iterum prolaturum esse. Hae voces et haec magnifica promissa animos auditorum percellebant, et nomen et admirationem docenti conciliabant. Sed redeo ad Avicennae historiam.

Cum Cordubae aliquandiu substitisset, et Averroim docentem audivisset, ipso relicto Alexandriam revertitur. Quia enim pueritia fuit probe institutus et ad Geometriam et demonstrationes assuefactus, facile potuit diiudicare inter vera et falsa docentes. Alexandriae coepit Hippocratem et Galenum sibi Doctores proponere, quorum doctrinam maxime veritati consentire iudicavit. Etsi enim pulsa lingua Graeca, veteres autores etiam exulabant, tamen aliqui studiosiores requirebant fontes. Quare et in linguam Arabicam pleraque Hippocratis, Galeni et Ptolemaei opera a Sarracenis in linguam Arabicam sunt conversa, ex qua lingua non multo post nostrorum imperatorum beneficio, Lotharii ac Friderici Secundi, in latinam linguam translata sunt: qua versione omnes scholae hactenus usque ad haec nostra tempora usae sunt.

Avicenna itaque ad veros fontes se contulit: et quia institutione et natura excelluit, facile evolvere ac intelligere ea potuit, quae aliis erant ignota. Cumque Alexandriae doctrinam medicam confirmasset, ac totam Aegyptum perlustrasset, in qua plurima medicamenta deprehendit, aliis Medicis ignota, in patriam revertitur. Ibi cum fratri cessisset gubernationem, ipse se ad scribendum contulit. Cum enim videret quantum recens Medicina a veteri degenerasset, voluit eam iterum ad fontes revocare, et ea quae erant ignavia hominum situ et rubidine obducta, rursum detergere.

Et quia Galenici libri, in quibus ars integre traditur, temporum vitio non erant in manibus discentium, et praeterea Galenus non uno libro integram artem complexus est: ipse scriptum instituit, quo eruditissima et aptissima methodo integram artem medicam complectitur, in quo ea quae apud Galenum dissipata leguntur, in unum corpus coëgit *σωματοποιήσας τὴν τέχνην*, ut Graeci loquuntur, et sine Sophistica, et quae post longam inquisitionem, et in ipso artis exercitio, et in disputationibus cum doctissimis viris verissima esse iudicavit, complexus est. Tanto autem applausu hoc Avicennae scriptum exceptum est ab omnibus eruditis, ut iam plus minus annis quadringentis in omnibus publicis Academiis a professoribus sit expositum: et hoc suo scripto, quia Galenicas disputationes iterum reduxit in lucem, cursum studiorum sui seculi commutavit, quae

res non fuit mediocris laboris, praesertim cum empirica Medicina sola in usu esset.

De eloquentia autem Avicennae nihil iudicare possumus, scripsit enim Arabica lingua, et nactus est latinum interpretem, quales habuit istud seculum, qui sine dubio multas illustres sententias inconcinna interpretatione obscuravit. Nec esset difficile eius rei exempla producere, nisi temporis brevitate excluderemur. Adhibuit autem in scribendo hunc delectum, ut optima quaeque tantum excerperet, quae tam accurate digessit, ut ipsa ordinis concinnitas lectorem et invitare et detinere possit. Orditur enim artem a primis initiis et elementis, eamque inde per temperamenta, humores et singulas partes corporis humani deducit, ut ipse ordo magnam lucem rebus adferat. Deinde universales et particulares morbos, et ipsorum causas, modum generationis, indicia et curationes ita perspicue explicat, ut lector nihil ulterius requirat. Hac enim et simplicissima et maxime perspicua methodo utitur, ceu filo ad regendum lectorem, ne usquam a proposito aberret, quod alicubi in lectione Galeni animadvertit imperitioribus accidere. Non autem hoc suo scripto studiosos a lectione Galeni retrahere voluit, sed magis invitare: ut sciant quo singulae partes, quas Galenus singulis libris explicat, referendae sint.

Quod vero ad curationes morborum et remedia attinet, longe vincit omnes, qui ante ipsum scripserunt, atque hanc laudem citra controversiam ab omnibus sanis habet: tametsi quidam hodie, qui nullo usu artis praecepta confirmarunt, vociferari adversus eum non desinunt. Ipsi tamen remedia de verbo ex ipsius libro describunt, ac perinde faciunt, ut ille in fabula de vino inquit: Vituperant, et bibunt tamen. Praeterea nemo pro dignitate eloqui potest, quantum beneficium sit Avicennae, quod rationem commonstravit, quomodo succi herbarum cum saccaro decocti, in longum tempus conservari possint. Et quod ipse primus cocturam saccari ex cannis expressam, quale ad nos hodie affertur, tradidit. Nusquam enim apud veteres Graecos talis coctura extat, nec ante Avicennae tempora in usu fuit.

Primus etiam Avicenna Cassiam fistularem in usum deduxit, quae est vere benedictum medicamentum, quod propter excellentem bonitatem et pueris et senibus tuto exhiberi potest. Commonstravit etiam usum radicis Rhabarbari. Quam suaviter autem haec radix bilem educat, et simul etiam viscera et praesertim epar corroboret, norunt qui ea utuntur. Nihil hic dicam de Tamarindis, de diversis Myrobalanorum generibus. Quam longum esset, composita medicamenta recensere, quorum mixturam ipse primus docuit, et usum eorum ad diversa morborum genera commonstravit. Praeterea nihil dicam de ipsius medicationibus, quas singulari foelicitate exercuit. Persici Regis filium phrenitide correptum mirabili industria servavit, et alios innumeros exitialibus morbis correptos liberavit.

Quod si ii qui in bello civem servarunt, aut militem periclitantem clypeo texerunt, de publico ornantur, alii corona aurea, alii statua, atque ipsorum etiam liberis ex publico annona praebetur: quod praemium debetur isti, qui non unum aliquem civem, aut unam aliquam civitatem servavit, sed ingentem multitudinem omnis generis hominum et nationem, idque tot seculis, nullius quantumvis diserti oratio magnitudinem huius beneficii eloqui potest? Ego vero tametsi meam infantiam agnosco, tamen quoties haec cogitatio subit animum meum, continere me non possum, quin eum prolixe praedicem. Et optarim mihi a Deo talem orationem concedi, qua istum veternum ex animis hominum excutere, et hanc summam ingratitudinem, non tantum erga homines, sed magis erga Deum, qui est conditor remediorum et artis monstrator, tollere possem, quia tamen malum est adeo inveteratum, ut prorsus sit immedicabile, ideo et ego aequiore hoc fatum temporum animo feram. Deus aliquando poenam huius ingratitudinis magna severitate exiget.

Vos autem adolescentes adhortor, ut horum artificum memoriam sacrosanctam retineatis, qui multa fecerunt et tulerunt, ut artes expeditiores et planiores nobis relinquerent. In hac delirante mundi senecta non tantum superest vigoris in animis hominum, ut aliquid novi gignere possint. Debetis itaque quae ab artificibus, Deo praeeunte et monstrante viam, tradita sunt, reverenter colere: non ii tantum qui Medicinam discunt, sed illi etiam qui Medicina indigent. Cum autem nunc et sua sponte in occasum inclinata corpora magis languescant quam ante, et crapula quae nunc in morem transiit, nec quicquam mali habere indicatur, debilitentur, omnes debemus agnoscere beneficia huius artis, et Deo conditori gratias agere, sicut scriptum est: Honora Medicum, Deus enim creavit eum propter necessitatem. Dixi.

No. 105. an. 1549.

De Casp. Crucigero.

In select. Decl. T. III. p. 315., Richard. T. III. p. 810., Servest. T. III. p. 299., et in T. III. Erford. lit. S, 5. Etiam separatim prodiit Witeb. 1549. 8. 2 pl.

Oratio de Casparo Crucigero, ab Erasmo Reinholt Salveldensi recitata.

Principio gratias ago Deo aeterno patri domini nostri Iesu Christi, fonti sapientiae et conditori rerum, quod Ecclesiam inter nos sibi colligit in omni aeternitate ipsum celebraturam: et toto eum pectore oro, ne sinat inter nos extingui lucem doctrinae, sed immensa misericordia sua propter filium hos coetus gubernet et servet, et hos nostros alveolos clementer protegat. Consuetudo autem est digna laude in his congressibus ad commonefaciendam iuventutem, vel praeconia doctrinae, vel exempla eruditorum recitare. Nam in his nostris studiis praecipue non solum accenduntur animi considerantes aliorum industriam et virtutem, sed commonefiunt etiam de multis rebus, et quasi vestigia superiorum aspicientes, viam ad doctrinae arcem discunt.

Ac mihi quidem hoc ipsum anni tempus renovat memoriam amici nostri Caspari Crucigeri, cuius morbus hoc mense anno superiore ingravescere coeperat. Itaque cum mihi adsidue iam obversetur eius imago, et desiderio eius non solum propter amicitiam et studiorum coniunctionem, sed etiam propter Ecclesiae orbitatem ingenti adficiar, etiam in hunc locum commemorationem studiorum et virtutum eius adferendam esse duxi. Notum est enim illud omnibus, *ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ᾽ ἔχει.* Nec tantum ut vel dolori meo indulgeam, vel debitum amicitiae nostrae munus praestem, hoc argumentum delegi, sed multo magis adolescentum causa, quibus exemplum recens et illustre propono, cuius consideratio de his ipsis studiis, in quibus versantur, multa eos monere poterit. Nec instituam Graeco more panegyricam laudationem, sed breviter vitae ipsius historiam, studia et de maximis rebus iudicia narrabo, quorum memoria posteritati utilis est. Atque utinam multorum eruditorum ex illa sinceriore antiquitate testimonia, vere et perspicue scripta extarent. Nam hoc ipso Deus aliquos in Ecclesia excellentibus donis ornat, ut testes sint verae sententiae, et alios erudiant, ac sua suffragatione confirment. Erit igitur et hanc ipsam ob causam narratio simplicior, quia volo eam testimonii pondus habere, cum quidem ipsius pectus mihi penitus notum fuerit. Et quoniam haec aetas plena est suspicionum et calumniarum, et vere, ut Homerus inquit, *οὐχ ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισι,* ne quid finxisse videar, testes meae orationis esse volo, Reverendum virum pastorem Ecclesiae nostrae, et Georgium Rorarium, viros integerrimos, quibus fuit familiarissimus. Instituam igitur veram et nudam commemorationem, ac prorsus, ut Geometer, lineas tantum aedificii ducam, de quibus extrui magnum opus posse, facile intelligi poterit.

Ordiar autem, sicut usitatum est, a patria. Natus est Caspar Cruciger in inclyto oppido Lipsia. Hic si de patriae laudibus rhetorico more dicturus essem, quantum volumen addi posset? Sed ipse patriam praecipuam Ecclesiam esse sensit: nec tam natalis loci celebritate laetatus est, quam quod Ecclesiae civis factus est. Nec tamen ingratus fuit patriae. Agnoscebat singularem foelicitatem esse nasci in tali urbe, in qua cum optimarum artium studia floreant, et magna sit eruditorum frequentia, inveniri doctores adolescentiae commodius, quam alibi possunt.

Etsi autem vim ingenii, quae fuit in eo excellens et mirifica, non solum ad causas physicas refero, sed singulare Dei donum fuisse statuo: tamen et a parentum natura, et a causis coelestibus aliqua naturae praestantia sumpta videtur. Fuit enim in matre virtus eximia. Et de positu siderum memini Gauricum ita indicare, ingenii excellentiam mirandam significari, sed simul etiam varios morbos denunciari. Ac si quis requirit positum siderum, ut extare multa exempla optarim, is tempore indicato thema constituat. Natus est enim Caspar anno 1504. die prima Ianuarii circiter horam primam, post mediam noctem, ita ut duo tantum sint domicilia omnium planetarum, Sol, Venus et Mercurius in Capricorno tertium locum ab horoscopo occupent. Caeteri omnes in Cancro, Saturnus, Iupiter, Mars et Luna volvuntur in nono loco, extatque tantum supra finitorem (*στάχυς*) spica Virginis, quantum infra adhuc absunt a linea horizontis duae lucentes in utra chele, quae quidem nobis simul oriuntur. Congruit etiam totus asterismus Leonis cum decimo loco ab horoscopo. Est omnino congressus stellarum non vulgaris, de quo ab eruditis multa dis-

putari possent. Sed cum ingenii et studiorum significatio sit illustris, caetera omitto. Et habuit ipse gubernatorem alium multo meliorem et potentiorem, scilicet Spiritum sanctum, quo cum aeterno patre et Domino nostro Iesu Christo copulabatur vero incendio amoris divini, et virtutum semina in eo fovebantur.

Accedo igitur ad pueritiae studia. Etsi nihil in eo torvum, aut asperum, aut immite fuit: tamen temperamentum fuit melancholicum, et ut ita dicam, pene Socraticum. Itaque et pauciloquus erat, et cogitabundus, et saepe in mediis sodalitiis quasi peregrinante animo. Visus est igitur initio parentibus hebetior et segnior. Sed cum celeriter percepisset Grammaticen apud virum integerrimum Georgium Heltum, postea commendatus est Casparo Bornero: qui cum animadverteret, nequaquam esse tardam aut ignavam naturam, ut videbatur, sed et avidam doctrinae, et celeriter arripientem omnia quae proponebantur, et vel inter ludos, cum aliud agere existimabatur, cogitatione intentam in ea quae discebat, ac sanitatem iudicii, ac facilitatem et perspicuitatem in explicandis cogitationibus eximiam esse, bene sperare parentes de ingenio filii iussit: et fuit hortator, ut apud Petrum Mosellanum in utraque lingua exerceretur. Antea Graece docentem, paulisper audivit Crotum Britannum, ubi commilitonem habuit Ioachimum Camerarium, quem illa primae aetatis studia commemorantem audivimus de Crucigero dicere, tunc quoque in speciem visum esse caeteris segniorem, et tamen plus didicisse, quam alios commilitones. Postea cum apud Petrum Mosellanum formare Latinam orationem didicisset, et in Graeca lingua multum proficeret, et in moribus nihil esset arrogantiae, nihil insolentiae, nihil fuci, nihil perversitatis, sed natura recta, candida, modesta, disciplinae patiens, amans veritatem, pietatem erga Deum et castitatem: Petrus eum, ut erat sagax ingeniorum censor, ita ut filium complexus est, et laudavit indolem, studia, et mores adolescentis universa Academia.

Cum autem utilissimis exercitiis utriusque linguae apud Petrum amplius quadriennio excultus esset, et propter luem Lipsiae grassantem paulisper secedendum esset, una cum Bornero venit in hanc vicinam Academiam, praecipue ut doctrina de Deo recte cognita, veris officiis Deum coleret, et Ecclesiae postea usui esse posset. Nam ad hos fines studia et vitam referebat, Deo, ut postea eventus ostendit, quasi per gradus eum ducente in hanc stationem, in qua postea bonam operam Ecclesiae navavit. Hic ad priora exercitia linguae Latinae et Graecae adiunxit studium linguae Ebraeae, ac omnes ita didicit, ut adeo familiariter sibi notae essent, ac si nativae ipsi, non insiticiae fuissent. Audiebat studiose et doctrinam Ecclesiae, ac universae antiquitatis certamina et iudicia conferebat, ac veros omnium dogmatum fontes quaerebat.

Hoc studium et moribus castis ac piis ornabat, eratque eius familiaritas Bornero, Ioachimo Camerario, Petro Suavenio, Hieronymo Baumgartnero, Chiliano Goltstein, Michaëli Rotingo, et aliis eruditis viris iucundissima.

Aliquanto post uxore ducta medicae artis doctrinam cognoscere coepit, quam et postea sic amavit, ut nunquam eius studium omiserit. Nec solum norat herbas et frutices, sed ipse duos hortos sua manu magna varietate stirpium ornavit. Remedia etiam praecipua morborum ei notissima erant, et ipse multa singulari industria adparabat.

Hactenus ea propemodum recensui, quae tyrocinii propria fuerunt. Postea ei mandatum est munus et interpretandi prophetica et apostolica monumenta, et in templo concionandi. In hoc gradu cum iam Doctor esset, quae fuerit eius militia, considerate. Hic de Ecclesia et tota posteritate bene meritus est.

Primum, quia in transferendis in sermonem Germanicum libris propheticis magna fide, diligentia et adsiduitate, Reverendum virum D. Lutherum adiuvit. Etsi enim Lutherus Ebraeam linguam probe callebat, tamen quia collationem iudiciorum sciebat non adspernandam esse, adhibuit viros in ea lingua praeclare eruditos, Aurogallum, Crucigerum et Forsterum. Hos et indices in obscuris locis, et suae fidei ac diligentiae testes habere voluit.

Praeterea cum esset in scribendo mira celeritas Crucigeri, magnam partem enarrationum et concionum Lutheri excepit in scholis et in templis: quas et brevibus notis velocissime scribere, et postea rursus integris syllabis ac dictionibus redditas edere, magnae industriae et magni laboris opus fuit, qua in re fidem ipsius probavit ipse Lutherus. Et teste Rorario viro integerrimo, a quo in hoc labore semper adiutus est, etiam post Lutheri mortem fidem praestitit.

Edidit et proprias lucubrationes, in quibus aliquot Psalmos et Evangelium a Iohanne scriptum enarrat, in quibus videt eruditus et sapiens lector, non ambitiose eum ludere fingendis peregrinis interpretationibus, non offundere caliginem lectoribus ambiguo et improprio sermone: sed propriis verbis, et perspicue unicam nativam sententiam evolutam illustrare. Ut mores, ita oratio fuit placida, recta et casta: sed tamen copiosa, et quadam parsimonia ornatus et luminum, quae magno delectu miscebat, Atticam illam formam referens.

Magna laus et haec est pietatis, eruditionis, prudentiae, gravitatis, imo et Spiritus sancti in eo significatio, quod cum in his dissidiis publicis, quae ut fit, laxant disciplinae frenos, multi passim novas opiniones ambitione aut curiositate gignerent, ipse semper ab omnibus furoribus fanaticorum horum abhorruit, et custos fuit incorruptae doctrinae, quae in Lutheri confessionibus expressa est.

Et quia prodest extare ad posteros testimonium ipsius, recitandam esse censui et confessionem ipsius, saepe repetitam cum aegrotaret, audientibus multis Doctoribus et collegis nostris. Adfirmavit enim saepissime se toto pectore amplecti consensum doctrinae in omnibus articulis, quem una voce, cum Luthero et pastore huius Ecclesiae sonare solitus sit: seque hunc consensum ad Deum et filium Dei, et ad Prophetarum et Apostolorum consuetudinem constanter allaturum esse. Nec dubitare se, hanc perpetuam esse sententiam catholicae Ecclesiae Dei, quam professus esset. Inchoata est ab eo enarratio symboli Niceni, in qua initio adfirmat se symbolum illud amplecti: deinde illustrat doctrinam de tribus personis, diligenter universa antiquitate Ecclesiae considerata. Quare et alibi doctos et bonos viros eam lucubrationem probasse scio. Denique mihi familiarissimi sermones ipsius noti sunt, in quibus omnia Ecclesiae tempora repetebat, et errores taxabat, quorum alii aliis temporibus in Ecclesia grassati sunt, multi etiam subinde repullularunt. Serio etiam oderat cothurnos et ambigua dicta, quibus saepe turbatae sunt Ecclesiae. Quoties vidi gementem, si quando novas insidias strui veritati audiebat. Nec tantum vox in docendo congruebat cum Ecclesia Dei, sed etiam pectus, invocatio, mores celebrabant Deum.

Ac talis cum esset, vestigia Dei in natura etiam libenter considerabat, ac saepe dictum Platonis repetebat, gratam de Deo famam in artibus sparsam esse. Et illud Paulinum: Tam prope adesse Deum, fere ut manibus contrectari possit. Cernere se inquit praesentiam Dei in natura, qui prorsus ut artifex certo consilio singulis membris sua auxilia attribuit, et adversus singula morborum genera peculiaria praesidia et remedia condidit. Convinci etiam homines dicebat, ne casu existiment hunc mundum ex chao temere confluxisse: quia ordo in numeris, in discrimine honestorum et turpium, in motibus coelestibus, in vicibus temporum testaretur mentem aeternam architectatricem esse.

Adiungebat igitur ad caeteras artes mathematum studia, quorum initia degustarat apud Bornerum. Sed hoc decennio tantum eis operae tribuit, ut inter artifices numerari potuerit, quod eo adfirmare possum, quia cum propter societatem horum studiorum magna inter nos familiaritas fuerit, et ingenium ipsius introspexi, et progressus eius vidi. Erat in eo et aviditas discendi, et celeritas in percipiendo, et iudicii rectitudo, et laboris tolerantia, et constantia animi, qua immorare inchoatis laboribus innumeris et geometrica subtilitate poterat. Erat adsiduus in Euclidis demonstrationibus investigandis et eruendis.

Saepe cum magna pars diei tribuenda esset aliis lectionibus, aut reipublicae, tamen in prandiis et coenis Euclidem collocabat in mensam, et in eum oculis et mente intuens, pingebat inter edendum numeros aut figuras demonstrationi necessarias. Amici intentionem admirantes per iocum dicebant, hanc intentionem Archimedeam esse. Legimus enim Archimedem inter ungendum, quasi oblitum caetera stetisse, et ipso oleo pinxisse figuras. Iamque in *μεγάλῃ σύνταξει* Ptolemaei versabatur: ubi cum animadverteret Alphonsinas tabulas conditas ex certis observationibus ante annos fere trecentos discrepare e Ptolemaicis, nec illas tamen cum nostri temporis observationibus congruere, valde optare coepit emendationem tabularum: quae ut institui posset, Reges et Principes ab his, qui autoritate valent, hortandi erant, ut artificibus ad eam rem delectis, sumptus praeberent. Cumque observationum testimonia necessaria esse intelligeret, me oravit, ut fabricari machinas curarem, et me sumptibus ad iuvit. Itaque regulas seu instrumentum paral-

lacticum Ptolemaei construxit, cuius duo sunt aequalia latera pedum denorum et ternorum. Item, Quadrantem circuli, cuius semidiameter, non minor tribus cubitis, ita ut utrique instrumento perpendiculum seu *χωνάριον*, cistulae inclusum contra flatus ventorum artificiose adfixum sit, gubernans istam collocationem. Coepimus igitur una primum multis observationibus explorare veram latitudinem huius oppidi, quam deprehendimus esse graduum unius et quinquaginta, et scrupulorum quatuor et quinquaginta. Deinde et motum Solis et tempora aequinoctiorum, ubi deprehendimus vernum aequinoctium sedecim pene integris horis fieri tardius, quam ostendunt usitatae computationes, sed autumni aequinoctium parum a calculo discrepare.

His et similibus observationibus moti, Copernicum magis admirari et amare coepimus. Eumque secuti, nostras observationes cum omnibus praecedentibus in hoc genere contulimus. In qua consideratione animadvertimus anni veram seu adparentem magnitudinem eius, quam Copernicus temporalem, Graeci *τοπικὸν*, Latini vertentem dicunt, nunc iterum maiorem esse, quam vel Albategnii vel Alphonsi temporibus: ac pene rursus aequalem factam ei, quam Ptolemaeus prodidit, videlicet praeter dies integros 365 horarum 5 et scrupulorum primorum 55 unius horae. Cum reditus Solis ad medium aequinoctium non superet horas 5 scrupula 49 cum triente unius scrupuli. At reditus Solis ad eandem stellam fixam excedit quadrantem diei pene sextante unius horae aequinoctialis. Quem annum licet *Ἀστεροτέριδα* nominare. Belli tempore cum non impediretur praelectionibus, ut moesticiam leniret, plus temporis tribuit observationibus, in quibus non solum nostris machinis maioribus, sed etiam aliis minoribus utebatur, quas tunc fabricari curaverat. Loca igitur stellarum fixarum multarum observavit, quae ipsius manu annotata habemus. Opticen etiam probe intellexit, ut opera eius generis ipsius manu descripta ostendunt. Nam et Rhetici lucubrationem et Alhasen sua manu descripsit, ubi multa *διαγράμματα* quae deerant addidit.

Sed quia longiorem commemorationem hoc tempus nobis non concedit, pauca de postremo eius actu dicam. Meministis eum decumbere plus tribus mensibus, sine spe recuperandae valetudinis. Erant enim extinctae vires ventriculi, et nutrimentum in humorem melancholicum vertebatur, quem copiose reiiciebat. Ita paulatim contabuit, cum quidem cerebri vires usque ad extremum halitum integerrimae essent. His tribus mensibus quale theatrum fuerunt eius virtutes? Nulli fremitus erant, nulla indignatio: sed quia mens obedire Deo decreverat, et laeta consuetudinem coelestis Ecclesiae expectabat, mores erant placidi, quales esse solebant, sermones etiam pleni pietatis et suavitatis.

Nec studia prorsus omisit. Dies ita ei distributa erat, quantum in illa morbi sevitia fieri potuit. Mane filiolas duas ad se vocabat, ac iubebat recitare precationes. Ipse suam invocationem, suos gemitus et lachrymas pro Ecclesia, pro seipso, pro natis miscebat, saepe haec verba repetens.

Invoco te omnipotens Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et hominum, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, iuste, verax, misericors, caste, liberrime custos Ecclesiae, miserere mei, et remitte mihi omnia mea peccata, propter Iesum Christum filium tuum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, *λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον,* quem voluisti pro nobis esse victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην,* mirando et inenarrabili consilio: sanctifica me Spiritu sancto tuo, serva in his regionibus Ecclesiae reliquias, non sinas extingui lucem Evangelii tui. Fac etiam meos orphanos vasa misericordiae. Invoco te quanquam languida et imbecilla fide, sed fide tamen. Credo fili Dei Domine Iesu Christe promissioni tuae, quam sanguine tuo et resurrectione obsignasti. Adiuva me, erige meum pectus fide.

Has ipsas voces saepe eum repetere multi audivimus. Deinde filias alloquebatur, et inculcabat aliquam doctrinae partem. His dimissis, ipse redibat ad operas institutas. Nam morbi tempore absolvit versionem libri Lutheri de ultimis verbis David. Reliquum tempus tribuebat alias lectioni Psalmorum, alias Ptolemaeo, Theoni, Euclidi, Epitomae Regiomontani. Et cum diu foris contemplatus esset coelum, tandem rursus velut ingressus coelum, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum compellabat, et usitatam invocationem et confessionem repetebat. Sermones cum amicis erant, quales antea fuerant de omnibus doctrinae partibus, de miranda Ecclesiae gubernatione, de immortalitate, de spe nostrae consuetu-

dinis in Ecclesia coelesti. Die sexto Novembris Chasma in coelo valde conspicuum fulsit, ab ortu aestivo versus brumalem occasum sparsum, quod late conspectum est, et flammae alicubi in terram delapsae, rursus in aërem evolarunt. Id ipse etiam noctu viderat, ita cubans, ut eam coeli partem intueri posset. Eo motus prodigio, cum quidem tunc vires eius valde languefactae essent, admodum moesta oratione, cum postridie ad eum venissemus, deploravit Ecclesiae dissipationes, et venturos motus praedixit: ac decem dies reliquos, quibus superstes fuit, consumpsit, ut solebat, in invocatione et confessione.

Ita inter vota tranquillo animo die Novembris sedecimo, Anno 1548. decessit ex hac mortali vita Caspar Crucigerus, vir excellens ingenio, eruditione, agnitione vera Dei, sapientia, et omnium virtutum laude. Qui cum fruatur coelestis Ecclesiae consuetudine, ipsi quidem gratulemur tam placidam migrationem, sed nostra causa doleamus. Nos enim magno ornamento orbati sumus. Verum testimonia suae sententiae et studiorum, vitaeque exemplum nobis reliquit. Haec ad usum nostrum transferamus, confirmemus nos eius scriptis, et imitemur studia, mores, pietatem. Ideo Deus immensa misericordia Ecclesiae dat aliquos excellentes Doctores, ut eorum voce et literis alii erudiantur et confirmentur, et exemplis ad pietatem accendantur. Simul igitur et Deo gratias agamus, quod talem nobis dedit collegam et Doctorem: et ipsius Crucigeri laboribus fruamur, et vitae studiorumque exempla sequamur. Dixi.

No. 106. an. 1549.

De dicto: Typus esto etc.

In sel. Decl. T. III. p. 484 sqq., Richard T. III. p. 478., Servest. T. III. p. 460. et in Tomo III. Erford. lit. R, 4. Item in Georgii Principis Anhaltini concionibus et scriptis p. 425. Est enim oratio synodica, quam Melanthon in usum Georgii Anh. scripsit, missa ei d. 10. Iun. (vid. Ep. ad Anhalt.) et a Georgio recitata d. 17. Iun. 1549.

Oratio de Pauli dicto ad Timoth. cap. 4.: Typus esto fidelium in sermone etc.

Cum pio studio propter consuetudinem aliquot annorum, quae ad consensum de doctrina in Ecclesiis vicinis retinendum profuit, convenerimus, non ut contra cuiusquam autoritatem aliquid fiat, sed ut pie et amanter de eodem consensu tuendo colloquamur: agamus eadem, quae antea in his piis congressibus agere consuevimus.

Ac primum gratias agimus tibi omnipotens Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, quod non sinis extingui lucem doctrinae tuae, et inter nos hactenus clementer servasti has reliquias tuae Ecclesiae, quae vocem Evangelii tui incorruptam sonare student. Deinde et ardentissimis votis teipsum verum Deum, conditorem coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae tuae, alloquimur, et ardentibus votis propter filium Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut et deinceps semper in his regionibus aeternam tibi Ecclesiam, propter tuam gloriam, colligas et serves.

Cum autem in his conventibus post precationem aliquid de pastorum officio dicere usitatum sit, ut et diligentia in docendo et regendis moribus, et studium tuendae concordiae in aliquibus excitentur: Ego quoque nunc admonitionem gravissimam Pauli vobis proponam, quam scripsit his verbis ad Timotheum.

Typus esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate.

Non enim uni Timotheo haec admonitio scripta est: sed haec vox Spiritus sancti omnes gubernatores et doctores in tota Ecclesia omnibus temporibus alloquitur.

Ac semper homines sapientes hoc docendi genus magnifecerunt, tradere breves sententias, in quibus praecipuae virtutes comprehensae, semper in conspectu essent, ut ad talia dicta, tanquam ad normam vita et studia dirigerentur. Et hoc ipso generi docendi Prophetae, Christus et Apostoli multum et saepe usi sunt: quod quidem consideranti iucundissimum est. Delectat enim videre tanquam in tabella pictas imagines pulcherrimarum virtutum et bonorum gubernatorum.

Et propter brevitatem facilius infiguntur animis, ut se saepius offerant in deliberationibus, et earum recordatio vitae et actionum regula sit. Quare et summi Reges ac Principes sibi et aliis talia brevia praecepta ex sapientum libris electa, saepe praescripserunt. Sicut Augustus saepe Ma-

gistratibus in provincias misit tales sententias. Et Agrippa Augusti amicus dixit plurimum sibi profuisse hanc vocem, ad studium tuendae concordiae cum Augusto: Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.

Et Paulus in hoc brevi dicto non solum virtutes omnes necessarias complectitur, sed sapientissime etiam significat, quae sint praecipua gubernatori pericula, et quibus virtutibus armatum esse in iis periculis oporteat. Quaeso igitur vos omnes, ut hanc Pauli sententiam infixam pectoribus semper vobiscum circumferatis, et crebra eius recordatione vos ad harum virtutum intellectum et amorem exuscitetis. Et ut navigantes saepe portum intuentur, ad quem applicanda est navis: ita nos saepe tales sententias mente intueamur, iuxta quas vita regenda est.

Primum autem iubet nos exemplo aliis esse. Virtutes nostrae ad hos fines praecipue referantur, ut Deo praestetur obedientia debita, et ut alii nostris exemplis invitentur ad celebrandum Deum, ut filius Dei inquit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester coelestis. Nota sunt vobis vetera dicta, scilicet: In vulgus manant exempla regentum, et: Talis est populus, qualis sacerdos. usitatum est enim, imitari populum mores gubernatorum, et facilior est imitatio malorum exemplorum. Ideo praecipit Paulus initio, ut hanc ipsam ob causam diligentiores simus in regendis nostris moribus, ne videamur ipsi laxare frenos disciplinae, quod cum fit, alii deinde plus sibi licentiae propter exempla gubernatorum sumunt. Haec scandala cavenda sunt, de quibus dictum est: Vae homini, a quo scandalum oritur.

Nominatim vero praecepit Paulus, ut simus exemplo fidelibus, quod ideo addit, ut cogitemus, in qua parte hominum vivamus, et quae gubernatio nobis commendata sit. Multo graviora sunt delicta eorum, qui Ecclesiae Dei prava exempla proponunt, et in bonis dolore adficiunt Spiritum sanctum, et imbecilles corrumpunt, quam qui alibi inter impios delinquunt, qui alioqui etiam sine exemplo indulgent omnibus pravis cupiditatibus. Cogita igitur, qua in statione Deus te collocaverit. Non prophanae multitudini, sed Ecclesiae Dei praeesse te scias, in qua vere adsunt Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, et filius Dominus noster Iesus Christus et Spiritus sanctus, et piorum Angelorum agmina, et multi homines qui sunt domicilium Spiritus sancti. Hoc templum Dei prophanare et polluere, et quasi expellere Deum ex hoc suo domicilio, magnum scelus est.

Deinde virtutes ordine recenset Paulus, quae vult in pastoribus lucere et conspici. Orditur autem a cura tuendae puritatis in doctrina: quia cum in omnibus hominibus primam oportet esse doctrinae curam, tum vero maxime pastores, qui praecipui sunt custodes doctrinae, ante omnia proprium munus et intelligant, et fideliter administrent. Sitis, inquit, exemplo fidelibus in sermone, id est, in toto genere doctrinae, in rerum diiudicatione, et in formis loquendi. Profecto res magnas et multas hic significat Paulus. Primum recte intelligant pastores ipsi summam doctrinae coelestis: deinde sic adsuefaciant populum, ut totum corpus doctrinae complecti discant, ut videat quae sint praecipua membra, discernat necessaria a non necessariis, non misceat politicam sapientiam Evangelio, teneat formulas loquendi proprias, vitet ambigue et nimis generaliter dicta, summa vigilantia discernat coelestem doctrinam a Philosophia, ab humanis opinionibus, a superstitiosis ritibus, intelligat quae sit vera invocatio.

Non serat pastor ambitione, aut studio contentionis, novas opiniones, paradoxa, hyperbolas, ambigue dicta, unde et doctrinae confusiones et exitiosa dissidia oriuntur: denique tota ratio docendi sit vera, propria, perspicua, casta, fugitans cavillationes et nimiam subtilitatem, accommodata ad alendam et confirmandam fidem in bonis, et ad retinendam concordiam in universa multitudine. Haec ut fiant, necesse est in pastore primum mentem bonam esse: deinde rerum ipsarum, quas docere debet, cognitionem, facultatem explicandi, consilium in custodienda propietate et simplicitate doctrinae, pectus amans publicae concordiae, fugitans cavillationum. Harum virtutum consensum Paulus complectitur, cum iubet nos aliis exemplo esse in sermone, quas, quanquam multae et difficiles sunt, tamen in hoc nostro oratore esse oportet.

Etsi autem in tanta ingeniorum infirmitate, tot virtutum copulatio vix possibilis est, tamen voluntas bona in omnibus et debet esse et esse potest: deinde et mediocris diligentia, et circumspectio omnibus possibilis est, ut recte, proprie, perspicue, verecunde dicant, nec ignavia negligant doctrinae studium, nec ambitione ludant cavillationibus, et spargant semina discordiarum.

Non pingo ideam perfectae virtutis, sed possibilia praecepta recitamus. Vitari certe haec turpissima et possunt et debent, ignavia et impudentia. Et quid indignius est, quam cum loco Dei vocem divinam sonare debeas, tamen cum non intelligas doctrinam coelestem, audacter et impudenter ex vulgi sermonibus consutos centones in hunc coetum adferre, in quibus etiam si qua membra vera sunt, tamen multa falsa miscentur, et maxima pars continet virulenta aut scurrilia convicia, quia his parergis, cum petulantissime dicuntur, maxime delectari et retineri stultam multitudinem sciunt.

Quanquam autem de modo docendi plura dicenda essent, tamen iam propter angustiam temporis, ad caeteras virtutes propero, vosque propter mandatum et gloriam Dei obtestor, in docendo fidem et diligentiam Deo debitam praestetis, et eligatis res necessarias, et doctrinam modestia vestra ornetis.

Postea de moribus loquitur Paulus, et iubet nos exemplo aliis esse. In conversatione, id est, in externa disciplina honesta, iuxta omnia praecepta decalogi. Cum enim nominat conversationem, de toto genere externarum actionum loquitur, quod usitate vocamus iustitiam universalem.

Sed addit: In dilectione, id est, non satis est actiones externas inculpatas esse, ut sunt in multis hypocritis: sed sit vera cordis dilectio inter vos. Absint superbia, fastus, invidentia, et aemulatio Cainica, *φιλονεικεία,* malevolentia, livor, *κακοήθεια,* obtrectatio, cupiditas vindictae, insidiae, calumniae: sed sit vera benevolentia inter collegas muneris omnium summi, quae concordiam alat et tueatur, necessariam Ecclesiae: quia discordia docentium turbat in populo iudicia de doctrina, et accendit odium adversus eam, et extinguit invocationem.

Addit: In spiritu, id est, zelo spiritus. Sit dilectio in nobis: sed tamen ita, ne errores et vitia confirmemus nostra indulgentia, sed petulantia ingenia severe coherceamus, ne spargi pravas opiniones sinamus, nec morum turpitudines dissimulemus.

Et quidem iudicio spiritus negocia discernamus, ut ubi pugnandum sit, ubi lenitas utilior sit, consideremus. Haec propria sunt iudicii spiritus. Nec enim laudandum est consilium eorum, qui propter pertinaciam in rebus non necessariis vel disserunt, vel distrahunt Ecclesias, ut cum peteret imperator Constantinus a quibusdam Ecclesiis in Oriente, ut Pasca usitato die caeteris celebrarent, ut laetior ipse in earum Ecclesiis, si quando eo venisset, simul celebrare Pasca posset. Non fuit res digna contentione in neutram partem. Sed fuisset laudanda lenitas, si Audiani totam illam contentionem silentio obruissent. Cedunt inter se orbes coelestes miris anfractibus, ut suam harmoniam et concordiam eo quasi obsequio tueantur.

Teneamus igitur discrimen. Simus in rebus necessariis firmi et constantes: in aliis cum Ecclesiae utilitas postulat, moderemur consilia probabili *ἐπιείκεια.*

Addit Paulus: In fide, id est, fiducia et expectatione divini auxilii in periculorum tolerantia. De virtute eximia, et inprimis in Ecclesia necessaria, praecipitur, de qua diligenter docendi sunt homines. Et ut intelligatur, hominum trepidationes et consilia in periculis aspiciamus. Usitatissimum est, decurrere homines in periculis ad humana praesidia, etiam sine ordine: ut Achas non vult audire Esaiam, qui vetat eum accersere impiorum regum auxilia, quia difficile est fide expectare defensionem a Deo. Sed politica sapientia vult esse armata foederibus, exercitibus, et reliquo adparatu visibili. Hic error evertit multos, imo haec ipsa foedera multis exitio fuerunt, qui cum hac potentia confisi res periculosas suscepissent, tandem senserunt non respondere eventus illis politicae sapientiae consiliis. et similia privatis et gubernatoribus accidunt, qui tantum ad humana praesidia confugere solent.

Praeluceat igitur fides docentium populo et Principibus. Haec moneat, ne quid agant nisi necessaria: et suas Ecclesias, suas politias, modeste ornare studeant, et intra metas suae vocationis se contineant. Et in sui muneris officiis expectent auxilium et defensionem a Deo. Hanc sapientiam Ecclesiae propriam et intelligere nos oportet, et de ea populum docere, ne ex praesidiis humanis pendens, obliviscatur Dei.

Ac nobis pastoribus hac consolatione praecipue opus est. Scimus multos et potentes hostes esse Evangelii, qui et nos et Ecclesias nostras delere cupiunt: et defensionem nostri non multis curae esse. Sed non abiiciamus professionem doctrinae fracti metu: sed certo statuamus, Deum custodem fore et docentium et Ecclesiarum, ut scriptum est: Omnes capilli capitis vestri nume-

rati sunt. Et apud Esaiam dictum est: Verba mea posui in ore tuo, et umbra manus mea protegam te, ut plantes coelos, id est, Ecclesiam quae est coelestis hortus, in quo filius Dei nos tanquam plantulas serit, fovet, provehit, rigat, protegit. His promissionibus divinis nos (quae nequaquam sunt inania murmura, sed verissimas esse experiemur, si non deseremus stationem) sustentemus. Ac profecto si quis putat solis humanis consiliis servari genus humanum, magna et horribili amentia laborat.

Ideo filius Dei humanam naturam adsumpsit, et homo factus est, ut sciremus aeternum foedus esse inter ipsum et nos, et nos vere ei curae esse. Ideo effunditur in corda credentium Spiritus sanctus, et efficimur domicilium et templum Dei, ut certissime statuamus Deum huius sui domicilii et templi custodem fore.

Hae consolationes quotidie in invocatione cogitandae sunt, et plerisque vestrum scio haec fidei exercitia nota esse. Postremo expresse et de castitate praecipit, quae est virtus, quae tum in coniugio, tum in vita coelibe vitat omnes libidines, seu corporum commixtiones a Deo prohibitas, ut agnoscamus Deum mentem castam esse, et discernendam ab omnibus naturis immundis, et horribiliter irascentem vagis libidinibus. Sicut scriptum est: Nolite errare, scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei. Et quoniam plerique in coniugio vivitis, Deo gratias agite, quod vos in vitae genus collocavit, in quo sine inquinamentis retinere conscientiae puritatem potestis, et Deum bona conscientia invocare et colere. Et hoc tantum beneficium non corrumpite vestra negligentia.

Videtis poenas libidinum in exemplis omnium historiarum propositas: nec dubium est, libidinum et idolatriarum poenas esse maximam partem calamitatum humanarum et privatarum. Ideo voluntatem Dei reverenter cogitate, et amate castitatem, eamque diligenter custodite. Qua in re etiam huius poenae metu moveamini, quod verissimum est, in sobole puniri peccata seminis. Parcite vestrae soboli, et vobis ipsis, quia si polluti eritis, postea calamitates in sobole sequentur, quae vobis ingentes cruciatus adferent: ut cum David se adulterio polluisset, postea filius sorori stuprum offert. Deinde secutae sunt domesticae caedes, seditio plena multorum scelerum, et incesta consuetudo cum patris uxoribus. Talia exempla in historiis infinita sunt, et in quotidiana vita conspici multa possunt: quia regula certissima est, puniri in semine et sobole, delicta seminis abusu facta: quia Deus cum sit mens casta, horribiliter irascitur violationi castitatis.

Haec de sententia Pauli dixi, quia prodest tales sententias saepe recordari vosque adhortor, ut hodie cogitatione eius vos ad voluntatis divinae et officii vestri considerationem exuscitetis, qua accendi invocationem oportet. Nam a Deo petendum est auxilium, ut tales ministri simus, quales ipse esse iubet. Te igitur fili Dei Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου πατρός, sedens ad dextram aeterni patris, ut colligas et serves Ecclesiam in genere humano, ardentibus votis oramus, ut et in his regionibus inter nos perpetuo Ecclesiam tibi colligas et gubernes, et lucem Evangelii inter nos extingui non sinas, et nos ipsos qui vocem Evangelii tui sonamus, Spiritu sancto tuo regas et adiuves, et nos vasa misericordiae efficias, propter tuam gloriam et salutem multorum. Obsecramus te supplices, fili Dei, coniungito dissipatas Ecclesias, nec sinito fieri maiores dissipationes, sed serva has tuas reliquias inter nos, et eas non sinito dispergi. Tuere pia studia doctrinae et disciplinae, et has politias, quae sunt hospitia Ecclesiae, et multorum pectora accendito, ut aeternum patrem tuum et te Iesu Christe et Spiritum sanctum vera invocatione et vera obedientia colant. Dixi.

No. 107. an. 1549.

De dicto: Probet unusquisque etc.

In sel. Decl. T. III. p. 622 sqq., in Richard. T. III. p. 891., Servest. III. p. 589. Item in Georgii Principis Anhalt. concionibus et scriptis p. 429 b. Melanthon hanc orationem Georgio Anhaltino misit d. 6. Oct. (vid. Epp.)

Oratio [synodica] de dicto Pauli: Probet unusquisque opus suum; in qua refutantur calumniae Flacianae.

Initio gratias agimus Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori Ecclesiae angelicae et humanae, quod hactenus, quanquam magnis

tumultibus et confusionibus gubernatio impeditur, servabit tamen clementer harum regionum Ecclesias, et ardentibus votis eum oramus, ut filio suo Domino nostro Iesu Christo haereditatem celebraturam ipsum in omni aeternitate, perpetuo in his regionibus colligat. Et huic piae precationi adiungamus orationem Dominicam.

Cum autem in his congressibus prosit aliquam commonefactionem utilem proponi, et nunc Ecclesiae nostrae et nos omnes in magnis doloribus simus, propter venenatas calumnias, quae contra nos sparguntur, necesse est remedia idonea his nostris doloribus adhibere. Audiamus itaque Apostoli verba ad Galatas: Probet unusquisque suum opus, et sic apud sese gloriam habebit, non ab aliis.

Consolationem igitur institui, ne his criminationibus fracti, existimetis vos Ecclesiae societatem amisisse, nec excuti vobis fidem et invocationem sinatis, Non ferrum, non tela ulla, maiora vulnera in corde faciunt, quam illae dirae voces, etiamsi falsae sunt, in quibus clamant nos adversari veritati, et impios cultus restituere.

Etsi enim conscientia rectae voluntatis et piorum consiliorum lenit nobis moesticiam, tamen propter Ecclesiae dilacerationes valde cruciamur. Quaeramus igitur convenientia remedia. Ac primum populo et caeteris, qui a deliberationibus publicis absunt, haec consolatio satis mederi potest, suos quisque oculos, suas aures testes faciat. Cum adhuc vocem Evangelii incorruptam audiat, et videat in coena Domini nullam fieri mutationem, nec ullos impios cultus restitutos esse, statuat sese Ecclesiae civem esse, et vere se a Deo exaudiri, et recte se harum Ecclesiarum societatem tueri: quia certum est, ibi esse Dei Ecclesiam, ubi sonat incorrupta vox Evangelii, et usus Sacramentorum legitimus retinetur, et non defenduntur pertinaciter idola, sicut scriptum est: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Lucere autem agnitionem filii Dei in his Ecclesiis, cum fundamentum recte teneatur, non dubium est.

Hanc consolationem populus teneat, et non aucupetur fabellas et calumnias, quae contra has Ecclesias sparguntur, ut sunt multi leves, quibus voluptati est, convicia legere et audire.

Semper Ecclesia variis modis oppugnatur, et diabolus labefactare fidem et invocationem in omnibus variis scandalis studet, ut cum in populo Israël multi viderent filiorum Davidis parricidia, seditionem praecipuorum ordinum et Principum, et incestas libidines, dubitabant certe an haec gens Ecclesia Dei esset, qua in perturbatione tamen pios videre necesse fuit, ubi vox divina vere sonaret. Ita nunc populus ad hanc arcem confugiat, sciat ibi vere esse Dei Ecclesiam, ubi vox Evangelii sonat incorrupta, ut dictum est: Si quid ab aliis in deliberationibus publicis actum est, de quo dubitas, id ad te nihil pertinet, cum nec sis autor nec approbator, et cum res non satis nota est, regulam sequaris: Nolite iudicare, nec iudicabimini. Item: Non sis susurro in populo.

Nunc de nobis etiam dicam, qui deliberationibus interfuimus.

Primum de doctrina et rebus necessariis, non solum conscientia rectae voluntatis, et piorum consiliorum, nos consolatur, sed eventus etiam. Nam res ostendit, nec doctrinam mutatam esse, nec usum Sacramentorum.

Hic cum publicae conciones et ritus, qui in oculos incurrunt, testimonium de nobis dicant, manifestum est, falso et nos et has Ecclesias accusari, ac si quis delectatur illis mendaciis, suam levitatem et malevolentiam declarat. Diabolus, ut nomen indicat, impellit multorum animos, ut et serant, et avide audiant calumnias. Ideo non inusitatum est, etiam manifesta mendacia habere applausores, quae postea magnos tumultus excitant.

Quanquam igitur iniuriae dolorem nobis afferunt, tamen Deo iudici utrosque commendemus, et sciamus nos propter horum iudicia, nec societatem Ecclesiae amisisse, nec a Deo abiectos esse. Nam adhuc vox doctrinae eadem est, et magno labore magnis periculis a nobis propugnatur.

At inconstantiam nobis tribuunt aliqui, quod de vestitu et de aliis quibusdam similibus ritibus non tumultuose pugnamus, non minitamur Principibus seditiones, non iubemus deseri Ecclesias, dicunt his initiis servitutis, strui insidias populo.

In hac criminatione plausus et studia habent multitudinis. Sed nostra defensio in hac re honestisssima est. Etsi tanta est malitia vulgi, ut nihil mirum sit gubernatores de ea frenanda cogitare, et vetera disciplinae vincula requirere, tamen nos in hac deliberatione optaremus nunc moe-

sticiae Ecclesiarum et imbecillitati, quae magna est, et in bonis mentibus, parci, et ideo quantum fieri possit a non necessariis mutationibus abstineri, tamen ubi Principes ad tollendam dissimilitudinem rituum ecclesiasticorum, qui in aliquibus Ecclesiis intermissi, in aliis observantur, et ad disciplinam restituendam, quaedam decreta proponenda duxerunt, quae sunt sine impietate, fatemur nos suadere, ne propter ea Ecclesiae deserantur. Intelleximus alicubi in Suevia et ad Rhenum in templis prorsus solitudinem factam esse, nullam audiri vocem doctrinae, multis in locis diu non administratam esse coenam Domini. Haec accidere nollemus, et vere iudicamus, Necessaria anteferenda esse non necessariis, retinendam esse vocem Evangelii, Ecclesiae congressus, Sacramentorum usum, etiam si qua imponitur corpori servitus. Dulce est nomen libertatis, et homines inquieti, cum religionis praetextu eam defendunt, vehementius movent hominum animos. Itaque non mirum est nobis irasci multos, eo quod libertatem non magis etiam laxamus. Quod ita obtineri potuisse aiunt, si Principibus metum seditionum nostris clamoribus et populi consensu incuteremus.

Nos vero neque factionibus certare, neque inflammare vulgi animos contra Principes, volumus: nam quod aiunt, nos assentatione tacere, calumnia manifeste falsa est: sciunt enim ipsi, nos in rebus necessariis nusquam de sententia cessisse. Labores et pericula nostra vident, cum quidem ipsi sine ullo periculo inter applausus sui theatri vociferentur, tantum de rebus non necessariis, de quibus tamen nunc sophisma excogitant, necessario vitari lineam vestem, quia significet recipi veteres errores. At extat nostra vox et confessio de singulis articulis.

Conciones et ritus ipsi quotidie testimonium dant confessioni nostrae: falso igitur dicunt eam veste illa involvi.

Quam magnos motus his ipsis annis, ut vetera exempla omittam, videmus ortos esse argumentis simili calliditate fucatis.

Ego ingenue fateor, etsi optarim, ut antedixi, nulla re prorsus turbari Ecclesias, tamen si haec vota irrita sunt, me in hac sententia manere, hac quasi servitute, etiamsi molesta et odiosa esset, quae apud illos libertatis defensores vituperatur: tamen non polllui conscientias, nec ista subtilitate verborum et praestigiis calumniatorum turbor, sed provoco ad recta et candida iudicia, quae tam duras sententias de hac re non ferent.

Praeterea cum omnino deceat ordinem aliquem esse Feriarum et Lectionum in templis, ut Natalis Christi, Pascatis, Ascensionis, Pentecostes, cur non fateremur nos libenter retinere tempora, quorum aliqua Deus ipse retinuit inde usque a primo Paschate? Cumque horum temporum observatio reprehendi non possit, cur non et de similibus ritibus candidius iudicant?

Dum fundamentum utrique tenemus, quod est Christus, et utrique sumus eadem Christi Ecclesia, concordiam nos utrinque tueri pium erat. Ac ut nos libertatem eis gratulamur, ita ipsi vicissim servitutem nostram, quam vocant, boni consulere debebant. Nec propter leves causas odia accendenda erant, et faciendae distractiones, praesertim cum aliae restent controversiae graviores, propter quas res maxime prodesset, nos quam coniunctissimos esse, ne odiis aut studiis factionum, ut saepe accidit, corrumpantur. O rem miseram et deplorandam! Quoties in Ecclesia voluntates hominum levissimis occasionibus distractae sunt, postea factionum studia et aemulationes mutationem dogmatum pepererunt. Ita Arium dolor repulsae accendit, ut tam triste bellum moveret.

Primum autem oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse haec vulnera Ecclesiarum sanet, et flectat nostras mentes ad concordiam, deinde illos ipsos veteres amicos nostros obtestor propter filium Dei, ut nobis et Ecclesiis nostris parcant, cum alioqui magno in dolore et luctu simus, quem levari aliorum benevolentia et consolatione oportebat.

Nos quidem, quia totius nostri consilii summa haec fuit, ne desererentur Ecclesiae, nisi necessariae causae essent, conscientia piae voluntatis nos sustentamus, ac ne nunc quidem possem aliud consilium dare his, qui alibi similem servitutem sustinent.

Nec errat conscientia praeferens necessariam conservationem ministerii Evangelici, non necessariae fugae. Et saepissime prohibet Evangelium rixas de cibis, vestitu, et similibus rebus, si tamen vox doctrinae maneat incorrupta.

Talis cum fuerit, et sit conscientia nostra, non abiicimus invocationem Dei, et supplices oramus, ut exitum consilii nostri regat ipse, et nos gubernet, et prohibeat Ecclesiarum dilacerationes. Sic Paulus iniustae criminationi opponere docet, conscientiae iudicium, cum inquit: Probet unusquisque suum opus, et sic apud sese gloriam habebit, non ab aliis, id est, inspiciat quisque sua consilia et facta, et curet, ut bona conscientia regantur, Quod cum ita facit, habetque non vanam persuasionem, sed veram conscientiae approbationem, hac gloria se adversus iudicia hominum tueatur, nec pendeat ex aliorum applausu, nec calumniis fractus, suam stationem deserat. Esset omnino plausibile, si rabiose conviciaremur gubernatoribus, et minitaremur eis seditiones.

Hanc isti libertatis assertores dicerent esse fortitudinem et constantiam propheticae similem. Sed magis nostrae conscientiae iudicia, quam illius theatri plausus sequamur.

Retinendum est fundamentum et doctrinae puritatis, et, ut in magna imperiorum et opinionum confusione cavendum, ne maiores dissipationes fiant, ne maiora dissidia dogmatum accendantur, et moestae Ecclesiae fovendae, consolandae, consociandae, non deserendae sunt.

Has rationes cum hactenus quidem pio studio secuti simus, speramus Deo voluntates nostras probari, praesertim cum ipse sciat, quae de gravioribus controversiis certamina sustineamus.

Quod vero sauciari aliquos scandalis horum timidorum consiliorum dicunt, video multos non de doctrina, sed de libertate pugnare. Etsi autem hi quoque dissimiles sunt, et aliquorum dolore moveor, tamen propter hos non facienda est vastitas et solitudo in tot regionum Ecclesiis. Videmus magnas esse non solum iudiciorum et opinionum diversitates, sed multo magis voluntatum, et vehementes impetus ad factiones confirmandas.

Hos affectus removeamus ab his deliberationibus, et quaeramus, ut Paulus inquit, non quid nobis gloriosum aut utile sit, sed quid moestissimis Ecclesiis prosit, quid ad doctrinae et disciplinae conservationem et ad tuendam literarum possessionem conducat.

Haec cum mediocri cura fecisse nos res ostendat, minus movemur hominum maledicorum sermonibus. Ac de excusatione nostrorum consiliorum et nostrae voluntatis alibi plura dicemus. Vos vero qui a deliberationibus publicis abfuistis, et in statione vestra manetis, manifestam defensionem habetis, cur non abiecto ministerio in templis solitudinem faciatis, quia vocationi parendum est, etiam si qua difficultas toleranda est, modo absit impietas.

Hac consolatione munite pectora, nec sauciari animos ullis calumniis sinite, quae etiam speciosae sunt, tamen ita cogitabitis, mirificas esse praestigias in calumniando, nec dici aut fieri quicquam tam recte posse, quod non plausibiliter depravari possit: et hoc saeculo haec ars inprimis excellit, et laudem habet sapientiae. Sed veritatis oratio simplex est.

Acquiescite igitur in hac perspicua et simplici consolatione, quod non deserendae sint Ecclesiae propter hos ritus nobis usitatos.

Ad hanc autem consolationem adiungo et has adhortationes. Cum aerumnae nos tam multae exerceant, simus nos in omni vita modestiores, sit maior sedulitas in discendo et docendo, ut magis intelligant omnes, vere a nobis retineri doctrinam incorruptam. Sit et precatio ardentior, in qua Deo et universam Ecclesiam, et vos ipsos, et vestras familias, coniuges, et parvos natos veris gemitibus commendetis, quia certissimum est, Ecclesiam non solis humanis consiliis, sed praecipue a Deo servari et gubernari, sicut immensa misericordia Deus eam restituit, cum Adam et Heva post lapsum, nullius creaturae ope, ex iis miseriis, quibus oppressi erant, liberari poterant. Et apud Hoseam dicit Deus: Perditio tua Israël ex te est, a me vero auxilium tuum.

Te igitur omnipotens Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, et Ecclesiae tuae angelicae et humanae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu sancto tuo, oramus in his tantis aerumnis, ut propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum nostri miserearis, et Spiritu sancto Ecclesiam tibi perpetuo inter nos colligas, et regas, et poenas immensa misericordia tua miliges, Amen. Dixi.

No. 108. an. 1549.

De studiis linguae Graecae.

In select. Declam. T. IV. p. 446., Servest. T. IV. p. 404. Et in Tom. III. Erford. lit. K, 2. et apud Richard. I. p. 317.

Oratio de studiis linguae Graecae a Vito Winshemio dicta.

Recte et ordine fieri iudico, ut hoc in loco atque in his congressibus, de iis ipsis studiis et artibus dicatur, in quibus versamur: idque hoc tempore magis etiam necessarium esse videtur. Quum enim studia doctrinae una cum ipsis scholis, in hac temporum perturbatione afflicta iacent, et Satanas Ecclesiis pariter ac scholis vastationem minetur. Constanti et animo firmo praeditos esse oportet, quos in hac statione Deus collocavit, ne se his tempestatum minis a cursu studiorum suorum deterreri aut abduci patiantur.

Ut enim fidem amicorum probare solemus, quos in rebus dubiis atque adversis in officio permansisse cognovimus: illos vero merito vituperamus, qui cum fortuna mutant animos: ita parum digni hi Musarum sacris atque doctrinae studiis videntur, qui, cum adversa fortuna imminet, non eandem praebent animi constantiam.

Imo vero eandem illa temporum difficultas, qua vulgi animos frangere ac languefacere solet, nos extimulare debet, ut magis pertinaciter magisque cupide cum pietatis doctrinam, tum vero studia nostra amemus atque amplectamur. Nam storgae physicae erga eos, qui nobis chari sunt, cum res sunt adversae, tunc magis irritari solent atque accendi. Verus enim amor semper tempore tristi elucescit magis. Quos vero statim fortunae iniquitas mutat, hi, ut Euripides ait:

λόγῳ ἦσαν οὐκ ἔργῳ φίλοι.

Ut igitur appareat nos vere ac serio amare doctrinam pietatis, atque studia nostra, iam nos id declarare oportet. Neque vero id sine fructu faciemus: nam literae et doctrina ut rebus secundis ornamento sunt, ita adversis perfugium ac solatium praebent. Cumque omnia vitae praesidia, spes omnes, destituunt homines: tunc pietatis, virtutis, doctrinae studio non destitui, sed tum primum fulcit atque sustentat, ac ne in morte quidem deserit. Hoc enim decus, ut Euripides ait, in mediis aerumnis clarius lucet.

Si vero ullum unquam tempus fuit, quo adparuit, quam nihil firmi sit in rebus humanis, nihil stabile: haec, opinor, tempora nos id satis manifeste docuerunt. Ad hunc igitur portum salutis dirigamus animos atque oculos nostros, ut sanam puramque doctrinam verae pietatis, nunc magis quam unquam antea, ac pertinacius amplectamur: et studiis nostris, quae ad gloriam Dei, ad eiusdem doctrinae sacrae propagationem pertinent, summa cura ac diligentia incumbamus, atque in his temporum procellis auxilium et liberationem ab aeterno ac clementissimo Deo, patre Domini nostri Iesu Christi, et petamus et expectemus. Quod si fecerimus, non dubium est, quin Deus poenas mitigaturus sit, nobisque Halcyonia, hoc est, tranquillitatem, receptum et hospitia largiturus, utut inter se regna huius mundi bellis ac tumultibus collidentur.

Cum igitur praesentis temporis atque officii ratio mihi hoc munus imponat, ut in hoc consessu brevem orationem habeam, non aliud argumentum deligere volui, quam ut ad Graecae linguae et literaturae, quam profiteor, studium, adolescentes adhortarer. Etsi id minus commode a me fieri posse intelligo. Impossibile enim est, ut de linguae dulcissimae atque eruditissimae laudibus pro dignitate dicatur, nisi ab homine eloquenti, atque haud vulgariter docto, quorum neutrum mihi arrogo. Sed spero tamen vos etiam haec qualiacunque boni consulturos esse: praesertim cum me non ambitione, sed officii ratione motum, has dicendi partes suscepisse sciatis.

Ac primum quidem, etsi non idem omnibus in discendo propositum est, et alii ad aliud doctrinae genus variis causis invitantur: attamen qui hoc spectant, ut veram ac solidam doctrinam consequantur, hi sibi Graecae linguae cognitionem omnino necessariam esse putabunt: qua qui destituuntur, ad quodcunque doctrinae genus animum adplicaverint, ingenti adminiculo se destitui sentient. Quod non difficile est ostendere.

Nam primum ut de doctrina verae religionis ac pietatis agamus, tradidit nobis clementissimus et optimus Deus, pater Domini ac redemptoris nostri Iesu Christi, immensum thesaurum doctrinae sacrae.

Qua nos de aeterna essentia sua, de origine, creatione, gubernatione ac conservatione rerum omnium, de voluntate denique sua erga nos edocet, ostendit nobis originem peccati atque infir-

mitatis nostrae, causas item poenarum ac calamitatum humanarum, et per eandem doctrinam remedia nobis atque liberationem ab omnibus his aerumnis, quibus propter peccatum oppressa est natura humana, et aeternam salutem vitamque nobis offert. Misit ad nos eiusdem doctrinae nuncios ac ministros, primum sanctos patres ac Prophetas: misit tandem aeternum atque unicum filium suum Dominum ac redemptorem nostrum Iesum Christum, ut is victima pro peccatis nostris fieret, ac nos de eadem voluntate aeterni patris edoceret. Eumque hominem fieri, humana voce nobis loqui, et quidem aeterni patris verbum vocari voluit, ut doctrinam ipsius praecipue nobis commendaret. Ac pater ipse de coelo praecepit ipsum audiri. Quo tempore una cum Spiritu sancto in baptismo Christi se manifestavit, ac de coelo clamavit: Hunc audite. Denique Christus ipse, cum a Iudaeis, quis esset, interrogaretur, Ioh. 8. respondit, se prorsus aliud nihil esse, quam cum qui loqueretur ipsis: hoc est, doctorem atque nuncium consilii ac voluntatis aeterni patris sui. Eiusdem doctrinae vulgandae ac propagandae provinciam, Christus post se Apostolis, eorumque discipulis, usque dum hic orbis staret, mandavit. Et quod inenarrabile miraculum est clementiae ac bonitatis divinae, tantam huius doctrinae vim esse voluit, ut nullo alio modo, nulla ratione, homines ab aeterna morte liberari, salvique fieri quam per hoc verbum possent. Hoc unico modo Deus innotescere, ac mentibus humanis illabi vult, et per eundem modum Spiritum suum sanctum inspirat, per quem in pectore humano novos motus ciet, novam lucem accendit, ac saepe testatur, non alibi Ecclesiam suam et electorum coetus esse, quam ubi hoc verbum sonat, discitur ac docetur. Qui non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei matutina lux, inquit Esaias. Tantique facit clementissimus et optimus Deus huius doctrinae studium ac tractationem, ut filius aeterni patris ex Deo ipso dicat natos esse, qui hoc verbum audiant, meditentur ac tractent. Quo elogio quid dulcius, maiusve dici aut cogitari potest?

Hanc vero foelicitatem tantam ut consequi possimus, amare et magnifacere omnia instrumenta debemus, per quae iste thesaurus comparatur, inter quae linguarum cognitio merito prima censetur. Id quod Deus etiam in sacra Pentecoste ostendit, cum in adventu Spiritus sancti Apostolorum linguae dissectae in modum flammae adparuerunt, et ipsi statim variis linguis miracula Dei eloqui ac praedicare coeperunt. Adparuit tunc Spiritus sanctus sub specie flammae ac linguarum, et prima illius virtus atque efficacia in illa varietate linguarum sese ostendit: Deo per hoc ipsum significante, qualem Ecclesiam, et quale regnum, et quo modo id inter homines congregaturus esset, nempe per doctrinam, cuius ministra lingua esset futura.

Cum igitur aliter hoc tantum bonum accipere non possimus, quam beneficio sermonis et linguae, ut divus Paulus ait, fides est ex auditu: merito magnifacere debemus istam nobilem arcam, in qua tantus thesaurus repositus adservatur, quam qui negligunt, hi neque thesauro potientur, sed una cum capsa ipsum quoque amittent. Quanta vero et quam tetra ingratitudo est, tanta dona divina negligere? quanta infoelicitas, his excidere ac frustrari?

Porro inter linguas, Graeca, sive multiplicem doctrinam spectemus, quam Deus per hanc linguam humano genere impertivit, seu suavitatem ac elegantiam, facile primum locum obtinebit.

Nam primum huic linguae Deus novum Testamentum, hoc est, eam doctrinam, cuius ad nos nuncium ac Doctorem aeternum filium suum misit, concredidit. Cum enim populus Iudaicus propter ingratitudinem a gratia divina excidisset, atque iuxta veterum oraculorum praedictionem, gentibus haec mysteria clementiae divinae annuncianda atque offerenda essent, et Graecorum cum natio, tum lingua longe lateque tunc Asiam atque Europam occupaverat: voluit Deus hanc linguam eius doctrinae potissimum nunciam et ministram esse.

Ad cognoscendum igitur atque recte intelligendum novum Testamentum, quod continet Evangelium Christi, omnino opus est huius linguae auxilio. Nam cum et filius Dei redemptor noster, in hoc libro de rebus coelestibus, de regno patris sui, suoque, de aeterna salute nostra ita significanter, ita dilucide concionetur, ut nulla creatura, nullus vel Angelus, vel homo ita loqui potuerit: et Apostoli a Spiritu sancto afflati, eandem in dicendo lucem imitari studuerunt, et orationem suam ad Christi praeceptoris sui dicendi figuram, quam proxime effinxerunt. Multaeque hic sunt voces, multae figurae ac phrases, multae

item sententiae, quibus mirabile pondus inest: pleraque enim ex propheticis scriptis deprompta sunt, eaque incredibili atque inimitabili verbo et luce atque emphasi reddita, et tota denique oratio spirat reconditam quandam ac divinam sapientiam: non vulgariter certe eruditus Grammaticus a me censebitur, qui novum Testamentum poterit saltem grammatice, dextre ac recte interpretari, et illam sermonis vim atque energiam utcunque explicando assequi. Huc accedit, quod haec natio postea quoque, primae Ecclesiae ac purioris doctrinae doctores atque interpretes complures habuit pios ac sanctos, qui cum historiam primum nascentis Ecclesiae fideliter descripserunt, tum vero eruditis interpretationibus eandem doctrinam sacram utiliter illustrarunt. Destituuntur igitur et fontibus ipsis, et sinceriore explicatione multarum huius doctrinae partium, qui ope linguae Graecae destituuntur. Nam quod ad versiones attinet, vidimus quanta miseria sit, si quis illis solis niti cogatur. Nam praeterquam quod vix fieri potest, ut sententia ubique eadem foelicitate ac perspicuitate in alienam linguam transfundatur: multa etiam alia incommoda interpretationes sequuntur, fitque saepe ut vel inter reddendum nativus sensus obscuretur, vel in aliam quasi speciem transformetur, atque ita pervertatur, ut vix eundum agnoscere possis, et non raro usu venit, ut verius metamorphosin, quam interpretationem, talem versionem dicere possis: id quod non solum in sacris literis, sed in aliis quoque disciplinis accidere solet.

Quam dulce igitur est, imo vero quanta foelicitas est, posse cum filio Dei, cum Evangelistis et Apostolis ipsis, cum divo Paulo absque interprete loqui, et veras vivasque audire ac reddere voces?

Quod si tantum tribuimus nonnunquam gratiae ac favori alicuius regis aut principis, ut ipsius causa, atque ut absque interprete cum eo colloqui possimus, barbaricam aliquam linguam discere non dubitemus: imo vero si turpis lucri spe saepe, non una barbarica lingua, cum ingenti temporis iactura, nec sine vitae periculo discitur. Quod a mercatoribus fieri videmus, qui liberos suos peregrinas linguas tenere volunt, non aliam ob causam, quam ut cum illis gentibus, postea commercia habere possint, unde aliquid lucri accessurum sperant: ita leves saepe causae impellunt homines, ut etiam indoctarum et barbaricarum linguarum cognitionem adpetant. Quanto magis aeternae foelicitatis ac salutis cura nos incitare debet, ut linguam omnium dulcissimam, et cum tot pulcherrimarum artium magistram, tum vero coelestis doctrinae nunciam, ac aeternae salutis et tantorum beneficiorum divinorum conciliatricem, amplectamur?

Non absque singulari consilio divino factum est, quod Evangelii doctrina, et si per totum orbem spargi debuit, tamen huius gentis lingua primum ac potissimum descripta, atque ita ad posteros transmissa est. Cum enim haec lingua iam ante doctrinam morum, disciplinae et humanitatis, hoc est, legis divinae, contineret, cum optimarum artium, vitaeque humanae summe necessariarum magistra esset, cum rerum gestarum et historiae mundi *ταμεῖον*: voluit Deus et hunc thesaurum per eiusdem linguae ministerium humano generi impertiri, ut ostenderet inter caetera beneficia sua hoc beneficium, vel praecipue expetendum atque amplectendum esse.

Quapropter, si fieri posset, optandum foret, ut omnes mortales hanc linguam discere ac tenere, tantaque commoditate perfrui possent. Sed quando id vix fieri potest, illi certe quos Deus ad literarum ac doctrinae studium sevocavit, hoc tantum beneficium divinum neutiquam negligere debent. Non mirum enim est, infoeliciter eos alias doctrinas tractare, qui hac luce amissa, in tenebris versari malunt.

Nam videte mirabilem clementissimi Dei bonitatem, providentiam, ac cupiditatem largiendi bona sua hominibus inenarrabilem. Qui ut quam plurimos homines ad hanc linguam discendam invitaret, multis eam illecebris, multis invitamentis undique cumulavit. Primum enim non alia lingua dulcior est, non alia suaviore sono auribus illabitur. Etsi verum est, quod Herodotus ait, Animum in auribus habitare, non alia certe maiorem vim habebit ad demulcendos ac percellendos animos hominum.

Deinde pueris ut crustula blandi dant praeceptores, ut benigni parentes ac propinqui, dulciariis, aliisque id genus munusculis pueros ad se invitare solent, non aliam quidem ob causam, nisi quia eos amant, et vicissim ab eis amari, atque ipsis benefacere cupiunt, hoc illis volupe est, hoc maxime delectat: ita Deus benignissimus pater, multifariis dulcissimarum artium condimentis hanc linguam refersit: ut dum illas ille-

cebras sectamur, interim etiam doctrinam de paterno ipsius erga nos amore, de obedientia nostra erga ipsum, deque aeterna salute ac foelicitate nostra simul apprehendamus.

Utque cum serenum coelum, cum tempestivum imbrem, cum cibum, cum potum, cum bonam valetudinem, pacem, aliaque id genus vitae praesentis commoda nobis largitur: ab his elementis vult nos progredi, ac voluntatem suam, benevolentiam, pietatem et affectum plusquam paternum erga nos agnoscere, ut deinde et aeterna bona ab ipso sperare atque petere, atque etiam accipere discamus. Ita dum Arithmeticae, Musicae, doctrinae de motibus coelestium corporum, de natura rerum, Medicinae, morum, legum, ac officiorum civilium, aliarumque dulcissimarum artium doctrinam, per hanc nobis linguam suppeditat, ab eadem nos quoque vult petere doctrinam de aeternis suis bonis, quam una cum ipsis bonis nobis praecipue cupit impertiri. Nam ut vere et pie dixit ille. Nulla mens humana tam avara et cupida potest esse accipiendi bona a Deo, quam cupida et prompta est natura divina ad largiendum. Cum igitur is qui offert, qui dare cupit effusissime, et quidem infinita bona, praesto adsit, et ut accipiamus, hortetur, invitet, obtrudat denique nobis sua dona: quanta fuerit caecitas nostra, quanta ingratitudo, quantisque ea poenis infernalibus digna, si hunc tantum, tam benignum ac munificum datorem, cum suis tantis donis respuamus?

Sed non dat ille nolentibus ac recusantibus, non dat contemptoribus suorum beneficiorum: ut igitur accipiamus, cupere nos et petere oportet. Et quanto avidius cupiemus, quanto improbius, imo vero quanto importunius instabimus, tanto plenius ille bona sua in nos effundet. Tunc vero cupere nos indicabimus, cum coelestem verbi ipsius doctrinam, quae omnium horum bonorum unicum penu est, sitiemus, cum eam dies noctesque meditabimur, in eaque mentem ac cogitationem iugiter pervolvemus.

Atque ut id recte ac commode facere possimus, cognitionis eius linguae, qua ea doctrina traditur, nobis opus erit. Nam si filii pii atque erga patrem *εὔστοργοι* erimus, nempe linguam pientissimi parentis discere atque etiam imitari, et exprimere studebimus.

Prolixior fui, quam volebam, in causa minime dubia: neque in praesentia cum illis rixabor, quos vel caeca cupiditas sua, vel error a satana obiectus, vel propria malicia ac furor transversos abripit, ut omnia haec dona divina vel contemnant, vel negligant, vel superbe derideant etiam, satis illi miseri sunt, et poenarum omnium maximam sustinent. Sunt enim oppressi caecitate, satanico errore, ignoratione et odio Dei, atque aeterna morte, quibus poenis nulla ne apud inferos quidem atrocior esse potest.

Sed quia et de aliis disciplinis mentionem fecimus, quas haec lingua continet, de illis quoque aliquid mihi attingendum videtur. Diximus linguam Graecam, magistram et quasi fontem esse, non tantum coelestis doctrinae, sed et reliquarum artium, ut pulcherrimarum, ita et vitae humanae adeo necessariarum, ut non hic aër vel ignis magis necessarius sit. Nam ex qua alia lingua, quae quidem nobis nota esse potest, tu mihi petes omnes pene partes Philosophiae? Quae enim alia, ut de his primis artibus dicendi et ratiocinandi iam taceam, habet eruditiores aut illustriores scriptores doctrinae de motibus coelestium luminum, de naturā rerum, de valetudine corporum nostrorum, ac remediis morborum?

Ex qua alia historiam imperiorum et rerum gestarum totius mundi petemus? An non infantes, an non velut in densa caligine rerum versari videbimur, si hac luce destituamur? Ubi enim historia sacrorum librorum desinit, ibi Graeca historia incipit, et manifeste adparet, singulari consilio divino ita comparatum esse, ne deesset generi humano continua historia praecipuarum rerum, inde usque ab initio mundi, unde etiam primordia ac fontes verae religionis investigari ac perspici possent.

Haec nulla alia lingua suppeditat: nam qui ex Romanis uberrimus est, Livius, is unius tantum gentis historiam pertexuit. Caeteri partim mutili, partim etiam indocti ineptique sunt. Quanti vero referat, etiam ad recte iudicandum de sana doctrina religionis, ad erudiendam et confirmandam conscientiam, integrum corpus historiae mundi ob oculos habere: id illi norunt, qui in explicandis eius doctrinae controversiis versantur. Certe ingenti luce in omnibus rebus diiudicandis destituemur, si hac antiquitatis noticia careamus. ut taceam, quod vita humana in universum sine cognitione historiae, aliud nihil est, quam, ut ille ait, Perpetua quaedam pueritia, imo vero perpetua caligo ac caecitas.

Iam quis nescit fontes legum, partim ex historia imperiorum et gubernationis, partim ex doctrina de moribus, quam Ethicen vocant, oriri ac promanare? quorum utrunque ex lingua Graeca requirendum esse, supra ostensum est. Quid vero aliud est professio iuris, absque his Philosophiae fontibus, quam manca et inerudita quaedam *τριβή*?

Porro totam doctrinam mathematicam ne quidem aliunde, quam ex Graeca lingua petere possumus. Nam versiones quam non sordidae, rudes, incultae tantum, sed saepe etiam perversae sint, videmus. Arabum vero scripta in hoc genere, ut horridiora sunt, ac minus integra, ita et erroribus ac magicis superstitionibus referta.

Iam de natura rerum, de corporum humanorum temperatura, affectibus, cura ac remediis, quos tu mihi scriptores dabis, qui vel plenius id genus doctrinae complexi sunt, vel veriores sententias secuti, quam Graeci? Nam qui inter Arabes principem locum obtinet, Avicenna, is se Galeni interpretem ipse fatetur esse: atque is ipse ut prodigiosa interpretationum caligine, ac pene Cimmeriis tenebris involutus ac oppressus sit, videmus. Quae causa est, ut et sententia eius multis in locis vix accipi ac intelligi possit, et ingenia ad dulcius doctrinae genus adsuefacta, offensa isto horrido ac prodigioso sermone, ab eius lectione resiliant. Caeteri Arabes partim iisdem vitiis laborant, partim etiam minus integre et confusius artem tractant. Nam quae a Latinis scriptoribus prodita posterior aetas peperit, ea partim ex Graecis scriptoribus sunt petita.

Soli ergo fontes Graeci restant, unde id doctrinae genus pure pleneque hauriri potest. Ut vere dictum sit a Cicerone, Posteritatem ab illis Philosophiam et omnes ingenuas artes habere, inter eos vero Galenus primum obtinet locum, qui et ipse, Deum immortalem, quibus versionum corruptelis contaminatus, quam misere, quam crudeliter discerptus ac deformatus, et quasi magicis venenis ex homine in beluam transformatus fuit? Accipiat aliquis in manus veterem librorum ipsius *μετάφρασιν*, non unum versum Galeni agnoscet, ita barbarico coeno omnia obruta, distorta ac foedata videbit. Et cum Galeni oratio pura, illustris atque etiam speciosa sit, hic bovem verius mugire, quam hominem loqui dices: immo vero stridorem sartaginis, non animantis vocem te audire putes. Unde accidit, ut miseri lectores doctrinae medicae cupidi, diu multumque laboraverint, seque dum in illis spinis haerent, excruciaverint frustra, nec tamen Galeni sententiam multis in locis, etsi ea plana, ac perspicua erat, assequi potuerint. Peperit ea inscitia linguae, ut solet, multos noxios errores, quibus haec doctrina multipliciter superiori aetati contaminata fuit, et quibus repurgandis etiam hodie homines docti non minus occupati sunt, quam Hercules olim in Augiae stabulo repurgando fuit.

Quam igitur haec duo coniuncta sunt, linguarum atque elegantioris literaturae cognitio, et pura doctrina veritatis, id nostro seculo satis manifeste, ut opinor, adparuit. Statim enim, ut linguarum lumen effulsit, simul emicuit purior lux evangelicae doctrinae, et cum omnium caeterarum ingenuarum artium, tum vero praecipue medicinae sanior ac sincerior explicatio secuta est. Quapropter etsi verum est quod Plutarchus ait, Doctrinae laudem mereri, non in ore aut lingua, sed in pectore habuisse Musas: attamen res ipsa indicat, quam haec duo certo foedere inter se iuncta sint, nec pectus erudiri posse, nisi opera ac beneficio linguae. Recte igitur sermo a Platone vocatur seminarium doctrinae. Iam sicut ea quae ex terra nascuntur, si semen vel ignobile sit, vel aliquo vitio corruptum, maligne proveniunt, degenerant messes et plantae: ita cum genus sermonis sordidum, corruptum ac viciosum est, corrumpitur illo vitio ipsa doctrina quoque obscuratur, ac saepe pervertitur veritas ipsa. Quod ita fieri, non est ut miremur. Non enim aliud est instrumentum magis proprium vel pulchrius universae doctrinae, quam oratio pura et perspicua.

Quicunque igitur doctrinam veram solidamque expetunt, hi linguae atque orationis puritatem ac nitorem sibi neutiquam negligendum esse statuant: verum eam virtutem nunquam consequentur, qui linguae Graecae subsidio destituuntur. Nam Latinus sermo, quidquid habet elegantiae aut venustatis, id ex Graecis fontibus accersitum est: si demas scriptoribus Romanis lumina Graeci sermonis, quod praeterea emineat, parum erit, ut vere ac recte dictum sit ab Horatio:

> Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
> Musa loqui.

Et quam ne Latinam quidem linguam recte tradere vel discere etiam possimus absque Graeca,

ut doctorum hominum testimonia de hac re omittam, satis declaravit superioris aetatis, qua Graeca ignota fuit, barbaries. Quae ut per se odiosa ac deformis est, ita multos noxios foedosque errores atque opiniones monstrosas secum in omnes pene disciplinas invexit. Quapropter merito ab ea nunc velut ad suaviorem victum traducti, totis animis abhorremus. Nam hoc fere communiter fit, ut cum erroribus et phanaticis opinionibus coniuncta sit orationis confusio ac deformitas. Quam monstrosa, quam distorta est oratio Mahometi in Alcorano: non hominem, imo ne bovem quidem, sed Plutonem ipsum ex infernalibus tenebris boare, ac feralem vocem edere putes.

Ut taceam, quod sicut studia abeunt in mores, ita et sermonis vitium plerunque comitantur vitiosi mores, et mentis character fere est ipsa orationis forma: quae si peregrina, si distorta, vel prodigiose affectata vel horrida est, non dubium est, quin et consimilis sit sensus, consimiles mores. Quid enim aeque cognatum est ingenio et naturae hominis ut oratio?

Ea vero ut non rudis, sed culta et erudita sit, ita consequemur, si linguas studio ac doctrina magnorum hominum expolitas discemus: atque inter eas Graeca haud dubie caeteris omnibus palmam praeripuit. Nam ut nitore, elegantia, venustate ac suavitate facile caeteras vincit, ita doctrinae humanitatis et omnium ingenuarum artium fons est, ac magistra. Neque nos moveat, quod haec tempora bonis tum studiis, tum moribus nimio plus infensa, etiam huic linguae atque doctrinae minus aequa sunt. Communis haec est fortuna optimarum rerum. non enim haec tempora aequiora sunt veritati, non aequiora purae doctrinae pietatis, non denique ipsi Deo conditori rerum omnium ac conservatori. At veteres synodi magna cura linguarum cognitionem in Ecclesia conservandam esse censuerunt, quod testantur illis temporibus nata decreta et canones. Haec postrema sex mundi, ut veritati ipsi infensa est, ita et organa verae doctrinae odit: vellent omnia recidere ad illud vetus chaos, ut vel inter pecudes saltem regnum obtinere possent. Et urgent hanc aetatem ultimae poenae horribilium peccatorum, et postremus furor principis huius mundi, ac prope instans dies iudicii divini. Non igitur vulgi iudicia aut temporum iniquitas nos ab optimarum rerum studiis avocare debent. Imo haec ipsa mundi amentia nobis stimulos et calcar addere debet, ut ardentius ac cupidius haec bona persequamur. Non enim aliud praesentius remedium est praesentium et imminentium malorum, non aliud solatium dulcius aut firmius in his temporum asperitatibus.

Quam saepe, quam graviter nos Reverendus D. Martinus ad studium linguarum hortatus est, et ipse quamvis iam senex Graecam linguam didicit: ac in Hebraea ita elaboravit, ut etiam summi apud Iudaeos Rabini palmam illi concederent. Vidit enim vir tanto ingenio, doctrina ac iudicio praeditus, quam necessaria Ecclesiae esset linguarum cognitio, et quam ad veterem vastitatem ac priores tenebras doctrina sacra reditura esset, si linguae negligerentur.

Quapropter si ad veterem illam barbariem respectamus, si praesentis lucis pertesi, priores tenebras requirimus, ut id consequamur, non alia magis compendiaria via est, quam ut linguarum studium interire sinamus, et praecipue Graecae linguae. Haec enim ut lumen coelesti doctrinae praefert, ita totum orbem liberalis ac cultioris doctrinae fulcit atque sustentat. Quod si quem omnino glandes ac suillus victus delectant magis quam humanus, eum una cum gryllo inter porcos vitam exigere sinamus. Nos vero aeternum ac clementissimum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, toto pectore precabimur, ut puram et sinceram sacratissimi verbi sui doctrinam in Ecclesiis nostris non sinat intercidere, aut erroribus iterum contaminari, vel obscurari sophisticis praestigiis, ut in his mundi senescentis tenebris saltem haec lux non extinguatur. Utque haec studia optimarum artium et linguarum, quae partim coelesti doctrinae explicandae serviunt, partim verum ac rectum iudicium de rebus formant, partim opitulantur huic miserae humanae vitae, clementer tueatur ac conservet. Et cum ipse horum omnium bonorum fons atque author sit, ut haec sua beneficia inter nos rata ac firma esse velit, nosque vicissim haec divina dona reverenter tractemus, et cupide amplectamur: nec ullum etiam studium aut laborem, dum illa consequi possimus, recusemus, ne nobis hoc veteris poëtae occinatur:

σῦκα φιλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.

Gratae avibus ficus, sed nolunt ferre laborem.

Debent vero nos etiam corruptelae doctrinae sacrae, errores, et blasphemiae horum temporum invitare ad serio discendum, ut et nos et alios con-

tra illos laqueos satanae communire ac praeparare possimus. Sic enim Deus praecipit Proverb. 27.: Disce fili mi sapientiam, ut refutari possint hi, qui mihi convicium faciunt. Et gaudebit cor meum. Dixi.

No. 109. an. 1549.

De studio linguae Ebraeae.

In select. Declamat. T. IV. p. 467 sqq., Richard. T. I. p. 333., Servest. T. IV. p. 424. et in Tom. III. Erford. lit. m, 2, ubi adscriptus est annus 1549.

Oratio de studio linguae Ebraeae.

Cum de linguae Ebraeae studiis mihi dicendum esse intelligerem, valde gaudebam, non inter illiteratos, qui tantum quaestuosas artes mirantur: nec inter prophanos homines, qui Ecclesiae doctrinam contemnunt, orationem habendam esse: sed in eo coetu, qui cum pars sit Ecclesiae Dei, praecipuam virtutem esse, curam cognoscendi, custodiendi, et ad posteros propagandi scripta prophetica et apostolica sentit.

Nec vero difficile est, refutare illiteratos, qui artes non metiuntur dignitate sua, nec attendunt, quos singulae gradus vitae regant, sed pecuniam summum bonum esse dicunt, et eas tantum artes probant, quae sunt aucupia cumulandae pecuniae.

Horum iniusta iudicia, nec meo studio, nec ullis Ecclesiae artibus, imo nec Philosophiae opponenda sunt. Colunt enim has artes boni, virtutis causa, propter agnitionem Dei, et propter Reipublicae utilitatem, non ut Midae et Crassi opes venentur. Nec ignotum est nobis, quid contra illa insulsa iudicia dicendum sit, robore tantum animi opus est ad ea contemnenda et execranda.

Sed aliis quibusdam qui ingeniis et eruditione excellunt, et elegantiam doctrinarum ac suavitatem amant, difficile est respondere, qui a linguae Ebraicae studiis multos deterrent mentione barbariei. aiunt linguam horridam esse, et pene amissam: nec multo certius eam percipi posse, quam si nunc velimus Aegyptiorum hieroglyphicas literas interpretari. Deinde res anteferunt Graecis et Latinis literis traditas. Et dum huius barbaricae linguae sibilos ac stridores utcunque imitari studemus, si tamen imitari quisquam potest, dum phrases alienissimas a Graeca et Latina lingua enarrare discimus, cum Reipub. barbaricae imaginem nobis pingimus, non solum sermonis Latini puritatem et venustatem corrumpi aiunt, sed etiam aliquid accersi ineptiarum: ut in tragoedia Menelaus dicitur factus barbarus, diuturna barbarorum consuetudine. Haec saepe Politianus Pico obiicere solitus est: et incredibile est, multos captos suavitate Graecae et Latinae eloquentiae, et rerum dulcedine, quae sunt in historiis ac poëmatis, Graecis praesertim, hac oratione moveri, ut Ebraeam linguam magis fastidiant.

An quisquam tam agresti animo est, ut non malit legere Herodoti historiam perpetuam, de maximis rebus gestis inde usque a Croeso ad Xerxem, de plurimorum regnorum mutationibus sapientissime et dulcissime narrantem consilia gubernatorum, causas bellorum, exitus placidos in negotiis moderatis, tristes vero in rebus cupiditate et ambitione susceptis: quam legere Thalmudicos libellos, in quibus et tempora mundi manifesto errore mutilata sunt, et tantum est insulsitatis, ut Alexandrum somnient gessisse bellum cum Dario filio Hystaspis, qui successit Cambysi. Si rerum suavitas et exempla memorabilia quaeruntur, multo est iucundius et utilius considerare Themistoclis sapientiam, in omnibus belli momentis providendis, et Aristidis iusticiam atque moderationem, et Graeciae universae constitutam concordiam in defensione patriae, quam legere fanaticos furores Ben Cosban.

Nolunt igitur a Graecis et Latinis literis ingenia abduci, quae cum universam Philosophiam, seu totum orbem artium, ut vocatur, quae sunt vitae necessariae, deinde continuam historiam omnium temporum, illustria exempla in poëmatis, artem medicam, et praecipuam religionis doctrinam, videlicet Apostolorum monumenta complexae sint, ne causam quidem esse arbitrantur, cur Ebraea lingua desideretur.

Etsi autem usitatum est in collatione doctrinarum alias aliarum extenuatione augere: tamen quia iustum est suum cuique tribuere, et ego ingenue caeteris linguis suum decus tribuam, et ab illis elegantibus et doctis hominibus peto, ut monumentis Ebraeis etiam suum locum concedi patiantur. Adsentior, Philosophiam integre comprehensam esse Graecis literis, et historiarum, poematum, et oratorum Graecorum lectione nihil dulcius esse, et ad regendam vitam civilem exempla illustria et satis multa in Graecis et Latinis

literis proponi. Nihil igitur de earum linguarum dignitate detraho, delector etiam earum venustate. Nam etsi eam non exprimo, tamen ut in picturis artificium, ita in scriptis mediocriter intelligere elegantiam possumus. Sed in Ecclesia Dei carere lingua Ebraea non possumus. Hanc necessitatem argumentis omnibus quae contra nos adferuntur, oppono. Si iudicamus hanc de Deo doctrinam, quam Ecclesia Christi profitetur, traditam monumentis propheticis et apostolicis, solam esse veram, et solam veri Dei invocationem monstrare: necesse est monumenta prophetica et apostolica summa fide conservari, et vere et recte enarrari. quam ad rem etsi aliarum artium ac linguarum doctrinam etiam necessariam esse fateor, tamen addo fontem interpretationis esse linguae Ebraeae cognitionem, sine hac retineri nativas sententias posse nego. Itaque iis qui studia sua ad certam Ecclesiae utilitatem referunt, et in suis mentibus confirmare adsensionem de doctrina prophetica volunt, his ad caetera studia adiungendam esse linguam Ebraeam, non dubium est.

Quare initio praefatus sum, libenter me in hoc coetu, qui pars sit Ecclesiae Dei, de hac lingua dicere, qui solus utilitatem huius linguae et intelligit et magnifacit. Sinamus homines prophanos alios aliis studiis seu voluptatibus delectari. Nos Ecclesiae patrimonium, et nobis et posteris tueamur, et mentes nostras fontibus ipsis doctrinae coelestis confirmemus: ut erudite cogitantes omnia testimonia de Deo, inde usque ab exordio humani generis tradita, verum Deum, qui se patefecit in hac doctrina, vera et ardenti invocatione celebremus.

Iam ea est aetas mea, ut si quid arroganter de mea eruditione praedicem, iure deridear, ac mente errare dicar. Immensum quiddam est perfecta doctrina: et scio me non solum procul ab illa perfectione abesse, sed vix primis labris, ut ita dicam, degustasse literas Latinas, Graecas et Ebraicas. Sed tamen hoc ipsum quod didici, quantulumcunque est, propter iudicium de Religione, omnibus mundi regnis, omnium opibus longe antepono. Quod eo dico, ut cum mihi et aliis qui parum didicimus, videatis plurimum ad veritatis agnitionem hanc exiguam doctrinam prodesse: et ipsi speretis, magnum vos precium operae facturos esse, si linguas mediocriter didiceritis. Non exhausimus universam Arithmeticam, nec Euclidis, nec Archimedis subtilitatem assequimur: non tamen ideo prorsus artem numerandi fugimus. et haec mediocris scientia seu exercitatio ingentes nobis utilitates adfert, imo aditum in coelum ad loca siderum patefacit. Ita fere in omnibus disciplinis uberes fructus etiam ex mediocri cognitione percipi possunt.

Quare bona cum spe, et hac invitati causa, ut prosit opera nostra Ecclesiae, linguae Ebraeae aliquid studii tribuamus. Ut enim fontes coelestis doctrinae melius noti sint, et ad posteros sinceri propagentur, semper aliquos esse oportet, velut librorum custodes, qui Germanam lectionem et sententiam collatis fontibus tueantur.

At clamant multi, extare bona fide translatos libros in Graecam et Latinam linguam, eoque curam peregrinae linguae discendae supervacuam esse.

Gaudeo versiones extare, et Dei beneficio omnium maxime luculenta et nitida est Germanica, summa diligentia et fide exploratis eruditorum iudiciis a D. Luthero elaborata. Nam et in populi et in eruditorum manibus sacros libros esse oportet, ut praecipit Petrus, inquiens: Recte facitis, quod propheticum sermonem legitis. Sed unde populus interpretationem haberet, nisi docti aliqui linguam novissent? Singulare Dei beneficium est, quod semper in Ecclesia donum linguarum alias illustrius, alias obscurius fuit. Multae enim sunt causae, cur semper aliquos esse oporteat, quibus fontes noti sint. primum turpissimum esset, ipsam Ecclesiam ignorare exordia sua, nec certo fontes doctrinae tenere. Deinde nemo sanus ignorat, non semper retineri similem perspicuitatem et puritatem, cum sententiae ex aliis linguis in alias transfunduntur. Et magna est interpretum dissimilitudo, etiam cum par fides est. Ecclesia initio cum esset eruditior, tamen iudicavit usitatae interpretationi, alias plures addendas esse. Manifestum est enim in illa usitata multa esse mutila membra, multa obscure et sordide reddita esse, alias ab ipsis autoribus, alias a scribis membra narrationum confusa et perturbata esse, et propheticas narrationes saepe magnarum aedium ruinis similes esse.

Grata igitur fuit Ecclesiae opera eruditorum, qui interpretationes novas ediderunt, quarum aliquas in unum volumen congessit Origenes. sed post illum Nicomediae fuit vir nobilitate generis praestans, sed multo praestantior eruditione et

vera pietate, Lucianus: scribunt enim sinceram et incorruptam eius sententiam in omnibus Ecclesiae dogmatibus fuisse. Hic edidit interpretationem valde laudatam. Quare etiamsi Apostolorum aetate interpretatio in manibus hominum fuit, quoscunque illa autores habuit: tamen linguae studium utiliter retentum est, ut usitata lectio emendari et illustrari posset. Nihil facilius est, quam magnum acervum erratorum vetustae illius Graecae lectionis congerere, et quidem in sententiis quae peculiarem doctrinam continent, ut in Psalmo non dissimulandum est quod scripserunt, Apprehendite disciplinam: pro dicto Prophetae, Osculamini filium. In hoc loco, qui de Messia testimonium et doctrinam dulcissimam continet, hallucinatio iuste reprehenditur. Ac similia errata interpretationis vetustae Graecae et Latinae multa recitari possent. Quoties etiam accidit, ut membra in interpretatione compareant, et tamen sententia non intelligatur ab iis qui phrasin non agnoscunt, ut in Psalmo: Si dormietis inter medios clypeos, pennae columbae velut argentum et aurum fulgebunt. Recte verba reddita sunt, sed quid dicatur, Latini homines, ignari consuetudinis Ebraicae, iudicare non possunt. Aliud igitur alii Latini in enarrando somniarunt: sed qui agnoscit phrasin, intelligit de exercitu dici. Si iacebitis, id est, si castra habebunt Ecclesiae passim in finibus, id est, provinciis, fulgebunt acies, ut aurum et argentum. Apud Esaiam legitur: Consummatio abbreviata exundabit iusticiam, id est, in consummatione, hoc est, in fine et interitu politiae Mosaicae constituto, iusticia exundabit: id est, donabitur aeterna iustitia, et late propagabitur misso redemptore, et sparsa in mundum voce Evangelii. Hoc dictum a Paulo citari ad Romanos meministis, qui lectionem tunc usitatam retinuit, nec aberravit a sententia, tametsi lectio confusa est et mutila. Sed collatis fontibus agnoscitur sententia: *λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ*. Interpres *λόγον συντελῶν* dixit rem finiens, ut solent Ebraei dicere: Quod est verbum, id est, quid rei, quid negocii est. Ita, inquit, finiet, ut in eo interitu tamen iusticia exoriatur: qui verbum abbreviatum faciet, id est, rem abbreviatam: hoc est, finem constituet huic politiae, in qua Iudaei putabant se imperio orbis terrarum potituros esse. Etsi igitur lectio Graeca confusior est, tamen Ebraice utcunque eruditus, agnoscit Paulum retinere nativam sententiam.

Ac late patet hoc quod de phrasi diximus. Ut sine luce non cerni possunt colorum discrimina, ita sine cognitione phrasis, totus sermo veteris et novi Testamenti ignotus est. Nam etsi monumenta Apostolorum Graeca sunt, tamen phrasis est Ebraica: ut nunc plurimi Latine loquentes, patriae linguae phrasin tamen imitantur. Idque magis accidit Apostolis, qui Prophetarum sermonem gravi consilio et magno studio sequebantur ac reddebant. Ut igitur recte et dextre intelligatur genus sermonis in universo corpore sacrorum librorum, phrasis discenda est. Ad hanc sine Ebraicis literis perveniri non potest. Nam considerandae sunt verborum origines et emphases in ipsis fontibus, discenda est proprietas, et videndum, ubi transferantur voces singulae, aut iunctae, allusione et figuris ad vicinas significationes. Omnino peculiaris forma est orationis, gravissimae illius antiquitatis, brevis, conferta rebus, verecunda, non ambigua, sed alibi proprie, signate et dilucide proponens leges et dogmata, alibi res easdem dulcissimis figuris pingens: quae ita adhibentur, ut lumen sint eorum quae alibi proprio sermone dicuntur, non ut offundant tenebras, et ex certis dogmatibus faciant ambigua. Vult Deus suam sententiam in lege et promissione reconciliationis certam et explicatam esse, non ludit ambigue dictis, non offundit praestigias, non extruit labyrinthos, sed plane concionatur, ut nostrae mentes eum invocare, et certam de eius benevolentia sententiam concipere possint. Ut autem haec certitudo teneatur et defendatur, necesse est Doctores in Ecclesia phrasin eius linguae intelligere, quae literis testimonia et sermones Dei complexa est. Ut artifices caeteros necesse est suae quemque artis vocabula nosse: sic nos in Ecclesia oportet earum rerum appellationes intelligere, de quibus Deus concionatur. Paulus dicit: Induite viscera miserationum. Quid homo Latinus ex tam peregrina forma sermonis intelligat? Sed Ebraeis usitata metaphora est, viscera pro vera *στοργῇ* cordis dicere. Ergo cum inquit: Induite viscera miserationum, vult non simulatam misericordiam ostendi, sed veram et nascentem in corde existere, in qua totum pectus sentiat dolorem alienae miseriae. Ideo dicit *σπλάγχνα οἰκτιρμῶν*.

Dices, hoc esse minutum, et sine hac subtilitate rerum summas intelligi posse.

Ego vero volui exemplum proponere non obscurum. At mihi credite totus sermo propheticus

talium figurarum plenus est, quarum aliae magis, aliae minus remotae sunt a nostra consuetudine. Et saepe praecipuae dogmatum controversiae ex genere sermonis iudicantur. Vocabula peccati, gratiae, fidei, insticiae, iustificationis, spiritus, saepe aliter in sermone prophetico et apostolico usurpantur, quam apud Demosthenem, aut Ciceronem. Quomodo autem res maximae comprehensae his appellationibus cerni poterunt, si in sermonis interpretatione mens aberrat? Et ante hanc aetatem multi hallucinati sunt propter inscitiam Ebraicae consuetudinis in his ipsis vocabulis, et nunc multi retinent mordicus falsas opiniones propter eandem causam.

Fides Latinis veteribus et Graecis adsensionem significat. Nunc cum vulgus dicit, Fides catholica significat doctrinam. Hanc depravationem a vulgo acceptam transferunt multi ad enarrationem Pauli, cum dicit, Fide iustificamur: et mirantur stulticiam nostram, quod Pauli dictum amplectimur, cum nemo sit iustus doctrina. Iusticia, inquiunt, virtus est voluntatis: Fides noticia est, quae alteri parti propria est. Nec magis recte dici putant, Fide Petrus est iustus: quam si dicatur, Vinum sapore est rubrum. Existimant igitur, nos ut Argivum spectatorem in vacuo theatro, spectacula quae nusquam sunt, mentis errore fingere. Sed nesciunt ipsi se falsis opinionibus fascinatos, ut surdos, non discernere sermonem vulgi a divino. Hunc morbum tolleret cognitio phrasis, in qua videmus, fide assensionem et fiduciam significari.

Cur igitur, inquies, tantae sunt apud Iudaeos tenebrae, si cognitio linguae et phrasis lumen est sententiae? Possem breviter respondere: Eruditiores, ut vidi aliquos, non peccare inscitia, sed voluntatis perversitate, ut olim Caiphas et similes, qui viderunt miranda Christi facta. Sed sit sane inscitia in aliquibus, haec ex duabus causis oritur: prior est, ut in arca foederis stantes Angeli sese mutuo contuebantur, et alas iungebant: ita veteris et novi Testamenti monumenta congruunt. Vetus est fons novi, ut inquit Psalmus: Benedicite Deo de fontibus Israël. Novum est lumen veteris: et collatio utriusque ad utrunque intelligendum necessaria est. Cum autem aspernentur Iudaei interpretationem Christi et Apostolorum, et sua somnia de mundi imperio, nolunt abiicere, retinent corruptelas ab impostoribus excogitatas. Altera causa est: Ad phrasin intelligendam non solum huius linguae cognitione opus est, sed literas Latinas et Graecas, et mediocrem dicendi et scribendi usum accedere oportet. Sine hac cultura nemo de ullo sermone iudicare potest: quam illa sordida ingenia nec intelligunt, nec appetunt.

Denique ad recte iudicandum in omnibus causis praecipue opus est bona mente. Haec enim amat et quaerit veritatem, et quantum fieri potest, iis se rebus instruit, quae viam monstrant: et fugit, et execratur calumnias et sophisticam. Rari sunt autem apud omnes gentes praediti tali mente. Sed in Ecclesia Dei excellere amorem veritatis oportet.

Sint igitur aliqui, qui Ebraeam linguam appetant, propter has causas, ut sciant fontes doctrinae ecclesiasticae. Et quanquam extant versiones, cogitent tamen id quod res est, ad earum emendationem et illustrationem fontes saepe consulendos esse. Agnoscant et hoc, phrasin sine linguae cognitione minus intelligi. Plurimum autem momenti in explicatione dogmatum adfert cognitio phrasis. Imo sine ea non potest in homine ingenioso existere certitudo. Transformabit enim dogmata, ut ceram in diversas sententias et perniciosis tumultibus opinionum ipse sese evertet. Hoc multis ingeniosis accidit, non quaerentibus confirmationem unius certae et perpetuae sententiae in singulis dogmatibus, ad quam inveniendam et constituendam phrasis cognitio necessaria est. Neque haec levis causa existimetur discendae huius linguae, quod instructos nos esse oportet ad refutanda deliramenta Iudaeorum. Sed aliae causae, quas recensui, graviores sunt.

Exposui cur in Ecclesia studium Ebraicae linguae retinendum sit. Ac fuisse Dei semper beneficio, res ostendit, alias magis, alias minus frequens. Post discipulos Apostolorum in Oriente Epiphanius, in Latina Ecclesia Hieronymus, deinde his recentioribus temporibus Lyranus et Burgensis clari fuerunt, et fuisse alios multos non dubium est. Nunc multi docti et pii hanc linguam studiose colunt. Estque nostri officii iuventutem adhortari, ut hoc donum, quod Deus semper in Ecclesia excitavit, et studiis doctorum conservari voluit, tueantur, ac sciant se laborem sumere in munere divino propagando, et in veris opibus Ecclesiae defendendis. Laudamus pios principes, qui prohibent pastoribus eripi suos nidos et agros:

et iure laudamus. Sed literarum et huius linguae cognitio verius est inter opes Ecclesiae numeranda.

Redeamus ergo ad Politianum cum Pico disserentem. Magnum, inquit, ornamentum est viri versantis in Republica eloquentia Latina, quam haec Ebraica studia vel impediunt, vel corrumpunt. Magnum decus sermonis, consiliorum et actionum elegantia, quam Graecae literae adferunt: magnum sapientiae lumen est Philosophia et Graeca historia. Adsentior, sed nihil adhuc de Ecclesia, de agnitione Dei, de confirmatione fidei, dixit Politianus. Illa vult Deus prima esse studia, quae Ecclesiae necessaria sunt. Primum, inquit Christus, quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Nec ita impediunt Ebraica studia Latinas literas et Graecas, ut non assequi mediocritatem in aliis duabus linguis homo studiosius possit. Quam multos enim etiam Latine disertos nominare possem, qui hoc tempore in his tribus linguis et in universa Philosophia operam egregie navarunt? De viventibus non dicam, qui et multi sunt, editis monumentis clari. plerique Grynaeum novimus, cui nulla Philosophiae pars ignota fuit, et hanc ex Graecis fontibus hauserat, Aristotele, Euclide, Galeno, quos habuit notissimos. Scribebat autem et versus, et solutam orationem satis splendide. Hic his tam variis et immensis artibus et linguis Ebraeam addebat. Amabat enim Ecclesiam Dei, et fontes doctrinae quaerebat. Itaque inter precandum aliquid Ebraice legebat.

De elegantia sermonis non hic dicam, quod Graeci citant: Anacharsis apud Atticos soloecizat, Solon vero apud Scythas. Non enim valet hoc dictum in universum: inventionem natura diiudicat, ac multa ab ingeniosis et prudentibus hominibus, quanquam ignaris Graecae linguae, magna cum venustate excogitata et dicta sunt.

Et nunquam sapientia est sine elegantia, hoc est, sine illa arte idonea temporibus ac personis, cum aliqua singulari suavitate dicendi. Fuisse autem sapientiam in Prophetis excellentem, magnitudo rerum gestarum ostendit. Quare non putetis eorum orationem insulsam esse: sed ut picturam longius positam iudicare difficilius est, ita ignari rerum Ecclesiae non satis vident, quam illustres et dulces imagines proponant Prophetae. Obvia sunt ubique exempla venustissima, sed hoc unum recitabo. Praedicit Esaias, Deum servaturum esse suos, sed ita, ut magna parte populi, qui sibi titulum Ecclesiae arrogat, deleta, reliquias excerpturus sit. Hanc sententiam quam miranda imagine pingit. Ut inquit, cum vineae aestu arefactae non sunt foecundae, sed sparsim paucas uvas genuerunt, quas colonus inveniens, tamen sibi gratulatur, inquiens: Nemo has mihi auferat, aut corrumpat, quia Deo benedicente natae sunt: sic Ecclesiae reliquiae servabuntur, magna multitudine tristissimis calamitatibus absumpta.

In hac imagine quam multa sunt admiratione digna? Minatur multitudini, et consolatur pios, et narrat Deum custodem fore, ut vinitor uvas suas sterili tempore custodit. Saepe me in his publicis miseriis et ruinis rerum humanarum haec imago consolatur. Elegantia est igitur cogitationum et verborum tanta in Prophetis, ut qui res intelligunt, non possint eam non amare.

Postremo quod de sapientia et barbarica Republica Politianus dixit, valde errat. Longe antecelluit veris ornamentis respublica Iudaica Atticae: nec concedo ei, Solonem, Themistoclem, Aristiden maiores viros fuisse, Moise, Samuële, Davide, Elia, Eliseo, Esaia, Ieremia. Fuit in Graecis politica sapientia et magna virtus, sed in his nostris agnitio Dei, et peculiaris sapientiae gradus fuit, qua res dubias et superiores humanis consiliis et viribus vocationem suam et Dei praesentiam intuentes gerebant. Graeci illi fere omnes suae sapientiae fiducia elati, tandem vel *πολυπραγμοσύνῃ*, vel cupiditatibus iniustis impulsi, civitatibus suis magnas ruinas attraxerunt. Et habet David anchoram, qua suam navim etiam quassatam ventis et fluctibus servet, ignotam Themistocli, Pericli, et similibus. Scit se, scit suam rempublicam Deo curae esse: et hac spe nec abiicit arma in adversis rebus, nec deserit stationem suam, sed exitus faustos expectat. Hanc sapientiam maiorem et magis salutarem Themistoclea, discetis ex lectione Reipub. Iudaicae, quam, cum fuerit Ecclesia Dei, non sinamus barbaricam vocari. Haec enim domicilium fuit agnitionis Dei, sapientiae summae inter homines, prudentiae politicae, fortitudinis, castissimorum morum, disciplinae, et earum artium quae inter philosophicas praecipuae sunt. Sed nunc collationem gentium omittam.

De linguae studio hoc vos oro et obtestor, ut cogitetis donum linguarum in Ecclesia divinitus excitari: ac velle Deum, ut nostra diligentia id munus tueamur, ut laudat servos, qui talenta

collocarant in foenus. Et minatur ignavis, inquiens: Habenti dabitur, et non habenti etiam quod videtur habere, auferetur. Agamus igitur Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias, ardentibus motibus pectorum, quod Evangelii lucem rursus accendit in Ecclesia, et insuper eam linguarum cognitione et universae Philosophiae studiis ornavit, et quod his bonis aliqua ex parte fruimur. Nihil enim his muneribus melius est in tota rerum natura, non opes, non regna, non voluptates.

Postremo etiam, ut gratitudinem nostram declaremus, et honestis moribus haec studia ornemus, et aliquid operae in hanc linguam ad animos nostros erudiendos et confirmandos, et ad iuvandam posteritatem conferamus. Dixi.

No. 110. an. 1549.

De appellationibus panum.

In select. Declamat. T. IV. p. 818 sqq., in Servest. T. IV. p. 290. et apud Richard. T. II. p. 49. Idem in T. III. Erford. lit. i, 3., ubi adscriptus legitur annus 1549.

Oratio de appellationibus panum, a Melch. Fendio D. artis medicae recitata.

Multae sunt gravissimae causae, propter quas decet hanc testimonii renunciationem non solum publice, sed etiam in magna iuventutis frequentia fieri, ut ibi et voce docentium et ipso ritu commonefacti, iuniores discant admirari et amare artes: et Deo pro hoc summo beneficio gratias agant, quod vitam hominum instruxit, et ornavit sapientia et artibus, et ad aeternam ac coelestem vitam praeparat. Denique ut accendatur discendi cupiditas, artium dignitate et pulchritudine considerata. Sit igitur et in hoc nostro congressu prima haec vox, quam mecum piis pectoribus recitate. Tibi omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, iuste, verax, misericors iudex, caste, liberrime, gratias ago pro omnibus beneficiis, ac nominatim pro luce doctrinae, teque oro, ne eam extingui sinas.

Deinde cum ad invitandos aut docendos iuniores aliquid etiam de ipsis artibus dici utile sit, saepe hic, vel de toto genere Physicae doctrinae, vel de parte aliqua dictum est. Quantum enim possumus in rudibus pectoribus adversus immanes illos Cyclopes, qui et Deum, et hanc divinam lucem, quae in artibus proposita est, furenter contemnunt, iudicia formare conamur? Ac saepe iam dictum est, certo velle Deum aspici rerum naturam, et hanc considerationem et sapientiam pulcherrimum decus esse hominum, et praecipuum vitae praesidium.

Cum autem in tanta rerum amplitudine de multis naturae partibus dici non possit, pauca iam de generibus panis dicturus sum. Est enim profecto diligentia homine digna, victus sui, et alimentorum vim considerare, et ut Deo pro quotidianis muneribus gratias agat, et ut in fovendo delectus et modus adhibeatur. Eo etiam de pane diligentius cogitemus, quia omnibus temporibus in sacrificiis Deo panes consecrati sunt, quo ritu testari nobis Deus voluit, et vitam et alimenta vitae ipsius opus et dona esse. Voluit etiam ipsa liba imagines esse coelestis pabuli, ut postea dicemus. Imo ritus ipse dulcissimam promissionem continet. Cum Deus iusserit sibi consecrari panes, simul pollicetur se daturum terrae foecunditatem, ut frumenta gignat, sese velle hanc inopem naturam hominum alere et fovere: sese postulare, ut et petamus haec beneficia ab ipso, et agnoscamus ac celebremus autorem. Cum igitur multae commonefactiones in illis ritibus proponuntur, libentius hanc commonefactionem de varietate panum institui.

Initio autem dicendum erat, cur panes praesertim ex tritico facti, sint praecipuum nutrimentum, et perpetuum, cuius usus adsiduus homini non intemperanti, et non habenti morbum, non adfert fastidium, ut usus diuturnus omnium aliorum ciborum. Quae haec cum humano corpore cognatio est, ut haec grana ex terra nata, statim in succum corporibus nostris convenientem vertantur? Hic ad providentiam referenda causa est, ut manifestum opus est providentiae divinae, quod foetus in utero, et postea recens editus alitur lacte cocto in uberibus matris: ita agnoscamus Deum curantem genus humanum, hanc pulcherrimam mundi naturam ita condidisse, ut praebeat sedem, cibum, potum, remedia, tegumenta, organa operarum, et multa alia vitae necessaria, generi humano. Sit igitur providentiae testimonium, haec alimentorum cum nostris corporibus convenientia.

Nec alias causas a priori Physicus ostendere potest. Sed postea species discernit. Alia materia humano corpori magis, alia minus familiaris est. Holera et poma etsi nutriunt, tamen quia nimis aquosa sunt, diffluit succus, et languidior est. Triticum siccius est, et pingue, et temperate calidum. Ideo et succus fit pinguior et glutinationi accommodatior.

Dicamus igitur iam de differentiis, quarum gradus tres constituam, primum a materia, secundum a puritate, tertium a coctione. Differunt panes primum materia: alii fiunt ex tritico, alii ex olyra, alii ex zea, alii ex hordeo. Caetera genera, quia in nostris regionibus non sunt usitata, omittam. Et cum haec recitentur propter auditorum utilitatem, volumus eis rerum domesticarum appellationes, et vires notas esse.

Triticum esse primae bonitatis frumentum constat, quod Graecis est *πυρός*, nobis Weitzen. recito enim appellationes nostras omnibus notas, ut rebus alicubi monstratis, iudicari discrimina oculis possint. Sunt igitur optimi panes, qui fiunt ex tritico, de quorum differentiis postea rursus dicam.

Secundus locus tribuatur ex olyra factis, ac nomino Olyram, quae nostro vocabulo appellatur Rocken: cuius usus in his regionibus populo familiarissimus est, et ut ego iudico, salubris. Et quidem Diocles praetulit olyram zeae.

Zeam autem nominamus eam, quae nostris est Spelta, seu Dinckel. Etsi autem Galenus inquit, se in peregrinationibus suis, quibus lustravit magnam Asiae et Europae partem, studiose inquirentem nusquam reperisse frumentum, cui Zea nomen esset: tamen Graecis notum fuisse vocabulum necesse est, cum toties dicant poëtae *ζείδωρος ἄρουρα*. Et copiose nasci speltam, quam zeam vocamus in multis Sueviae locis manifestum est, ubi et panes ex zea facti anteferuntur factis ex olyra, et sunt aliquanto candidiores. Sed Mnesitheus vetus scriptor inquit, graves et difficiles concoctu esse, nec sine offensione valetudinis diu vesci eis posse homines non assuetos. aiunt et alvum usu huius generis contrahi. Res etiam ostendit, succum ex zeae granis lentum, tenacem et viscosum esse: quare coctionem difficiliorem esse consentaneum est.

Quarto loco numeramus ex hordeo factos, quos Galenus inquit minus gignere succi, et minus nutrire, quam illa genera, quae antea recitavi: quia hordei natura frigidior est. Multa autem sunt testimonia, homines tenuiores olim multum usos esse panibus hordeaceis. Ideo enim in versu veteri dicitur: *αὐταρκὴς γὰρ ὁ πρέσβυς, ἔχων ἅλα καὶ δύο κρίμνα,* Senex hoc victo contentus est, sale et duobus panibus hordeaceis. Nam *κρίμνον* farinam esse certo modo apparatum ex hordeo, traditum est, et historia evangelica narrat, quinque panes hordeaceos distributos esse, quibus pavit filius Dei amplius quinque millia hominum: qua narratione multae significationes adumbratae sunt. Alitur et defenditur Ecclesia, Deo iuvante, etiamsi opes habet exiguas. Sunt et micae doctrinae in speciem tenues, et frigidae, sed Deo aspirante accendunt vitam aeternam in cordibus. Plures alias species addere possem, sed nec huius temporis angustia longiorem enumerationem nobis concedit, nec caeterae perinde notae sunt. Non enim iam saepe ex sesamo aut panico fit panis. Omitto et factos ex diversis materiis, ut sunt placentae, itria, liba.

Addam vero differentias a puritate sumptas in his panibus, qui ex tritico fiunt. Optimus est et purissimus, qui fit ex siligine, quam nominant tenerrimam partem et delicias tritici.

Minus teneri et puri sunt panes ex semidali, quales fere apud nos fiunt ex tritico candidiores panes.

Tertius gradus nominatur *αὐτόπυρος*, item *συγκόμιστος*, qui fit ex tritico cum polline. Ideo enim appellarunt *συγκόμιστον*, quia universa farina non excusso polline miscetur.

Quartus gradus est furfuraceus, multo etiam impurior, quam *συγκόμιστος*, ater, ut in rure pinsi videmus, et minus nutrimenti habens, et *κακόχυλος*, ut Diphilus scripsit et res ostendit.

Recitavi differentias a puritate sumptas. Aliqui putarunt, has differentias diversorum esse frumentorum: sed haec explicatio Galeni est et Aeginetae, quam secutus sum, et est perspicua, et congruunt verba Celsi, qui inquit: Firmius est triticum, quam millium, id ipsum quam hordeum, et ex tritico firmissima siligo, deinde similia, deinde cui nihil ademptum est, quod *αὐτόπυρον* Graeci vocant: infirmior est ex polline, infirmissimus cibarius panis.

Nunc addam differentias a coctione sumptas, quae nunc quidem non sint variae. Olim maior varietas fuit. Alii sunt furnarii, seu *κλιβανῖται*, sic dicti, non propter materiae diversitatem, sed

quia in furnis, more horum temporum, cocti sunt. Et aiunt furnos inventum Aegyptium esse.

Alia fuit antiquior consuetudo, priusquam furni essent, coquere panes tectos cineribus inter carbones. Ii nominantur ἐγκρύφιαι, quae appellatio saepe in sacris libris repetita est, quia in sacrificiis hoc modo cocti panes proponebantur. Quare et veteres scriptores in Ecclesia, in enarratione sacrificiorum, dicunt interdum his panibus sacrificari filium Dei iacentem in cineribus, cum pro nobis victima factus est: ideoque in sacrificiis hanc speciem exhibitam esse, ut cogitemus primum de filio Dei sic involuto cineribus, deinde et de nostris aerumnis. Oportet enim nos similes fieri imaginis filii Dei. Uritur vera Ecclesia tanquam cineribus obruta, cum variis calamitatibus in hac vita exercetur. Ita efficimur in confessione et invocatione panes Deo consecrati.

Huc et aliae differentiae addi possunt. Alii panes sunt fermentati, alii sine fermento. Sed vescentibus utilior fermentatus, quia cum rarior sit et levior, facilius concoquitur, et ipsa fermenti natura penetrationem adiuvat. Sunt et figurarum differentiae, ut βατίχυλος panis est, qui apud nos a figura rhombi Weck nomen habet.

Haec appellationum discrimina nunc collegi, quibus cognitis, iuniores facilius legent scripta veterum. Et nescire appellationes rerum domesticarum, quae cotidie in conspectu sunt, turpe est iis, qui doctrinae studiis se dediderunt, et ut sermonis vetusti proprietatem tueantur, et ut cognitis vocabulis naturas rerum considerent. Quoties adspicis positos in mensa panes, prima esse de Deo et de providentia cogitatio debebat, quod singulari consilio Dei instituta sit cognatio frumenti, cum humano corpore, ut verti in succum, sanguinem et nutrimentum possit. Servare nos Deus etiam sine cibo, et sine remediis poterat. Sed voluit hanc vitam multis praesidiis indigere, ut commonefacti nostra necessitate agnosceremus artem opificis, qui singulis necessitatibus sua praesidia condidit. Inde palam est, hanc rerum naturam, in qua praecipuae partes mirando ordine distributae sunt, non extitisse casu, sed ab aeterna mente architectatrice conditam esse. Deinde et hoc cogitandum est, vere diligi genus humanum a Deo, cum videamus hoc pulchrum domicilium, coelum, et intra hunc orbem, terram, quae nobis sedes esset, et plurima terrae ornamenta praecipue ad utilitatem nostram condita esse. Et si autem propter infirmitatem naturae humanae, valde negligenter haec opera et consilia Dei considerantur, tamen repugnandum est infirmitati. Ideo Deus vitam regi vult doctrina et disciplina, ut contra hanc segniciem, quae nobiscum nascitur, mentes adsuefiant commonefactione doctrinae et honestis exemplis, ad ipsius agnitionem et celebrationem.

Deinde et valetudinis tuendae causa, ut de caeteris cibis, ita de panibus quaeramus, qui facilius in nutrimentum verti possint: qui cum sint lenti ac minus rari, difficulter vertantur in chylum, et gignant sanguinem quasi lutulentum, et obstructiones faciant, quae interdum lethales morbos adferunt. ut accidit avide vorantibus placentas, aut itria, quae sunt ex farina et melle eius generis, quod nos vocamus Hipen. Est autem indigna homine negligentia, non habere delectum in rebus praecipue necessariis ad valetudinem tuendam. Memini exempla, ubi cum in magno agmine scholastico multi propter panes male coctos, periculosis morbis conflictarentur: et animadversa causa mutatus esset panis, deinde talis offensio valetudinis non accidit. Tantumque momenti in pane est, ut cum non recte maturuit olyra, ex qua postea fit panis, quia materia fere putris est, sequi luem in populo late grassantem, usitatum sit. Denique exempla quotidiana ostendunt, petulanter accersi infinitos morbos propter negligentiam in victu, qui facillime vitari poterant. Quam multi nunc aegrotant, qui postquam in flumine ventriculum frigefecerunt, ac deinde propter aestum avide ingesserunt cerasa, et largius biberunt. Hinc ortae cruditates, et putrefactiones, causae morborum sunt non fallentes. E contra multi saevi morbi, si mediocris diligentia in victus ratione adhibeatur, depelli possunt. Et remedia sine hac Philosophia raro sunt efficacia.

Adhortamur itaque vos, ut propter valetudinis pericula sitis diligentiores, et in consideratione naturae, et in regenda victus ratione. Plus quam ferreus est, qui tanta causa non movetur. Sed tamen obtestamur vos etiam propter Deum, conditorem huius naturae et iudicem, qui praecipit, ut valetudinem tueamini, ut sitis idonei ad meditationem piam et communia vitae officia. Tuum cerebrum et cor sunt domicilium Spiritus sancti, quare ut haec membra sint idonea divinis motibus, studiose et reverenter tueamini. Quod si facietis, doctrina etiam Physica et naturae cognitio

adiungenda erit: imo auget doctrinam haec ipsa rerum convenientium observatio et distinctio. Has admonitiones ut saepe repetamus, mandato divino cogimur: ac filium Dei custodem Ecclesiae suae oramus, ut ipse quoque sit custos corporum vestrorum, et flectat animos vestros ad curam tuendae publicae et vestrae salutis. Dixi.

No. 111. an. 1550.

De Mose feriente petram.

In select. Decl. T. III. p. 507 sqq., Richard. T. III. p. 213., Servest. T. III. p. 481. et in T. III. Erford. lit. q, 5., ubi dicitur: „recitata a Decano Ioanne Marcello Regiomontano a. M. D. L."

Oratio de Mose feriente petram.

In hoc opificio mundi pulcherrimus ordo corporum, et ars adhibita in singulis construendis et ornandis, illustria testimonia sunt, hunc mundum non extitisse casu, sed a mente architectatrice miranda sapientia conditum esse.

Etsi autem, ut navis inter fluctus, ita ratio humana aspiciens vitae confusiones, tristissimis dubitationibus quassatur, ac secum quaerit, adsit ne Deus gubernator inter tantas dilacerationes humanae societatis et ruinas: tamen et illa consideratione ordinis atque artis in opificio mundi confirmati, adsensionem de Dei praesentia nequaquam excuti nobis sinamus. Sit autem firmior et immota adsensio propter patefactiones Dei in Ecclesia factas, in eductione populi ex Aegypto, missione filii, et resurrectione mortuorum.

Adfirmat autem filius Dei, se in genere humano haereditatem sibi aeternam semper collecturum esse, et quidem inter eos, qui doctrinam ab ipso traditam discunt et amplectuntur, et eum coetum sibi curae esse.

Quare non dubitemus, filium Dei et nobis adesse, eumque ardentibus votis oremus, ne inter nos lucem doctrinae suae extingui, nec deleri disciplinam nec ethnicam barbariem fieri sinat. Honestissima autem consuetudo est, in his congressibus commonefactionem sumptam ex aliqua doctrinarum parte, utilem studiis et moribus, proponere.

Quare cum de argumento deliberanti veniret in mentem historia Moysi petram percutientis, de qua alioqui saepe cogito, hanc narrationem delegi: quae cum in omni vita saepe cogitanda est, quia monet filium Dei propter legem percuti, tum vero imaginem continet imperiorum ferientium petram. Cuius rei et haec aetas exempla satis tristia habet.

Quid autem magis decet in hoc ipso loco, quam de lege Dei, de iustitia et ira adversus peccata, de filio mediatore, de Ecclesia et eius aerumnis et liberationibus saepe dicere? Spero igitur argumentum quidem vobis gratum fore. Sed doleo me rudem et imperitum, non posse adferre satis illustrem explicationem. Cum autem scriptum sit, Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem: probat haec studia Deus considerandi sua beneficia. Et universa hominum sapientia, collata ad divinam, quid est nisi infantia? quae quidem tunc recipit agnoscere Deum, cum lacte divino alimur. Itaque boni consulenda erit qualiscunque recitatio tam sublimis argumenti.

Cum Israëlitae in deserto, ubi propter perpetuos aestus nec flumina nec fontes multi erant, vagarentur, multi homines omnium aetatum siti moriebantur, multae matres in complexu infantum pendentium ab arefactis uberius siti una cum infantibus extinguebantur.

Hac tanta calamitate Deus aliquandiu multitudinem punivit. Sed tamen, ut Ecclesiam servaret, iubet Moysem ferire petram, ac promittit se inde effusurum esse aquarum flumina, praebitura potum universae multitudini. Hic cum constitisset Moyses inter seditiosas et impias populi vociferationes, in quo multi clamabant, eum tanquam impostorem saxis obruendum esse, hae contumeliae fidem in eo languefecerunt.

In hac trepidatione ac dubitatione cum frustra virgam incussisset scopulo, nec erumperet aqua, subito et ingenti consternatione animus eius oppressus est. Sed cum erectus novo adflatu et fidei motu iterum feriret petram, scissa effudit ingens aquarum flumen.

Etsi autem iam laetatur propter divinae praesentiae testimonium, et quia seditiosi clamores hoc novo beneficio refutati erant: tamen dolorem et recordatio trepidationis et dubitationis adfert, et audit divinam reprehensionem, qua ipsius diffidentia severe taxatur.

Continet haec narratio multa insignia exempla, poenam non levem populi, in quo multi senes et iuvenes, matres et infantes siti perierunt. Hinc sequuntur ex impatientia magni furores et contumeliae adversus Deum et adversus duces.

Non sunt ignotae causae, quare Deus prophanam multitudinem puniat. Vult enim conspici suam iusticiam. Ideo atrocia scelera comitantur atroces poenae. Sed cur in Ecclesia sua homines pios, inculpatos, matres, infantes, tam duriter excruciari sinit? Quid simile crudelitati regis Aegyptii legitur, qui mandat infantes masculos recens editos necari?

Cum autem sciatis causas esse multas, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, non ero prolixior in huius partis enarratione. Tantum hoc moneo, ut singuli nostram molliciem et accusemus et deploremus: quod cum gravioribus sceleribus polluti simus, leviores aerumnas minus placide ferimus: ac flectamus animos ad invocationem Dei, ne penitus deleri Ecclesiam sinat. Venio autem ad alteram historiae partem. Exaudiuntur Moysi et multorum piorum vota et gemitus.

Talia exempla ostendunt, non deseri Ecclesiam. Non frangantur animi in aerumnis, ut aut dubitent esse Deum, aut ei irascantur: sed discant ei obediendum esse, et petendum ac expectandum auxilium. Ad hunc usum et hoc exemplum, et alia similia nobis tradita sunt. Id initio ex hac liberatione discendum est. Postea sequitur alia consideratio, quid haec ipsa imago significet, de qua postea dicam. Prius enim pauca de facti circumstantiis addam.

Nova est in Moyse trepidatio, qui confirmatus fuerat antea tam multis prioribus testimoniis praesentiae Dei. Sed hic cernimus, quanta vulnera in animis gubernatorum faciant contumeliae, cum quidem non ipsi tantum conculcantur, sed etiam sermonibus Epicureis laeditur gloria Dei, et sauciatur Ecclesia talibus clamoribus. Fides alioqui ardens in Moyse, iam moerore et consternatione languefacta est. Ac similium dolorum significationes sunt in Ieremia.

Quanquam autem accusat Deus imbecillitatem Moysi, et poenam ei denunciat: tamen et rabiosae multitudini irascitur, cuius clamoribus pectus Moysi sauciatum fuerat. Videmus autem etiam in summis viris aliquos naevos esse, quibus commonefiunt de sua infirmitate, ne sese efferant.

Audistis in facto proponi exempla de praestanda obedientia in poenis, de spe auxilii divini, de invocatione, de reprimendis seditiosis clamoribus, de imbecillitate humana reliqua, in his etiam, quorum virtus est excellens.

Hanc amplissimam et utilissimam doctrinam proponi in hac historia non dubium est: quae quidem eo scripta est, ut de his tantis rebus nos erudiat. Sed tamen et personarum quarundam hic fit adumbratio. Petra significat mediatorem, qui et in illa ipsa rupe tunc adstitit, et populum comitatus est, ut inquit Paulus: Omnes biberunt de comitante eos petra, petra autem erat Christus.

Moyses significat et legem, et hanc politiam. Primum enim feritur filius Dei propter legem, sicut ipse inquit: Non veni solvere, sed implere legem. Recipit quidem divinitas immensa misericordia genus humanum. Sed tamen cum iusta sit, et legi Dei satisfieri necesse sit, vel obedientia vel poena, propter ordinem iustitiae decretum est, ut aliquis in genere humano prorsus innocens, pro caeteris sontibus poenam solveret.

Etsi autem huius mirandi consilii causas, quomodo misericordiae iustitia temperata sit, in hac caligine nondum penitus intelligimus, sed erunt haec studia illius aeternae Academiae propria: tamen hic inchoanda sunt. Agnoscenda est ira Dei iusta adversus peccata, deinde agnoscenda misericordia: nec existimandum est, decreta de rebus tantis, de remissione peccatorum, de mittendo filio, de restitutione generis humani, de modo colligendae Ecclesiae sine sapientissimis deliberationibus facta esse.

Lex igitur quae iustissimo iudicio nos oppressura erat, filium ferit, ne nos feriat. Et fluunt ex rupe flumina Evangelii, quibus haec misera natura, siti torrefacta, recreatur.

De his tantis rebus admoneri te cogites hac ipsa imagine Moysi, ingenti et ardenti motu excelsam rupem ferientis.

Simul etiam astare in cacumine rupis Dominum scias, huius tanti agonis gubernatorem, *καὶ πρωταγωνιστὴν*, et sapientiam et iustitiam Dei consideres, quae sine compensatione nos liberare poenis noluit: sed in magnitudine poenae et personae *λύτρα* persolventis, voluit iustitiam et iram suam conspici et metui.

Etsi autem nulla ullius angeli aut hominis eloquentia par esse potest magnitudini tantarum rerum exponendae: tamen haec quantulacunque consideratio in mentibus nostris excitanda est, et celebranda opera divina: metuenda est iustissima ira, fugienda offensio, et Deo gratiae agendae sunt pro beneficiis, quod propter filium *ἱκέτην* nos re-

cipit, et Ecclesiam aeternam sibi colligit. Ipsi etiam mediatori gratiae agendae sunt, quod in sese derivavit iram, ac *λύτρα* persolvit, quod adest nobis, et nos suo flumine et lavat et potat.

Sed consternatio quid significat? Sentit Moyses arcano motu hanc petrae percussionem imaginem esse venturae victimae, et cohorrescit: praesagiens hanc ipsam politiam, quae voce divina constituta erat, ut domicilium esset Ecclesiae Dei, percussuram esse hoc saxum, id est, trucidaturam Dominum, qui victima pro genere humano futurus erat. Interitum itaque suae gentis prospiciens, quem tunc quoque significabant populi circumfusi convicia, ingenti dolore concutitur.

Itaque hanc vocem edunt postea Pharisaei interfecturi Dominum: Legem habemus, et secundum legem nostram mori eum oportet. Legis studio et praetextu in eum saeviunt, quia opinionem ipsorum de lege taxabat: qua labefactata, politiam ruituram esse ratiocinabantur. Ita semper omnibus aetatibus opiniones politicae de lege feriunt petram, et armant gubernatores contra veram Ecclesiam.

Nunc videtis, quae argumenta praecipue sapientes incitent, qui nostris Ecclesiis inimici sunt, aiunt ordinem et harmoniam politiae ecclesiasticae turbari, aiunt iuge sacrificium aboleri, aiunt disciplinae nervos solvi. Hae sunt voces politicorum virorum, qui legis custodes perhiberi volunt. Nec leve est hoc certamen, nec diiudicatio fit, ut in negotiis forensibus.

Sed haec ipsa petra, etiam cum icta est, et effudit flumina Evangelii, tamen non corruit, sed stat ardua coelum vertice attingens, id est, vivit filius Dei invictus, nec vocem suae doctrinae extingui sinit. Semper etiam coetus aliquos suos in genere humano servat, et illam sapientiam adversantem ita refutat ipse, ut imperia, quae defendunt idola, et falsas de lege opiniones, et sitiunt sanguinem recte invocantium Deum, evertat.

Ad hanc rupem, id est, ad filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, percussum lege, id est, persolventem *λύτρα* pro nobis, confugiamus, et petamus, ut mentes nostras flumine Evangelii sui potet. Nos etiam avidi, hos latices hauriamus, recte discamus doctrinam, amplectamur eam, et ad usum quotidiana invocatione transferamus.

Et quia Deus in illa petrae percussione, id est, morte filii ostendit magnitudinem irae suae adversus peccata, nos quoque vere expavescamus, et errantibus cupiditatibus frenos iniiciamus.

Punit utrosque Deus, et hostes Evangelii, et alios, qui simulantes studium Evangelii, sine metu Dei cupiditatibus suis indulgent. Itaque saepe post renovatam doctrinae vocem duriter quassantur totae gentes.

Magnis calamitatibus illa ipsa multitudo paulatim deleta est, quae vocem Moysi audierat, et manifesta Dei testimonia viderat: quia sine metu Dei ruebat, quo caecae cupiditates trahebant: nec fidem, nec veram invocationem tueri studebat.

Dissipatae sunt et decem tribus post Heliam et Heliseum: ac ut alia omittam, Laodicea et Colossae, anno proximo post Pauli mortem, ut narrat Eutropius, dehiscente terra, absorptae sunt.

Fuerat autem, ut scitis, Ecclesiarum in iis oppidis *οἰκιστὴς* Paulus ipse, qui et amanter earum pietatem praedicat. Sed reliqui erant multi hostes: multi exemplis depravati, redibant ad priorem licentiam.

Germaniam universam post reverendi D. Lutheri mortem, quantae calamitates oppresserunt? dum plurimi sine metu Dei quaerunt voluptates, certant ambitione, negligunt inquisitionem rerum necessariarum: et o rem miseram, confirmant audaciam et potentiam hostium Evangelii.

Pericles moto bello difficili, inquit, magis se metuere domestica vitia, quam hostium vires et consilia, *μᾶλλον δὲ πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας, ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας.* Ac plerunque ita accidit, prius domestica mala sunt exitio imperiis, quam externa violentia. Cumque petulantia nunc in multis crescat, impendere maiores ruinae videntur. Sed vos oro et obtestor propter filium Dei et propter salutem vestram, ut adfici vos tantis Ecclesiae et patriae vulneribus ostendatis, ac modestiores et in omni officio diligentiores sitis, ut Deus mitiget poenas. Non enim inutilis est emendatio morum, sed etiam inter ruinas imperiorum illis ipsis salutaris est, qui se emendarunt. Servat enim Deus aliquas sui coetus reliquias, ut ante obsidionem Ierosolymae pios ex urbe discedere iussit. Et mitigat Deus totis urbibus, poenas propter aliquorum emendationem, ut ostendit exemplum Ninives.

Haec de amplissimo argumento breviter hoc tempore dixi, cum quidem mihi ad caetera impe-

dimenta luctus etiam accesserit. Sed oro Deum, ut et nos ipsos impositos petrae, scilicet filio suo, Domino nostro Iesu Christo, sustentet, regat, servet, nec sinat diaboli furoribus dissipari honestos coetus, in quibus doctrina Evangelii et aliarum artium, quae Ecclesiae necessariae sunt, propagantur. Dixi.

No. 112. a. 1550.

De dicto: Pater, sanctifica eos etc.

In select. Declamat. T. III. p. 518 sqq., Servest. T. III. p. 492. Richard. T. III. p. 522 et in Tomo III. Erford. lit. dd, 1. Item in Georgii Principis Anhaltini concionibus et scriptis p. 489 b. Est enim oratio synodica, recitata a Georgio feria II. post Trin. a. 1550. coll. Ep. Mel. d. 26. Maii 1550.

Oratio [synodica] de dicto Christi: Pater, sanctifica eos in veritate, Io. **17.**

Tibi Deus omnipotens, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et hominum, et aliarum creaturarum, una cum filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, gratias agimus, quod hactenus Ecclesiam tibi in his regionibus colligis, et pacem et alia bona largiris: teque supplices et ardentibus votis oramus, ut perpetuo nobis adsis, haereditatem filio tuo colligas, et hospitia Ecclesiae protegas.

Scitis autem vetustissimum morem esse Ecclesiae, et valde utilem, convenire ad legitimas synodos, ut doctrina et mores inspiciantur, et consensus in vera doctrina conservetur, et disciplina mediocriter regatur. Hic mos Dei beneficio quotannis a nobis observatus est, et laborem nostrum Ecclesiis profuisse, et Deo gratum fuisse, spero. Necesse est autem in his congressibus et gratias agere Deo, et precari ut servet Ecclesiam, et recitare sententias aliquas, tum ad consolationem, tum ad commonefactionem accommodatas.

Itaque cum saepissime iam cogitem ardentissimam precationem filii Dei, quam recitat paulo ante mortem, sumpsi inde haec verba: Pater, sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas.

Semper in conspectu esse totam illam precationem utile est, in qua filius Dei, cum sit summus sacerdos, solennibus verbis commendat aeterno patri Ecclesiam, et pro ea sacrificium quod facturus est, adplicat. Et quidem sapientissime petit res summas: primum ut Ecclesiam aliquam ex genere humano voce Evangelii colligat, quam propter hanc hostiam recipi orat. Deinde ut in hac Ecclesia sit perpetuus consensus, et firma concordia, copulatis omnium animis unius doctrinae confessione. Tertio, ut hunc coetum eductum ex huius vitae carcere, ornet aeternis bonis et coelesti consuetudine, in qua coram fruamur conspectu, sapientia et bonitate Dei. Considerate quaeso huius nostri oratoris, et summi sacerdotis sapientiam. Res maximas, et maxime necessarias in illa solenni petitione complectitur, quae quidem multis de causis scripta est. Primum scire nos oportet, haec summa bona tanquam haereditatem nobis in testamento ab aeterno patre petita esse, et certo nobis attribui. Nam haec solennis petitio filii nequaquam irrita est, cum quidem postea et sanguine eius hoc testamentum confirmetur.

Deinde vult in nobis quoque accendere curam petendi et retinendi haec bona, vult nos nostra vota, nostros gemitus perpetuo ad suam petitionem adiungere, quam quidem non semel tunc recitavit, sed haec est eius perpetua vox. Tunc cum prostratus coram irato patre deprecator esset pro Adam et Heva, exorsus est hanc precationem: et nunc in illo arcano consilio placans iram aeterni patris pro hac aerumnosa Ecclesia, in hac delirante senecta mundi, eandem petitionem assidue repetit.

Ad hanc igitur perpetuam tuam precationem adiungimus nostra vota et lachrymas nostras, Iesu Christe, fili Dei, mediator et summe sacerdos, ac tecum oramus aeternum patrem, semper ut inter nos Ecclesiam propter tuum sacrificium colligat, et omnium mentes et voluntates confessione verae doctrinae, et vera invocatione copulet, ut vere unum simus in Deo, et tandem liberatos educat in consuetudinem tuam.

Haec nequaquam fiducia illius nostrae virtutis petimus, sed ad te confugientes, tua deprecatione confidentes ad aeternum patrem accedimus, te volumus haec nostra vota cum tuis ad aeternum patrem adferre. Tu enim eadem precari nos iussisti. Et quidem in illa ipsa tua solenni oratione haec verba addis: Sit in eis dilectio qua me diligis. Petis ut complectatur nos aeternus Pater eodem amore, quo te filium complectitur. Quid peti maius potuit? aut quae potest illustrior cogi-

tari significatio summi amoris erga nos tui, quam haec ipsa commemoratio? quam quidem postea et sanguine tuo obsignasti.

Superat omnium angelorum et hominum eloquentiam explicatio harum maximarum rerum: quare mihi veniam date, tam tenuiter de rebus tantis dicenti. Ac pene, ut illa mulier in Tragoedia dicit: Haec unica est mea eloquentia in hac consideratione miseriarum Ecclesiae et amoris ac solicitudinis filii Dei, adferre lachrymas et gemitus. Vos autem valde oro et obtestor, ut hoc caput in narratione Ioannis saepe legatis, et crebra repetitione confirmetis in vobis fidem, qua beneficia filii Dei accipi oportet, vosque exuscitetis ad cogitationem de summis rebus, et ad invocationem.

Accedo autem nunc ad hanc partem, de qua in praesentia praecipue dicere volui. Pater, sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Verba sumpta sunt ex ritu qui describitur in capite octavo libri quarti Moysi, ubi iubet Deus separari, sanctificari et offerri Levitas a pontifice Aharone. Ad hunc typum congruit iam haec actio filii Dei. Offert hic summus sacerdos primum sese aeterno patri: deinde ei et ministros Evangelii ac universam Ecclesiam commendat. Hanc sanctificari orat, id est, a prophanis rebus eximi, et ad usus divinos transferri, recipi, perfundi divina luce, ut recte agnoscat, invocet, et doctrina et caeteris officiis Deum celebret, ut vera noticia eius late spargatur.

Petit autem ut sanctificentur non umbris rituum Aharonis, non aqua lustrali, non radendis pilis, lavandis vestibus, non mactatione bovis, non libatione et placenta. Non iam de his fugacibus et evanescentibus umbris loquitur hic noster sacerdos, iturus ad agonem, quo nullus in genere humano fuit maior et terribilior: sed petit ut veris, durabilibus et aeternis bonis ornetur Ecclesia, vera luce et sapientia recte agnoscente Deum.

Ac mox addit interpretationem, quid petat, et quae sit multo praestantior aqua lustrali: Sermo tuus est veritas. Breve oraculum est: sed nulla tanta est eloquentia angelorum aut hominum, quae huius dicti amplitudinem evolvere possit. Dicemus autem ad nos commonefaciendos, quantum possumus.

Primum Ecclesiam condi adfirmat sermone divino. Est igitur efficax Deus in ministerio, in quo vox divina sonat, hac voce transfundit Spiritum sanctum in pectora hominum, ut in eis lucem et veritatem, id est, intellectum sermonis divini accendat. Sicut alibi dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Evangelium est ministerium spiritus. Primum igitur hic de ministerii efficacia nos doceri scitote.

Comprehensa est hic deinde et haec doctrina. Ecclesia sic ad sermonem Dei alligata est, ut nulli cultus extra hunc sermonem instituti, nulli coetus sine hoc sermone collecti, Deo placeant: sed hi coetus tantum sint vera Dei Ecclesia, ubicunque sunt, in quibus vox Evangelii sonat incorrupta. Non sunt igitur Ecclesia Dei, homines ignari, aut hostes Evangelii, quocunque nomine adpellantur. Palam hostes Christi sunt Mahometistae, quia non sanctificantur sermone divino. De his, cum aperte profiteantur se hostes esse, non est opus longa oratione. Illi hostes difficilius agnoscuntur, qui in Ecclesia dominantur, qui sibi commendatum esse ministerium docendi Evangelii ordinario loco iactitant, quod quidem vere dicunt: sed illam ipsam vocem commendatam ministerio evangelico, sophismatum praestigiis corrumpunt, et in Ecclesia errores, falsam invocationem, et idola stabiliunt: ut faciunt qui hoc tempore edunt fucosas confirmationes multorum veterum abusuum, commenticiae adplicationes coenae Domini pro aliis, invocationes mortuorum, et multarum aliarum superstitionum. Hi pro aqua lustrali conspersi sunt sophistica, et alios eadem aqua lustrali conspergunt. Nolunt sanctificari veritate, seu sermone divino. Imo ipsi sermoni divino impia audacia miscent sua venena.

Tales si huc irruperint, vitandos esse sciatis: et ut vitare possitis, fontes doctrinae recte cognoscendi sunt. Nam hoc praeceptum etiam in dicto Christi: Sermo tuus est veritas, comprehenditur, ut hunc sermonem legamus, audiamus, discamus. Hi labores pueriles legendi et discendi, hic quoque praecipiuntur: qua in re nimis magna negligentia est multorum, qui vel per ignaviam, vel propter curas rei familiaris, omittunt lectionem: et quod stultissimum est, somniant se penitus exhausisse totam sapientiam librorum propheticorum et apostolicorum. Haec arrogantia valde detestanda est. Deinde et hoc considerandum, quam multas ob causas lectio seu auscultatio necessaria sit.

Primum summa doctrinae ordine et integre disci et comprehendi non potest, nisi ex lectione

seu auscultatione librorum, qui divinitus Ecclesiae traditi sunt. Nec subito res tantae arripiuntur. Etiam ingeniosi rectius intelligunt lecta aut tradita, cum eadem saepe repetunt, cum cogitatione immorantur. Nec satis est, tanquam laciniam ex doctrina auferre, quam ostentes ad populum: ut sumunt aliqui unam atque alteram particulam doctrinae plausibilem, caeteras materias omittunt.

Secundo magna est causa repetendae lectionis, ut doctrina quamvis recte percepta, non rursus extinguatur negligentia. Ut tenerae plantulae crebra rigatione fovendae sunt: ita crebra lectione, commemoratione, et multis exercitiis alenda et confirmanda est doctrina, sicut Deuteronomii quinto praeceptum est: Eruntque verba haec quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et repetes ea filiis tuis, et narrabis ea sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens et surgens. Repeti et crebro inculcari vult eadem domi, foris, mane, vesperi. Et Paulus inquit: Assiduus et attentus esto in lectione. His admonitionibus certe moveri animos non ferreos oportet, ut legendi studium ament.

Tertia causa gravissima est, quam etiam haec verba comprehendunt: Sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas. Lectione, auscultatione, cogitatione sermonis divini Deus est efficax, in mentibus ciet Spiritu sancto congruentes adfectus, Si enim haec legenda sunt, ut tecum loqui Deum scias. Ad te haec vox pertinet: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Te alloquitur filius Dei, te vult fide petere et expectare auxilium, quocunque tempore hoc dictum legis, aut cogitas.

Non est alienae historiae narratio, ut Aeneas ad socios dicit: Durate, et vosmet rebus servate secundis. Deus toti generi humano concionatur, et vult singulos amplecti ea quae dicit. Hoc modo vult conspici, vult opem ferre iis, qui hac voce erecti ad ipsum accedunt.

Ideo Paulus inquit: Quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Hic cum adfirmat Paulus scripta prophetica adferre consolationem, necesse est ad nos quoque pertinere promissiones quas legimus. Quare ita legantur, ut sciamus Deum nos ipsos alloqui, nos velle hac voce docere, iudicare, erigere, consolari.

Ideo nos expresse deducit ad ministerium, ad lectionem et auscultationem gravissima sententia, quam repetit Paulus ex Moyse: Non dicas, quis ascendet in coelum? Quis traiiciet mare? sed prope est verbum in ore et corde tuo. Humanae mentes ignorantes exercitia fidei, disputant secum: Unde sciemus voluntatem Dei? Quis scit ad quos pertineant haec generalia dicta? Ab his prophanis cogitationibus retrahunt nos Moyses et Paulus: Imo, inquiunt, in ore et in corde tuo verbum est. Hoc verbum si vera adsensione amplexus fueris, certissimum est te a Deo recipi et exaudiri: sit tua mens huius vocis discipula, nec existimet eam nihil ad te pertinere. Loquor de re magna et de exercitiis fidei non negligendis.

Multi eo minus legunt, quia cogitant ad se non pertinere consolationes in illis veteribus historiis aut concionibus scriptas. Sed recte instituti, discant hanc ipsam accommodationem ad nos, fidei exercitium esse, et hoc modo excitandam et confirmandam esse fidem. Legis haec verba: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit. Hic cogites, mihi hanc consolationem proponit Deus, vult me non extingui dolore, sed acquiescere in ipso, et ab eo expectare auxilium. Hunc honorem sibi vult tribui, quod vere exaudiat, quod vere sit opitulator, quod non sit ociosum numen, quasi pictum idolum.

Quam difficilis autem sit haec lucta, norunt illi, qui non rudes sunt horum exercitiorum. Et si qui experti sunt, eo legunt avidius.

Has causas de lectione, et hanc totam sententiam de ministerio, ut saepe multumque cogitetis, vos propter vestram et Ecclesiae salutem adhortor et obtestor. Ac ut in omnibus rebus simus vigilantiores, moveamur magnitudine periculorum. In tantis odiis et incendiis animorum, certa aut diuturna pax esse non potest. Et fortassis aliquando subiti et panici tumultus orientur. Praeterea, etiamsi reges et principes quiescent, tamen non quiescent hypocritae, qui turbant Ecclesias variis modis. Alii pios pastores cum miserrimis familiis pellunt ex suis nidulis, alii onerant eos iniustis odiis populi. Denique multiplices sunt aerumnae, quae certe exuscitare nos debent, ut auxilium a nostro custode, filio Dei petamus, et cum eo in ipsius Evangelio colloquamur. Quod ut pie et studiose faciatis, vos adhortor. Ipsum

etiam rursus toto pectore oro, ut nos regat, et sibi semper in his regionibus Ecclesiam colligat. Dixi.

No. 113. an. 1550.

De dicto: Sermo Christi habitet etc.

In sel. Declam. T. III. p. 555 sqq. Servest. T. III. p. 527. Richard. III. p. 383. et in Tomo III. Erford. lit. aa, 3.

Oratio de dicto Pauli: Sermo Christi habitet in vobis abunde in omni sapientia etc. Recitata a Georgio Maiore in promotione D. Georgii Veneti. (d. 2. Oct. 1550.)

Tibi omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu sancto tuo, sapiens, verax, bone, iuste, misericors, caste, liberrime, gratias agimus, quod hactenus in his regionibus servas Ecclesiam: teque ardentibus votis oramus, haereditatem filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, colligas inter nos perpetuo, et protegas hospitia nostra, nec sinas apud nos extingui doctrinae studia.

Cum autem in his congressibus recitanda sit commonefactio utilis studiis, pietati et moribus: institui nunc orationem de dicto Pauli, quod extat in Epistola ad Colossenses, his verbis: Sermo Dei habitet inter vos abunde in omni sapientia, vosque docete et emendate.

Hanc sententiam propter multas gravissimas causas saepius repetimus: quia et diligentiam in discentibus exuscitat, et consolatur nos, qui propter hoc studium et propagationem huius doctrinae non leves aerumnas sustinemus.

Nam bonae mentes et discunt maiore cura, et libentius tolerant labores et pericula, cum audiunt mandato divino praecipi hanc lectionem, et sciunt eam Deo placere, et utilem esse.

Saepe igitur nobis hanc ipsam Pauli commonefactionum proponamus, et pondera verborum consideremus.

Omitto hanc collationem, qua multi scriptores utuntur.

Cum propter sapientiam et ad mores regendos, legantur philosophica scripta, cur non magis legerentur conciones divinae, in quibus norma vitae, sine ullo errore proponitur, et ostenduntur causae, et de maximis in natura rebus vera doctrina traditur, de quibus Philosophiam, quanquam alioqui satis loquax est, tamen mutam esse, res ipsa testatur.

Fortassis movet aliquos haec collatio. Sed alia maior causa legere divina scripta cogit.

Non haec natura rerum, et generis humani casu ex atomis confluxit: sed vere est mens aeterna architectatrix omnium, quae vestigia sua toti naturae impressit.

Ubique cernimus miranda exempla sapientiae et bonitatis divinae. Nec vero tantum in rerum fabricatione se Deus ostendit: sed postea etiam velut ex arcana sede prodiens, humano generi se illustribus testimoniis patefecit, et clara voce nos allocutus est. Et tradidit non solum vitae praecepta, quorum noticias antea sparserat in mentes hominum: sed addidit aliam arcanam sententiam de reconciliatione, quae fuerat ignota omnibus angelis et hominibus.

Hanc tantam bonitatem Dei agnoscere necesse est. Necesse est agere gratias cum pro caeteris beneficiis, tum vero pro patefactione. Et sunt ingrati ac furentes, qui vocem Dei immensa bonitate alloquentis genus humanum audire, et cognoscere nolunt, cum quidem et audienti salus proposita sit, et contemptus sine ulla dubitatione aeternis cruciatibus luendus sit.

His veris et necessariis causis omnium hominum animos ad cognoscendam hanc doctrinam moveri oportebat. Ideo Paulus inquit: Sermo Christi habitet inter vos.

Hic primum discernamus Christi sermonem ab aliis doctrinis: quod cum faciemus, perspicuum est, commendari nobis hos libros et hanc lectionem.

Aliarum artium initia nobiscum nascuntur, ut Arithmetices, Geometriae, Architectonicae, imo et sapientiae legis, postea illustrantur usu.

Sed promissio de reconciliatione edita est voce Dei, cum prorsus ignota esset omnibus creaturis: quam vocem deinde per Prophetas et Apostolos voluit Deus mandari literis, et extare haec scripta in Ecclesia. Haec legenda et cognoscenda sunt, aliter enim sciri haec voluntas Dei nequaquam potest.

Discrimen igitur inter Christi sermonem et aliam sapientiam notum sit, et propriam filii Dei vocem studiose cognoscamus.

Sed cur usus est Paulus verbo habitandi? Primum totam Ecclesiam vult domicilium esse horum librorum, hic custodiri vult hunc thesaurum promissionis a Deo traditae, quam caeterae gentes negligunt, et his libris reiectis desinunt esse pars populi Dei. Idem fit in singulis hominibus.

Donec tuum pectus est domicilium huius doctrinae, tantisper es Ecclesiae civis et membrum populi Dei. Nequaquam sunt cives Ecclesiae, qui nec legunt, nec audiunt hanc doctrinam.

Et non solum perpetua conservatio in verbo praecipitur, sed etiam dulcissima familiaritas significatur. Ita familiariter et saepe colloquaris cum Christo, cum Patribus, Prophetis et Apostolis, ut colloqueris cum iis in familia tua, quos praecipue amas, et cum quibus omnes tuas curas communicare soles.

Ac revera Deus in illo pectore habitat, quod hanc doctrinam cogitat, amplectitur et amat. Quod est autem maius bonum, quam haec Dei familiaritas? qui hoc domicilium ita custodit, ut simul impertiat suam sapientiam, iustitiam et vitam aeternam.

Multi sunt autem gradus negligentium hanc familiaritatem.

Notissimi sunt Epicurei, qui hos libros tum derident, tum oderunt.

Proximi sunt hypocritae, qui etsi sua deliramenta et idola anteferunt Deo et his libris, tamen ut fucum faciant populo, ad suas cupiditates multa dicta sophistice inflectunt.

Horum cum sint manifesti furores, non dicam nunc de eis prolixius: tantum oro filium Dei, ut reprimat diabolos, et illa diaboli organa, ne in Ecclesia multis noceant.

Alii sunt minus mali, sed tamen segnes, qui non oderunt doctrinam, sed velut saturi fastidiunt: postquam semel atque iterum legerunt, existimant se totam Dei sapientiam exhausisse, ac relectionem nec necessariam, nec utilem esse. Horum fastidia valde taxanda sunt.

Nam crebra lectio non tantum hoc adfert, ut totum doctrinae corpus fiat notius, sed etiam accendit motus animi, flectit ad poenitentiam, incutit terrores, exuscitat invocationem, medetur doloribus.

Haec cum fiant, lectione et cogitatione sermonis divini, assiduitatem in legendo necessariam esse confitendum est.

Sed hic Enthusiastae quidam reclamant: Absit, inquiunt, ut lectioni tribuamus haec incendia, quae proprie a Spiritu sancto oriuntur, qui non inclusus est syllabis et figuris literarum: sed cum ipsi libet, rapit suos quosdam, scriptos in fatalibus tabulis.

Scio multorum studia languefieri hac opinione, et valde doleo etiam doctos quosdam has persuasiones et amare et confirmare, quibus omnibus oppono luculenta testimonia, quae labefactari nullo modo possunt.

Nota vox est Pauli: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Fides ex auditu est. Item: Evangelium est ministerium Spiritus.

Non hic quidem sentit inclusum esse Spiritum sanctum in literarum figuras, sed celebrat immensam bonitatem Dei, qui hunc ipsum ordinem et agendi modum instituit.

Alloquitur summa clementia genus humanum, vult audiri suam vocem, ibi vult conspici suam voluntatem, hac voce, cum et cogitamus eam, et luctamur inter trepidationes, ut pavida mens adsentiatur, et nos erigi petimus, verissime Spiritus sanctus est efficax.

Sepone iam tabulas illas fatales, quas inquirere non est nostrum. Huc flecte mentem, quo te vocat Deus.

Universa doctrina coelestis clamitat, Deum ex suo sermone cognoscendum esse: mandatum omnium summum esse, ut haec ipsa scripta prophetica et apostolica audiantur: ut in Deo mentes acquiescant, iuxta haec testimonia, quae ipse tradidit.

Haec non ab ociosis, securis et ebriis admiratione sui iudicari possunt: sed ab iis, qui veris doloribus oppressi sunt.

Homini consternato, qui ad supplicium ducitur, quid dices? Num iubebis ut disputet de electione? An non potius vocem Evangelii propones, quae certo reconciliationem offert: et simul, ut Baptista, monstrabis agnum, filium Dei, et repetes hanc concionem, quae praecipit, ut hunc audiamus? Ab omnibus vult agnosci filium aeternus pater, et propter eum certo nos et gratis recipit.

Hanc voluntatem cum expresserit in suo sermone, non tribuamus ei simulationem, non fingamus in eo contradictorias voluntates.

Ac sentiet ille consternatus, reddi sibi vitam intuenti in filium Dei, et cogitanti eius vocem: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Saepe etiam in hac lucta gemens clamabit: Credo Domine, sed opem fer diffidentiae meae. Hoc se ordine, hac consolatione, Propheta sustentat, clamitans: Expecta Dominum, expectat anima mea, et iuxta verbum eius spero.

Sciamus igitur, non infructuosam esse lectionem sermonis divini, sed Spiritum sanctum hac ipsa voce accendere pectora, sicut et alibi inquit Paulus, ut per consolationem scripturarum spem habeamus.

An literae et syllabae dolores leniant, et vitam reddant, inquies? Imo vero Deus te ad haec scripta retrahit, in his voluntatem suam vult conspici, et horum cogitatione mentes movet et accendit.

Dixi multo brevius de utilitate lectionis, et de motibus Spiritus sancti, quam magnitudo rei postulat. Sed haec ipsa utilitas ostendit, dulcissime dictum esse, habitet vobiscum sermo Dei.

Simul enim fit mens domicilium Spiritus sancti, in qua sermo divinus habitat. Hanc esse gravem discendi et legendi causam, omnes intelligunt.

Additae sunt autem exaggerationes et admonitiones: Habitet, inquit, inter nos abunde in omni sapientia. Vult saepe multumque legi scripta prophetica et apostolica, et vult ea sapienter considerari.

Non legunt sapienter haeretici, qui non ex ipsis fontibus hauriunt sententias, sed adferunt suae quaedam somnia: deinde excerpunt mutila dicta, quae transformant in alienas sententias. Totum corpus doctrinae intuendum est, et videnda membrorum concinnitas, et ut ita dicam, harmonia.

Ludit Samosatenus in dicto: In principio erat *λόγος*. Cur inquit *λόγον*, intelligis personam cum *λέγειν* sit actio? At sequens tota narratio ostendit *λόγον* personam esse. Adhibenda est igitur sapientia in conferendis partibus. Nec stulte dictum est Epiphanio: *πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν:* Divinus sermo non indiget allegorica interpretatione, sed in propria sententia intelligatur. Indiget autem speculatione et sensu, ut materiae discernantur, et recte accipiantur.

Nominat Theorian, viam docendi: genus sermonis intelligi oportet. accedat et sobria, non garrula et cavillatrix Dialectica, teneantur divisiones generum. Aliud lex est, aliud promissio gratuita reconciliationis: aliud est ministerium Evangelii, alia res politica gubernatio. Aliud actio, quae nominatur Sacramentum, aliud res extra actionem. Denique sani hominis est, non in unum chaos confundere universam doctrinam, sed, ut fit in docendo, numerum, distinctionem, ordinem iudicium adhibere.

Hanc diligentiam nominat Epiphanius *θεωρίαν*. Deinde et sensum vult adhiberi, id est, mediocrem experientiam.

Homo ociosus et nunquam expertus magnos dolores, non intelligit exercitia Fidei et Spei. Itaque vocabula etiam corrumpunt. Monachis fides tantum noticiam significat. Peccatum illis tantum significat scelus, quod voluntatis electione factum est. Denique in multis negotiis alia sunt iudicia rudium, alia peritorum, quos usus erudiit.

Est haec quoque sapientia in legendo necessaria, saepius repetere materias quae prosunt, ut Paulus nominat, ad aedificationem: quales sunt conciones de poenitentia, de fide, de vera invocatione, de veris cultibus, et enarrationes articulorum fidei: et relinquere argutias, quarum non est usus, ut olim erant rixae de Genealogiis, de die crucifixionis, de fermentato.

Et cum ingeniorum magna sit dissimilitudo, multi vel studio subtilitatis, vel amore cavillationum, vehuntur extra metas, et ut veteres dicebant, *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα,* multi fascinati consuetudine, vel odio et aliis affectibus, mordicus retinent etiam terra deliramenta.

Frenandae sunt igitur mentes, et coercendae in obsequium Christo, ut Paulus inquit. Cavendum ne adplausu multitudinis, ne dulcedine subtilitatis, ne *φιλαυτίᾳ*, ne amore contentionis, ne factionum studiis, ne fracti metu, abducamur a veritate. Haec et alia multa Paulus monet, cum ait: Habitet inter vos sermo Dei in omni sapientia. Scio autem multo plura complecti Paulum in hoc dicto, quam haec quae recitavi. Nec quisquam evolvere totam Pauli sententiam potest, sed tamen verba aspicienda sunt, et consideratio subinde plus adferet lucis. Ac adolescentes, ut se ad

lectionem invitent, hoc dictum mandent memoriae, et ut sit obvium oculis menti. Scribant et in parietibus et in vestibulis librorum, et sciant hanc vocem traditam esse, et ut sit hortatrix ad discendum, et ut sit consolatio, ut labores et aerumnas, quae hoc studium comitantur, fortius toleremus.

Cum enim certum sit Deo placere hoc studium, et Deum adesse discentibus, et ad coelestis Ecclesiae consuetudinem hac doctrina homines duci, horum ingentium bonorum cogitatio lenit dolores, et animis in hoc cursu robur addit. Quos quidem ut regat et confirmet filius Dei, toto cum pectore oro. Dixi.

No. 114. an. 1550.

De dicto Salomonis etc.

In select. Declam. T. III. p. 567 sqq., Servest. III. p. 557., in Tomo III. Erford. lit. bb, 5. et apud Richard. T. III. p. 221.

Oratio de dicto Salomonis: Nescit homo, an amore vel odio dignus sit etc., habita a Georgio Veneto, post collata insignia Doctoratus (d. 2. Oct. 1550).

Honestissimum est in publicis congressibus et invocationem Dei fieri, et recitari commonefactiones pias et utiles audientibus.

Cum igitur mihi propter scholasticam consuetudinem aliquid dicendum sit, delegi notissimi dicti enarrationem, quod ex Salomone citatur: Nescit homo, an amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur.

Etsi autem et propter meam confessionem de his verbis Salomonis dicere decrevi: tamen et iuventuti prodesse existimo, crebram repetitionem huius dicti, et reprehensionem falsae et perniciosae interpretationis. Scitis enim non solum a monachis, sed ante triennium etiam in synodo Tridentina recitatum esse in ipso decreto, ad adfirmandum impium errorem, qui iubet semper dubitare, an Deus nobis remiserit, et receperit nos.

Ut autem dolendum est, tantas superiori aetate tenebras fuisse, ut hunc errorem plurimi tanquam dogma pium et necessarium in Ecclesiis tradiderint: ita nunc detestanda est impudentia episcoporum et monachorum, qui postquam illuxit veritas, tamen contra conscientiam retinent et defendunt manifesta mendacia. putant enim labefactari autoritatem confessione erroris.

Manifestissima sententia est Salomonis, homines ex externis eventibus, ex rebus secundis vel adversis, non debere iudicare de se, vel de aliis, an Deo placeant, aut displiceant. Simei et alii multi, Davide pulso in exilium, existimant eum a Deo abiectum esse. Sed alii pii norant, non ex illis spectaculis iudicandum esse. Ne ipse quidem David his externis aerumnis frangitur, sed scit de voluntate Dei ex verbo iudicandum esse. Et iam audierat vocem Prophetae: Dominus abstulit peccatum tuum. Ita vult Salomon, nos a spectaculis ad verbum deducere.

Etiamsi imperii et victoriarum gloria et opibus floret Alexander, tamen non potest se placere Deo, cum iniuste interficit amicos, ut eum Anaxarchus scurra potius, quam philosophus consolatur, qui dicebat: Tantum regem divinitus gubernari, nec peccare posse. Hac confidentia vanissima cumulavit postea Alexander suos furores et scelera.

Rursus David pulsus in exilium, etsi non solum excruciabatur corporis aerumnis, sed etiam magnorum scelerum conscientia: tamen sustentat se consolatione in verbo Dei proposita. Ac sciendum est, universaliter doctrinam Ecclesiae nequaquam esse illam academicam vel Pyrrhoniam dubitationem.

Universaliter sciant omnes agentes contra conscientiam, se certissime displicere Deo. sicut scriptum est: Propter haec venit ira Dei super inobedientes. Item: Nolite errare, Deus non irridetur. Adulteri, homicidae, idolatrae non possidebunt regnum Dei.

Rursus etiam universaliter sciant omnes agentes poenitentiam, certo se recipi a Deo propter filium, gratis, sola fide: id est, cum dubitationi repugnant, et ex ea eluctantur, et credunt se propter mediatorem certo gratis recipi. Haec est vox Evangelii propriissima de beneficio filii Dei.

Quare synodus Tridentina, et omnes qui dubitationem illam, de qua loquuntur, adprobant, sunt hostes Christi, et delent Evangelium Dei, et obruunt immensa beneficia filii Dei. Cumque de re maxima in eo dicto sit controversia, valde prodest iuniores saepe commonefieri, ne vox Evangelii, ne veritas aeterna, gloria filii Dei, obscurentur, et ne homines in aeternum exitium et in horribile odium Dei ruant. Ego igitur et

amplector veram enarrationem, et Deo gratias ago toto pectore, quod lucem suam restituit: et eum oro, ut non sinat eam rursus extingui.

Adolescentes etiam adhortor, ut et Deo grati sint pro restituta Evangelii luce: et sint in discendo diligentiores, ut Dei donum tueantur. Scimus enim praeceptum esse: Honestum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui in nobis habitat. Dixi.

No. 115. an. 1550.

De dicto: Nemo rapiet oves etc.

In select. Declamat. T. III. p. 570 sqq., Servest. T. III. p. 540., Richard. T. III. p. 329. et in T. III. Erford. lit. cc, 3. Item in Georgii Principis Anhaltini concionibus et scriptis p. 438. — Est oratio Georgio Anhaltino scripta (vid. Ep. d. 12. Oct. 1550.), qui eam recitavit in synodo Pastorum Merseburgi d. 15. Oct. 1550.

Oratio [synodalis] de dicto Christi apud Ioannem: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Tibi omnipotens et vere Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et omnium creaturarum, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, sapiens, bone, verax, iuste, misericors, caste, liberrime, gratias agimus, quod hactenus in his regionibus Ecclesiam et eius hospitia clementer servasti: teque supplices oramus, ut semper inter nos haereditatem filio tuo, celebraturam te omni aeternitate, colligas. Saepe autem in his congressibus nostris, vel admonitiones vel obiurgationes recitavi, quas meminisse plerosque spero. Nunc vero cum omnium animos nova sollicitudine et novo dolore, propter bellum vicinum excruciari existimem, hoc tempus consolationem flagitat. Et ut dicitur, ubi dolet, ibi manum habet: in tanta magnitudine moesticiae: alia de re instituere orationem non potui. Quanquam autem non dubito, vos ipsos remedia in divinis concionibus quaerere: tamen et ego quaedam inde collecta recitabo, quia etiam ea quae ipsi cogitavimus, gratiora fiunt, cum eadem aliis mederi audimus. Et quia longae disputationes in moesticia ingratae sunt, mox ostendam eam consolationem quae est efficacissima.

Praecipue leniuntur dolores, cum offenduntur res bonae et salutares, videlicet auxilium laeti exitus. Caetera argumenta, quae a necessitate vel ab exemplis sumuntur, non tantam levationem adferunt.

Offert autem filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, ac sedens ad dexteram aeterni patris, auxilium et liberationem, et hanc voluntatem in multis sententiis expressit. Sed ego nunc de hac voce dicam: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Haec sententia saepe me in summis moeroribus erexit, et tanquam ex inferis retraxit.

Omnibus aetatibus sapientissimi homines deploraverunt magnitudinem calamitatum in genere humano, quas oculis cernimus, antequam ad illam aeternitatem transitur: ut sunt morbi, mors, inopiae, errores nostri quibus accersimus damna et poenas, inimici, perfidiae coniunctissimorum, exilia, infamiae, orbitates, miseriae sobolis, discordiae privatae et publicae, bella, caedes, vastationes. Et haec cum promiscue bonis et malis accidere videantur, multi sapientes quaesiverunt, an sit providentia, an vero sine consilio Dei omnia casu ferantur. Sed nos in Ecclesia scimus causam aerumnarum primam et principalem esse, quod homo propter peccatum morti et aliis calamitatibus subiectus est: quae quidem in Ecclesia sunt atrociores, quia diabolus odio Dei horrendum latrocinium in Ecclesia exercet, et funditus eam delere conatur. Ideo scriptum est: Ponam inimicitias inter serpentem et semen mulieris. Et Petrus inquit: Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.

Nec frustra patefecit nobis Deus causas nostrarum miseriarum: vult et ipsarum calamitatum magnitudinem aspici, et causas intelligi, et agnosci iustissimam iram adversus peccata, ut e regione et redemptorem et magnitudinem misericordiae agnoscamus. Et his suis concionibus testimonia addit, resuscitationem mortuorum, et alia miracula.

Procul igitur ex mentibus eiiciantur prophanae opiniones, quae fingunt, casu aut physicis tantum causis accidere nobis mala.

Cum autem domestica vulnera contrectas, aut intueris publicas imperiorum ruinas: quae simul opprimunt singulos, ut Solon inquit, Intrant in thalamos publica damna tuos: Cogita primum de tuis et de aliorum peccatis, et de iusta ira Dei: deinde et rabiem diaboli considera, qui praecipue saevitiam suam in Ecclesia exercet.

Magna in omnibus hominibus etiam mediocribus caligo est: non cernimus quantum malum sit peccatum, nec nos ipsos adeo flagitiose contaminatos esse iudicamus, nobis ipsi blandimur, praesertim quia doctrinam de Deo puriorem profitemur. Interea securi stertimus, indulgemus alii aliis cupiditatibus, non adficimur dolore propter nostram immundiciem, propter Ecclesiae morbos, propter fratrum aerumnas, non ardet invocatio, friget cura discendi et regendae disciplinae: neque pauca sunt tua et mea et plurimorum aliorum peccata, propter quae nobis poenae cumulantur.

Flectamus igitur animos ad poenitentiam, et intueamur filium Dei, quem certissimum est mirando consilio divinitatis propositum esse generi humano, ut sit custos et servator Ecclesiae suae.

Nec miserias nostras, nec pericula, nec saevitiam hostium, nisi post eventus tristissimos, satis cernimus: sed tamen ita cogitemus, necesse est magnas calamitates esse, et horrendam potentiam, et rabiem hostium, cum tantus custos nobis datus sit, scilicet filius Dei. Hic cum dicat, Nemo rapiet oves meas ex manibus meis: significat se non ociosum esse spectatorem nostrarum miseriarum, sed magna et assidua certamina esse. Incendit diabolus aliqua sua organa, ut distrahant Ecclesiam, aut societatem politicam, ut sequantur infinitae confusiones, et deinde vastitas ethnica: sed filius Dei quasi in manibus retinens coetum a quo invocatur, sua immensa potentia reprimit diabolos, et profligatos depellit, et tandem tartareo carceri inclusos in omni aeternitate horrendis suppliciis adficiet.

Hanc consolationem et de communi Ecclesiae coetu, et de nobis ipsis, singuli teneamus.

Cum in his discordiis et bellis conflagrare et ruere imperia videmus, intuearis filium Dei stantem in arcano consilio divinitatis, et protegentem sua agmina, et velut manibus gestantem infirmas oviculas. Ab hoc statuas te quoque protegi et servari.

Sed quidam non recte instituti hic vociferantur. Optarim quidem tanto me custodi curae esse, sed suas ille oves tuetur. Ego an huic gregi annumerandus sim, nescio.

Huic dubitationi constantissime repugnandum est. Nam ipse dominus in eadem concione adfirmat, nominari oves, quotquot audiunt et fide amplectuntur vocem Evangelii, sicut et alibi expresse dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. His immotis oraculis filii Dei adsentiri necesse est. Nec te ipse ex hoc foelici grege tua dubitatione excludito, quae oritur ex iustitia Evangelii. Non recte discernunt legem et Evangelium, qui cogitant se non esse oves, quia sint indigni. Imo haec consolatio proposita est, nos vere propter filium Dei gratis recipi, non propter dignitatem nostram, sola fide, quia sumus indigni et sordidi, et procul a perfectione legis absumus. Et promissio universalis est, ut inquit filius Dei: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Severissime praecipit aeternus pater, audiri filium: et omnium scelerum atrocissimum est, aspernari filium, nec adsentiri eius voci. Haec omnibus saepe multumque cogitanda sunt, et acquiescendum est in hac voluntate Dei, quam filius patefecit.

Etiamsi in tantis ruinis multa tristia spectacula in oculos incurrunt, et laceratur Ecclesia dissidiis et odiis, et multae accedunt domesticae et publicae calamitates, tamen non frangaris desperatione: sed scias te habere custodem et defensorem filium Dei, qui non Ecclesiam, non te, non tuam domesticam Ecclesiam ex manibus suis ullo diaboli furore rapi patietur.

Confugio igitur toto pectore ad filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, et sedentem ad dextram aeterni patris, ut dona det hominibus: eumque oro, ut has Ecclesiolas, et me in eis protegat et gubernet.

Aliam consolationem firmam in tanto orbis terrarum incendio nullam video. Alii alias spes habent, et alia praesidia mente quaerunt: quae qualiacunque erunt, tamen haec consolatio rectior, et haud dubie efficacior est, confugere ad filium Dei, et ab ipso petere et expectare auxilium et liberationem.

Nec erunt irrita haec vota. Ideo enim tanta mole periculorum onerati sumus, ut cum inextricabilia humanis consiliis accidunt, agnoscamus immensam Dei bonitatem et praesentiam, qui propter filium et per filium nobis opitulatur. Vult se conspici Deus in talibus liberationibus, sicut in liberatione primorum parentum, qui post lapsum, cum ab omnibus creaturis deserti essent, tantum divina ope restituti sunt. Ita servata est familia

Nohae in diluvio. Ita servati sunt Israëlitae, stantes inter undarum montes in mari rubro.

Haec illustria exempla proposita sunt, ut saepe hoc modo Ecclesiam sine ulla creaturarum ope servari sciamus. Et multi in propriis periculis tales liberationes divinas omnibus temporibus experiuntur, ut David inquit: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Et alibi inquit Psalmus: Liberavit pauperem, cui non erat adiutor.

Ut autem haec tanta bona experiamur, prius fidem et invocationem in nobis accendi oportet, sicut scriptum est: Amen dico vobis. Sic et exercenda fides, ut ante liberationem et petat et expectet auxilium, et quadam tranquillitate animi acquiescat in Deo, nec tristi fremitu haereat in corde perpetua diffidentia, ac semper in conspectu sit haec admonitio: Pax Dei superans omnem sensum, custodiat corda vestra, id est: Sic acquiescite in Deo inter pericula, ut animi confirmati fiducia misericordiae et praesentiae Dei, placide expectent auxilium et liberationem, et retineant tranquillitatem, quae initium est vitae aeternae, et sine qua non potest fieri invocatio.

Nam diffidentia adfert triste et horrendum odium adversus Deum, quod initium est aeternorum cruciatuum, et rabies similis diabolicae.

Hos quasi fluctus animorum, et has consternationes prospicere vos iam oportet, et praemunire et confirmare pectora cogitatione divinarum consolationum, et assidua invocatione.

Profecto haec tempora non concedunt nobis usitatam securitatem et temulentiam: sed postulant, ut veris gemitibus auxilium petamus, sicut Dominus inquit: Vigilate et orate, ne irruatis in tentationem, ne fracti desperatione, ruatis in aeternum exitium.

Sapientia necessaria est, et pericula animae et praesidia intelligere. Pereunt animae, et cum Epicurea securitate iram Dei contemnunt, et cum diffidentia fractae opprimuntur moesticia. Et haec scelera cumulant poenas. Contra vero pii, qui fide et invocatione animos erigunt, et ad Deum accedunt, retinent initia vitae aeternae, et mitigationem publicarum calamitatum impetrant.

Te igitur fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui stas in arcano consilio divinitatis, et pro nobis interpellas, et dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, invoco toto pectore, et oro, ut immensa misericordia tua nobis peccata remittas. Tibi nota sunt vulnera nostra. Tu scis, nos in hac tanta infirmitate molem aerumnarum nostrarum sustinere non posse. Tu igitur nobis opem feras in privatis et publicis calamitatibus. Tu sis nobis umbraculum, et in his regionibus Ecclesias et earum hospitia protegas et serves. Dixi.

No. 116. an. 1550.

De legibus.

In select. Declam. T. IV. p. 54 sqq., Servest. T. IV. p. 49., in T. III. Erford. lit. ff, 5. et apud Richard. T. II. p. 518.

Oratio de legibus, recitata a D. Laur. Lindemann, I. C. (cum decerneretur gradus Doctoris D. Michaeli Deubero, Witebergae anno M. D. L.).

Multa sunt testimonia de Deo huic toti machinae coelesti, et omnibus mundi corporibus impressa, quae testantur hunc mundum non casu extitisse, sed a mente architectatrice mira arte conditum esse et conservari. Sed testimonium valde illustre est, quod aeterna mens transfundit in homines suae lucis et sapientiae radios, qui docent nos et esse Deum, numen intelligens, numeros et gradus rerum ordinans, liberum, sanciens actionum discrimina, discernens bona a malis, beneficum, aequale, verax, sanciens ordinem castitatis, horribiliter irascens omnibus confusionibus sui ordinis. Monent et illi ipsi radii divinae sapientiae in nobis ideo hanc lucem in nos transfusam esse, ut conditorem agnoscamus, et gratias ei agamus, qui nobis bona in ipso summa impertit, vitam, intelligentiam, libertatem, noticiam numerorum et ordinis, discrimina bonarum et malarum actionum. Deinde addidit etiam societatis honestae vincula, et multa vitae praesidia. Est autem et ob hanc causam haec lux in nobis accensa, ut sit norma vitae, et congruant nostri mores cum sapientia et voluntate Dei. Ac ut sciamus serio hoc eum velle, declarat iram adversus conturbantes hunc ordinem horribilibus poenis. Manifestum est enim, pollutos atrocibus sceleribus omnes tandem atrocibus exemplis poenas luere. Et hic ordo ut servetur, imperia instituta sunt, quae vult sonare suam sapientiam in genere humano, et punire contumaces. Hanc curam etsi mandat Deus gu-

bernatoribus, tamen et ipse manet in statione, ac maiorem partem delinquentium suis manibus ad supplicia rapit. Non puniebant iudices Pharaonem, Alexandrum, Antiochum, Antonium, Caligulam, Neronem, et innumerabiles alios, quoquo modo pollutos omnibus temporibus. Hos tamen omnes divina Nemesis, ut olim vocabatur, oppressit iustis poenis, et opprimet omnibus aetatibus. Et verissimum est dictum illud:

Non urbs, non regio, non aetas ulla severi
Iudicii exemplis, non domus ulla caret.

Et notissimae sunt comminationes divinitus traditae: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Et aliae multae. Hunc totum ordinem gubernationis vitae humanae sancitum divinitus, considerare quotidie debemus, ac simul gratias agere sapientissimo conditori, et eum orare, ut hunc ordinem tueatur, ac nostras mentes in regendis moribus adiuvet. Haec qui faciunt, intelligere utcunque, quid Lex sit, poterunt. Non enim initia legum sunt a Solonis aut Decemvirorum tabulis, imo ne quidem ab illis saxeis tabulis. Sed lex est aeterna et immota sapientia et iusticia Dei, cuius radii in naturas intelligentes sparsi sunt, ut nostrae mentes et nostri mores cum mente divina congruant: quam suam sapientiam et iusticiam Deus et voce declaravit, editis illustribus testimoniis in eductione Israëlitarum ex Aegypto, et saepe alias. Quotidie vero poenarum exemplis eam declarat. Etsi autem magna est naturae humanae infirmitas, tamen qualiscunque nunc est, Deus reliquit in nobis huius suae legis intellectum, et voluntatem armat, ut regere externa membra, seu ut vocant, motum voluntarium possit: et quidem vult adsuefieri homines, ut discant legem, et videant ex quibus fontibus quae demonstrationes extructae sint, et frenos iniiciant errantibus cupiditatibus, ac magna cura regant externa membra, ne contra legem Dei faciant. Haec cum sint notissima, tamen multi non solum infirmitate vel negligentia peccant, sed horribili furore contemnunt ipsas leges, velut iniustum carcerem. ut Gorgias apud Platonem disputat, Legem tyrannum esse, et deinde effrenes ruunt in omnia scelera. Tales sunt multi, non tantum pauci Cyclopes ac Laestrygones apud Homerum, sed omnibus temporibus in genere humano ingens multitudo est talium furenter contemnentium universam disciplinam: quos ut Deus iustus et vindex scelerum coherceat, toto eum pectore oro. Ac tales orationem de bonitate legum, et ordinis divini in gubernatione vitae, nihilo magis audiunt, quam Polyphemus apud Homerum audit Ulyssem de iudicio Dei loquentem, cui respondet his verbis:

Nulla Iovis Cyclopum animos reverentia tangit.

Sciamus autem tales non tantum naturae infirmitate peccare, sed haud dubie a diabolis agitari. Quare alii modestiores, qui disciplinae frenos patiuntur, consuetudinem eorum fugiunt, eosque velut pestes et *ἀλάστορας,* civitatum et gentium vitent. His vero modestioribus, qui disciplina reguntur, qui et esse Deum sapientem, iustum et vindicem statuunt, et eius iram et poenas metuunt, scio non ingratam esse orationem de legum bonitate. Hos, cum norint eas Dei vocem esse, et cum videant hunc ordinem politicum, Dei opus esse, et munus vitae nostrae utilissimum, obtestor propter Deum, ut saepe multumque cogitent, qui sint legum fontes, et quid sit totus ordo politicus: et hac cogitatione sese exuscitent ad haec divina bona veneranda, et ad obedientiam Deo debitam, ac disciplinae amorem. Scio aliter accipi orationem de disciplina a iunioribus, et a natu grandioribus, qui iam non solum aetate, doctrina et usu adsuefacti sunt, ut propius aspiciant hanc Dei sapientiam, et ordinis pulchritudinem, sed etiam calamitatibus et poenis eruditi sunt, ut iudicium et iram Dei magis metuant. Cum enim re ipsa experimur eventus certo respondere comminationibus divinis, firmior fit adsensio, Ictus sapit, ut dici solet, ita nos omnes commonefacti poenis, ad modestiam revocamur. Etsi igitur iuventus ferocior est, tamen ideo haec ipsa gubernatio politica instituta est, ut doctrina, imperiis, carcere erudiat iuventutem, et cicuratam ac domitam flectat ad agnitionem Dei, ut gravissime Paulus inquit, Lex est paedagogus, et additur laus amplissima, cum inquit esse paedagogum, ut Christum agnoscamus, id est, docendo et castigando rudibus instillat initia sapientiae coelestis, et paulatim provehit discentes, et compescit errantes impetus, ut mentes admittant doctrinam de filio Dei. Nec existimate eos qui laxant frenos cupiditatibus, nec desinunt ruere contra conscientiam, Deo placere. Manifesta sunt enim haec oracula: Nolite errare, Deus non irridetur. Scortatores, adulteri, homicidae non possidebunt regnum Dei.

Item: Propter haec venit ira Dei super contumaces. His oraculis omnes commonefacti, disciplinam statuamus necessariam esse, et timore Dei ad modestiam animos componamus. Hoc qui facient, hi magis magisque intelligent, quantum bonum sit lex Dei. quae et in decalogo sonat, et in mentibus hominum lucet, quae totum politicum ordinem gubernat.

Hic autem dicit aliquis, fateri se legem Dei summa reverentia venerandam esse: et sapientiam esse, quae nullius creaturae consideratione in omni aeternitate exhauriri possit. Quid autem illa seu Imperatorum edicta, seu Ulpiani, imo Bartoli, Baldi, et similium callidae interpretationes ad legem Dei? Cur misces, inquiet, sacra prophanis? dicet Rhetoricam forensem esse, qualis fuisse Coracis et Ctesiae narratur praestigiatrix, cavillatrix, ludens in verbis ambigue dictis. O rem miseram et deplorandam! Verum est, res optimas quasi caligine quadam tectas, in hac vitae confusione et his hominum erroribus et vitiis, non prope aspici. Bona et salutaris res est foedus coniugii sancitum certo modo. Et tamen cum pericula et aerumnae non paucae id genus vitae comitentur, bonitas est obscurior; et multi tanquam tristem carcerem coniugium fugiunt. Ita res aliae bonae minus cernuntur tum propter hominum inscitiam, tum propter abusus qui accedunt. Sed nostrum officium est iunioribus instillare veras sententias, et errores eximere. Ac sciant magnum bonum esse de rebus necessariis tenere veras sententias, quae mentes flectant ad celebrandum Deum, ad bonos mores, et ad tranquillitatem.

Verum est, discrimina Legis et Evangelii, ac deinde iusticiae aeternae et iusticiae politicae, item legum divinarum et humanarum, cognoscenda et propter gloriam Dei summa cura tuenda esse. Horum generum confusio omnibus aetatibus non solum errores in Ecclesia, sed etiam tumultus in imperiis peperit. Sed videndum est, qui locus cui generi tribuendus sit. Ante annos fere triginta vulgus audierat leges humanas discerni a divinis, et quaedam viciosa decreta hominum prorsus abiici, alia vero extenuari. Accidit autem quod saepe solet fieri. Etiam cum dextra offerebatur doctrina, tamen rudiores eam sinistre accipiebant. Multi omnes leges humanas deleri volebant, non tantum ecclesiasticas, sed etiam has politicas, quae regunt imperia. Multi quod magis dolendum est, disciplinam universam ita laxarunt, ut magna feritas in moribus secuta sit. His tristissimis exemplis moniti, modeste et pie consideremus vera discrimina legum, et videamus quae sint divinae, quae humanae, ac debita reverentia suo ordine singulis membris tribuatur. Non possum nunc in tanta horum membrorum amplitudine omnia persequi, sed de Iurisconsultorum scriptis dicam. Horum autoritas ut magis etiam conspiciatur, prius de officiis politici gubernatoris, seu summi magistratus dicam.

Ut hic pulcherrimus ordo, positus corporum, coeli, aëris, terrae circumfusae Oceano, et ut ordo motuum coelestium, qui vices temporum, dies et noctes, aestates et hyemes efficit, sine ulla dubitatione a Deo conditus est et conservatur: ita totum hunc ordinem politicum, foedus coniugii, imperia, dominorum distinctionem, contractus, iudicia, poenas, verissime statuas a Deo institutum esse: et quanquam diaboli et hominum furores saepe eum turbant, tamen immensa bonitate Dei conservari, ne totum genus humanum funditus deleatur. In hoc ordine cum praesit gubernator, seu magistratus politicus (nunc enim dico de gubernatione propria Ecclesiae) praecipua habet officia quatuor, quorum sine ulla dubitatione primum et summum est, ut sonet in genere humano vocem decalogi, et sit, ut ita dicam, vox Dei, qui vult genus humanum honesta disciplina regi, quae congruat ad legem naturae, quae est expressa in decalogo, ut omnes eruditi norunt. Non vult Lycurgum suo arbitrio leges condere pugnantes cum natura: qualis est lex, quae concedit pacisci de alterius coniuge. Non vult per ludum interfici homines, ut Romae fiebat in pugnis gladiatoriis.

Secundum officium est. Cum lex facile contemnatur nisi metu poenarum munita sit, magistratus sit executor decalogi, exerceat iudicia, et severe puniat contemptum vocis divinae. Ideo enim poenae in hac vita sancitae sunt, primum quia vult Deus intelligi discrimen honestarum et turpium actionum, quod illustre fit poenarum spectaculis: deinde sancit has poenas, quia iustus est, vere irascitur sceleribus. Vultque has poenas commonefactiones esse de sua iusticia. Consulit et paci communi, cum praecipit tolli grassantes adversus alios cives, et metu poenarum alios cohercери.

Postremo hae praesentes et breves poenae testantur restare aliud iudicium, in quo aequalis compensatio fiet. Quia violata est immensa boni-

tas, erunt et poenae aeternae omnium qui non confugiunt ad filium Dei.

Tertium officium est: Summis gubernatoribus in politia mandatum est, ut ipsi quoque leges addant decalogo, quae tamen cum legibus naturae non pugnent, sed aut necessaria consequentia, aut probabili ratione ex illis extructae sint, et sint velut adiumenta legum naturalium, et circumstantias aliquas definiant. Ut lex naturae ostendit furtum puniendum esse. Modos poenarum probabili ratione magistratus constituit.

Quartum officium est, ut harum etiam legum custos sit, et puniat contumaces, totumque munus referat ad disciplinam et pacem. His officiis gubernatorum consideratis, quae divinitus ei mandata esse certissimum est, quae sit doctrina Iurisconsulti, qui est velut vox magistratuum (legum enim custodia et interpretatio nostro ordini mandata est) facile intelligi potest.

Nec vero existimandum est, nostram doctrinam tantum acervum esse sententiarum, quarum nulli sint certi fontes, nullae demonstrationes. Sed verissimum est, principia, ut vocant Dialectici, esse praecepta decalogi, quae sunt primum in ipsa mente divina, regula iusticiae immota. Et cum sint noticiae divinitus sparsae in hominum mentes, natura notae sunt et firmae, ut numerorum ordo notus est et immutabilis. Ex his initiis cum certum sit reliquam doctrinam extructam esse partim demonstrationibus, partim honestissimis et probabilibus rationibus, quae vicinae sunt divinis praeceptis, agnoscamus totum aedificium, sapientiam esse a Deo monstratam generi humano, qui etiam consilia gubernantium rexit, ut principia viderent, et deinde concinna membra adderent. Scit Iurisconsultus iusticiam in contractibus aequalitatem esse, quae sumpta est ex praecepto: Non furtum facies. Hinc nascitur regula, Iniustum esse cum alterius iniuria locupletari. Eruditissime igitur quaesita est aequalitas, ac saepe demonstrationes manifestae sunt, ut in lege Iulianus .§. ex vendito, ff. de actionibus empti et venditi: Si emptor non dedit precium post diem traditionis, cum fruatur re empta, vicissim pendat venditori quanti interest. Perspicua est ratio, ut ipse textus inquit, ut sit aequalitas. Pleni sunt libri nostri talium investigationum aequalitatis, quarum aliae magis, aliae minus perspicuae sunt: quae cum sint demonstrationes, fateamur, ut in aliis artibus, veritatem demonstratione erutam, amplectendam esse, et laudandos esse artifices, tum veteres, tum recentes, Bartolum et similes, qui ingenia discentium ad fontes deducunt. Interdum probabilis tantum ratio legis est, sed tamen concinna, ut in diversis poenarum modis. Nostro iure debitor, qui non potest solvere, facta excussione facultatum, nisi bonis cedat, multas graves poenas sustinere cogitur. Alicubi in Graecia lex addebat notam certo spectaculo, ut deterreret plures, ne cumularent aes alienum. Pendebat in cophino debitor, et coenum in eum coniiciebatur. Ac patrem Euripidis virum pauperem scribunt hac poena adfectum esse. Talia decreta, quae etsi non habent causam necessariam, tamen oriuntur ex ratione probabili et concinna, valent propter magistratus autoritatem, quem Deus armavit hac potestate, ut certis circunstantiis communes sententias includat. Nec recitabo plura exempla, cum in libris nostris ubique obvia sint. Haec qui derident, excerpunt mutila et levia exempla. Sed bonae mentis est intueri totum aedificium doctrinae, et considerare illa divinae sapientiae oracula, videlicet praecepta decalogi, ex quibus postea reliqua moles ad fastigium usque extruitur. Imo totum politicum ordinem intuearis. Non enim tantum contractus et successiones regit haec doctrina, sed etiam mores hominum, sancit poenas omnium scelerum, ut disciplinam muniat, ac revera omnium virtutum doctrinam continet, quod in actionum et accusationum generibus adparet, quae ad decalogum aptissime quadrant: et gubernatorem ut puniat, contumaces ideo armat, quia legum vox inutilis esset, nisi executio accederet, sicut vere inquit Aeschines, Nihil valere politiam, non habentem nervos contra facinorosos.

Cum igitur totus ordo politicus admirandum Dei opus sit, et nostrae utilitatis causa, et ut sit testimonium de Deo, ac sapientiam, bonitatem et iusticiam eius ostendat, institutum, et sit assuefactio ad totum chorum virtutum: vos iterum obtestor, ut et ipsum politicum ordinem propter gloriam Dei ametis, et reverenter tueri studeatis, et hanc doctrinam eruditam de civili gubernatione, et a sapientia Dei ortam, ut illa ipsa sapientia divina inquit: Per me reges regnant, magnifaciatis, et toti generi humano, suo quisque loco conservari curetis.

Cumque hic inquiri virtutum naturas videbitis, saepe in mentem veniat, ideo patefactam esse virtutum doctrinam, ut et esse Deum, et qualis

sit, moneat. Discis iustitiam aequalitatem esse. Est ergo et Deus verissime aequalis, alienissimus a προσωποληψίᾳ, et ab omnibus tyrannicis moribus. Haec ingens consolatio est. Nam cum aequalis sit, certissimum est velle eum omnes ad filium confugientes recipere, nec velle imaginari tanquam de tyranno, et si alios recipit, te tamen reiicit. Cum legis veritatem virtutem esse, qua mens et oratio congruunt, et dicta ac pacta constanter serventur: cogitabis Deum veracem esse, nec dissentire a sua promissione, quae universalis est. Cum legis poenas scelerum, non has, Epicuri more, tantum propter tranquillitatem humano consilio institutas esse putes, verum sancitas divinitus, ut sint commonefactiones de ipsius iusticia. Denique plena est haec tota doctrina sapientiae, quam propius aspicietis, cum accedent aetas, eruditio, usus. Nunc multum profecisse iuniores se sciant, si illas barbaricas opiniones ex animis eiicient, quae fingunt leges, et hunc ordinem politicum, tyrannicum carcerem esse, nec Deo curae esse. et incipient in hac miranda conservatione naturae humanae et gubernatione praesentiam Dei agnoscere, abhorrere a conturbatione ordinis: et Deum orare, ut sui operis inter nos custos et conservator esse velit.

Postremo etiam moneo iuniores, ut insulsos et seditiosos clamores eorum explodant, qui hoc Romanorum ius vituperant, et somniant se novas leges condere posse. Horum stulticiam non refutabo longa oratione, cum quidem vera, gravis et splendida refutatio opponi possit. Sed nunc in hac temporis angustia eam omitto. tantum Apologum recitabo, qui illustri imagine ostendit, quales sint illi novi Nomothetae. Simia quae capta ab hominibus, aliquamdiu viderat urbes, domos, hominum congressus, theatra, spectacula, ludos: postea elapsa rediit ad simias, ac narrat quid viderit: hortatur ut hominum imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempestates: et addant moenia adversus leones, lupos, homines. Nec tantum haec utilitas proponitur, sed commemorantur theatra et spectacula. Horum imitatio magnas voluptates paritura videbatur. Placet igitur consilium, et dimittunt vetulae simiae iuniores ad materiam caedendam, et saxa convehenda. Sed hic deprehendunt stultitiam suam simiae. Deerant secures, et ratio nulla erat vel caedendae materiae, vel coagmentandi lapides. Denique ars tota architectonica deerat. Res igitur cogit eas id quod stulte instituerant, omittere.

Harum simiarum cum similes sint multi, qui hoc Romanorum ius sapientissimorum et peritissimorum hominum deliberationibus scriptum, et deinde illustratum vituperant, et stulte somniant se meliorem politiam condere posse, eorum deliramenta explodenda sunt: quorum quanta sit vanitas, etiamsi iuniores nondum vident, tamen senioribus et peritis credant, non temere leges sapientum et peritorum iudiciis latas, receptas, comprobatas, mutandas esse. Hac ipsa de re saepe gravissimas commonefactiones audivimus hoc ipso in loco a clarissimo viro D. Hieronymo Schurff, praeceptore nostro perpetua reverentia colendo: cuius iudicium, cum eruditione, aetate, usu, sapientia excellat, quem quidem ut Deus incolumem Reipub. diu servet toto pectore opto. longe anteferamus stultae iuniorum curiositati. Sed de hac re alias plura dicemus.

Postquam autem vos, ut officii nostri ratio postulat, commonefeci de reverentia politico ordini debita, qua etiam Deo gratitudinem praestare debetis: oro nunc toto pectore Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae suae, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu sancto, ut sua immensa misericordia propter filium perpetuo inter nos colligat aeternam haereditatem filio, et regat nos Spiritu sancto suo, servet hospicia Ecclesiae, et cum verissime sit fons sapientiae et legum, sit custos inter nos disciplinae legum, iudiciorum et virtutis, et efficiat ut semper inter nos luceat vera ipsius agnitio, ut eum in omni aeternitate celebremus. Dixi.

No. 117. (an. 1550.?)

De legum fontibus et causis.

In select. Declamat. T. IV. p. 119 sqq., Servest. T. IV. p. 109. et Richard. T. II. p. 450.

Oratio de veris legum fontibus et causis: explicans simul et hanc quaestionem: An Romano iure et scriptis eorum, qui id interpretati sunt, utendum sit.

Etsi meae coutationis *) in inchoanda hac legum interpretatione multae fuerunt causae, tamen prae-

*) Richard. *cogitationis*; inepte.

cipua fuit consideratio difficultatis honestissimi, et pene summi inter homines operis. Ut enim lex est radius sapientiae divinae fulgens in hac vita, ne genus humanum dissipatum intereat, sed ut iustitia consociatum ad agnitionem Dei, ad certam coniugiorum formam et ad omnium virtutum intellectum et officia assuefiat, et sint ac maneant honesti hominum coetus, in quibus luceant, sapientia, iustitia, castitas, beneficentia, et fiat rerum communicatio legitimis contractibus, et iudicum voce de iustitia populus erudiatur, et soboles educari, ac foveri, ac doctrina excoli possit. Ita legum interpretatio, cum illam sapientiam Dei rudioribus exponat, res difficillima est, et summa reverentia suscipienda. Deinde videtis quantum onus in Republica ordo Iurisconsultorum sustineat. Consulitur enim de praecipuis rebus in vita, de religione, de omnibus vinculis pacis et iustitiae, de coniugiis, de causis bellorum, de iure defensionis, de dirimendis bellis, de foederum interpretatione et autoritate, de singulorum patrimoniis et domiciliis tuendis. Ac multorum eventus ostendunt, quam sit infoelix temeritas in consiliis dandis discedere a norma legum nostrarum. Quare etsi scio honestissimum opus esse, et Deo gratum iuvare discentium studia, tamen propter difficultatis magnitudinem, quaedam me vel timiditas, vel reverentia remorata est, quo minus hanc publicam enarrationem inchoarem. Sed hanc dubitationem vicit tandem autoritas Clarissimi Viri, Domini Doctoris Hieronymi Schurff, quem et propter sapientiam, virtutem et gravitatem in omnibus officiis, omnes boni viri ubique venerantur, et ego propter paternam erga me benevolentiam et ingentia beneficia tanquam patrem diligo et colo, Deoque gratias ago, quod hunc mihi non solum huius doctrinae monstratorem, sed totius vitae rectorem dedit. Nec enim tantum in discendo eius vestigia sequor, et iudicii rectitudinem et dexteritatem, et veritatis tuendae curam imitari studeo, sed in vita etiam in eligenda religionis puritate, et in regendis moribus in ipsum, tanquam in speculum intueor. Hic cum mihi hortator esset subeundi hoc onus, reverenter ipsius adhortationi parendum esse censui. Idque eo etiam feci libentius, quod mihi in eadem Academia, ubi huius summi viri censura, voce et consilio adhuc iuvari possum, docendi munus attributum est, magnumque Dei beneficium esse duco, quod et tot annos audire hunc virum, et una vivere, et sapientia eius frui concessit, et nunc eum in huius laboris initio censorem, rectorem et monitorem habere possum. Quare etiam in hoc exordio profiteor, me ipsius iudicio omnes meas interpretationes et diiudicationes subiicere. Turpis est enim arrogantia, in tanta amplitudine doctrinae iuris et difficillimarum controversiarum, iuniores sese solos facere iudices, nec seniorum et peritorum iudicia requirere. Adferre autem ad hoc docendi munus (Deo iuvante) studeo, non solum diligentiam, sed etiam fidem, amorem iustitiae et veritatis, ac modestiam. Ac Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem coeli et terrae et humani generis, et huius ipsius ordinis et sapientiae, quae ostendit discrimen iustitiae et iniustitiae, et iusta praecipit, et prohibet iniusta, et denunciat horribiles poenas violantibus iustitiam, oro, ut me regat in docendo et in dandis consiliis, ac me faciat vas misericordiae, salutare mihi et Reipublicae.

Postquam haec de mea voluntate praefatus sum, nunc propter iuniorum utilitatem aliquid de his ipsis legibus et de earum studio dicam. Annos iam viginti spectator fui tumultuum Germaniae, in quibus cum initio res necessariae patefactae essent, postea a turbulentis et seditiosis ingeniis, etiam multae falsae opiniones motae sunt, quas tamen Deus clementer repressit, ac earum refutatio veritatem illustravit. Memini furores multorum, qui prorsus totum ordinem politicum damnabant, imperia, magistratus, leges, contractus, iudicia, poenas. Nec tantum error humanus horum mentes occuparat, qui haec portentosa deliramenta spargebant, sed diabolicae furiae eos agitabant, ut vita hominum magis turbaretur, et tenebrae maiores religionem opprimerent. Proponebantur enim errores illi praetextu eximiae pietatis. Sed vicit tamen veritas illustrata multorum voce, qui ostenderunt fanaticos illos, non solum naturae hominum, sed etiam Deo bellum intulisse, ac velut Gigantes aggestis montibus, coelum oppugnare conatos esse. Etsi autem natura ipsa nos perspicue docet, nasci homines ad civilem societatem, et vincula societatis esse imperia, leges, iudicia, poenas: tamen non tantum videamus quid necessitas docuerit, sed initia legum altius repetamus.

Summae et optimae res in mente divina conditrice generis humani sunt, sapientia, discernens honesta et turpia, et iustitia, veritas, beneficentia, clementia, castitas. Harum optimarum

rerum Deus semina in mentes humanas transfudit, cum nos ad imaginem suam conderet. Et ad normam suae mentis congruere vult hominum vitam et mores. Voce etiam sua hanc ipsam sapientiam et virtutum doctrinam patefecit.

Hae notitiae divinitus traditae cum luce quae nobiscum nascitur, tum vero etiam voce divina, sunt initia legum et ordinis politici, cui vult nos Deus, non solum necessitatis nostrae causa obedire, sed multo magis, ut agnoscamus conditorem, et in hoc ipso ordine discamus, non casu extitisse hanc naturam rerum, sed opificem esse sapientem, iustum, beneficum, veracem, castum, et similes virtutes in nobis flagitantem, et vindicem punientem huius ordinis violationem.

Ut igitur vides hanc pulcherrimam mundi figuram, coeli et elementorum positum, solis et stellarum motus, temporum vices, deinde in ipso homine mentem, numeros et alias notitias mirabili arte divinitus ordinatos esse, et divina potentia conservari: sic certum est a Deo societatem hominum et vincula societatis, imperia, leges, doctrinam virtutum, iustitiae, beneficentiae, veritatis, castitatis, contractus, iudicia, poenas singulari opere ordinatas esse, et excitatos ab eo gubernatores, legum tutores ac interpretes, qui subinde hos nervos societatis et doctrinam virtutum restituerent.

Et quanquam hunc ordinem furores diabolici et humani multipliciter turbant, tamen quantum manet ordinis, id vere a Deo conservatur, ne totum genus humanum intereat. Hanc doctrinam expresse tradit vox Apostoli, cum inquit, Imperia et leges ordinationem Dei esse. Quo in loco verbum ordinis diligenter considerandum est. Quae ordinata sunt certo consilio, descripta et circumscripta sunt, certa initia et certas metas habent. Cum igitur sanxerit Deus ordinem, manifestum est displicere ei cyclopicam vitam, quae sine ordine et sine legibus agitur, et quo caecae et dissimiles cupiditates impellunt, ruit. Nec obscure Deus voluntatem suam in poenis declarat. Omnis enim atrox violatio publici ordinis atrocibus poenis in hac vita punitur. Qua ex re intelligi potest, Deum vere custodem esse huius ordinis et legum. Ideo filius Dei inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipit autem, quisquis non dantibus arma legibus, vim aliis infert. Sic et alia divina testimonia affirmant a Deo instituta esse, et sancita et servari imperia, ut scriptum est: Iudicium Domini exercetis. Et apud Danielem: Deus constituit et transfert regna. Et in Salomone: Pondus et statera iudicia Domini sunt. Sit igitur infixa pectoribus haec sententia, et firma ac immota assensione retineatur, leges et totum politicum ordinem sapientiam Dei esse, nobis monstratam, et res bonas esse, ac beneficia, in quibus Deus vult agnosci, se quoque iustum et veracem esse, et amare iustitiam, et horribiliter irasci iniustitiae. Ac toto pectore execrandi sunt furores diabolici hominum fanaticorum, qui leges et nervos civilis vitae, negant esse Dei opera et beneficia divina. Nec instituo iam refutationem calumniarum, quae nobis opponuntur, et quia longior futura esset oratio, quam ut huic tempori conveniret, et inter vos qui recte instituti estis in doctrina Ecclesiae, non opus est longa disputatione. Gratias potius agamus Deo, quod veritatem nobis patefecit, et assensionem in mentibus nostris confirmat.

Accedo igitur nunc ad aliam quaestionem, propiorem nostrae doctrinae: An hoc Romano iure et nostrorum interpretum scriptis utendum sit. De qua quaestione eo dicendum est, quia etiam recens quidam vociferari coeperunt, non licere nobis uti ethnico iure, Iustitiam rem divinam esse, quare tantum ex libris divinis petenda sit, videlicet ex Moise et Evangelio. Hac de re scitis anno superiore alicubi clamores excitatos esse. Semel autem omnibus illis, qui sapientissimo consilio receptam, et sapientum usu comprobatam doctrinae formam improbant, et novam gignere conantur. Respondeo, Similiter illos facere, ut in fabula Hermogenis de simiis dicitur, quam breviter recitabo, ut imaginem stultitiae illorum, qui novum ius condere volunt, consideretis. Diu apud homines vixerat simia iam vetula, sed tandem negligentius custodita evasit, et in campos et sylvas ad caeteras simias rediit. ibi narrat pulchram et beatam esse hominum vitam, quae sit munita tectis contra pluvias, frigora et aestus, et moenibus contra feras et hostes, et magnam commoditatem esse, habere repositas fruges in aedibus, magnam voluptatem esse congressus et spectacula. Hortatur caeteras ut hanc hominum sapientiam imitentur, et domos extruant, et circumdent murum, ut arcere caeteras feras possint. Conveniunt magna agmina simiarum, ut audiant

hoc novum consilium. Applaudunt omnes tam speciosa sententia audita, et fit decretum a Senatu et populo simiarum, ut urbem condere incipiant. Sed dimissae ad convehenda ligna et lapides, cum deessent instrumenta, et nulla ratio esset ligna caedendi, et lapides expoliendi, et coagmentandi, experiundo iam agnoscunt se stulte rem impossibilem et alienam a sua natura molitos esse. Tales omnino sunt isti novarum civitatum conditores, qui somniant nova iura. Et fuisse omnibus aetatibus multas tales simias, credibile est. Sed nostra aetas, proh dolor, vidit plurimas, a quibus orta est haec ingens calamitas, quae nunc Germaniam oppressit. Quaeso igitur vos optimi auditores, ut sapientiam esse et virtutem statuatis, Deo gratam et necessariam communi tranquillitate, reverenter sentire de usitato iure, et amare praesentes leges, et eas constanter tueri. E contra vero levitatem esse, curiositatem, futilitatem, petulantiam et amentiam diabolicam, et perniciosam generi humano, cavillari praesentes leges, et quasi columnas in aedificio paulatim impellere, quibus eversis totam domum collabi necesse est. Ut autem hac sententia confirmentur animi, veras causas scire oportet: An et quare hae nostrae leges Deo placeant. Sumendae sunt autem hae causae ex his fontibus.

Ingens discrimen est inter Evangelium et politicam gubernationem. Est enim Evangelium vox divina, propter filium Dei adferens remissionem peccatorum, et lucem ac iustitiam cordis, ac haereditatem vitae aeternae, ubicumque sunt etiam in diversis imperiis. Ut enim diversis dierum spaciis in diversis locis pii utuntur, ita in diversis imperiis ac dissimilibus legibus vivere possunt. Politica autem gubernatio externam disciplinam, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia et poenas regit. Et ut numerorum scientia lumen est divinitus insitum mentibus, nec impedit, nec delet Evangelium, ita politica sapientia ex firmissimis notitiis extruitur, quae divinitus insitae sunt humanis mentibus, nec impediunt, nec delent Evangelium. Nec voluit Deus unquam quoties gentes ad societatem Ecclesiae suae vocavit, imponere politiam Mosaicam, sed imperia singula suis legibus regi permisit. Darius et Cyrus cum a Daniele didicissent veri Dei invocationem, non mutabant Persici imperii formam, in gubernatione rerum civilium. Et Daniel ipse quanquam in politia Moisi natus erat, tamen provincias Persicas, legibus Persicis regebat. Etsi autem multa possunt exempla recitari, quae ostendunt placuisse Deo pios gubernatores in aliis imperiis extra Mosaicam politiam, tamen cum maxime sit illustre Cornelii exemplum in Actis Apostolorum, hoc praecipue cogitemus. Manifesto et insigni testimonio Deus et ipsum Cornelium, et milites Romanos in eius cohorte ornavit. Nam Spiritus sanctus visibili specie, ut in Apostolos, ita in Romanos milites in magna frequentia concionis effusus est. Et hoc ipso exemplo fatetur Petrus se quoque didicisse, Evangelium pertinere ad universum genus humanum, et procul discernendum esse a politia Mosaica, quod quidem et illo tristi iudicio Deus ipse ostendit, cum Rempublicam Iudaicam funditus delevit. Ut igitur iubet Deus obedire, quoslibet praesentibus et suis magistratibus, ita sciamus mandatum Dei esse, ut praesentibus legibus obtemperemus, quae placent Deo, etiamsi ab ethnico gubernatore latae sunt, si tamen ad illum radium lucis divinae transfusum in mentes hominum congruant, qui vocatur ius naturae, ex quo vult Deus extrui leges et sapientiam gubernatricem vitae civilis. Nec addam longiorem refutationem, sed vos adhortabor potius, ut Romanarum legum sapientiam studiose consideretis, quas ipsas etiam Dei vocem esse statuite, propositam humano generi per sapientes gubernatores, quorum mentes singulari motu rexit Deus, ut iustitiae fontes et viderent, et aliis monstrarent, sicut aliorum excellentium artificum mentes regit, ut scriptum est, ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrumque. Non existimetis humana calliditate scriptas esse leges, ut potentum cupiditatibus adulentur, sicut multi turbulenti homines clamitant. Sed vel firmis demonstrationibus, vel rationibus quae sunt vicinae demonstrationibus, extructae sunt ex immotis principiis, quae sunt, ut dixi, radii sapientiae divinae in nos transfusi. Omnes scimus numerorum notitiam nobiscum nascentem rem bonam et lucem divinam esse etiam in Ethnicis. At multo excellentior lux est notitia legum naturae, quae testatur et esse Deum, et esse sapientem, iustum, veracem, beneficum, vindicem et rectorem vitae humanae. Haec lux etiam in Ethnicis res bona est et Dei opus. Idem et de demonstrationibus quae inde oriuntur iudicandum est. Atque ita recte intelligetis legum sententias, cum earum causas et demonstrationes dextre in-

quisitas perspicietis. Ac ut ars medica non dissentit a pietate, sed potius multiplex commonefactio est de Deo. Videt enim medicus naturam conditam summa arte nequaquam extitisse casu, et velle Deum, ut huius artis ope multi serventur, sic nequaquam dissentit a pietate legum sapientia, sed potius illustre testimonium est et ipsa providentiae divinae. Nam miranda consociatio generis humani et ordo imperiorum, et ordinis conservatio, et poenae atrocium scelerum manifeste ostendunt Deum et autorem et custodem esse et iudicem generis humani. Et cum iustitiam discimus aequalitatem esse, et hanc aequalitatem mira solertia investigamus, saepe mihi in mentem venit, Deum quoque cum sit iustissimus, haud dubie aequalem esse sine acceptione personae, et sine tyrannide. Omnibus igitur offert salutem, et vult recipere et servare, quod ad ipsius voluntatem attinet. Quam mirando consilio temperavit Deus iustitiam et misericordiam? Immensae misericordiae est quod recipit genus humanum, et tamen iustitiae Dei immotae erat, ut lex fieret: Nec ex futilitate remissum est peccatum. Constitutum est igitur, ut poena in filium derivaretur, quia universaliter lex vel ad obedientiam, vel ad poenam obligat. Hic me de consilio et iustitia aeterna Dei admonet haec politica iustitia in legibus nostris descripta. Saepe cum discrimen cogito inter vigorem iuris et aequitatem, simul considero legem et Evangelium. Est enim ut scitis, Evangelium reipsa mitissima aequitas et ἐπιείκεια legis, et pro hac aequitate Deo gratias ago. Denique universa sapientia legum nostrarum multipliciter nos de Deo commonefacere potest. Ac gratitudo aeterna debetur sapientissimo imperatori Lothario et Irnerio, et aliis sapientibus viris, qui has Romanas leges plenas verae eruditionis ex bibliothecis in scholas, curiam et forum protulerunt." Vosque auditores non solum adhortor, sed etiam propter salutem generis humani obtestor, ut omnium furores, qui hanc praesentem iuris doctrinam vituperant, constanter execrandos esse statuatis. Deinde ut cum certum sit in his legibus sapientiam et veram iustitiae formam proponi, fontes queratis, et non solum doctrinae umbram, sed veram scientiam expetatis, et quia ipsa veritatis cognitio per sese bona est, et lumen bonae mentis, et quia Deus vult nos custodes esse iustitiae, disciplinae, concordiae civium et pacis, et punit inscitiam et audaciam eorum, qui in publicis aut privatis consiliis accendunt vel errore, vel assentatione civiles discordias et bella. Itaque propter mandatum et iram Dei ad recte discendi curam vos exuscitate. Nihil enim tristius cogitari potest, quam gubernatorem consiliorum. neglecta aut depravata legum voce fieri similem furiae, quae infinitam dissipationem et vastationem in genere humano efficit, et horribili amentia ruit in aeternos cruciatus. Neque rara sunt exempla talium furiarum. Sed Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi fontem sapientiae et iustitiae ardentibus votis oremus, ut ipse mentes nostras, studia, consilia et actiones nostras regat, ut ornent gloriam Dei, et prosint nobis, et toti generi humano, et faciat nos vasa misericordiae salutaria nobis, et aliis hominibus, et toti Reipublicae. Deinde nos quoque fidem et diligentiam in docendo et discendo adhibeamus, quam et vult adhiberi Deus, et ut praestare aliquo modo possemus, viribus naturae nos instruxit, quas vult non esse ociosas. Etsi autem in amplissima materia, de laudibus totius politici ordinis et nostrarum legum disputanda, et de praesenti iuris doctrina tuenda multo plura dicenda erant, tamen nunc non ero prolixior, non solum quia haec brevitas orationis ad praescriptum tempus accommodatum est, sed multo magis, quia rerum amplitudo tanta est, ut omnem eloquentiam superet. Bonae mentes his fundamentis cognitis, saepe cogitent de dignitate politici ordinis, et revereanter Deo gratias agant, quod hominum vitam his radiis suae sapientiae et iustitiae consociavit, et quod in hac societate tuenda praesentiam suam nobis declarat, et sese ad haec bona tuenda propter gloriam Dei exuscitent. Peto igitur, ut hanc tenuem orationem boni consulatis, ac Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem et conservatorem humani generis, et huius societatis copulatae legibus et iustitia oro toto pectore, ut mea et vestra studia gubernet, et perpetua in his regionibus quoque Ecclesiam et honestas politias servet, ut vera invocatione et obedientia celebretur.

No. 118. an. 1550.

De sympathia et antipathia.

In select. Declam. T. IV. p. 204 sqq., Servest. T. IV. p. 186., in Tom. III. Erford. lit. s, 4. et apud Richard. II. p. 133.

Oratio de consideranda Sympathia et Antipathia in rerum natura, recitata a Jacobo Milichio, cum decerneretur gradus Doctori (Medic.) Vito Ortel Winshemio (d. 4. Febr. 1550. cf. Scripta publ. T. I, p. 292 [b].).

Principio et gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori omnium rerum, quod veram doctrinam, vitae hominum salutarem inter nos hactenus conservavit, eumque ardentibus votis oro, ne eam extingui sinat. Haec vota in his congressibus caput et exordium reliquae actionis esse debent: quae quidem subinde repetenda sunt, cum in templum et ad aram, non solum ad audiendam renunciationem, sed multo magis ad communem precationem conveneritis.

Usitatum est autem in his renunciationibus, vel ad formanda iudicia iuniorum, vel ad accendenda studia, ex aliqua doctrinarum parte commonefactionem proponere. Itaque et interdum hic aliquid de artis medicae dignitate et utilitate diximus, et nunc ex hac nostra doctrina argumentum sumemus.

Est autem omnino maius opus in tanta amplitudine artis medicae, de eius dignitate et utilitate dicere, quam ut brevi oratione tanta rerum copia comprehendi possit. Intuenda est enim universa natura, videndum qui sit ordo, quae qualitates, quae effectiones, quae mutationes singularum partium, stellarum, elementorum, animantium, hominis, rerum ex terra nascentium, plantarum, metallorum, gemmarum: et considerandi usus partium, in quo clarissime conspicitur admiranda sapientia architecti, qui prospiciens generi humano, domicilium, cibos et remedia condidit: et quidem praevidens morborum varietatem, pene singulis morbis sua quaedam remedia opposuit, et propria auxilia singulis membris attribuit. Hanc amplissimam artem architecti, quasi evolutam ostendere, et de singularum partium usu dicere, opus est pene infinitum.

Nunc igitur hac longiore oratione omissa, tantum excerpam exempla quaedam in natura rerum cognatarum et pugnantium, quae et ipsa ostendunt, hunc mundum non casu ex atomis conflatum esse, ut furenter Epicurei contendebant. Iuvat autem bonas mentes, aspicere illas in natura *συμπαθείας, καὶ ἀντιπαθείας,* non solum propter corporum utilitatem, sed etiam, quia delectat videre imagines morum, et actionum humanarum, quas Deus in natura velut in tabula pingens, voluit esse commonefactiones de bonis et malis actionibus: unde etiam sermo divinus multa exempla sumit.

Notissima est Samsonis historia, in qua pingitur leonis et apum *συμπάθεια,* cum narrat, in faucibus mortui leonis, natas esse apes, et favos mellis: qua imagine scitis adumbratam esse Ecclesiam nascentem ex Christo mortuo, et fundente mella, id est, dulcem et salutarem doctrinam.

Scitis et imperia pingi figuris hominum et animantium. Quid cogitari similius potest, quam pardalis et Alexander? tantum est audaciae, celeritatis et roboris in pardalibus, ut ne quidem ab armatis venatoribus capi aut interfici possint, sed vino et Venere sopitae capiuntur. Vides ipsum Alexandrum, cuius virtus nullis laboribus, nullis periculis cedit: postea vero in ocio illa tanta vis animi et ingenii subito extinguitur vino et libidinibus.

Aliquoties sit mentio sycomoreae in concionibus Prophetarum et Christi: huius poma non maturescunt nisi scalpantur, et infundatur oleum. Imago est populi, qui et lege et disciplian cohercendus est: et ne sit inutilis disciplina, addenda est consolatio ex Evangelio, ut corda agnitione misericordiae et praesentiae Dei reviviscant.

Cum viator infoelici itinere suscepto a Solymis ad Ierieuntem in latrones incidisset, optimus Samariae civis, qui olim venientem eo Iacob familiarissime excepit, curavit saucium, infuso in vulnera vino et balsamo. Hic cum pugnent inter se vinum et pus, absterguntur sordes vino, ne vincat putrefactio. Deinde sanandi vis praecipua est in balsamo, cuius est *συμπάθεια,* cum succo nativo carnis eximia. Talium exemplorum cum et divinae narrationes plenae sint, utilis est naturae consideratio, et rerum collatio omnibus, non tantum nobis, qui medendi artem exercemus.

Ut igitur studiosi naturas diligentius aspiciant et conferant, institui catalogum rerum cognatarum et pugnantium, quem etiamsi nunc absolvere non potuimus, tamen hoc quasi vestibulum operis spero auditoribus profuturum esse. Postea enim plura exempla adiiciemus. Ut autem antea dixi, hanc rerum convenientiam signum esse providentiae: ita referatur haec tota consideratio ad hos fines, ut confirmetur adsensio de pro-

videntia, et quaerantur salutaria remedia, et commonefactiones de moribus.

Sit autem hic primus gradus sympathiarum. Mirifica sapientia et bonitate Deus et nutrimenta corporibus, et fere singulis membris, et humoribus cognata remedia attribuit: ut cum maxime nutriantur corpora nostra frumento, leguminibus, fructibus, ovis, vino, causa illustrior reddi non potest, nisi quia Deus suo consilio hanc cognationem instituit. Remedia vero propria sunt certorum membrorum. Capitis doloribus medentur: amaracus, serpillum, chamedaphne, conyza, labruscae flores, vitis vinifera, ruscus. Oculorum doloribus: foeniculum, euphrosyne, melilotus. Pectus purgant: adiantos, peucedanum, iris Illyrica, aron, mel. Pulmonis morbis medetur: hysopus, betonica, prasium, stechas, glycyrrhiza. Cor confortant: buglossum, libanotis, crocus, muscus, pomum citri, violae, rosae. Epatis calores corrigunt: endivia, rosae, nymphea, cicorea. Et e contra frigoribus medentur: absinthium, eupatorium, thymus, calamentum. Obstructiones epatis aperiunt: cicoreum, rhabarbarum. Ventriculo calido medentur: rosae, violae, mirtilli rumex, fumaria; frigido vero absinthium, menta, zinziber, cinamomum, gentiana. Spleni prosunt: tamarix, capparis, phyllitis, asplenum, Teucrium. Renibus: lupili, adiantum, portulaca, petroselinum, asparagion. Matrici: pulegium, melissa, artemisia, parthenion. Bilem flavam educunt: aloë, scammonea, rhabarbarum, absinthium, cassia fistularis, manna, myrabolani. Educentia pituitam sunt: chebuli, hermodactyli, anacordi, colocynthis, Turbit, agaric., cnicus, esula. Atram vero bilem educunt: epithymus, polypodium, folia senae, elleborus, lapis lazuli. Vulneribus medentur: dictamnum, Achilleis, Centaurium maius aut minus, salvia, flores labruscae, senecion, polygonaton, sycomorus, symphytum magnum, thus, terra Lemnia, terra Eretria. Ulceribus medentur: ebenus, brassica, vitis nigra, scordium, lapis haematites, galactites, petasites, thuris fuligo. Venenis repugnant: ruta, vetonicae, moly, quod et ruta sylvestris dicitur, pomum citrinum, acorus, daucus, amomum.

Alius autem gradus est plantarum inter sese concordiae et discordiae. Quercus et olea tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depacta moriantur. Vicina etiam querni olea extinguitur. Pugnant et qualitatibus. Nam quercus arefacit et constringit, oliva rigat et mollit. Etsi autem non ubique significatio quaerenda est, tamen in aliquibus exemplis non obscura est. Quercus imperia significat, oleo ministerium docendi in Ecclesia. plerunque autem imperia sunt inimica Ecclesiae Dei, ut Pharao in Aegypto, reges Babylonici et Assyrii, deinde Graeci horribiliter affixerunt Israëlitas, Romani imperatores multi atrocissime grassati sunt in coetus piorum. Nunc non solum Turci, sed et alii reges infesti sunt Ecclesiis. Ita quercus inimicia est oleae. Rursus olea moritur in scrobe quercus: id est, docendi munus extinguitur conversum in imperium, ut postquam episcopi maluerunt esse satrapae quam doctores, lux doctrinae in Ecclesiae pene prorsus extincta est.

Ut autem odia sunt inter quercum et oleam, ita mirifica est amicitia et quasi mutuum foedus inter oleam et vitem. Non solum incolumis manet vitis, si inseratur oleae, sed etiam novas vires accipit, et tum uvas, tum olivas gignit: seu uvas, pariter uvarum et olivarum saporem referentes. Imago illustris et oleae: id est, Evangelio insita legis doctrina fit mitior, ut scitis ita demum et inchoari obedientiam, et Deo placere, cum Evangelio insita est. Contra vero quercus si pyrus ei inseratur, bona pyra gignit. habent imperia sui gradus officia, habent et suas opes, sed acerbo pyrorum succo similiores quam vino aut olivae. Etsi autem quercus valida est, tamen necatur a vicina nuce iuglande: etiam magna et potentia imperia a fatalibus hostibus, quanquam videntur imbecilliores, tandem evertuntur.

Balsamum singulari consilio Deus uni loco tribuit, in quo collocaverat Ecclesiam inter multa autem generositatis ipsius signa et hoc recitatur, quod lignum caudicis balsami attrectatum ferro, mox moritur, cum tamen secari necesse sit, sed id sine ferro faciendum est. An ostendi causa possit, nescio: sed significatio non absurda est, Ecclesiam non regi ferro et crudelitate suppliciorum, sed mentes perspicua doctrina convincendas esse: et ostensa bonitate Dei, ad assensionem flectendas esse. dissipantur enim et delentur Ecclesiae, cum tantum ferro et saevitia imponuntur dogmata, et plerunque exercetur talis atrocitas ad impios cultus stabiliendos.

Amicitia est rutae cum ficu tanta, ut eodem satae loco, foelicius ambae crescant. Ac brassica

adeo vitibus inimica est, ut si in vineis nascatur brassica, fiant infoecundae vites: et iniecta in dolia, saporem et odorem vini corrumpat. Rursus brassica arescit iniecto origano. Talia exempla de plantarum inter sese concordiis et discordiis passim multa occurrent. Magis autem mirandus est sensus in animantibus, quae quasi in mantica suas quasdam herbas et norunt, et praesidii causa quaerunt. Cygni ut facilius pariant, thoros in nidis ex vitice collecta efficiunt.

Ciconiarum ovis insidiantur vespertiliones: hos ut abigant, platani folia in nidos ferunt, quae vespertilionibus stuporem faciunt. Ne hoc quidem significatione caret: fideles ministri benignitate dominorum contra vespertiliones, fures et calumniatores tegendi sunt. Serpentes usum foeniculi, hirundines chelidonii monstrarunt, utramque videlicet herbam oculis mederi. Mustela munit se ruta contra alia venena. Ciconia curat vulnera origano. Dictamum herbam extrahendis sagittis cervi monstravere, qui pastu eius herbae tela quibus icti sunt eiiciunt. Corvus occiso chameleonte, abstergit virus, mandens lauri folia.

Ipsae etiam inter sese animantium amicitiae et inimicitiae, admiratione dignae sunt. Ut aquilae nativum dissidium est cum cygnis, nec lacessit tamen cygnus aquilam, sed saepe vincit lacessitus: ita saepe reges inimici sunt bonis senatoribus. Dionysius Dioni, et vincit Dion iniuria adfectus. Locusta, cancer, magna solertia forcipe prehendit colla serpentum, quibus cum dimicat. Leo inimicus est lupis, eosque dilaniat: ut in versu quoque dicitur:

Torva leaena lupum sequitur.

Ita decet iustum regem e medio tollere latrones: cumque tantum robur sit leonis, tamen galli cantu expavescit.

Multa sunt et in piscibus huiusmodi miracula. Acerrime pugnant inter se delphinus et murena, alter leonina magnitudine animi et robore regum similis, murena dolis, et gyris sophistae similis. Grandes balenae musculum exiguum piscem amant, qui tantae beluae erranti in pelago ductor est.

Plurima sunt in gemmis et metallis miracula. Haematites sanguinem sistit, smaragdos mederi comitialibus paroxysmis usu compertum est: et frangi, cum morbi magnitudine superantur, adeo etiam puritatem eos amare aiunt, ut in concubitu frangantur. Adamanti cum magnete tantum dissidium est, ut iuxta positus, non sinat eum attrahere ferrum: et cum nec ferro, nec igni frangi possit, hircino sanguine rumpitur. Uniones, corallia cordi amica. Sed quanquam magna laus est et mirandae vires peregrinarum gemmarum, tamen et miracula succini, quod in sinu Baltico legitur, cui Electri nomen attribuerunt, non pauciora sunt, quam aliarum gemmarum. Scimus quosdam apoplexia iam morituros, servatos, et quasi ex orci faucibus reductos esse, cum optimus Princeps, Dux Saxoniae, Ioannes, admoveri ad nares et accendi succinum iussisset, pellit foetum in difficultate partus, pellit calculum in viis urinae impactum.

Pauca recensuimus exempla *συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας* in hac inferiore natura, qua in narratione semper mens, architecti sapientiam intueatur, qui eo consilio et species certas condidit, et semper conservat, et suis quasque viribus instruxit, et usum monstravit, ut ipsa arte convincamur, ut statuamus, hanc molem nequaquam ex chao effusam esse, et temere confluxisse. Cumque sint in hac inferiore natura manifesta exempla concordiae et discordiae rerum, consideremus, sitne cognatio et sympathia inferiorum corporum cum stellis, qua in re etiam quaedam exempla manifesta sunt. Temporum anni vices, aestates et hyemes Solis accessu et discessu fieri. Lunam crescentem augere et ciere humores, decrescentem diminuere, nequaquam dubium est. Differunt et hominum corpora iuxta zonas et regiones: eius discriminis causam ad stellas referendam esse, etiam Hippocrates sensit. Manifesta quoque experientia est, magnis coniunctionibus sicciorum. Planetarum in signis calidis magnos aestus effici, et congressus humidorum in signis humidis efficere tempestates humidiores, ut insignia exempla vidimus anno millesimo, quingentesimo, vicesimo quarto, cum magna coniunctio fuisset in Piscibus: aestuum vero anno 1540. Denique ostendunt *συμπάθειαν* coeli cum inferiore natura, et multae aliae effectiones, quarum recitationem propter angustiam temporis omitto.

Quanquam autem plurimum conducit universam naturam aspicere, et videre ordinem et copulationem plurimarum partium, ut et de opifice agnoscendo, et de consociatione inter nos tuenda, nos ipsos commonefaciamus: tamen et

domestica exempla συμπαθείας, illustria habemus in corpore humano, in στοργῇ parentum erga sobolem, et erga cognatos. Quam mirandum foedus est omnium inter sese membrorum, capitis, cordis, ventris, epatis, et aliorum? a capite nervi, a corde arteriae et spiritus in caetera membra propagantur, a ventriculo et epate praeparatur nutrimentum, et omnia multis vinculis et officiis connexa sunt. Deinde sunt ἀντιπάθειαι mirificae τῶν δυναμέων. alia attrahit convenientia, alia expellit inutilia et adversantia. in his omnibus ordo, qui ostendit sapientiam opificis, testimonium est de Deo. Copulatio vero non solum hoc monet, ut omnibus officiis consociationem ipsi tueamur: sed etiam ut sciamus Deum autorem talium cogitationum et foederum, velle nobiscum etiam copulatum esse. Quod ut magis conspici posset, immensa bonitate divinae naturae copulata est humana in filio. Magnitudo huius tantae rei perspici ab humanis mentibus non potest.

Sed causam, cur haec miranda copulatio facta sit, hanc esse certum est, ut vere statuamus genus humanum Deo curae esse, cum nostram naturam, divina sibi hoc aeterno foedere adiunxerit. Diligit igitur cognatos vere, adficitur nostris aerumnis, nos gubernat et defendit. Hanc mirandam συμπάθειαν filii Dei cum genere humano etiam considerate, quoties naturarum consociationem intuemini, et divinorum operum causas in mentibus diligenter quaerite. Vult enim Deus hanc nos sapientiam in hac mortali vita exordiri, tametsi acies humanae mentis multo imbecillior est, quam ut fulgorem divinae lucis ferre possit, aspici vult tamen sua consilia, et inchoari hanc cognitionem, postea in omni aeternitate studia erunt clariora et dulciora. deinde consociationem in hac consuetudine hominum, et praesertim in Ecclesia, fideliter tueamini.

Te vero fili Dei εἰκὼν aeterni patris, qui humanam naturam induisti, propter veram συμπάθειαν tuam erga genus humanum, ardentibus votis oro, ut inter nos tibi perpetuum coetum colligas, et plurimorum mentes ad concordiam flectas, nec extingui sinas haec honesta literarum et omnium doctrinarum studia: sed nos gubernes et serves, ut in omni aeternitate, tua συμπαθείᾳ, et sapientiae et iustitiae communicatione fruamur. Dixi.

No. 119. an. 1550.

De doctrina physica.

In select. Declamat. T. IV. p. 253 sqq., Richard. T. II. p. 8. Servest. T. IV. p. 230. et in T. III. Erford. lit. X, 5., ubi adscribitur annus 1550.

Oratio de doctrina physica, recitata a Paulo Ebero. (d. 14. Aug. 1550.)

Multae sunt honestissimae causae, cur haec renunciatio testimonii publice fiat. Nec sunt hi congressus tantum prophana spectacula, sed simul communibus votis Deo Ecclesiam et studia doctrinae, necessaria Ecclesiae, commendare nos decet. Et usitatum est recitare hic commonefactionem, discentibus utilem. Primum igitur toto pectore gratias ago Deo omnipotenti, aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et hominum et aliarum creaturarum, et filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, quod hactenus clementer servavit hunc docentium et discentium coetum. Ac supplex oro, ut servet et regat nos deinceps, nec sinat in his regionibus extingui lucem Evangelii, et fieri barbaricam vastitatem: sed semper inter nos sibi Ecclesiam colligat, a qua vere invocetur et celebretur, et protegat hospitia Ecclesiae, et studia doctrinae ac disciplinae tueatur.

Deinde quia et de nostris artibus aliquid dicendum est, cum meum munus sit in hac Academia, Physices initia tradere, ad id studium iuniores adhortari decrevi.

Est autem argumentum reipsa amplissimum, cui si me parem existimem, videar hoc exiguo et imbecilli corpore velut Atlas coelum velle humeris sustinere. Ideo enim Deus tanta arte hoc mundi opificium condidit, quia voluit hoc pulcherrimum theatrum, testimonium esse suae sapientiae: vult igitur id studiose adspici, ut vestigia Dei et providentiae signa quaeramus. Hoc studium si quis adspernatur, aut indicat inutile esse, hunc non solum ut furentem, sed etiam cum voluntate Dei pugnantem, vitandum, et procul fugiendum esse scitote. Etsi igitur nec cogitatione humanae mentis comprehendi, nec ulla eloquentia exponi amplitudo huius argumenti potest, quanta sapientia sit, et quam utilis naturae consideratio, et doctorum hominum libri, quanquam multa monstrant, tamen evolvere totam naturam rerum nequaquam

possunt: tamen iunioribus prodest saepe recitare causas, cur natura consideranda sit, quantum fieri potest, et cur hi rivuli sapientiae divinae, qui utcunque in libris eruditorum collecti sunt, studiose cognoscendi sint. Nec deterret me Aristophanes, deridens hoc studium, et Socratem, impositum calatho ac sublatum in aërem, et ut ipse inquit, *ἀεροβατοῦντα καὶ περιφρονοῦντα τὸν ἥλιον*. Usitata est enim perversitas, et plausibilis, legibus et verae doctrinae, tanquam carceri et vinculis cupiditatum, conviciari. Iuvat enim multos sine ullo freno ludere opinionum varietate, et vagari cupiditatibus, quocunque caeci impetus ruunt: idque libertatem vocant.

Sed nos sciamus divinitus circundatas esse humanae menti certas metas, intra quas et opiniones et cupiditates cohercendae sunt. Vult Deus regi vitam legibus atque artibus, vult nos discernere veritatem et mendacium, et in veritate acquiescere, et agnoscere ipsum fontem sapientiae veracem, et veritatis, amantem esse: et ei gratias agere, quod radios suae sapientiae in nos spargit. Nec moveor histrionum quorundam clamoribus, qui simulatione religionis vituperant, naturae inquisitionem, et abduci mentes ab iis scriptis vociferantur, quae Deus sua voce tradidit.

Nos vero et vocem divinam reverenter audimus, et hac ipsa movemur, ut maiore studio mundi corpora aspiciamus. Paulus enim inquit, oculis nostris haec proposita esse, ut nos de architecti sapientia et de providentia commonefaciant.

Haec postquam praefatus sum, nunc recitabo causas praecipuas, propter quas doctrina physica expetenda et cognoscenda est. Utile est enim in omnibus studiis, saepe quasi portum aspicere, et cogitare, quam utilitatem suscepti labores allaturi sint.

Ac initio notae sunt hae utilitates, quae ad corpus pertinent. Tueri valetudinem, et morborum initiis occurrere, nemo sine aliqua cognitione physices potest. Ac verissimum est, mediocri diligentia, non rudes huius doctrinae, et pericula multa valetudinis vitare, et saevissimis morbis, si initiis arte occurrant, mederi posse. Hanc utilitatem adspernari, magna barbaries est.

Sed multi sine ordine, sine ratione ulla viventes, huius utilitatis mentione parum moventur: rident potius hanc valetudinis curam, quasi fortibus et mavortiis viris indignam. Sed rident hi prorsus sardonium risum. Plurimi enim graves poenas dant et intemperantiae, et inscitiae, cum vel accersunt sibi morbos, vel occurrere nascentibus non norunt, nec leges ullas patiuntur.

Sed hanc orationem de utilitatibus, quae ad corpus pertinent, quia res nota est, relinquam, ac ostendam, quantum referat in aliis necessariis doctrinis nosse haec initia physices, quae in scholis traduntur.

Scimus Ecclesiae doctrinam toti generi humano necessariam esse. In hac autem multae sunt gravissimae causae, quas nec doctores explicare, nec populus intelligere potest, sine adminiculis physices. Ergo, inquiunt, misces Philosophiam voci coelesti, et dilutam ac confusaneam doctrinam proponis?

Scio hoc nobis obiici ab indoctis, qui suis quibusdam barbaricis opinionibus fascinati sunt. Sed hoc volumus, suum cuique generi doctrinae locum esse. Immensa bonitate Deus loquitur sermone nostro, ut intelligatur. Nec confundit genera doctrinarum, qui dicit, sermonis proprietatem sumendam esse a Grammatico. Nominat ficum, amygdalas, sycomoream. Nec confundit genera doctrinarum, qui interrogat hortulanum de harum arborum naturis.

Curae sit omnibus, ut fontes coelestis doctrinae maneant incorrupti, et nativa sententia vocis divinae retineatur. Caeterae vero artes, ut ancillae sequantur: ac ubi opus est, serviant legentibus in vera enarratione sermonis.

Sed multi odio literarum, multi ut licentiam habeant infinitam fingendi opiniones suo arbitrio, excutere artium vincula conantur, quae ad custodiendam proprietatem conducere, manifestum est. Multi tetri errores, et quaedam abominanda idola in Ecclesiam invecta sunt, quibus et Deus contumelia adficitur, et poenae ac vastationes in genere humano accersitae sunt, quia sermonis proprietas, et artium metae neglectae sunt, et permissa licentia indoctis, aut fanaticis, fingendi opiniones et numina suo arbitrio. Cohorresco, exempla omnium temporum non pauca cogitans, quae, quia insuavia sunt auditu, recitare nolo. Sed vos auditores propter gloriam Dei, et propter Ecclesiae utilitatem obtestor, ut doctrinam, quae lucem adfert sermoni coelesti, ametis. Conspi-

citur autem utilitas in multis exemplis, quorum cogitatione vos ad amorem huius studii accendite.

Saepe de partibus hominis dicendum est, cum exponimus in labe originis, quae partes quomodo languefactae sint. Hic necesse est discerni potentiam cognoscentem, volentem, cor, fontem adfectuum, et alias sedes aliarum appetitionum. Sine hac partitione in eo loco magnae tenebrae erunt. Atqui necesse est scire, quae bona in quibus viribus amissa sint, et quae decus reliqua esse voluerit. Noticiae legis reliquae sunt, etiamsi adsensio valde languefacta est. Sed voluntas est aversa a Deo, et in corde sunt incendia malorum et dissimilium adfectuum. Inter haec mala Deus noticias tamen non prorsus extingui voluit, quia vult eas testes esse, quod sit Deus: et monstratrices, qualis sit: videlicet, quod sit sapiens, verax, beneficus, iustus, castus, iudex et vindex scelerum, vult nos commonefactos his noticiis agnoscere peccata, vult etiam hac norma regi disciplinam.

Hic rursus opus est alia partitione. Necesse est enim sciri, quae vires quomodo regi possint. Et moribus utilis est haec partitio. Cumque in Genesi dictum sit: Sub te sit adpetitus, et tu domineris eius; qualis erit enarratio, si interpres nesciat gradus potentiarum, et non dicat, quae membra, quomodo regantur?

Etsi ardent odio et furore cor et voluntas in Cain, et hanc flammam diabolus suo adflatu magis exuscitat: tamen intelligebat mens, ita consociatam esse hominum naturam, ut conservationem mutuam adiuvemus, et non dissipemus, et obedientiam Deo praestandam esse in tali conservatione, eamque obedientiam rem bonam ac virtutem esse, et nominari iustitiam, ac velle Deum in nobis lucere iusticiae intellectum, ut sciamus et ipsum iustum esse, hoc est, benefacientem obedientibus, et punientem contumaces. Norat igitur Cain, Deum sceleris vindicem fore. Et haec libertas seu facultas reliqua erat, ut voluntas cohercere manus posset. Ruit igitur suo scelere, non coactus, non Deo impellente, non stoico fato Cain, sed ipse sibi volens et libere causa est huius motus, quo adversus fratrem impiae manus armantur et exeruntur.

Hic perspicua enarratio non erit, nisi potentiarum discrimina nota sint. Adeoque necessaria est haec ipsa doctrina, ut non hac recenti Platonis et Aristotelis philosophia genita sit, sed multo ante, omnibus temporibus in sapientum admonitionibus comprehensa sit, ut poëmata ostendunt.

Achillem stringentem gladium retrahit Pallas, id est, ratio: qua commonefactus, gladium rursus in vaginam condit. Bellerophonti datur Pegasus, quem prius domare et conscendere non potuit, quam Pallas ei frenum aureum iniecit, id est, et ratio et divina quaedam vis gubernavit ardentes impetus, *καὶ τὸ θυμικὸν* in Bellerophonte. Possem et alias similes picturas huius doctrinae ex antiquitate recitare. Sed ipsa concio in Genesi: Sub te sit appetitus, perspicue testatur, doctrinam veterem esse de partitione virium humanarum. Nec dubium est, ipsum primum parentem, saepe in cespite sub aliqua frondosa et patula arbore sedentem apud filios et filias, monstrasse eis totius sui domicilii aedificium, quo ordine coelum, aër, aqua, terra, collocata sint, cur addita lumina, Sol, Luna, et stellae: quomodo Lunae cursus, menses, Solis periodus annum metiatur. Haec docuit non ita casu confluxisse, sed omnia ab uno artifice aeterno condita esse, qui ut agnosceretur, et ut haberet creaturas, quibus suam bonitatem, sapientiam et iusticiam communicaret, etiam spiritus coelestes et homines condidit. Nec raro in media narratione magnum flumen lachrymarum profudit, de tritsissimo lapsu et de poenis loquens. Hic diligenter de dissidio virium in homine, et de causis, postea etiam de remedio, ac de promisso semine, Ecclesiam suam erudiit. Cum igitur illa sapiens antiquitas hanc doctrinam studiose coluerit, nos quoque et amandam et conservandam esse sciamus.

Utendum est in enarratione doctrinae coelestis et aliis multis partibus physices, ut doctrina universa de causis.

Hic longum volumen instituti posset exemplorum, in quibus adparet huius doctrinae utilitas. Necesse est intelligi, Deum esse liberrimum agens. Discrimina igitur nosse oportet, quae causae agant consulto et libere, quae ferantur quasi vinctae, sine consilio et sine libertate. Postea quarum causarum sit necessaria copulatio, ut maris et foeminae in generatione: quarum non sit necessaria copulatio, ut inclinationum in temperamento Socratis, et rationis, in gubernandis moribus.

Nec mihi si linguae centum sint, oraque centum, huius unius partis utilitates exponere omnes

possem. Tantum breviter commonefacio iuniores, ut sciant, his initiis doctrinae physicae in multarum rerum expositione in Ecclesia opus esse.

Hactenus de rebus minime obscuris dixi, in quibus adiuvari discentes hac puerili doctrina, quae in physicis libellis traditur, manifestum est.

Etsi autem scio sapientiam de essentia et voluntate Dei longe positam esse supra et extra conspectum omnium angelorum, atque omnium hominum, nec comprehendi illam immensitatem physicis libellis: et ipsas patefactiones Dei audiendas esse, nec alias opiniones de Deo adsumendas: tamen postquam vera reverentia vocem Dei audimus et amplectimur, et Deus nostro sermone utens, significat aliquid de illis arcanis mysteriis, et vult discerni Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, adiuvamur certe in expositione nominum ab hac doctrina.

Manifestum est in anima duas esse summas potentias, cognoscentem et volentem. Cognoscens format imagines, ita cum filius aeterni patris nominetur, et λόγος, et imago patris, cogitatione eum gigni intelligitur. Et spiritus agitator est, et quasi flamma, qua aeternus pater filium, et filius patrem amplectitur, imo quo aeternus pater et filius nostra sibi pectora copulant. Ut autem cogitatio est potentiae cognoscentis, ita agitatio voluntatis est. Itaque spiritus aeterni patris et filii, fovens naturam, et nostra pectora accendens, a voluntate est. Sic ex discrimine potentiarum declaratio sumitur de filio et de Spiritu sancto: quae etiamsi est obscura, et vix tenuis umbra, tamen sermo divinus haec significat. Metae autem divinitus traditae, retinendae sunt. Et retinentur firmius, cum recte percepta est doctrina. Necesse est tamen discrimen Patris, Filii, et Spiritus sancti in invocatione cogitari. Discernenda est enim nostra invocatio ab ethnica. Deinde hoc quoque consideremus. Cum multa sint testimonia de Deo in universa natura, quae convincunt humanas mentes, ut fateri cogantur esse Deum: tamen hae potentiae, cognoscens et libere eligens, et noticiae, quae sunt immotum et aeternum septum, quo honesta et turpia divelluntur, maxime ostendunt, homines non extitisse casu, nec a bruta materia oriri. Non enim potest fortuitum esse hoc discrimen honestorum et turpium: quod quidem confirmat in singulis conscientiae severitas, quae testis est certitudinis. Nam rea conscientia, etiamsi non magistratuum iram, non supplicia publica, non famam metuat, tamen sontes tandem horrendo cruciatu interficit.

Itaque certissimum est, et esse Deum sapientem conditorem, et iustum ac vindicem esse. Haec physica ratiocinatio utilis est bonae menti, quae simul quaerit testimonia patefactionis in Ecclesia. Nam cum certissimum sit, esse Deum, et hoc ipsum conscientiae iudicium ostendat, nos ad eius agnitionem conditos esse, extat in genere humano vera de eo doctrina illustribus testimoniis tradita. Talis est prima illa per Patres, Prophetas, Filium, Apostolos tradita, et resuscitationem mortuorum confirmata.

Iam haec consideratio, in qua similitudo mentis divinae et humanae conspicitur, testimonium est, vere hanc naturam ab ipso diligi, sic ab eo ornatam, ut rerum optimarum in ipso, mentis, libertatis, sapientiae, et iusticiae radios in nos transfuderit. Atque hic amor postea miranda στοργῇ declaratus est, cum filius pro nobis victima factus est, cumque rursus in nos transfusus est Spiritus sanctus, ut societas naturae divinae in nobis, et vita, sapientia et iusticia restitueretur. Quid maius dare potuit Deus, quam initio similitudinem earum rerum, quae sunt in ipso optimae? Deinde filium, ac rursus societatem suae naturae, effuso in nos Spiritu suo sancto?

Haec tanta dona reverenter cogitanda sunt, ut gratitudo vicissim in nobis accendatur. Etsi autem haec sapientia praecipue discitur ex libris divinis, tamen ad cognoscendam naturam hominis, physica doctrina multum conducit. Iuniores bonitatem et dignitatem artium nondum perinde cernunt ut senes, qui iam propius eas adspiciunt, et fontem esse sciunt sapientiam Dei, ac deplorant nostram inscitiam ac ingratitudinem. Ut igitur senum officium est, instillare teneris animis rectas opiniones de artibus et earum amorem propter gloriam Dei: ita vestrum est, iuniores, has nostras admonitiones infigere animis, et saepe cogitare, vosque ad discendum exuscitare, et toto pectore ab his qui artes vituperant, aut recte constitutas, praestigiis sophismatum labefactare conantur, abhorrere. Haec vestra diligentia Deo grata, et Ecclesiae ac vitae communi utilis erit. Quaeramus modeste et reverenter veritatem, et sciamus artes, cum recte traduntur, quod certe fideliter facere studemus, rivulos esse divinae sapientiae, et commonefactiones de Deo: et agnita veritate, in ea acquiescamus, non ambitione aut

petulantia ludamus, fingendis variis aut monstrosis opinionibus, sed Deo pro sua luce, rectrice vitae, gratias agamus, et usum vitae ad ornandam Dei gloriam, et ad illustrandam Ecclesiae doctrinam, haec coelestia dona transferamus. Dixi. Laus Deo.

No. 120. a. 1550.

De doctrina anatom.

In select. Declamat. T. IV. p. 266 sqq. Servest. T. IV. p. 242. Richard. T. II. p. 142 et in Tomo III. Erford. lit. v, 5. — In select. Decl. in scripta est: „Oratio recitata a D. Iacob. Milichio de studio doctrinae anatomicae." Accuratius in Erford. sic:

Oratio recitata a D. Iacobo Milichio, Doct. artis medicae, in renunciatione gradus D. Pauli Vadiani, Doctoris art. med., de studio doctrinae anatomicae. Witebergae anno M. D. L. die 6. Nov.

Ideo generis humani consociatio, admiranda Dei sapientia instituta est, ut alii alios de Deo et de rerum natura doceant, et vult Deus publice inter homines sonare doctrinae vocem, laudari res bonas et vituperari malas: vult rectis iudiciis consentientibus regi genus humanum, non vult singulos dispersos ac palantes comminisci proprias opiniones, quarum varietas obruit veritatem, Deum contumelia afficit, et distractionem generis humani facit infinitam. Coetus igitur discentium et docentium instituti sunt, et publici congressus, non solum ad formanda iudicia, sed etiam ad frenandam et cohercendam ingeniorum petulantiam et vanitatem. Ut igitur iuniores videant et audiant, quae doctrinarum genera, quae artes et qui artifices iudicio seniorum probentur, mos est has testimonii nostri renunciationes publice facere. Simul etiam in his congressibus habentur orationes, non inani ostentatione, sed ut iuniores commonefiant, quarum artium cognitio expetenda sit, quae opiniones fugiendae sint, ut et Deus recte celebretur, et haec hominum natura copulata legibus et veris artibus conservetur. Non igitur convenire se inventus ad inutilia spectacula et ad ludos existimet, sed ad honestam et salutarem commonefactionem. Et quidem in templo ad aram convenimus, quia gratissimum Deo sacrificium est oratio de rebus bonis. Et simul hic vota coniungenda sunt, ut Deus conditor generis humani, et fons sapientiae servet ac regat nos, ut libenter inter nos et ipse versetur, imo ut filius Dei petit, ut unum in ipso simus.

Cum autem saepe hic de consideratione naturae dictum sit, et amplitudo argumenti superet omnium angelorum et hominum eloquentiam, tunc enim natura rectius cognoscetur, cum in illa coelesti schola. Ideam universi operis ostendet architectus, alias de alia parte dicemus. Ac nunc alloquar adolescentes, eosque ad discenda initia doctrinae anatomicae adhortabor. Cuius studia quicumque iuvant, aut excitant, profecto de humano genere praeclare merentur. Haec enim sapientia et moribus utilis est, et ad tuendam valetudinem, et ad depellendos morbos necessaria. Quare et illa vetusta et sapiens antiquitas huius doctrinae studiosissima fuit. Multae sunt, ut scitis, doctrinae physicae partes. Exordia quaedam usitate in scholis traduntur de elementis, de certo numero primarum qualitatum, quibus miranda sapientia Deus vagabundae materiae quasi metas circumdedit, de loco, de motu, de tempore, de corporibus mixtis, de differentiis causarum. Haec qualiacumque exordia cognosci necesse est. Sed tradenda sunt ordine, et non miscendae praestigiae inanium disputationum, quales fuerunt illae veteres de Democriti atomis, et multae recentes, an totum distinguatur a partibus simul sumptis, et aliae. Accidit enim et in hoc genere doctrinae, ingeniorum vanitate, ut relictis materiis necessariis, quia videbantur esse notae, procul quaesitae sint argutiae, admirationem pariturae propter novitatem, cum revera longe maior sit sapientia, mediocris consideratio rerum, quas Deus in natura condidit, in quibus conspici suam sapientiam voluit, quam illae verborum cavillationes, quarum nulla est in vita utilitas.

Mox autem ex illis exordiis physicis ducatur inventus ad aspectionem humani corporis, ut nos ipsos, qui certe praecipuum opus in hac visibili natura sumus, agnoscere incipiamus. Et quamvis dulcedo cognitionis per sese invitat bona ingenia, tamen et utilitatis magnitudine moveamur, quae quidem in conspectu est. Ratio tuendae valetudinis non potest quotidie ex medicorum praescriptis peti, sed aliqua ex parte singulis propter quotidiana pericula nota esse debet, ad quam cognoscendam profecto necesse est multorum mem-

brorum positus, substantias, qualitates et officia scire, ac observare, quae quibus foveantur aut laedantur. Haec quantulacumque cognitio prodest ad vitandos multos morbos, saepe etiam philosophica diligentia depelli possunt recens nati morbi antequam confirmatur, quibus postea medici frustra adhiberent remedia. Id fieri non potest, nisi corporis humani aedificium aliquo modo notum sit. Saepe in subitis periculis orificio ventriculi accidunt accidentia, quae in tempore animadversa facile arceri possunt, neglecta vero necem adferunt.

Est autem manifestus furor, non moveri cura tuendae vitae et valetudinis, quam et praecipit Deus et adiuvat. Vult enim et esse genus humanum et in hac mortali vita praeparari homines ad aeternam coelestis Ecclesiae consuetudinem. Nec subito vult extingui omnes, sed superstites esse aliquos propter iuniorum educationem, institutionem, defensionem et gubernationem. Haec Dei voluntas saepe consideranda erat, et ut vitae onera et hos communes labores minus moleste feremus, et ut haec fragilia corpora maiore diligentia propter voluntatem Dei et aliorum necessitatem foveremus.

Cum autem nota sit haec prima utilitas considerationis humani corporis, accedo ad alias. Nutrix est multarum virtutum haec ipsa aspectio aedificii multarum in nobis partium. Et quia prima virtus est, agnitio Dei opificis, valde confirmatur adsensio de providentia, cum admirandam artem in tota fabricatione hominis consideramus, de qua non temere dictum est, hominem esse parvum mundum, quia mens imago Dei est, fastigium hominis cerebrum, nervi et spiritus, qui gubernant omnes actiones, coelestem naturam referunt: culina gignens alimentum, terrae et aquae similior est. Cor autem quod fons est vitae et vivifici caloris Soli rectissime conferri existimo. Iam singulae partes ita apte distributae sunt locis, et distinctae materia, figuris, qualitatibus, ut ordine ac arte convincamur, hanc rerum naturam nequaquam casu extitisse, sed esse mentem conditricem, quae de sese testimonium extare in hominum natura, idque a nobis agnosci et intelligi velit. Verum est hanc totam pulcherrimam mundi machinam, templum Dei esse, et impressa vestigia architecti multis partibus, sed eo magis homo templum Dei est, quia caetera corpora cum sint sine mente, non agnoscunt artem et opificem. Humana mens agnoscit artem et opificem, et videt in seipsa expressissimum de Deo testimonium noticias numerorum et ordinis, discrimen honestarum et turpium actionum, quae in mente humana quasi aeterno septo distinctae sunt. Res tales ita casu ex atomis conflatas esse impossibile est. Itaque saepe quasi intuens hominem, et in nobis ipsis haec vestigia Dei lustrans, cohorresco toto corpore, ac doleo tantam Dei neglectionem nobis obrepere, cum tam perspicua et non fallentia testimonia de sese nobis impresserit, sed assensio de providentia firmior esset, et reverentia erga Deum maior, si saepe et attente hoc aedificium aspiceremus. Iam quanto hoc admirabilius est, quod res diversissimas in homine, quasi in parvum mundum inclusit architectus, culinam et mentem.

Cum homo conditus sit ad imaginem et celebrationem Dei, et ut fruatur eius sapientia et bonitate in omni aeternitate, quid opus est culina, quae erit ociosa in illa aeternae Ecclesiae consuetudine. Sed haud dubie facta est harum dissimillimarum rerum copulatio, culinae et mentis, hanc ipsam ob causam, quia Deus in hac vita illius aeternae lucis, et vitae initia vult accendi. Vult nunc quoque nos esse sua templa, quare studia sint ardentiora, quae viam ad eius agnitionem ostendunt, et sit cura maior regendi mores, ita ut haec ipsa Dei vox sonans in nostris mentibus praecipit. Nec tantum convincit nos hic ordo, ut esse Deum fateri cogamur, sed etiam qualis sit, monet, et imaginem gubernationis divinae in nobis circumferimus. Tota antiquitas hoc modo distribuit hominis vires, dixit in nobis esse *τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ θυμικὸν, καὶ τὸ θρεπτικόν.* *ἡγεμονικὸν* continet noticias rectrices vitae.

Hae cum discernant honesta et turpia, ostendunt qualis sit Deus, videlicet sapiens, verax, bonus, beneficus, iustus, castus, liberrime agens, vindex scelerum, talem intelligimus esse illam optimam mentem architectaricem, quae quidem et nos vult cum archetypo congruere.

Et ut discrimen hoc honestarum et turpium actionum firmius esset, addidit *θυμικὸν* in corde aeterno et immutabili ordine, dolores exitiales in corde violationem discriminis illius comitantur, ut naturae extinctio iudicium architecti ostendat. Vides enim in homine pictam esse formam iusticiae, praelucet in *ἡγεμονικῷ* recta noticia, et comes est vindex iustissimus, et implacabilis dolor

in *θυμικῷ*, horrendis poenis delens naturam propter scelera, et quanquam nunc in hac pravitate naturae, alii etiam vitiosi impetus in corde accenduntur, tamen etiam cum id fit, semper extremus et valentissimus comes est hic vindex, qui est divini iudicii custos et executor. Haec Dei vestigia in nobis adeo expressa et conspicua sunt, ut plusquam cyclopicus furor sit, nolle ea agnoscere, et qui sese aspiciunt, fateri coguntur haec quae dicimus verissima esse.

Est autem in Deo et hoc decus, quod est agens liberum, eius boni imaginem in nobis etiam conspici voluit, quod et ad gubernationem morum utile est, obtemperant *τῷ ἡγεμονικῷ* nervi, et motus voluntarii instrumenta, ita ut ciere membra externa suo arbitrio possit. Retrahit Achillem *τὸ ἡγεμονικὸν*, et manus cohibet, ne interficiant Agamemnonem, sed gladium rursus in vaginam condant. Haec libertas in nobis reliqua est, et ut sit frenatrix errantium cupiditatum, et commonefaciant nos, Deum vere esse agens liberum, non enim a serva natura, quale numen fingunt Stoici, liberum agens condi potuisset.

Praeterea sunt et aliae in nobis imagines Dei impressae nobis, ut sint et commonefactrices de ipso, et sint virtutum semina et stimuli, videlicet *στοργαὶ*, amor sobolis in parentibus, et benevolentia in sobole erga parentes, misericordia erga calamitosos, defensio supplicum, amicitiae aequalium et honestis officiis coniunctorum. Etsi autem Stoicis ridiculum videtur Deo tribuere affectus, tamen quoties in calamitate sobolis parentes sui amoris et doloris vulnera sentiunt, cogitent similem amorem esse in Deo erga filium et erga nos, nam de filio expresse dicit: Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Vera non frigida, non simulata dilectio est in Deo erga recte invocantes ipsum, et vera, et ingens ira, quae est iusticiae vindex et custos. Sunt in aliquibus, et heroicae quaedam flammae, vel sapientiae, ut in vaticinantibus et excellentibus artificibus, quorum iudicia similia sunt vaticiniis, vel fortitudinis, ut in Alexandro. Hi motus etiam ostendunt familiaritatem Dei cum hominibus. Tam multa testimonia de Deo, cum in nobis cernimus, confirmari assensionem de providentia nihil dubium est. Haec autem assensio fons est multarum aliarum virtutum. Ut autem haec testimonia utcumque cerni et intelligi possint, aedificium hominis aspici oportet.

Cum autem agnoscimus hanc mirandam similitudinem noticiarum in mentibus humanis et in divina, cogitemus nos vere Deo curae esse, cum res in ipso optimas, scilicet sapientiae suae radios, in nos transfuderit. Sunt et hae divinitatis umbrae in nobis, quod nostrae mentes cogitatione formant imagines, et quod spiritus nati in corde adfectuum flammas spargunt. Hae propositae sunt, ut cum audimus filium Dei nominari patris aeterni imaginem, *καὶ λόγον*, gigni eum cogitatione discamus, spiritum vero flammam esse divini amoris. In harum maximarum rerum consideratione nos adiuvari adspectione naturae hominis fatendum est: ideo enim vestigia divinitatis multa nobis impressa sunt, ut agnoscamus architectum, et tota nostra vita ad normam divinae mentis congruat, cuius in nos similitudo transfusa est. Additum autem est *θρεπτικὸν* superioribus viribus, quo opere testatur architectus se etiam vitae corporum consulere, se velle nutrire et fovere humanum genus. Ita providentia divina et amor erga nos in omnibus aedificii partibus conspicitur.

Confirmata autem assensione de providentia, postea sequuntur caeterae virtutes, quarum normae lucent in mentibus. Tueri hoc Dei templum studeamus, non cedibus, non intemperantia violemus, non polluamus libidinum confusionibus. Videmus singulas partes ad ordinem, et modum certum factas esse. Has ita regere, ut earum natura postulat, insticiam esse intelligamus. Hic si de singulis partibus dicendum esset, quae diversarum virtutum officiis serviunt, nimis longa futura esset oratio. Sed tamen vos adhortor, ut iam mentes vestrae ipsum hominem intueantur, et in partium substantiis dissimilitudinem contemplamini. Stat cerebri fastigium, et suas habet cavitates spirituum plenas, perinde ut hoc coelum ambiens molem reliquam universam.

Natura etiam cerebri similis est coelesti. Et fiunt in eo actiones mirandae, cognitio, ratiocinatio, conservatio imaginum in memoria, recordatio. Quas actiones fieri spirituum ope non dubium est, et esse quasi pulsationes spirituum ad cerebri corpus. Nascitur autem spiritus in corde, et postea novas vires, novam lucem accipit in cerebro. Haec etsi nondum introspicimus, tamen existat in nobis tantorum operum admiratio, et simul opificii et conditoris reverentia excitetur. Non coeli puritas, non stellarum fulgor,

non solis claritas vincit hanc flammam, quae nominatur spiritus tum vitalis, tum animalis, hanc rem nobilissimam et sedem Dei in nobis, et praestantissimarum actionum effectricem agnoscamus, et quantum possumus, nostra diligentia foveamus.

Turbatur autem multipliciter, mala victus ratione, intemperantia, incendiis libidinum, immoderatis aestibus adfectuum, irae, odii, amoris, dolorum, adflatu malorum daemonum. Ardet Marius cupiditate vindictae, et odio Syllae ac caeterorum Principum. Hoc aestu turbidorum adfectuum, incensi spiritus impellunt eum, ut nec in cogitando, nec in agendo servet ordinem, ruit furenter et saeviciam explet. Et hanc ipsam spirituum confusionem et rabiem diaboli magis etiam ut venti agitant. Ita furores orti et aucti totas gentes perdunt. Haec pericula intelligenda sunt, ut in victu, et in omnibus motibus adhibeamus curam, meditationem, contationem, et moderationem maiorem. Imo etiam invocatio Dei accedat, ut hanc suam sedem in nobis gubernet ipse.

Multum etiam prodest ad valetudinis curam et ad mores regendos, agnitio fragilitatis in hoc aedificio humani corporis. Oculorum subtilitas in conspectu est, ita in toto corpore sparsi nervi, venae, fibrae tenuissima et mollissima corpora sunt, quae tamen sunt instrumenta et canales praecipuarum actionum, et laedi facile possunt. Quam facile etiam harmonia qualitatum in membris turbari potest. Calor ventriculi hebetatur levi occasione, deinde sequitur epatis languefactio, obstructio, putrefactio. Ac multi quidem horum membrorum vim extinguunt intemperantia et incontinentia. In multis corda necantur ira, odiis et moesticia. Nec arx cerebri manere incolumis potest, cum ventris, epatis, aut cordis vires extinguuntur. Etsi autem fragilitas nostrorum corporum, etiam sine doctrina ex tristissimis exemplis cognosci potest, tamen aliqui doctrina praemoniti, minus temerarii sunt. Ostendit etiam doctrina partium inter sese copulationem.

Cum igitur ingens sit utilitas nosse humani corporis aedificium, doctrina anatomica nequaquam negligenda est. Est omnino digna res homine, aspicere rerum naturam, nec aspernari considerationem huius mirandi opificii mundi, quod ideo tanta arte conditum est, ut tanquam theatrum aspiciatur, nosque de Deo, et de eius voluntate commonefaciat. Sed tamen maxime in nobis ipsis et decet, et prodest partium seriem, figuras, coagmentationem, vires et officia videre. Oraculum esse dixerunt, *γνῶθι σεαυτὸν*, quod etsi multa monet, tamen etiam huc accommodetur, ut illa, quae in nobis ipsis admiratione digna sunt, et quae sunt fontes plurimarum actionum in vita, studiose aspiciamus. Cumque homines ad sapientiam et iusticiam conditi sint, ac vera sapientia sit, agnitio Dei, et naturae consideratio, fatendum est et doctrinam anatomicam cognoscendam esse, in qua causae multarum actionum et mutationum in nobis conspiciuntur.

Hanc nostram adhortationem honestam esse nemo negare potest. Non vociferamur, ut inutiles disputationes, aut argutias discatis, quae corrumpunt iudicia, et postea vitae et moribus nocent. Sed deducimus vos ad eam doctrinam, quae et confirmat assensionem de providentia, et curam exuscitat, ne turbemus ordinem naturae convenientem. Et quia dignitatem et fragilitatem hominis ostendit, monet, ut maiore reverentia, et nostrae et alienae vitae parcamus, ac amemus et foveamus hoc imbecille genus. Imo, quia videmus ita nos conditos esse, ut in hac vita praeparemus nos ad aeternam Dei consuetudinem, accendatur etiam studium cognoscendae verae doctrinae de Deo. Nec dubium est eos, qui discunt anatomicae doctrinae initia, statim intellecturos esse, hac ipsa quantulacumque consideratione iuvari se in tuenda valetudine, et commonefieri de multis virtutibus, et doceri de partibus hominis, quarum cognitio et in aliis artibus et in tota vita necessaria est.

Oro autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui sine ulla dubitatione et conditor et conservator est generis humani, et quidem nos ad hanc ipsam sapientiam condidit, ut hoc theatrum mundi aspiciamus, et commonefacti vestigiis, quae naturae impressit, eum agnoscamus, ut ipse tristissimas poenas, quae vagantur per genus humanum, leniat, et servet in his regionibus Ecclesiam, in qua vere celebretur, et non sinat deleri doctrinae studia et honestam disciplinam. Haec vota mecum facite vero gemitu, quae ut aeternus pater propter filium Iesum Christum, summum Sacerdotem nostrum exaudiat, toto eum pectore oro. Dixi.

No. 121. an. 1550.

De partibus et motibus cordis.

In select. Declam. T. IV. p. 293 sqq., Servest. T. IV. p. 265. et Richard. T. II. p. 191. — Mylius in chronolog. Scriptorum Mel. retulit hanc orat. ad annum 1550.

Oratio de partibus et motibus cordis; recitata a D. Iacobo Milichio.

Initio tibi, omnipotenti, vivo et vero Deo, aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et hominum et aliarum creaturarum, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, λόγῳ et icone tua, et Spiritu sancto, sapienti, bono, veraci, iusto, casto, iudici, conservatori Ecclesiae tuae, gratias ago toto pectore, quod hactenus clementer nos protexisti. Teque oro propter filium tuum, et tuae gloriae causa, ne sinas in his regionibus extingui honesta doctrinae studia.

Ut autem ad utilitatem iuventutis aliquid dicamus, delegi hoc tempore descriptionem cordis, quam utcunque iunioribus exponam, ut consideratio eius de Dei consilio, et de affectuum moderatione aliquos commonefaciat. Scitis enim nos in his congressibus, alias de alia naturae parte dicere, cum in tanta amplitudine naturae, multas partes simul complecti non possimus. Ac nuper in genere de doctrina anatomica diximus, et ut ad eam discendam iuniores adhortaremur, causas non leves recitavimus, necessaria est enim haec cognitio omnibus, et ad tuendam valetudinem, et ad depellendos morbos. Mirifice vero confirmat in nostris mentibus adsensionem de providentia, nam hanc tantam artem in machina humani corporis, et ordinem singularum partium et actionum, noticias, numeros, leges, ratiocinationem, electionis facultatem, casu extitisse, et casu talem manere hominum naturam impossibile est.

Est igitur sine ulla dubitatione mens architectatrix, sapiens, bona, verax, iusta, benefica, casta, liberrima, cernens et iudicans omnia hominum facta. Nec aspernanda est haec utilitas, quod huius mirandi ordinis et artis consideratione ad agnitionem Dei deducimur. Ut autem accendantur animi iuniorum, saepe de eodem argumento dicendum est, et nunc de corde dicam, quod vitae fontem nominat Aristoteles, et multi proprie sedem et domicilium animae esse iudicant. Etsi autem nullum membrum penitus introspici potest, sed foris utcunque omnia aspicimus, et aliqua ex parte structuram, qualitates et vires ex effectionibus ipsorum diiudicamus, tamen non propterea haec doctrina abiicienda est. Vult nos Deus exordia huius sapientiae in hac vita discere, postea intuentes ipsam naturae ideam in mente divina, non solum perspiciemus rerum substantias, sed etiam consilia Dei cognoscemus, quid cor ita condere rectius fuerit. Ad hanc sapientiam vult nos in hoc, ut ita dicam, tyrocinio praeparari. Ac multo cordis obscurior natura est, quam aliorum membrorum. Quod in epate fit chyli coctio et massa sanguinea gignitur, minus mirum ducimus, est enim cognatio carnis et sanguinis. Et videmus flosculos convertere rorem in suam naturam, sed qui fit ut cor subita cogitatione impulsum, statim rapidissimis motibus cieatur? laeticia, dolore, spe, metu, ira, flammis amoris aut odii, quomodo cor, quod est caro spissa et dura, dissimilis naturae intelligenti seu luci, moveri potest cogitatione? et unde tanta motuum, videlicet affectuum, diversitas est in una et simili carnis massa? Quomodo gigni possunt viribus huius crudae carnis spiritus vitales, qui sunt flammae superantes luce et subtilitate solem? Etsi autem tantarum rerum causae ostendi non possunt, tamen progrediamur quo possumus. In ea corporis humani parte quae pectus nominatur, inclusa ossibus thoracis usque ad cartilaginem ξιφοειδῆ et regionem ventriculi, a qua dirimitur phrenibus, sunt ossa, panniculi, ut ea quae succingit costas, intersepiens sive mediastinus, diaphragma, item cordis involucrum, et cor ipsum cum aorta et venarum canalibus, item pulmo cum suis vasis, et aliquae gutturis et gulae partes: sed de omnibus iam dici non potest.

Ordiar igitur ab ea parte, quae nominatur involucrum cordis et περικάρδιος χιτὼν, quod cor undequaque munit ac tegit, est enim velut cordis domicilium, in quo et munitur cor et sustinetur. Est autem hoc involucrum membrana simplex, nullis intertexta fibris, sed firma et valida, figura nucis pineae, intus cavitatem habens, quae cordis domicilium est, orta ab ipsis venarum et arteriarum tunicis, quae per hanc membranam ductus habent, alligata mediastino et diaphragmati firmis nexibus. Hoc involucrum munimentum est cordis, in quo ita latet, ut intervallo certo distet undique cor ab ipso, ita ut nec ipsi adhaereat, nec alterum ex altero natum sit. In hac area existimant, seu

aquam, seu madorem rori similem esse, qua sit opus ad cordis irrigationem in tam assiduo motu, et tanto calore, qua aqua exhausta cor contabescit, idque fieri in moesticia scribitur. Ut Marchioni Casimiro mortuo cor exemptum aiunt simile fuisse pyro tosto. In hac arca pendet hic vitae dominus, cor, liberum a reliquo corpore, cui vitam largitur, nisi quod ei adiunctum est per venas, arteriam et nervos, quibus tanquam canalibus utitur, partim ut aliena beneficia accipiat, partim ut sua inde effundat. Substantia autem cordis est proprii cuiusdam generis caro, dissimilis carni in reliquo corpore, spissa et bene compacta, intextis fibris seu villis arctissime intricatis, non ut diserte distingui possint, ut in aliis corporis partibus. Figura cordis pyramidem utcunque imitatur, sed basi latiore ac gibba. Lusit Plato de figura, ideo similem esse pyramidi, quia cum sit igneae naturae, flammarum pyramides referat. Etsi autem de hac causa nihil affirmari potest, tamen architectus non temere hanc figuram elegit, quae inter solidas prima est, et ad hunc motum congruentior. Situs est, ut basis in qua generosissimi thalami sunt, exquisite medium pectoris teneat, mucro autem erigatur nonnihil ad sinistrum latus, et ne occurrat ossibus pectoris, et ut sinistro lateri plus caloris tribuat, cum dextrum adiuvetur calore epatis. Duo sunt autem cordis ventriculi seu thalami, seu sinus, inter hos interstitium est quod distinguit thalamos, hoc intersticium cum sit crassum et firmum et oculis conspiciatur, non recte dici tertium ventrem facile iudicari potest, ac ne quidem conspici meatus per hoc intersticium facti possunt, sed exudat sanguis in alterum ventriculum per angustissimos poros. Est autem dextri thalami haec utilitas, excipere ex cava vena sanguinem eo influentem, qui ibi praeparatur, et in duas partes distribuitur, altera pulmonem alit, altera subtilior exudat in sinistrum thalamum, ubi in spiritus vitales convertitur. Duae sunt autem venae infixae dextro ventriculo, cava scilicet quae est canalis sanguinis ab epate transmissi. Sparguntur autem et ab hoc ipso canali in summa basi exiles rami, coronae specie, qui sanguinem vehunt minus subtilem, quo proprie cor nutritur. Altera vena in dextro ventriculo ex ipso corde oriens, nominatur vena arterialis, quia tunicas habet crassiores et arteriis similes, qua in pulmonem vehitur sanguis subtilior, qui exhalaret, nisi vena munitior esset. Sinister vero thalamus longe praestantior est, et officina eius operis quod praecipuum est cordis, gignit enim spiritus vitales ex sanguine subtilissimo, qui ex dextro sinu eo exudat. Est autem spiritus vitalis lucidissima et vivifica flamma, similis naturae coelesti, quae calorem et vitam in totum corpus perfert, et praecipuarum actionum organum est. Nascuntur in hoc ipso ventriculo duo canales grandiusculi, arteria, aorta, quae omnium arteriarum in toto corpore stipes est, per quas tanquam per alveos praecipuum cordis beneficium in omnes corporis partes manat, videlicet illa vivifica flamma suo calore fovens omnia membra, actiones adiuvans. Aiunt autem ab Aristotele nominatam esse aortam, quod vaginam consuetudine Macedonica significat, quia cum hoc vas firmius et densius sit quam venae, simile videtur esse vaginae. Rami deinde ab hac arteria orti, venis adiuncti sunt toto fere corpore, mirabili foedere et mutuo communicantes sua munera. Arteriae per angustissima orificia in venas exhalant spiritum, ut sanguinem vivifico calore foveant et percoquant, rursus arteriae ex venis aliquantum sanguinis hauriunt, ut rigentur et augeantur spiritus. Alter canalis natus in sinistro cordis ventriculo est, arteria venosa, quae porrigitur in pulmonem, ut inde aërem adferat refrigerandi cordis causa, et vicissim ex corde evehat fumos calore adustos, nisi enim haec eventatio caloris in corde fieret, animal continuo suffocaretur, sicut videmus in strangulatis accidere.

Aliae sunt minutae particulae cordis, quarum fabricatio tamen causas habet. Auriculae duae additae sunt, altera dextra, ubi cava vena sanguinem in cor infundit, huic orificio addita est membrana, quae sinus et aufractus habet, in hos spargitur aliqua pars sanguinis, quam cor proxime haurit, ne vehementiore attractione cava vena rumpatur. Ut in tota machina humani corporis opifex cavit, ne subito magnae moles transfundantur, sed ubique moderationem et contationem amat, et paulatim facit tanquam instillationes, ita et sinistra auricula adiuncta est arteriae venosae, ut contantius fiat aëris transfusio. Sunt autem et hostiola canalibus omnibus adiuncta, aperiuntur et clauduntur tenuissimis pelliculis tanquam operculis vena cava et vena materialis in dextro ventriculo. Et aorta et arteria venosa in sinistro ventriculo, hae pelliculae dictae *τριγλώχινες*, quia similes sunt cuspidi habenti tres pinnas, non so-

lum hunc usum habent, ut prohibeant ne nimium influat aut effluat, sed etiam organa sunt attractionis, nam motu cordis tensae tendunt et ipsae canalium tunicas, ut sanguinem, spiritum, aut aërem quem continent, pellant.

Dixi brevissime de aedificio cordis, quod ita magis admirabimur, cum usus et motus considerabimus. Utilitas est prima et summa, quod reliquo corpori fons et initium est vitae et caloris vivifici, sive haec discernas sive idem esse dicas. Deinde spiritum, et hunc vivificum calorem in totum corpus spargit, ideo inquit Aristoteles: *καρδία ἐστὶν ἀρχὴ βίου πᾶσι μέρεσι, καὶ μεταδιδοῖ θερμασίαν βιωτικὴν πᾶσι, καὶ πνεῦμα τῷ ἐγκεφάλῳ καὶ ἥπατι.* Secunda utilitas, quod spiritus geniti in corde, cum postea cerebri vi temperantur, fiunt instrumenta proxima actionum in cerebro et in nervis, et cient cogitationem, sensum et motum, quid autem esset vita sine sensu, motu et cogitatione. Tertia utilitas maxime propria cordis, quod non solum sedes est affectuum, sed fons etiam et causa, ut sentimus vitam laeticiam quandam esse, moesticiam vero mortem et destructionis causam. Et quanquam sentit cor suaves et insuaves motiones per nervos, qui a sexto pari nervorum cerebri in cor deducti sunt, tamen sua quaedam est natura cordis, qua ciet adfectus, et laeticia fruitur, et contabescit dolore. Sunt autem haec in vita praecipua, sensus, cogitatio, motus, laetari rebus convenientibus, aut dolere adversis, horum ultima propria cordis esse fatemur. Itaque ad hunc usum principaliter conditum est cor, ut domicilium Dei sit, et divina laeticia refertum sit.

Hanc mirificam operis varietatem, et haec Dei consilia, foris et per densam caliginem aspicientes obstupescimus, ac dolemus nos non penitus introspicere naturam, et causas videre posse. Sed tunc demum cum ideam naturae in mente divina cernemus, penitus et hanc machinam, et causas omnium operum divinorum intelligemus. Nunc inchoata hac consideratione, Deum architectum agnoscamus, et illius perfectae desiderio accendamur. Consideratis autem utilitatibus et officiis cordis, discernendi sunt et motus. Duo autem sunt genera motuum, qui cordi secundum naturam competunt, seu qui sunt *ἐνέργειαι*, pulsus videlicet et affectus, nam tremor non est *ἐνέργεια*, et prorsus aliunde oritur. Necessaria est autem motio quae nominatur pulsus, propter multas causas. Nam et cordi refrigeratione opus est, attrahit igitur et exhalat aërem, deinde nec generari spiritus nisi calore et motu poterit, nec sine motu aliquo transmitti potest. Mira est autem copulatio aëris cum nostris corporibus. Ut enim nutrimur rebus natis ex quatuor elementis, quia ex his et nostra corpora conflata sunt, ita cum in aëre versemur, plurimum haurimus aëris, et hic temperat lucidissimam flammam, quae est spiritus vitalis. Est autem hic motus in corde laxatio et contractio ventriculorum, quae sic fit natura cordis, nec regitur a cerebro aut nervis, sed fibrae sunt propriae cordis, huius motus rectrices. Nec plura nunc de eo dicam, tantum admoneo iuniores, ut cogitent necessitatis seu vitae causa, ad hos usus institutum esse, quia hoc motu attrahitur aër, et adiuvatur generatio et transmissio spirituum.

Alter motus in corde nominatur adfectus, qui cognitionem sequitur, et accenditur noticiis. Id vero quomodo fiat, aut quae vis sit cerebri et spirituum ferientium corda, ut tam varii motus cieantur, dicere non possum, nisi quia sic natura condita est, ut cerebri et cordis talis sit consensus et *συμπάθεια*. Voluit Deus lucere suae sapientiae radios in cerebro nostro, cum his et corda congruere voluit, laetantia agnitione Dei, et ipse adesse in cordibus nostris tanquam in sede sua voluit, et perfundere nos sua luce et laeticia. Haec minus intelligimus, quia prima cerebri et cordis harmonia, quam Deus condidit, turbata est. Nunc igitur ita disputant, adfectus comitantes noticiam, ut iram, incendia amorum, laeticiam, spem, metus, hoc modo excitari, quia cor feritur spiritu a cerebro misso. Sed facilior est explicatio iis qui dicunt, cor domicilium esse proprium substantiae animae. Sed contenti simus hac qualicunque expositione, talem esse copulationem cerebri et cordis, ut corda vel appetant vel fugiant res oblatas cogitatione, et quia cor tenet regnum, et tamen cogitationem sequuntur adfectus, considerandum est qualis sit haec gubernatio. Hic videte duas species gubernationis in homine, quarum postea exempla in imperiis cernitis. Omnis gubernatio fit aut suadendo, aut cogendo, seu ut crassius dicam, qui obediunt, omnes aut coacti faciunt imperata, aut persuasione moti sponte obtemperant. Ut Magistratui in Repub alii obediunt volentes, legum seu reverentia, seu metu, alii ducti in carcerem obediunt, quia iam vincti nec possunt

quidem vagari ut vellent. Haec duo imperia nominantur, alterum δεσποτικὸν quod cogit homines, alterum πολιτικὸν quod regit suadendo. Utrunque cernimus in homine, noticia quae in cerebro est, et electio, habet δεσποτικὸν imperium in potentiam locomotivam, ciet nervos, et instrumenta motus localis suo consilio et arbitrio, et nervi, musculi τένοντες obtemperant sine contumacia. Achilles, etsi cor incensum est ira, tamen imperat manibus, et imperare potest, ut gladium recondant in vaginam, imperat pedibus, ut ab Agamemnone discedant. Hoc modo noticiae non gubernant corda, sed hae suadendo reguntur. Intelligit Socrates, temperantia conservari vires corporis, intemperantia laedi, volens igitur vitat ebrietatem. Ac si non turbata esset harmonia legum et cordis, semper sponte congruerent corda cum legibus. Nunc vero in hac imbecillitate humanae naturae et dissidio virium, tamen sciamus Deum singulari consilio et beneficio in homine conservasse hanc partem libertatis, ut despotico imperio regi externae actiones possint. Vult enim intelligi discrimen, liberae agentis potentiae et prorsus captivae, vult sciri se esse agens liberrimum, non inclusum stoico carceri, sed volentem servare invocantes, et contumaces punire. Vult disciplina frenari homines. Haec intelligi et indicari possunt, cum discernimus in homine imperium δεσποτικὸν et πολιτικόν. Videmus autem saepe cor, ut tyrannum repugnare legi, et impedire δεσποτικὸν imperium cerebri, et disciplinam turbare. Paris ardens amore rapit Helenam. Antonius stulta ambitione et aemulatione incitatus bellum Octavio infert. Hi furores fiunt etiam maiores, cum cordis tyrannis armatur a diabolis, qui corda Deum contemnentia occupat.

Et in talibus multa occurrunt mala, diabolus occupans corda utrunque facit, suo afflatu, pravos affectus accendit et auget, in mente etiam extinguit verum iudicium, et corda gignunt spiritus vitales venenatos, qui et ipsi cerebrum et alias partes inficiunt, ut fit in bestiis rabiosis. Haec ingentia mala consideranda sunt, et summa cura adhibenda est, ut sanitas cordis, quantum fieri potest, et restituatur et conservetur. Et quidem ut sit domicilium Dei, ad quem usum principaliter conditum est. Haec bona, ut intelligamus, adpetamus et assequamur, doctrina de his tantis rebus, de natura hominis, de nostra imbecillitate, de voluntate Dei, de beneficiis filii Dei, studiose cognoscenda est. Non casu, non temere confluxit haec hominum natura ex atomis, ut fingebat Democritus et Epicurus: sed ubique obvia sunt illustria testimonia, quae ostendunt, et esse Deum, et nos ei curae esse: et humana corda ad hoc ipsum condita esse, ut sint Dei domicilium: quae quidem tunc penitus cognoscemus, cum in illa aeterna Academia, in ipso Deo ideam naturae contemplabimur. Sed tamen in hac vita huius tantae sapientiae exordia vult percipi et cognosci, ac immensa bonitate effundit in corda invocantium ipsum, sui pectoris spiritum, ut nostrorum cordium spiritus sanet. Nequaquam vult suam sedem a diabolis occupari, quare et libenter nobis opem fert, propter suum filium: et severissime praecipit, ut petamus, ut ipse pectora nostra gubernet. Exuscitemus igitur nos ad haec vota, et veris gemitibus Deum oremus, ut ipse semper adsit in cordibus nostris, et in hoc suo domicilio corda, spiritus, mentes, cerebrum, et omnes vires nostras sua luce et suo spiritu gubernet, ut vera doceamus, et salutaria nobis et toti Ecclesiae agamus. Dixi.

No. 122. an. 1550.

De Ioanne Duce Sax. Elect.

In select. Decl. T. III. p. 110sqq., Richard. T. II. p. 735., Servest. T. III. p. 104. et in T. III. Erford. lit. ee, I. Etiam separatim edita a. 1550 4. 7 pl. Vid. Strobelii biblioth. Melanth. No. 355.

Oratio de Ioanne Duce Saxon. Elect.; recitata a Doct. iuris Laurentio Lindemann, cum gradus decerneretur Doctori Ioanni Schurstab Noribergensi, d. 9. Decbr. 1550.

Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori et custodi Ecclesiae suae, et iustitiae ac societatis humanae conservatori, gratias ago, quod hactenus clementer nos protexit, et non sinit apud nos extingui doctrinae studia, quae vitae hominum necessaria sunt: eumque toto pectore oro, ut nos deinceps quoque gubernet et tueatur, et propter suam gloriam in his regionibus semper filio suo Domino nostro Iesu Christo haereditatem colligat, celebraturam ipsum in omni aeternitate.

Honestissimum est autem in his congressibus dici aliquid quod prosit ad erudiendos auditores, vel ad virtutem excitandos. Ideo alias de legum nostrarum dignitate dixi. Nunc vero historiam

optimi Principis Ducis Saxoniae Ioannis Electoris recitabo, quae honesta exempla multa continet. Quam quidem spero bonis omnibus gratam fore, quia pulchritudine honesti, ac praesertim initiorum virtutum omnes valde delectamur. Moveor autem temporibus, ut de hoc Principe saepius cogitem: quia meum patrem, quem Principes propter fidem et artem medicam diligebant, memini multa recitare, ab ipso praedicta de patriae motibus, qui secuturi essent. Libenter autem cogitamus eiusmodi vaticinia, vel propter admirationem, quia illas heroicas naturas sua quaedam praesagia habere divinitus, agnoscimus: vel quia illae ipsae praemonitiones nos ad has difficultates ferendas aliquantulum instruunt.

Sed venio ad historiam, quam bona fide recitabo, ut ex meo patre et aliis quibusdam fide dignis audivi. Nec mihi concedit brevitas huius temporis, de antiquitate et praestantia familiae Ducum Saxoniae, qui ex Marchionibus Mysorum orti sunt, dicere. Et cum sit inter praecipuas Principum familias in Germania, et sapientiae et virtutis eorum testimonia multa extent, plurimis nota sunt vetera huius familiae decora.

Fratres duo fuerunt, Ernestus Elector, et Albertus, qui Maximiliano capto et deinceps res magnas in Belgico gessit. Ernesti filii duo fuerunt, Fridericus Elector et Iohannes, qui primum domestica disciplina honestissime instituti sunt. Fuit enim patris Ernesti integritas laudata multorum principum testimoniis, quae recitare possem. Sed propero.

Adolescentes fratres comitati sunt patrem proficiscentem ad electionem Maximiliani Francofordiam, quo et pater senex Fridericus Imperator adolescentem filium Maximilianum adduxit. Fuerunt in eo conventu electores omnes: ac ut de caeteris non dicam, duorum fuit summa autoritas, senis Alberti Marchionis, quem propter virtutem nominarunt Achillem Germanicum, et huius Ernesti Ducis Saxoniae. Viderat adolescens Dux Ioannes summam eo tempore concordiam Principum, viderat Electores, senem Imperatorem ut patrem diligere et venerari: viderat illum vicissim Principes vera benevolentia, tanquam fratres complecti. Haec non sine gemitu recitabat, ingrediens in horum temporum commemorationem, ac deplorans distractionem Principum huius aetatis.

Hoc autem praeterire non possum: Narrabat, eo tempore Francofordiae Iudaeum fuisse, qui dixisset tunc, ultimum imperatorem Germanicum eligi: ac ita late sparsam esse hanc fabulam, et autoris tantam fuisse opinionem, ut ad Principes Electores accersitus sit. Apud hos eadem dixit, sed addidit successorem Maximiliani venturum ex ipsius stirpe, non in sola Germania, sed late in Europa dominaturum esse, et secuturas esse multarum rerum mutationes. Narrabat Dux Ioannes, etiam cum fieret renunciatio electionis Maximiliani, patrem senem largiter fusisse lachrymas, eaque de re varia sapientum iudicia fuisse.

Statim post id tempus Electores duo, Ernestus Saxonicus et Ioannes Marchio, exercitum collectum ex flore nobilitatis harum vicinarum gentium, duxerunt Vratislaviam, ad pacandam eam oram Germaniae, quam tunc duo potentes et bellicosi reges, Matthias Hungaricus et Casimirus Polonicus, populabantur. In ea expeditione patrem Ernestum filii etiam comitati sunt.

Postea mortuo patre filii summa concordia paternam ditionem simul gubernarunt. Ac primum decus fuit initio gubernationis, quod reliquias copiarum Matthiae vastantes Lusatiam depulerunt: cuius rei memoria adhuc recens est in oppido Lucca, quod tunc illae Pannonicae copiae diripuerunt.

Post aliquot annos cum iam hae regiones tranquillae essent, et extincto Matthia Hungarico, Maximilianus Austriam reciperet, et progrederetur in Hungariam, fuit in exercitu Maximiliani, Ioannes Dux Saxoniae, et in oppugnatione Albae regalis, specimen virtutis egregium edidit, cum inter primos moenia ascenderet. Erat autem ei, ut multi meministis, robur corporis militare, et animus non solum natura fortis, sed etiam eo firmior, quia cum caste et honeste viveret, nec impediretur ullius sceleris conscientia, laetus et petebat et sperabat a Deo auxilium, et vere tegebatur Dei clypeo. Interfuit postea et bello Veneto, una cum fratre. Sed quia simul abesse utrumque a patria, non erat utile, et fratrem Fridericum Maximilianus non dimittebat, rediit in patriam. Erat autem eximia et illustris benevolentia Maximiliani erga Ducem Iohannem, quia videbat in eo omnes virtutes necessarias viro bono, et utiles ad communem consociationem, non ut in multis, arte adscitas aut inustas, sed nativas esse, iusticiam, veritatis amorem, fidem, constantiam, modestiam inimicam fastui et ambitioni, fortitudinem, castitatem. Videbat pectus candidum et ingenuum

esse, non pleonecticum, non fucatum, non insidiosum, non lividum, non suspicax, alienum ab aemulatione, a crudelitate, ab avaritia, curiositate, a πολυπραγμοσύνη, candide suum cuique locum tribuens, fugitans rixarum, amans principum consociationem et publicam concordiam. Has virtutes regebat non ostentatio sapientiae sophistica, sed vera prudentia, intuens virtutum fontes, praecepta Dei, et disciplinam a moribus traditam. Nec deerat ei facundia ad exponendam animi sententiam.

Cum autem et frater ex bello Veneto in patriam rediisset, ita vixerunt una primum in eadem domo, postea diversis locis: non solum ut fuerit perpetua ipsorum concordia, sed etiam mutuus amor, qui in eorum senecta, in utrinsque periculis et gravissimis deliberationibus etiam crevit. De arcanis rebus omnibus inter sese deliberabant, omnia in Republica communicatis sententiis constituebant. Erat excellens sapientia Friderici: eoque minus sibi tribuebat, et sciebat fratri non deesse consilium, et gubernari bonorum virorum mentes a Deo statuebat, qualem esse fratrem indicabat. Deinde ad benevolentiam tuendam, et ad significandam aequalitatem, pertinere hanc communicationem consiliorum, norat. Et quia communia erant pericula, et communis gubernatio, iustum erat communes esse deliberationes, ut ille sapiens Aeacides Peleus inter Argonautas dicit: Communis necessitas est, sint igitur communes deliberationes. Non sua gaudia, aut suos dolores alteruter cuiquam prius quam fratri significavit. Post electionem Caroli imperatoris Fridericus ad fratrem in itinere mox deflexit, eique historiam integram, ordine assidentibus praecipuis viris recitavit.

Ac inter exempla fraternae concordiae hi duo fratres merito celebrantur: sed acceperant ipsi quoque a patre Ernesto, et patruo Alberto, simile exemplum. Inter quos, quanquam opes eorum maiores erant et maior vitae dissimilitudo, tamen nulla discordia orta est. Recitat vetustas Castorem et Pollucem, fratres Scipiones, imperatores Antoninos, collegas Marcum et Verum. Et haec aetas intueri debet Carolum et Ferdinandum.

Est autem per sese virtus egregia, mutua στοργὴ in fratribus, et non sine multis virtutibus retineri haec benevolentia potest. Imo ne potest quidem nisi inter bonos retineri: ut philosophi dicunt, Bonum amare congregationem, malum vero sibi ipsi exitiosum esse. Non dubitemus igitur, fuisse viros bonos hos ipsos Principes, Ernestum et Albertum, et deinde Fridericum et Ioannem, quia nulla inter eos discordia unquam extitit: et talibus exemplis nos invitemus ad fraternam concordiam tuendam. Adiicerem hic quae communiter egerint, sed temporis angustia impedior. Tantum haec signa rerum futurarum, quae utrique simul ostensa sunt, recitabo. Eo anno, quo primum mense Novembri editae sunt reverendi viri D. Lutheri propositiones de indulgentiis, cum ex templo Wimariae in natali Christi duo fratres, et filius Dux Ioannes Fridericus una, post mediam noctem, ut magna in utroque erat reverentia erga res divinas, egrediuntur cum frequenti comitatu, vident supra arcem, coelo sereno, fulgentem crucem purpuream, satis magnam, et perspicue expressa figura. Ibi cum diu starent attoniti spectatores, fratres colloqui de religione coeperunt: et eo signo portendi futura certamina de doctrina, et domus Saxonicae pericula, vaticinati sunt. Accidit etiam illis annis, ut cum ex Argelia in Albi navigarent Witebergam in ipsa bruma, navis duriter quassata sit glacie, ut non parvas moles interdum vehit Albis. Nolunt tamen Principes navim ad ripam prius adplicare, quam huc ad arcem ventum esset: quanquam tabulae navis iam dehiscere incipiebant. Cum autem huc ventum esset, et iam Principes ex navi egressi essent, priusquam reliqua multitudo in ripam ascendit, dissolvuntur tabulae, et passim in Albi natant. Stant simul fratres in ripa, et fatentur se divinitus servatos esse. Fridericus etiam addit: Utinam haec navis non significet naufragium domus Saxonicae.

Fuit autem postrema epistola Friderici ad fratrem, scripta triduo ante mortem, in ipso initio rusticani tumultus, qui non procul ab Ulma ortus propter tyrannidem Abbatis cuiusdam insignem, ut certo narrare possem, pervagatus est multa Germaniae loca. In hac epistola consolatur fratrem, narrat divina clementia in multis magnis periculis se et fratrem servatos esse, fore Deum custodem huius regionis etiam deinceps, nec longum fore hunc errorem plebis: sed curandum esse, ut per Pastores de officio suo homines recte erudirentur. Et ut ipse habeat praesidia, et paucis castigatis parceret multitudini. Deinde agit gratias pro perpetua benevolentia, et significat iam morbi saevicia naturae vires superatas esse. Sed in coe-

lesti Ecclesia futurum, ut iterum dulcissima consuetudine fruantur. Cum igitur Fridericus tanquam ex hac statione abductus esset, Ioannes patriae solus praefuit.

Plebe mox revocata ad officium, quae illum quocunque se vertebat, agnoscebat et venerabatur ut patrem, et arma errore sumpta, sponte abiiciebat: prima statim cura fuit, ut in tota ditione Ecclesiae inspicerentur. Nam et recte intelligebat ipse doctrinam de Deo, et Deum vera pietate colebat, ac mane quotidie ad suam precationem adiungebat, sacrorum librorum lectionem. Norat igitur praecipuum esse officium omnium principum, sonare in genere humano vocem divinam, et curare ut populus recte doceatur. Dedit mandata liberaliter, ut praeficerentur idonei Pastores, et egentibus Ecclesiis reditus attribuerentur.

In ea inspectione, cum Gotthani et Isennacenses peterent confirmari donationem quae Ecclesiis facta erat, et in literis recitassent Fridericus Myconius et Iustus Menius dictum quod extat apud Esaiam, reges erunt nutritores Ecclesiae, et reginae nutrices: et scripsissent, hoc dicto commonefieri principes et respublicas, ut cogitent ideo genus humanum conservari, et consociatum esse imperiis, ut inde colligatur Ecclesia. Quare praecipuum sit munus principum, consulere illi parti hominum, et tegere ac fovere Ecclesias et earum Doctores. Hac Esaiae sententia quae tunc nondum saepe citata erat, ita delectatus est Princeps, mox ut iusserit sibi locum in Esaia monstrari, et donationem benigne confirmavit. Talia pietatis et beneficentiae ipsius exempla multa omitto. Secuta est postea obsidio Viennae, quo in periculo ipse et Dux Georgius magnas copias ad Viennae defensionem cito miserunt. Nec ulla in re defuit eius officium communi saluti Germaniae: summaque fide Caesari, quae sunt Caesaris, et Deo, quae Dei sunt, praestabat. Postea igitur in conventu Augustano, etsi multa tentata sunt ad eum inflectendum, ut puritatem doctrinae quam tunc receperat, et recte intelligebat, abiiceret: tamen omnibus periculis confessionem veritatis praetulit, ac saepe testatus est, se neque curiositate, neque cupiditate ulla, neque studio contentionis a consensu tot seculorum et gentium discessisse: sed se moveri severissimis Dei mandatis, ne agnitae veritati adversetur, seque in causis politicis omnibus imperatori in tota vita reverenter obtemperaturum esse. In hac confessione primum diligentia ipsius laudanda est, quod non voluit misceri opiniones peregrinas, et inutiles Ecclesiae, cum tamen motis disputationibus tunc magna esset opinionum varietas: sed curavit ut res necessariae illustrarentur, et extaret forma doctrinae de omnibus articulis, quam et aliae Ecclesiae pie sequi possent, sicut postea hanc normam aliae regiones et Respublicae secutae sunt. Deinde et constantia laudanda est in asseveratione doctrinae verae et salutaris, est et sua laus modestiae, quod nemo pacis studiosior fuit, quod ostendit, cum aliis arma errore sumpta, ipse velut de manibus extorsit. Erat omnino, ut Lacedaemonios laudat Thucydides, *φιλήσυχος καὶ δραστήριος*. Evidentia autem veritatis tanta est in confessione, conferentibus eam ad fontes, videlicet ad doctrinam traditam per filium Dei, Prophetas et Apostolos, et ad symbola, ut bonis mentibus iudicium non sit difficile. Itaque quanquam multi cyclopico contemptu Dei (semper enim talium aliqua est multitudo) adversantur, tamen nos hac consolatione sustentemus: Quod est ex Deo, non dissolvetur. Et videmus Dei beneficio conservari hanc doctrinam. Nec vero negligens erat in iurisdictione politica, et in regenda disciplina. In homicidas et in moechos severissime animadvertebat. Civium controversias summa aequitate dirimebat. Et gubernabat haec consilia vir sapiens, eruditus et iustus Pontanus: et adhibebantur alii eruditi viri, ut iudicium consessus eruditae Academiae similis esset. Etsi autem natura liberalis erat, et munificentiam erga principes aliquos declaravit: tamen restringebat sumptus, ne aut aere alieno patriam oneraret, aut novae expilationes miseram plebem fame necarent, Ac talis in tota vita fuit, nunquam voluptatibus, nunquam ira vel ambitione, vel cupiditate vindictae victus discessit a sese.

Ac saepe mihi de eo cogitanti, venit in mentem dulcissima descriptio Marci Antonini, de quo Dion inquit: Similis sibi ipsi semper fuit, nec mutatus est una in re unquam. erat autem bonus, et nihil erat non nativum, nihil astute simulatum aut adscitum. Talis profecto erat et Dux Saxoniae Ioannes Elector. Exitus etiam placidus fuit. Ac animi aequabilitatem in lithiasi et aliis morbis tunc quoque praestitit eximiam. Nam postremo biennio post climactericum, videlicet post annum aetatis ipsius sexagesimum tertium, valetudo erat incertior, quo tempore hanc levationem dolorum quaerebat praecipuam, colloquia alias cum filiabus

generosissimis, quas ut erat pater maxime φιλόστοργος, valde diligebat: alias cum Luthero: creberrima vero cum Pontano: multa etiam cum meo patre, de fontibus religionis, de immortalitate, de fugacitate rerum humanarum, de gubernatione reipub. de maiorum exemplis, ac inprimis de patre suo multa: saepe et posteritati haec fata, quibus iam exercemur, praedicebat. Cum poterat, legebat ipse aliquid. Cum morbi impediebant, audiebat libentissime filiam legentem, quae nunc nobilissimo principi Duci Pomeraniae nupta est: aut adolescentes, qui honesto more veteri propter disciplinam in aulas mittuntur, audiebat. Lectioni miscebat ipse gemitus et vota, et sese et Ecclesias et patriam, et suam posteritatem, Deo commendabat, invocans eum commemoratione filii, quem constituit mediatorem et placatorem. Tantaque animi praesentia et aequabilitas fuit, ut tunc quoque referri ad se quotidiana negocia vellet, de quibus aula consulitur. De quibus simili circumspectione et gravitate respondebat, ut antea. Sed petentibus frumentum aut ligna, benignius largiebatur, subinde repetens hanc vocem: Se paterno animo semper erga suos fuisse, seque optare ut ad posteritatem etiam patria tranquilla sit, et paternis imperiis regatur. Cum vera igitur et certa invocatione se Deo adsidue commendaverit, et voluntas fuerit erga Ecclesiam et rempublicam optima, et mores casti et honesti, non dubitemus eum ad dulcissimam coelestis Ecclesiae societatem traductum esse. Prodigia eius mortem antecesserunt, quae et posteritati calamitates denuntiarunt. Non procul ab Isennaco visa est in aëre species arboris vetustae ruentis, perinde ac si iam evelleretur ex terra: deinde sequitur eques gestans arborem rursus florentem, postea canis venaticus, atra et magna crux, extrema species erat fulminis, velut inflammantis proximum pagum. Ibi cum multi in agris haec cernerent, puella in eo agmine attonita, exclamat: Vae meae charissimae matri, quam vocem de patria tunc quoque multi interpretabantur. Sed haec omitto. Ipsam vero historiam mente repetentes, Deo agamus gratias, quod longo ordine sapientes, iustos, moderatos Principes his regionibus dedit, quorum et erga populum voluntas fuit paterna, et cursus salutaris: ac Deum ardentibus votis oremus, ut deinceps quoque regat principum nostrorum pectora. Verissimum est enim, nec foelicem, nec salutarem gubernationem esse nisi divinitus adiuvetur. Vult autem Deus opem ferre confugientibus ad filium vera invocatione. Deinde et horum principum, de quibus dixi, memoria nobis grata sit: et cum honestissima exempla virtutum in his laudatis viris aspicimus, quae quidem Deus ideo proponit, ut sint commonefactiones, et accendant aliquos ad studium virtutis, discamus inde virtutis doctrinam, et ea quae suo quisque loco debet et potest imitari, studiose sequatur. Etsi enim quaedam sunt principum virtutes propriae, non communes privatis, tamen consideratio prodest omnibus. Deinde vera Dei invocatio, diligentia cognoscendae doctrinae coelestis, fides, veritatis amor, iusticia, modestia, castitas, virtutes communes esse debent. Harum exempla illustria saepe aspicienda sunt, ut commonefacti de voluntate Dei, et de multis causis recte faciendi, simus in tota vita regenda diligentiores, ut scitis ad doctrinam virtutum exempla pertinere, sicut et vox divina testatur. Oro autem Deum toto pectore, ne barbaricam vastitatem in his regionibus fieri sinat: sed Ecclesias ipsum veris gemitibus invocantes, et earum hospitia, et honestam disciplinam, et doctrinae studia tueatur. Dixi.

No. 123. an. 1551.

De Friderico Duce Sax. El.

In select. Decl. T. III. p. 85. Servest. T. III. p. 80. Richard. T. II. p. 715. A Mylio in chronolgia scriptor. Mel. refertur ad an. 1551.

Oratio de Friderico Duce Sax. Electore; a D. Ioanne Trutenbal Iuris Consulto recitata.

Una est in summis doloribus consolatio, unicus portus, mente intueri testimonia de Deo, et firma assensione statuere, esse aliquam Dei Ecclesiam, et nos in ea Deo curae esse, et propter eam servari hospitia, literas, disciplinam, leges, et alios nervos humanae societatis. Hac nos consolatione inter tantas imperiorum ruinas sustentemus, et hac spe doctrinam vitae utilem propagemus, nec ideo, quia in hac vitae confusione multa contra ordinem fiunt, excuti nobis assensionem de providentia divina sinamus, sed utraque manu, ut sic dicam, teneamus illustria et immota de Deo testimonia, hunc ipsum ordinem naturae pulcherrimum, figuram et positum coeli, aëris, aquae, terrae, syde-

rum motus, terrae foecunditatem, et in mente humana noticias, quae sunt artium semina, et hoc ipsum discrimen honestorum et turpium, ex quo leges nostrae sapienter extructae sunt, et poenas quae perpetuo ordine comitantur atrocia scelera, ut et praesentiae et iusticiae Dei in genere humano signa sint non fallentia. Praecipue vero confirment assensionem in nobis resuscitatio mortuorum, et alia testimonia Ecclesiae nota, et vera lux divina in nostris pectoribus a Deo accensa. Itaque confirmati vera Dei agnitione, ipsi obediamus, et speremus eum reliquias Ecclesiae suae in tantis fluctibus tamen servaturum esse, et ut servet, ardentibus eum votis oremus. Huic vero Deo patri aeterno Domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani et Ecclesiae suae, gratias ago, quod hactenus hanc Academiam clementer servavit, et ut eam deinceps servet et regat, toto pectore eum oro.

Cum autem usitatum sit, in his congressibus, vel de aliqua doctrinarum parte dicere, vel exempla digna memoria recitare, delegi historiam Ducis Saxoniae Friderici Electoris, qui in hoc oppido Academiam constituit, de cuius fratre cum nuper dictum esset, iudicavi fratris historiam addendam esse, quae etiam multa exempla cognitione digna continet. Et significatio quaedam gratitudinis est, libenter eius principis recordari, qui primus hic omnium doctrinarum studia excitavit. Utile est etiam posteris requirentibus exordia emendationis doctrinae ecclesiasticae, scire, an tantum seditiose in vulgo semina sparsa sint, an vero etiam accesserit aliquorum sapientum tum consideratio, tum adprobatio. Libentius etiam de hoc ipso principe nunc dico, cum Dei beneficio uno tempore sex doctissimis viris publicum testimonium scientiae iuris tribuo, quia scimus hunc principem saepe sua voce barbariem, arrogantiam et stulticiam eorum taxasse, qui sine scripto iure, potentum arbitriis regi homines, et iudicari controversias volunt, et cui perinde ut Augusto Trebatius, Alexandro Severo Ulpianus, familiarissimi fuerunt Iurisconsulti, quorum hac aetate in his regionibus summa fuit eruditio et eloquentia, Doctor Mogenhofer, Doctor Henningus, Doctor Hieronymus Schurff, Doctor Pontanus. Cum his tantis viris de maximis rebus eum deliberasse, ipsorum scripta et alia monumenta ostendunt. Ac horum familiaritas non obscura significatio est sapientiae et iusticiae in ipso principe. Verissimum est enim, talem quenque esse, qualium delectatur consuetudine.

Etsi autem vetustae nobilitatis ducum Saxoniae commemoratio non esset iniucunda, multa enim exempla utilia continet: tamen eam nunc propter temporis angustiam praetermittam.

Scitis Ernesto patre, principe integerrimo, et matre nata in familia ducum Bavariae Fridericum et Iohannem natos esse, qui cum et a parentibus semina virtutum accepissent, et domestica disciplina severe regerentur, utriusque adolescentia modesta fuit. Fridericus vero literas et linguam latinam celerius arripiebat, et doctrinae avidior erat, ut et stellarum positus, Gemini in horoscopo, et Iupiter ac Mercurius in Capricorno, ingenium doctrinae capax et ardentius studium significant. Pater ante senectam extinctus est morbo, quem laboris assiduitas auxit, cum exercitum colligeret ad harum regionum defensionem adversus copias Hungaricas, missas in hanc viciniam a rege Matthia, qui duci Saxoniae Alberto infestior erat, quod in Austria exercitum adversus eum duxerat. Erant Ernesti filii adolescentes, sed anteibat aetate Fridericus, iam ingressus annum alterum et vicesimum. Hic suscepta gubernatione, cum et sapientum consiliis uteretur, et deliberata singulari industria perficeret, nec ignavia aut voluptatibus a cura belli abduceretur, et coniunctionem cum vicinis principibus omni officio tueretur, foeliciter defendit patriam, et vicinos in profligando Hungarico exercitu adiuvit.

Hoc primum quasi tyrocinium fuit, in quo specimen ingenii et industriae non obscurum ostendit.

Postea hac Germaniae ora pacata, cum existimaret peregrinatione erudiri homines, una cum avunculo duce Bavariae Christophoro, viro magnanimo, profectus est in Palaestinam. In eo itinere Fridericum imperatorem, avunculum magnum, in oppido Austriae Lyncea salutavit, a quo et propter cognationem et propter benevolentiam erga duces Saxoniae, amanter exceptus est, cumque sagacissimus senex videret indolem in Friderico ad virtutem eximiam esse, saepe eum in colloquium vocavit, et ad decus hortatus est, et abeundi dedit *μνημόσυνον* torquem aureum grandi Adamante ornatum, iubens ut reversus, ad se in itinere deflecteret, ac promittens aliud splendidius donum. Ita dimittitur adolescens a sene imperatore

cum simili preconio, ut Telemachus a Nestore dimittitur:

Non expers virtutis eris carissime fili.

Sed optimus senex ante reditum ducis Friderici ex hac vita decessit. Hic inserenda esset historia peregrinationis longior, quam honorifice a senatu Veneto Fridericus exceptus sit, quae fuerint vitae pericula. Nam dux Bavariae Christophorus in eo itinere morbo extinctus est. Sed ad alia propero.

Verum haec diligentia singulari laude digna est, quod non sibi tantum illam regionis et locorum inspectionem, sed caeteris etiam in lectione historiae prodesse voluit, Tabulas eleganter pingi curavit, in quibus illa veterum oppidorum ἐρείπια distributa sunt, et additae inscriptiones rerum magnarum, quae in singulis locis actae sunt. Haec fuit olim sapientum consuetudo, ex peregrinationibus adferre, non figuram novam pilei, aut cristae, sed regionum picturas, et monumenta, ad cognitionem historiarum profutura, et remedia morborum. Talia multa Fridericus ex Palaestina, Cypro, Rhodo, Methone, Corcyra, et ex urbe Veneta attulit.

Post reditum secuta sunt in Germania bella, Helveticum et Bavaricum, in quibus non defuit ipse quidem Maximiliano. Sed tamen bello Bavarico propter electorum coniunctionem plus curae et laborum sustinuit in lenienda Maximiliani ira, et eo utcunque placato, unicus in conventu Coloniensi ausus est Palatinum ad Maximilianum adducere, ut supplex pacem peteret, qua in re nonnihil offendisse imperatoris animum dicebatur, quod hosti ipsius non vehementius irasci visus esset. Sed fuit honestissima causa consilii Friderici. Cogitabat, quae sit electorum necessitudo, nec voluit penitus dilacerari illam vetustissimam electoris ditionem, et familiam nobilissimam deleri. Deinde hoc officium tegendi amici ita moderatus est, ne de domini autoritate aliquid decerperetur, supplicem esse voluit. Est autem vetus illud: Parcendum esse supplici:

Non violandus erit supplex, sacer esse putetur.

Cum autem iam ornare patriam aedificiis cepisset, sciretque vera et maiora communis vitae ornamenta esse literarum et artium propagationem, leges, et disciplinam: Doctores omnium honestarum artium ex aliis Academiis in hoc oppidum accersivit, et haec nostra collegia usitatis legibus instituit, qua in re consilium et voluntatem eius probare necesse est. Suntque passim multi boni et docti viri, qui fatentur, se artes vitae utiles in hoc literatorum conventu didicisse, alii Philosophiam, alii Iuris doctrinam, alii artem medicam. De Ecclesiae doctrina postea dicam. Nam post exordia scholae bellum Venetum secutum est, quo tempore annos aliquot a patria Fridericus abfuit, cum partem copiarum in exercitu Maximiliani duceret. Fuit ea militia plena laborum et periculorum, non solum in castris, sed etiam in deliberationibus, in quibus, ut sunt in aulis factiones et certamina, malevoli variis modis ei insidiati sunt. Legimus ipsi manu Friderici annotata capita responsionum, in quibus refutabat calumnias venenatas, quibus Maximiliani animum adversus eum incendere quidam conati fuerant. In his tantis periculis cum de rebus maximis instillatae essent Maximiliano crudelissimae suspiciones, prudentiam ipsius et integritatem ac moderationem et Maximilianus ipse et caeteri detectis insidiis, magnopere probaverunt. Etsi autem sauciatus erat Maximiliani animus, tamen non tam rudis erat communis vitae, ut ignoraret pestes communes esse in omni gubernatione, invidiam et calumnias, et viderat ipse multa exempla, et audierat vetera. Palamedem artificiis Ulyssis oppressum esse, Themistoclem optime meritum a Leobote. Legerat etiam dictum Salomonis: Calumnia etiam sapientes turbat, et frangit robur cordis. Et ut erat iustus, memor erat dicti, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Et audierat Alexandrum alteram aurem obstruere, cum quispiam absens accusabatur. Quare diligenter inquisivit negocii fontes, et cognita vanitate calumniarum, maiore benevolentia Fridericum complexus est.

Cum autem domum reversus esset, canonici Moguntini Erfordiae magnos tumultus excitarunt, qui nisi prudentia et moderatione Friderici repressi essent, ingens bellum in his regionibus exarsisset. Cum esset amans iusticiae, modestiae, et publicae in Germania tranquillitatis, neminem irritabat ipse, et iniurias multas ferebat. Cum vero alii ei minitabantur, ea erat sapientia et constantia, ut caecos illorum impetus paulatim arte frangeret, spe illud ipsum vetus dictum usurpans: Multos magnos morbos quiete et abstinentia curari.

Sed venio ad causam Ecclesiae. Cum motae essent controversiae de doctrina, primum Maximilianus, deinde Carolus, Romani pontifices con-

tenderunt, ne Luthero docendi locum concederet. Et erant alii multi, qui eadem suadebant. Nec ipsi, cum et sapientia excelleret, et iam senex usu cognovisset omnia gubernationum pericula, praecepta de vitandis mutationibus ignota erant.

Sed vir sapiens et vera pietate Deum colens, sciebat omnibus publicis et privatis periculis anteferendam esse gloriam Dei. Sciebat horrendam et insanabilem blasphemiam esse, agnitae veritati adversari.

Et confirmabatur divinitus, quare nullis minis ac terroribus frangi potuit, ut veritati adversaretur. Nec tamen sibi ipsi tantum sumebat, ut solus iudicaret de doctrina, sed multorum senum et eruditorum, et quidem principum iudicia sciscitatus est. Possem nominare multos, sed de Erasmo dicam, Coloniae eum ad se accersivit, et amanter praefatus est, hanc esse causam, cur eum accersiverit. Postquam controversiae motae sint, se malle, ut sibi dehiscat terra, quam falsis opinionibus favere. Sed si Lutherus recte taxat errores, et monstret verae doctrinae fontes, se, etiamsi videat, quantum sibi et suis sit periculi, tamen non adversaturum esse veritati. Nec se iudicium sibi uni sumere, sed eruditorum et peritorum iudicia et inquirere, et libenter secuturum esse. Rogabat igitur, ut Erasmus liberrime suam sententiam de tota re diceret.

Erasmus, ut erat festivus, ab ironia exorsus: Duo magna esse Lutheri peccata, inquit, quod ventres monachorum et coronam papae attigisset. Postea pertexuit suam sententiam, et dixit, Lutherum iuste taxare errores, et eorum emendationem Ecclesiae necessariam esse. Addidit etiam summam doctrinae Lutheri veram esse, etiamsi optarit quaedam disputari minus horride. Haec fuit colloquii summa. Viderunt aliqui nostrum et literas sapientis et boni principis, Laurentii episcopi Wirceburgensis, qui eadem ad ducem Fridericum scripsit, et addidit se multorum eruditorum iudicia explorasse. Non igitur existimandum est senem virum sapientissimum in tanta causa vel errore vel temeritate propagationem doctrinae permisisse. Et quidem legebat ipse quotidie scripta tum Lutheri, tum Erasmi praecipua, et fontes summa iudicii gravitate considerabat.

Incidit aetas Friderici in duarum summarum rerum deliberationem, de Ecclesiarum emendatione, et de electione imperatoris. Etsi autem harum duarum rerum magnitudinem nullorum angelorum aut hominum sapientia satis perspicit, tamen non feri homines agnoscunt has res in hominum vita esse summas. Et quo quisque est cordatior, eo magis sentit deliberationem de eis difficilem esse. Haec tanta moles eodem tempore in hunc unum virum incubuit. Hic nihil exaggero, cum quidem toto corpore cohorrescam, procul aspiciens eum tanta onera sustinentem. Sed cum Ecclesiae, tum imperii gubernatio divina est. Et flectit Deus mentes gubernatorum ad salutaria consilia, et eos adiuvat, cum vult Ecclesiae et humano generi opem ferre. Ita et tunc Friderici pectus in utraque deliberatione, divinitus et regebatur et confirmabatur.

Et scimus fuisse minime arrogantem, maximeque diffidentem suae sapientiae, et in his tantis periculis adsidua invocatione a Deo auxilium petivisse, et summorum hominum iudicia sciscitatum esse. Etsi autem electionis historia magnam consiliorum et actionum varietatem continet. Nam et sapientum diversae erant opiniones, ut iam non de factionibus et studiis dicam, et integre notam esse posteritati prodesset, tamen bono consilio nunc multa praetereo, tantum hoc dico, Fridericum tanquam Nestorem in eo senatu tunc fuisse, et ab eo plurima sapienter acta et provisa esse, Deo ita pectus eius gubernante.

Sciebat diversas esse principum opiniones, et videbat dissensionem electorum, nisi unus communi omnium consensu eligeretur, facem maximorum bellorum futuram esse. Videbat quibus partibus quae vires accessurae essent.

Novo igitur consilio usus est. Fuit suasor ut primum singuli electores iuramenti religione in hoc suo consessu obligarentur, se nullam electionem adprobaturos aut renunciaturos esse, donec omnium suffragiis, unus aliquis communi consensu electus esset, cui se omnes uni adiungerent, tanquam legitimo domino, ne ipsorum dissimili suffragatione Germania distraheretur.

Hoc fuit Friderici *πολίτευμα*, in quo lucent eius sapientia, studium publicae concordiae, et aliae multae virtutes. Et fortassis posteritas hoc exemplum intuebitur.

Secutae sunt postea disputationes, ut inter sapientes et in summo senatu generis humani gravissimae, in quibus tandem communi omnium consensu Carolus electus est, et metu horribilium discordiarum et ingentium bellorum Germania liberata est.

In his ipsis contentionibus norunt adhuc multi non solum vigilantiam Friderici, sed etiam moderationem animi, et constantiam in optima sententia excellentem fuisse, in qua eius animus alienissimus fuit ab ambitione, et ab omnibus privatis cupiditatibus, ac tantum salutem Germaniae publicam spectavit. Postea etiam cum in Germaniam venisset Carolus, ut pax et concordia principum constitueretur, magnos labores sustinuit, quibus et corporis vires in eo languefactae sunt.

Nec leve curarum et sollicitudinum iudicium fuerunt morbi ipsius. Etsi enim calculi saevicia orti a renibus extinctus est, tamen et dolores hypochondrios magnos habuit, quare medici postea splenem contemplati lapidem in ipso splene invenerunt maiorem glande.

Ut autem haec ipsius senectus plena fuit curarum et laborum propter Ecclesiam, et huius Germanici imperii negotia multa et magna, ita domestica vita fuit plena honestorum exemplorum. In aula adsidui aderant viri excellentes sapientia et virtute Fabianus a Feilitsch, Fridericus a Thun, Einsidelius, Iohannes a Minckwitz, Pontanus, saepe et Hieronymus Schurff et alii accersebantur. Eratque consilium tale, quod magno regno fuisset ornamento. Cum his viris familiaria erant colloquia, de religione et de republica, plena prudentiae et eruditionis, et condita suavitate summa.

Erant enim in Friderico cum aliae virtutes multae ac magnae, prudentia quam etiam literis et colloquiis sapientum alebat, iusticia, amor veritatis, fides in pactis, constantia in bonis sententiis, beneficentia, tum vero etiam singularis moderatio et comitas, qualem in Lelio et in Augusto praedicant.

Ac ut vetus scriptor inquit de gratia, quae actiones humanas omnes eximie ornat: *ἡ πάντα τὰ ἀνθρώπινα ἐπικοσμοῦσα χάρις,* hanc suavitatem omnibus sermonibus atque actionibus miscebat, quam etiam eruditio augebat. Curaverat enim sibi perscribi epitomen historiarum, in qua series erat omnium temporum et monarchiarum, quam ita in conspectu habeat, ut in gravissimis deliberationibus, saepe inde exempla récitaret. Nec raro dicebat, se non tantum voluptatis causa historias legere, sed sumere inde de multis rebus commonefactiones, et cognitionem earum necessariam esse, non solum gubernatoribus, sed etiam caeteris hominibus omnibus.

Vidimus ipsi manu eius scriptas sententias in parvis pagellis, quas adfixerat parietibus, ut in conspectu essent, de animi moderatione, videlicet hoc Senecae dictum: Nihil magnum, quod non est placidum. Et hoc Plutarchi: Ut Sol cum venit in summum fastigium tardius incedit, ita in summa potestate contantius et moderatius omnia agenda esse.

Sciebat nihil tam esse homini familiare, quam hallucinari et errare. Ideo normam consiliorum volebat esse praecipue legem Dei, deinde et aliarum legum vocem, quae sapientum gubernatorum iudicio receptae sunt, et eos qui suas opiniones nimium amabant, non probabat. Valde igitur et hac sententia delectabatur, cum forte eam in Plutarchi scripto legisset, quae tribuitur Simonidi: opinio vim adfert veritati,

τὸ δοκεῖν βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.

Nec rudis erat doctrinae de motibus coelestibus, cuius didicerat elementa a medico Mellerstadio, qui ei inde usque ab adolescentia ad senectam familiarissimus fuit, et comes fuerat peregrinationis in Palaestinam.

Scitis veteribus regibus et ducibus usitatum studium fuisse artis medicae, ut de Chirone, Achille, Alexandro legimus. Ita et Fridericus studiose didicit a doctissimis viris Mellerstadio, et Pistorio, artis medicae fontes, causas morborum et remedia. Multa etiam experimenta a Maximiliano et eius medicis accepit. Itaque quotannis multa remedia sua manu adparabat, cumque virtutem principe dignam esse sciret hominum saluti opem ferre, officiose dabat remedia nobilibus et ignobilibus. Vulnera et tabefacta membra singulari foelicitate curabat, quarum medicationum insignia exempla recitare possemus.

Postremis vero annis, cum rursus Evangelium illucesceret his regionibus, quantum temporis suffurari negociis gubernationis poterat, id lectioni divinorum librorum et piarum enarrationum tribuebat, quibus et erudire se et ad veram invocationem accendi adfirmabat. Ac saepe in familiaribus sermonibus tenebras Ecclesiae deplorabat, adeoque dextre diiudicabat doctrinarum genera, ut adpareret serio eum intendere mentem in harum maximarum rerum considerationem.

Cumque natura gravis et pauciloquus esset, et parum ei concederet vacui temporis respub. nequaquam delectabatur curiosis et inutilibus disputationibus, in quibus videbat multos ambitiose in-

genia ostentare, sed doctrinam vitae salutarem quaerebat, eamque ad usum in invocatione et in vitae gubernatione transferebat.

Et materias electas in optimis scriptis describi sibi curabat, ut eas saepe relegeret, quod quidem faciebat in templo, ubi concionibus auditis ardentia vota et gemitus pro sese, pro tota Ecclesia, pro patria, pro Germaniae salute, lectioni miscebat. Fratri etiam et consiliariis eadem scripta commendabat.

In iuris dictione vero etsi iniustam asperitatem oderat, tamen nequaquam lentus erat. Latrocinia adeo severe punivit, ut sumpserit supplicia etiam de quibusdam, qui in familiis nobilibus et amplis nati fuerant. Non metus, non gratia, non cupiditas ulla eum inflexit, ut contra iustitiam faceret.

Controversias quae in aulam adferebantur, magna sedulitate cognoscebat, et re disputata cum eruditis sapienter dirimebat, et in compositionum formulis magna cura vitabat ambigue dicta et cothurnos, dicens inde inflammari et lites et odia, non extingui.

Cumque natura modum in rebus omnibus amaret, profusiones oderat, et frequentiam aulicam prudenter moderabatur. Interea tamen erga homines modestos et egentes beneficentiam nec sordide nec ambitiose exercebat, sed prudenter videbat, ubi egentium utilitati vere consuleretur. Denique in omnibus negociis bonitatem sapientia regebat, ne aut asperitate, aut lenitate peccaret. Eratque tota eius gubernatio exemplum dicti huius, quod valde laudat antiquitas: *ὡς ἡδὴ συνέσει χρηστότης κεκραμένη*, qualis Arati, Augusti et paucorum similium gubernatio fuit.

Iram summa cura frenabat, ac siquando indignationum flammas sensit, secessum quaesivit, nec decrevit quidquam donec illa incendia deflagrassent, ac saepe recitabat dictum: Ira viri iustitiam Dei non operatur.

Adversus vindictae cupiditatem primum Dei reverentia, deinde amore publicae tranquillitatis, postremo et naturae bonitate munitus erat, ac recitabat interdum vetera et recentia bella orta ex privatis odiis et caeca vindictae cupiditate, sine iustis causis, et saepe privatas iniurias publicae paci condonandas esse adfirmabat. Laudabat Fabium, et versum recitabat:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ab ambitione vero alienissimus fuit, quam nihil nisi insaniam esse palam dicebat. Videbat quanta moles sit etiam exiguae gubernationis, et quanta sit infirmitas humanae mentis, quam subitae conversiones fortunae, quam infidae hominum voluntates, sine quorum societate res magnae geri non possunt. Laudabat illud dictum: Spartam nactus es, hanc orna. Et Paulum dicebat, non solum Evangelii preconem excellentem fuisse, sed etiam sapientem monitorem politicum, qui praecipit studium quietis, et ut propria quisque faciat.

Etsi autem post Caroli electionem vixit annos fere sex, tamen periculosis morbis aliquoties conflictatus est. Statim a Francofordiano conventu tota hyeme tam saevo morbo laboravit, ut existimaretur venenum hausisse, sed quaecunque morbi causa fuit, venenatus humor depulsus in pedes ita eum adflixit, ut planta cutem abiecerit, et crudae carni similis facta sit. Cruciatus fuisse non leves inde iudicari potest, quod dicebat ipse, se nulli inimicorum suorum ita irasci, ut optet eum similes cruciatus sustinere. Postquam utcunque convaluit, statim nova itinera et deliberationes de imperio secutae sunt, ita paulatim laboribus, curis et morbis languefacto corpore, tandem lithiasi extinctus est. Cumque mens usque ad extremum halitum integra esset, et fide ac invocatione filii Dei Domini nostri Iesu Christi erecta, placide cruciatus ferebat, et aeternam Ecclesiam intuens, non gravatim ex huius vitae aerumnis discedebat. Iusserat Spalatinum grandiusculis literis scribere has sententias: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit; item: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam etc. Ad haec dicta Spalatinus et alia quaedam addidit. Hanc paginam tabellae ita adfixit, ut semper eam in conspectu haberet, et veniam suorum delictorum a Deo propter filium adsidue petivit, et fiducia filii Dei erigi se sensit. Cumque et iuxta vocem Evangelii absolutionem audivisset, et coena Dominica confirmatus esset, confessionem plenam pietatis edidit. Credo, inquit, toto pectore, colligi aeternam Ecclesiam a Deo in genere humano propter filium, et vere esse membra Ecclesiae Dei omnes qui amplectuntur vocem Evangelii, et filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum agnoscunt iuxta doctrinam in Prophetarum et Apostolorum scriptis, et in symbolis comprehensam,

et Deum fiducia filii invocant. Et opiniones quascunque pugnantes cum Evangelio et symbolis constanter reiicio, reiicio et errores qui taxantur in Ecclesiis huius ditionis cui me praefecisti, et tibi aeterne Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui te immensa bonitate patefecisti, conditor coeli et terrae et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, liberrime, misericors, gratias ago, quod te humano generi patefecisti, quod filium misisti, et Ecclesiam tibi colligis, quod me ad Ecclesiae tuae societatem vocasti, quod me et patriam clementer protexisti, teque supplex oro, ut propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem inenarrabili consilio mediatorem constituisti, peccata mea omnia mihi remittas, et me propter eum, Spiritu sancto ad vitam aeternam sanctifices, tibi me et Ecclesiam, et meum fratrem et patriam commendo. Et exaudiri a te haec mea vota, et meos gemitus propter filium credo, qui dixit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. O Iesu Christe, fili Dei crucifixe pro nobis et resuscitate, mediator, qui dixisti: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, me tibi commendo, tu pro me intercedito apud aeternum patrem, tu sis umbraculum adversus iram, tu mihi adesto, et me sanctifica Spiritu tuo sancto. Et exaudiri me a te credo, quia dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

Hanc invocationem cum saepe repeteret clara voce per aliquot dies, adstantibus multis praestantibus viris, tandem Deus animam eius ex ruinoso domicilio eduxit. Cum igitur et multae magnae virtutes Friderici fuerint, et eius gubernatio Ecclesiae et patriae salutaris fuerit, et vera invocatione Deum coluerit ipse, et in exitu ex hac mortali vita se filio Dei commendaverit, primum Deo gratias agamus, quod principem his regionibus salutarem dedit, et quod ipsius pectus ad veram pietatem accendit. Et virtutes has admiremur, et labores ipsius grati praedicemus, ac vult deus his quoque per quos beneficia impertit, gratitudinem praestari.

Et quanquam alia exempla aliis conveniunt, nec vires nostrae imitari excellentes imagines possunt, tamen multae sunt virtutes quae communes omnium esse debent, quarum consideratio singulis ad commonefactionem prodest.

Ideo divino consilio historiae literis mandatae sunt, imo ideo spectacula tristia et laeta Deus proponit omnibus temporibus, ut sint commonefactiones universo generi humano. Quare et hanc Friderici historiam interdum cogitemus.

Multa hic et de eius testamento narrari poterant, in quo etiam multa signa sapientiae, reverentiae erga Deum, amoris erga fratrem, et pietatis erga patriam conspiciebantur.

Initio fidei suae confessionem recitat congruentem cum illa invocatione, quam ante mortem saepe clara voce repetivit. Et addit precationem. Deinde fratri tradit gubernationem, et nominatim ei commendat Ecclesias, eumque hortatur, ut gloriam Dei illustrari, et populum recte doceri curet, nec dubitet filium Dei has ipsas Ecclesias, in quibus vox Evangelii sonat incorrupta, protecturum esse.

Prohibet et ritus funebres improbatos in his Ecclesiis. Sed pauperum iubet rationem haberi, quibus et tunc in funere dari certam pecuniam et vestes mandat. Et addit aliud munus utile sine ostentatione. Anno ante mortem ipsius proximo, videlicet anno ut numeramus 1524. mense Februario, fuerant diri congressus omnium planetarum in Piscibus. Cum igitur ubique flumina intumescerent et in agros effunderentur, segetes strangulatae sunt. Semper autem ad usum publicum habebat instructa granaria Fridericus. Inde cum frumentum populo deesset, certum numerum medimnorum precio mediocri vendi iussit. Agricolis vero frumentum ad familias alendas, et ad serendum, dari mutuo iussit ea conditione, ut post alteram messem redderent tantundem frumenti. Id in testamento, cum essent tria aut quatuor millia medimnorum, iis qui mutuo sumpserant, donavit, et repeti vetuit.

Talibus beneficiis et antea paternam et non fucatam benevolentiam erga suos crebro declaraverat, in quibus utilitati populi consulebat, non ambitiose offundebat hominum oculis inanem speciem magnificentiae, ut fit in spectaculis, aut sumptuosis conviviis.

Hanc brevem historiam Friderici eo recitavi, quia prodest et exempla bonorum principum, et consilia rerum maximarum multis nota esse. Quaedam etiam gratitudinis significatio est, delectari bene meritorum recordatione, de quorum sapientia, moderatione, bonitate et voluntate erga patriam, ut saepius cogitemus, movemur

etiam horum temporum calamitatibus, quas velut praesagiens Fridericus, postremis annis non raro delabebatur in sermones de regnorum periodis, et gemens deplorabat infirmitatem naturae humanae, quae et fatalibus causis obnoxia est mutationibus, et multis magnis furoribus accersit poenas. Repetebat ex historiis seriem temporum, narrans, quam brevis aut longa aetas cuiusque regni ac familiae fuisset, nec usquam ultra quingentos annos eandem mansisse politiae formam.

Anni sunt fere quingenti ab exitu ex Aegypto ad Salomonem, totidem fere a Salomone ad exilium Babylonicum. Inde totidem et paulo amplius ad ultimum Ierosolymae excidium.

Ad haec exempla conferebat mutationes Romanas, et haec praesentia regna. Othonis tertii tempore hoc pulchrum ἀξίωμα et fastigium electorum constitutum esse, ac fere eodem tempore inchoatam esse formam regni Pannonici et Polonici, quae hactenus annos quingentos duravit.

Ad hanc metam periodi cum iam pariter haec regna accederent, magnas ruinas se metuere dicebat. Interdum his sermonibus et hunc ipsum versum miscebat:

Eheu quam levibus pereunt ingentia causis.

Sed hanc se consolationem tenere dicebat, quod sine ulla dubitatione statueret, et esse Deum, et Deum vere colligere sibi in genere humano aeternam Ecclesiam, et ne ei desint hospitia, servare eum aliquas politias, et quidem Ecclesiam Dei constantissime adfirmabat hunc ipsum coetum esse, in quo vox Evangelii sonat incorrupta.

Hic cum alia multa testimonia recitabat, quae adfirmant Ecclesiam et in hac mortali vita duraturam esse usque ad resuscitationem mortuorum, tum vero praecipue delectabatur hoc brevi dicto quod extat apud Esaiam: Ego vos etiam in senecta et canicie gestabo. Ac suspiciens in coelum ardentibus votis Deum precabatur, ut et Ecclesiam in hac sua patria, et patriam servaret, nec sineret in Germania seu Turcicam seu Barbaricam vastitatem fieri.

Haec ipsius vaticinia et vota consideremus, et cum iam tot vulnera sentiamus, et impendere magnae rerum confusiones videantur, nos quoque a Deo mitigationem calamitatum petamus, et nos in hac imbecilli, et delira senecta mundi gestari a filio Dei Domino nostro Iesu Christo assidue precemur. Dixi.

No. 124. an. 1551.

De Matthia Rege Hungar.

In sel. Declam. T. III. p. 178 sqq. Servest. T. III. p. 170. Richard. II. p. 689. — Prodiit etiam separatim: Oratio de rege Pannoniae Matthia, recitata a Seb. Matthaeo. Witeb. 1551. 4. 3 pl.

Oratio de Matthia Rege Ungariae; recitata in die Matthiae Apostoli (i. e. 24. Febr.), *in renunciatione gradus Magisterii a Decano Sebast. Matthaeo* (cf. Scripta publ. T. I. p. 292 b.).

Initio gratias ago toto pectore Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et Ecclesiae et hominum, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu suo sancto, quod hactenus nos clementer protegit, eumque ardentibus votis oro, ut semper Ecclesiam sibi inter nos colligat, doctrinarum studia gubernet, et hunc coetum et haec tuguria protegat.

Cum autem honestum et usitatum sit in his congressibus, vel de parte aliqua doctrinarum, ut iuniorum formentur iudicia, dicere, vel recitare historias, quarum consideratio multas adfert utilitates, hic me dies Matthiae Apostoli, cum de aliis multis historiis admonuit, tum vero etiam de Rege Pannoniae Matthia, qui eo die ante annos centum et octo natus est, de cuius virtute et foelicitate, ut saepius iam cogitemus, movemur etiam Pannoniae calamitatibus, quae nunc sunt in conspectu.

Existimo non falso scriptum esse a Platone, fatales esse imperiorum periodos, et tantisper divinitus praefici regnis salutares gubernatores, donec periodi circumactae sunt, sed tamen in hominum viciis praecipua causa est interitus regnorum.

Ideo quanquam veteres duces, quorum excellens fuit virtus, non possumus in hanc vitam revocare, tamen cum discordias procerum huius aetatis, et orbitatem Pannoniae intuemur, non possumus non requirere animis Huniaden, patrem aut Matthiam filium, quorum autoritas dissidia procerum dirimere, et fortitudo externos hostes arcere, Deo iuvante potuisset.

Etsi autem iam hos frustra desideramus, tamen bene meritorum ducum recordari, gratitudo est. Et principes viros eorum recordatio ad virtutis imitationem accendere potest. Omnibus vero prodest in hac varietate exemplorum considerare

inconstantiam rerum humanarum, et causas calamitatum, et metu poenarum et iudicii divini flectere animos ad modestiam, et ad invocationem Dei. Hanc utilitatem et vox divina iubet ex historiis peti. Et quidem cum universa Pannoniae historia, tum vero ipsius Matthiae fortuna et actiones magnam continent exemplorum varietatem.

Dolendum est autem, quod cum aliquot seculis nullus regum munificentior fuerit erga literas, quam Matthias, tamen nullam extare integram historiam rerum ab ipso gestarum, cum tamen quaedam eius victoriae salutares fuerint toti Europae. Tantum initia regni descripta sunt, et postea vix breves tituli, ut olim in trophaeis scribebantur, annotati sunt. Ex his tamen nunc utcunque narrationem contexemus, in qua multa iudicii divini testimonia, multa Dei beneficia, multa virtutum exempla, conspici poterunt.

Prius autem pauca de Pannoniae nomine, et gentis stirpe dicemus. Nec ut in iudicio finium regundorum subtiliter de regionis limitibus disputabo. Vetustissimi Paeones paulatim a Strymone progressi vicinam regionem inter Illyriam et longissima iuga Carpathi montis ad Istrum occuparunt. Nomino igitur Pannoniam regionem quae inter hos limites a Syrmio usque ad Sabariam extenditur, cuius situm et fertilitatem et salubritatem nostis: et scribunt Graeci nomen Pannoniae factum esse ex Paeonia, quod maxime consentaneum est. Paeonum autem mentio fit apud Homerum, Aeschylum, Euripidem, et alios multos scriptores.

Et quidem Euripides terrae Paeoniae globam inquit esse argenteam et auream, significans opinor ibi locupletissimas fuisse venas auri et argenti. Nec Paeones barbaricum genus fuerunt: sed a Paeone Herculis comite, multitudo ex Graecia instituta honesta disciplina, legibus et artibus civilibus in illa loca ducta est, quae quidem propter iustitiam, beneficentiam, fortitudinem et industriam late regnare ad Strymonem et ad Istrum coepit. Apud hos regnavit Rhesus, qui non esset dictus filius Musae Terpsichores, nisi in iis locis doctrina virtutum, disciplina honesta et aliqua artium cognitio fuisset. Videmus et Alexandrum de equitibus Paeoniis praeclare sensisse, cum ad periculosas pugnas eam equitum turmam delectam singulari consilio saepe mittit. Talis eorum virtus esse non potuit, nisi et domestica disciplina probabili adsuefacti essent.

Postea Syrmus unde Syrmii adpellatio est, Lysimachum vicinum regem cepit, erga quem iusticiae et modestiae specimen egregium ostendit. Nam pepercit capto, nec aliud ab eo petivit, nisi ut aequis legibus foedus secum faceret, ut vicinia tota tranquilla esset, et remisso in regnum, filiam dedit uxorem. Haec moderatio in victoria nequaquam barbarica ducenda est. Nec obscura sunt indicia virtutis in gente Pannonica, quod Evangelii vocem statim Apostolorum tempore libenter amplexa est, quodque non alia regio plures imperatores Romanos peperit. Postremo nunc quoque et Ecclesias Dei beneficio recte institutas habet plurimas, in quibus et sonat vox Evangelii incorrupta, et viri doctissimi non iam suos tantum coetus erudiunt, sed etiam vicinam Graeciam, editis Graecis scriptis docent.

De his ornamentis tantum ideo verecunde et breviter dicere volui, ut imperitis errorem eximam, quo nescio unde a Caucaso, educunt Hungaros. Etsi enim aliquando et peregrinae gentes appetiverunt Hungariam, ut Iazyges Ionum colonia, nostri Gotthi, et postea Hunni, ut caeteris gentibus etiam peregrinae admixtae fuerunt, tamen veteres Paeonii tanquam indigenae et vernacula multitudo in sua sede manserunt. Ad hos potius referatur origo, cum de stirpe, de ingeniis et de disciplina eius gentis dicitur.

Delector et nomine. Nam παίων est feriens quod et Apollini in sacris hymnis attributum est, et postea in triumphalibus carminibus usurpatum est, ut scitis Paeana dici triumphale carmen. Ita paeoniam recte interpretabimur victricem et triumphalem. Ac talem diu fuisse res ostendit.

Nam ut ad propiora veniam, quem mihi dabitis regem aut ducem multis seculis conferendum ad Huniaden Matthiae patrem comitem Bistriciensem. Bis in interregno adversus duos audacissimos et foelicissimos Turcicos tyrannos Amurathen et Mahometum primum divina ope, postea Huniadae ducis laboribus, et virtute Pannonia defensa est, fuitque hic vir, non modo, ut de Achille Homerus inquit, Achivorum, sed totius reliquae Europae murus, nec animi magnitudo, nec vires, ne occasiones quidem deerant vel Amurathi, vel Mahometo ad occupandam Italiam et Germaniam, nisi huius unius viri Huniadae virtus et foelicitas velut obiecta moles, flumen exundans repressisset. Nec quisquam regum aut du-

cum res maiores et Europae utiliores adversus Turcas gessit.

Nec defuit tantae virtuti et gloriae invidia, quia enim in hac naturae humanae infirmitate obscurari se unius alicuius praestantia multi dolent, excellentiam alienam premere conantur. Singuli enim sese amant, sese magnos esse conspici volunt. Itaque multi et dignitati et vitae Huniadae insidiati sunt. Sed Deus eum texit non solum in acie, sed etiam adversus procerum et calumniatorum insidias, et ipsi post repulsum Mahometum a Belgrado continuis praeliis duorum dierum, victori defatigato magnitudine laborum, commendanti sese et patriam piis votis Domino nostro Iesu Christo, et adhortanti filios qui aderant morituro, ad virtutem, dedit exitum placidum et gloriosum, Anno 1456. Quarto Idus Septembris.

In eo praelio Mahometus accepto vulnere semianimis ex acie a suis gestatus, cum amisisset circiter quadraginta millia militum et machinas, fugiens vitam retinuit. Nec tamen odiorum crudelitas in aemulis placata est, vel tantis meritis, vel interitu Huniadae. Sed erupit aliquanto post in filios.

Comes Ciliae ut patri Huniadae struxerat insidias, ita filios etiam Ladislaum et Matthiam calumniis oppressos tollere conatur. Criminatur Ladislaum, quod cum regem et partem exercitus in arcem Albae admisisset, caeteros exclusisset, pollicetur quibusdam per literas capita duorum filiorum Huniadae. His literis prolatis Ladislaus accedit Cilianum, ut coram cum eo expostulet. Aiunt Cilianum priorem rapuisse gladium ex manibus astantis satellitis, ac iam ferientem, a Ladislao, qui causa, magnitudine animi, robore, usu militiae longe antecellebat, repulsum et postea confossum esse. Mox ad regem accedit Ladislaus cum aliis multis proceribus, et facti causas exponit. Dissimulat rex dolorem et iram, et in praesentia petenti promittit fidem publicam. Postea et mater fit regi supplex, apud quam adfirmat filio se ignoscere, et oblivionem facti et ἀμνηστίαν sancit, donat etiam Ladislao purpuream vestem, cui aurum erat intextum. Sed male sarta gratia non fuit diuturna, et novis calumniis vetera vulnera rescindebantur. Ideo aliquanto post Ladislaus et Matthias cum amicis aliquot familiaribus capti sunt, et de Ladislao crudeliter supplicium sumptum est, in quo innocentiae testimonium mirando exemplo Deus tribuit.

Productus est Ladislaus in veste purpurea, cui intextum erat aurum, donata a rege, et ligatae sunt in tergum manus, et inter vota ad Deum procumbens in genua, forti animo erecta cervice expectat mortem. Ibi cum ter a lictore ictus et vulneratus esset, et pronus in terram lapsus esset, rursus tamen sese quanquam ligatus et vulneratus erexit, et clara voce Deum invocat, et cum testem suae innocentiae esse inquit. Quarto tandem ictu caput ei praeciditur. Multa sunt in hoc exemplo digna et consideratione et deploratione, videmus hic deletam esse memoriam beneficiorum Huniadae patris, cum tanta crudelitas in filium exercetur. Fortassis et adolescens propter patris gloriam fuit insolentior. Itaque propositum est caeteris exemplum, ut fortunae inconstantiam metuentes simus modestiores.

Postea cum rex Pragam proficisceretur, simul eo Matthiam abducit, ne Pannonii eius liberandi causa, si apud ipsos relinqueretur, tumultus moverent. Iam rursus fortunae vices considera. Rex nobilissimus, cuius et indoles ad virtutem erat excellens, et mores honesti, quemque sperabant multae gentes praesidio fore toti Europae, in ipso flore adolescentiae in urbe Praga extinctus est. Ibi cum Bohemi suae gentis virum Georgium elegissent regem, Matthiam is retinet tanquam obsidem, ut ostensa spe liberandi adolescentis, Hungarorum sibi voluntates adiungeret. Interea avunculus Matthiae in Pannonicis conventibus non hoc solum agit, ut reposcatur adolescens captivus, sed etiam ut rex Hungariae eligatur. Itaque divinitus magno consensu procerum Matthias rex Hungariae electus est, et missi sunt legati ad regem Bohemicum Georgium, qui dimitti eum peterent. Laudanda est omnino Georgii iusticia et prudentia, et quod adolescentem quem videbat ad regnum vocari, quod adpetebant alii, non sustulit, et quod futuram eius magnitudinem prospiciens, ita eum dimisit, ut foedus cum eo perpetuum faceret, et filiam ei uxorem daret. Ita ex carcere ad regnum Matthias eductus est, non per seditionem et civilem cruorem, sed singulari consilio Dei, magno omnium principum et ordinum consensu.

Exercitus eum Hungaricus adductum Georgii comitatu ad extremam regni Bohemici oram, ad flumen Moravam excepit, et Budam inter gratulationes ubique occursantium hominum et fausta optantium dixit. Ibi in templo publice Deo gra-

tias egerunt, et Matthias et principes, et vota fecerunt, ut Deus, qui vere transfert et stabilit regna, ut inquit Daniel, gubernaret novi regis pectus, consilia et actiones, ut salutaris esset gubernatio Pannoniae et orbi Christiano.

Bella statim tria initio gubernationis eum exceperunt. Austriacum, Telephicum et Turcicum. Nam Fridericus imperator, qui tutor fuerat regis adolescentis Pragae mortui, coronam regni Hungariae retinebat. Et huic se Nicolaus Matthiae inimicus adiungebat, qui etsi regnum adpetebat ipse, tamen simulabat se propter communem Europae salutem velle Hungariam cum Austria coniunctam esse, ut fuerat antea regis Alberti et Posthumi tempore. Movet igitur bellum Nicolaus Friderici nomine, et ab eo adiuvatur, ac priore praelio vincit Matthiae exercitum. Sed posteriore superatus ex Hungaria pellitur. Interea apud Fridericum per legatos agit Matthias, de corona reddenda et de pace, ne alia magis necessaria bella impedirentur. Fridericus igitur, ut erat sagacissimus senex, maluit coronam reddere, quam et in Austriam bellum attrahere, et impedire in altera Pannoniae ora Turcorum repressionem. Pace cum Friderico facta, prius et alias seditiones domi opprimendas esse censuit, quam extra regnum exercitum duceret.

Erat Telephus Bohemus caput multorum seditiosorum hominum in iugis Carpathi, qui latrocinium ibi exercebant, et regum autoritatem etiam antea contempserant, ac vitae patris Huniadae insidiati fuerant. Hos non sine difficultate partim expulit regno, partim captos interfecit. Telephum ipsum aiunt fuga elapsum, postea Pragae inter mendicos et errones vagantem, ante aedes divitum stipem et panem petiisse, ut olim Telephus in tragoediis mendicasse victum narratur.

Interea Mahometus sciens Matthiam domesticis bellis occupatum esse, mittit Halibecum ducem in Syrmium cum magno exercitu. Erant autem praesidia mediocria in illo regni limite, sed quae diu sustinere multitudinem Turcicam non poterant. Descendit igitur rex et praeliis aliquot fuso et fugato Halibeci exercitu, postea Dracolum tyrannum coepit, et exercitum in Bosnam duxit, ubi Iaizam urbem Bosnae praecipuam Turcis ademit.

Hac victoria moti Veneti, quibus tunc Mahometus chalcidem ademerat, et Genuenses quibus nobile emporium in Taurica Chersoneso Iapham, cui vetus nomen fuit Teudasia, id est, Tenthonum domus, eripuerat, foedus cum Matthia faciunt, ut Mahometum reprimerent.

Erat autem Matthias non solum fortis dux, sed etiam circumspectus. Norat ingenium et potentiam Mahometi, videbat ingentes successus: itaque sui regni fines magna vigilantia tutabatur, sed tamen longius progredi versus Thraciam non voluit, sciens se unum, belli molem sustinere non posse, et in foederatis nihil spei esse.

Postea Mahometo mortuo cum filii de regno dissiderent, occasio erat, rei praeclare gerendae, sed tristi Europae fato, averterunt Matthiam a bello Turcico Romani pontificis artes, qui ei titulum tribuit regni Bohemici etiam contra Friderici imperatoris voluntatem. Malebant enim pontifices deleri Bohemicas Ecclesias, quam grassantes Turcos reprimi. Attrahunt igitur Bohemi Casimirum Polonicum, optimum regem, cuius consilii autor videtur fuisse Fridericus. Huic infoelici bello implicitus Matthias alias res salutares Europae omisit. Interea eius copiae in Bohemia et vicinis regionibus vagatae vastitatem in multis locis fecerunt.

Quare et principes in hac Germaniae ora exercitum contraxerunt, et Vratislaviam ad reges accesserunt, et perfecerunt, ut reges hoc infoelix bellum omitterent, et pace facta in sua regna redirent. Postea et reliquias copiarum Hungaricarum in hac vicinia duces Saxoniae et marchio Iohannes deleverunt.

Accensum est rursus bellum Austriacum, nescio qua occasione, non enim extant historiae. In eo bello cum Viennam occupasset Matthias, non multo post in ea urbe mortuus est. Aiunt apoplexia extinctum esse, quam ira vehementior irritaverat. Haec de bellis Matthiae legimus. Domi in iurisdictione, etsi visus est asperior, tamen iustus fuit, et cum literas intelligeret, religionis et virtutis doctrinam, et legit libenter, et amavit. Venerabatur Ecclesiae nomen, et a sacerdotum eruditorum colloquiis de doctrina Ecclesiae non abhorrebat, ac certa tempora invocationi tribuebat. Bibliothecam instruxit magno sumptu, quanta extra Italiam nulla est. Ex hac utiles libri Polybius et Diodorus Siculus primum prolati, typis excusi sunt. Delectatus est maxime historiarum cognitione, quas curavit ex Graeca lingua multas in Latinam transferri sui usus causa, didicit etiam

studiose multa de stellarum motibus et effectionibus.

Ac Ioannis Regiomontani sermonibus et familiaritate ita delectatus est, ut quoties in aulam veniebat, mensae eum suae adhiberet, multa sciscitans, de motibus stellarum, et de variis naturae miraculis. Stipendium etiam huic annuum aureos ducentos dedit. Et multos viros doctos mathematum cultores evexit ad fastigia honorum amplissimorum.

Haec fere de rege Matthia partim legi, partim audivi, et optarim integram eius historiam, ab aliquo diserto gentis Pannonicae viro edi. Nam ad commonefactionem de multis rebus, tales historiae conducunt, ostendunt singulare Dei beneficium esse, salutares gubernatores, et movent ut serio petamus a Deo conservationem mediocris status in imperiis, monstrant discrimina eorum, qui res necessarias et utiles patriae egerunt, et aliorum qui res inutiles moverunt, et intueri nos iudicium Dei iubent, et flectere mentes ad iusticiam et modestiam, ne caecis cupiditatibus impulsi ruamus in poenas. Talium admonitionum exempla, saepe cogitare utile est, ac simul orandus filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, custos Ecclesiae suae, ut et nos gubernet, et hospitia Ecclesiae et doctrinae studia clementer tueatur, et gubernatores nobis det salutares. Dixi.

No. 125. (an. 1551. ?)

De precatione.

In select. Declamat. T. III. p. 666 sqq., Servest. T. III. p. 680. et Richard. T. III. p. 296. — Strobel. in bibl. Melanth. ad ann. 1551. commemorat No. 362. libellum: „Oratio de precatione, scripta a M. Marcello Viteb. 1551. 8. 2 pl." — Aliam orationem περὶ εὐχῶν Melanthon scripsit in usum Bernh. Ziegleri an. 1545. Vid. Epp. Vol. VI. p. 80.

Oratio de precatione.

Etsi omnibus temporibus multa et miranda beneficia confert Deus Ecclesiae, eamque saepe liberat, tuetur et servat in magnis calamitatibus. Tamen inprimis convenit nos praesentia beneficia considerare, eaque praedicare, et pro iis Deo perpetuas gratias agere.

Cum autem aliquot iam annis hoc oppidum, et hanc nostram Ecclesiam Deus multis ingentibus beneficiis cumulaverit, primum instaurata luce Evangelii, et donatis mediocribus Halcyoniis ad colenda pia studia in his motibus Germaniae, non alienum est in omnibus congressibus publicis, cum habenda oratio est, hoc exordio tanquam legitimo uti, ut Deo pro servata Ecclesia et schola gratias agamus.

Etsi enim leve hoc genus videtur esse gratitudinis erga Deum, quod verbis ostenditur, tamen nec amplius praestare possumus, cum fruamur tota natura tanquam usu nobis divinitus data, ut quicquid inde Deo reddimus, de alieno non de nostro, referamus gratiam autori omnium bonorum. Et scimus Deo gratum esse hoc officium, eumque propter filium suum recipere pro cultu.

Deinde postulat hoc et magnitudo benignitatis Dei erga nos. Quis enim nostrum est, etsi adhuc omnia pendent in Dei manu, qui paucis his annis potuisset sperare diutius in his regionibus mansurum nidum aliquem, ubi iuventus doceri et educari possit, et qualiscunque quasi portus teneretur, ubi vox coelestis de voluntate Dei et filio ipsius liberatore nostro sonaret?

Sit igitur hoc quasi auspicium congressus et orationis nostrae, ut simul omnes iunctis pectoribus et votis Deo nunc gratias agamus: cum pro aliis beneficiis, quibus universam Ecclesiam omnibus temporibus servat, tum etiam quod nos saepe in his praesentibus procellis, et quasi fluctibus tempestatum, tuetur et tegit.

Tibi igitur Deus aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui una cum filio tuo et Spiritu sancto, qui ab utroque procedit, condidisti coelum et terram, et collegisti tibi Ecclesiam, ab initio mundi, ex toto genere humano, agimus gratias, nunc quantas animi nostri capere possunt, non solum pro voluntate tua, de liberatione nostra et omnium hominum, per filium, quem voluisti pro nobis fieri victimam, patefacta primum in multis locis, in quibus te ostendisti, ac praecipue olim in medio orbis terrarum et in Hierusalem, sed etiam pro restituta luce Evangelii, in his miseris et asperrimis locis ad Aquilonem. Deinde quod nos tegis miranda clementia, adversus potentiam et insidias diaboli, qui non tantum doctrinam delere, sed et Ecclesiae et salutarium studiorum hospitia perdere conatur. Teque oramus, ut nos et praecipue illos, quibus curam docendi et gubernandi tuum gregem commisisti, clementer tuearis et serves, ut ad posteritatem mediocri foelicitate veram et salutarem

doctrinam, de tua gloria et omnium hominum salute transmittant et propagent, ne sequatur vastitas et barbaries horribilis, qualis oppressit multas gentes, in quibus antea noticia tui fulsit, et tua gloria praedicata et celebrata est, nunc vero vix vestigia tantarum rerum manent. Oramus te, ut nos nostrasque familias et totam posteritatem custodias et gubernes, ut te verum Deum sonemus et celebremus in omnem aeternitatem, ubi cum perpetua laeticia fruemur tua bonitate, et proficiemus in agnitione tua infinita.

Iam vero quia mihi aliquid de more dicendum fuit, non volui anxie laborare de inquirendo argumento, sed illud quod maxime obvium fuit, et de quo utcunque aliquid dicere possem, arripui, videlicet, ut de precatione ad Deum pauca iuventutem monerem, colligeremque unam et alteram rationem, quae adolescentes commonefaceret, ut libenter et frequenter Deo praestarent officium invocationis, quod scimus Deum habere, pro praecipuo cultu, sicut monet textus in Propheta, nos quasi vitulos labiorum nostrorum Deo offerre.

Etsi igitur plures causae a piis colliguntur, propter quas inprimis debeamus nos diligenter ad precandum assuefacere, tamen nunc tantum tres visum est recitare adolescentibus, ad quas solas referam meam admonitionem, ac oro caeteros doctrina et aetate ornatiores magnopere, ut vel propter iuventutem, vel propter publicam consuetudinem, vel propter ipsorum humanitatem, aequo animo me ferant, donec institutum curriculum qualiscunque orationis absolvero.

Dicam autem primum, quod debeamus animos et pectora nostra exuscitare ad precandum, propter mandatum Dei. Deinde propter promissionem, et quod nostrae preces nunquam sint irritae. Postremo quia cottidiana necessitas publica et privata flagitet, ut in nostris miseriis a Deo petamus, et quaeramus auxilium et liberationem.

Primum igitur efficacissime debet nos movere ad precandum mandatum Dei. Scimus enim quoties praecipiatur hic cultus, ut Deum assiduis votis colamus: et fiducia filii Dei petamus ab eo veniam nostrorum delictorum, liberationem a culpa, denique omnia quae nobis et ad salutem et ad huius vitae sustentationem sunt necessaria. Noti enim sunt textus: Invoca me in die tribulationis. Petite et accipietis. Et in Paulo: Sine intermissione orate.

Haec mandata summam necessitatem nobis omnibus imponunt, ut si studium precandi non flagitarent alia pericula animae et corporis, tamen declaranda erat nostra obedientia Deo in precando ob hoc solum, quia Deus hoc opus a nobis requirit et postulat.

Etsi autem mandatum de precatione opponendum est multis impedimentis, quae nos ad hunc cultum faciunt tardiores. Primum enim indignitas, deinde cogitatio de particularitate, quod Deus tantum pios quosdam exaudiat, non quoslibet, languefaciunt pios saepe ut morosius orent.

Tamen quia iuventuti nunc verba facio, eam admoneo, ut et suis impedimentis hoc mandatum opponat, videlicet securitati et negligentiae nimis pravae, quod adolescentes cum vivant fere impetu potius quam cogitatione de Deo, et de suo officio, rarius aut negligentius ideo orant, quia frigidius timent Deum, existimant Deum non curare hanc negligentiam, nec eum irasci illi contemptui, quod nec in caeteris officiis, nec in invocatione praestant illum cultum Deo, quem requirit.

Etsi igitur mandatum tenendum est propter consolationem piorum et infirmiorum, ne conscientia indignitatis aut alio metu difficilius orent, sed sciant Deo gratam esse hanc significationem voluntatis nostrae, quam etiam mandato exigit. Tamen nos nunc si placet, ideo urgeamus mandatum, ut excutiamus animis securitatem carnalem, et ignaviam propemodum Epicuream iuvenibus et aliis usitatam, quasi non multum referat, si omittatur hoc sacrificium orandi et commendandi Deo nos ipsos et Ecclesiam piis votis, et recitatione piarum precum.

Ac procul auferat mihi hic aliquis superstitiosus istam orationem, quae plane est, ut dicitur, *ἀργὸς λόγος*, non esse vel quacunque de causa pios perterrefaciendos severitate mandati, cum ipsi sua sponte in aliis officiis, et in hoc ipso suae fidei testimonia edant coram Deo et hominibus.

Supervacaneum est, inquiunt, mandatis, tanquam praetoriis edictis ad recte faciendum credentes impellere, et quasi vi cogere, cum haec ultro ex corde illustrato fide, proficiscantur. Utque absurdum est dicere, tria et septem debere esse decem, sed esse decem, ita ociosum esse dicunt, si moneas, deberi cultum invocationis et similes Deo, cum renati Spiritu sancto ultro et non coacti haec faciant.

Etsi verum est, haec pios libenter facere, tamen et malos et bonos, opus est mandato urgeri. Malos, ne putent nihil sceleris et impietatis esse in ignavia, et praetermissione officii. Bonos, ut admoniti de ordinatione et voluntate Dei, promptius faciant et ardentius, maiorique animi alacritate, quod intelligant Deo gratum esse, cum animadvertunt necessitatem mandati et voluntatis Dei. Ac videte superbiam humani cordis. Nisi enim homines prophani cogitarent se sine auxilio divino posse res suas gubernare et perficere, non ita securi essent, et ardentius peterent a Deo consilia et successus. Sed quia confidunt, se sua sapientia et fortuna id effecturos quod instituunt, putant superstitiosorum aut miserorum esse, a Deo petere auxilium, sicut Aiax dixit: Aliorum esse vincere Deo iuvante, se autem sine Deo res magnas genere posse. Sed miseros hos ipsos esse, etiam Ethnici iudicarunt. Itaque et Homerus inquit:

εὔχεσθαι πάντες τε θεοῦ χατέουσιν ἄνθρωποι.

Sit igitur haec prima causa, ut cum in universa obedientia studeamus Deo observantiam et officia nostra declarare, tum vero inprimis in invocatione, quae inter praecipuos cultus saepe numeratur, ut nos in Ecclesia scire necesse est.

Ne putes igitur liberum esse, utrum tuas preces toto pectore fundas ad Deum, nec ne, sed scias te contumeliosum et contumacem esse adversus Deum, te provocare iram Dei, te accersere graves poenas, calamitates publicas et privatas tibi, familiae tuae, et omnibus qui tibi coniuncti sunt, si nihil aut segniter ores. Hic igitur debebat copiosius dici de ira Dei, et de poenis comitantibus hanc securitatem et negligentiam, quae etiamsi sunt communes violationi singularum legum, quae in decalogo proponuntur, tamen vel in primis omissionem huius cultus sequuntur. Sed ut brevior sim, transeo ad secundam rationem, quam dixi etiam considerandam esse, ut accendamus in nobis studium diligentius precandi.

Etsi igitur nullum fulmen debebat nos vehementius commovere, ut summo studio tribuamus hoc quasi ius Deo, ut expectemus et petamus ab eo auxilium et liberationem in nostris aerumnis, quam mandatum et voluntas Dei. Tamen debet et nos invitare haec ratio, quod nostrae preces nunquam sunt inutiles aut irritae, sed semper aliquid impetrant a Deo, semper exaudiuntur, sive statim contingat eventus pro nostris votis, sive interdum, ut solet Deus, exercere nostram fidem, differatur id quod petimus.

Nec dubium est mentes prophanas saepe et ideo quasi cessatrices esse in hoc officio, quod cogitant inanem laborem sumi precando, cum saepe non respondeant eventus votis.

Saepe etiam dubitant mentes, utrum Deus exaudiat nos, vel quia disputant de providentia, vel quia terrentur conspectu suae indignitatis, vel propter alias causas.

His igitur novis impedimentis opponas rationem promissionis, et quod nunquam sint inanes tuae preces aut irritae. Semper enim aliquid a Deo impetrant, nec unquam patiuntur, ut ita dicam, repulsam, sive ut dixi, statim Deus tribuat quod petimus, sive longiori mora exerceat nos.

Ac saepe me haec ipsa ratio permovit, ut reiectis omnibus aliis impedimentis animum et oculos ad Deum attollerem, osque ad precandum aperirem, quia venit in mentem promissio, quae nunquam fallit, etiamsi res saepe alio tempore vel modo contingant, quam nos expectabamus.

Et certa est et statim obvia petentibus promissio gratiae et reconciliationis, sicut multa dicta declarant: Ut vivo ego, nolo mortem peccatoris, et Paulus ait: Ideo ex fide gratis ut firma sit promissio; nec nihil huc pertinet dictum Basilii: *μόνον θέλησον καὶ θεὸς πρὸς παντᾷ.* Suus etiam cuique animus testis est, se fide consequi consolationem et liberationem a poenis aeternis, et terroribus ac sensu irae Dei adversus peccatum, quum serio illa petuntur, et fiducia intercessoris filii Dei ad patrem.

Etsi autem ut saepe audimus, discernendae sunt ab hac promissione aliae, quae res corporales offerunt: tamen et illae nunquam sunt inanes aut irritae. Etsi enim nemini cuiquam a Deo promissio tradita est nominatim, de re aliqua pertinente ad usum huius corporalis vitae, ut de liberatione ex morbo, aut aliqua alia calamitate quae nos nunc premit: tamen certum est nostras preces a Deo exaudiri et efficaces esse, etiamsi differtur hoc quod petimus, aut prorsus non contingit. Hoc enim verum est, si hoc non consequimur quod petimus, aliud melius et praestantius longe, Deus nobis confert. Non liberat te Deus ex inopia aut morbo, interea dat vel alia bona corporalia tibi

aut tuis, aut te cumulat uberiore agnitione sui, et donat tibi, ut quarto Psalmo significat, laeticiam interiorem in corde, et initia vitae aeternae confirmat et auget in te.

Scimus enim et hoc ex doctrina Ecclesiae, quod tametsi Deus exaudiat suum populum, et qui eum in invocatione filii Dei colit. Tamen velit eosdem exerceri variis adflictionibus et cruce propter multas causas, quae nunc recitari non possunt.

Ut igitur simul et castiget Ecclesiam et pios erudiat, et revocet ad poenitentiam, item ostendat testimonia immortalitatis, quod post hanc vitam alia restet, in qua vera praemia pietatis consequamur, et propter similes graves causas, quae saepe recitantur, et omnibus in conspectu esse debent, saepe non confert huius vitae praesidia et commoda, sed longe maioribus bonis nos ornat et cumulat, ut coelesti luce Evangelii, iustitia, et gustu vitae aeternae. Pensat et saepe corporales miserias splendidioribus bonis etiam in hac vita. Ut non liberat Iosephum a periculo carceris, postea ille ipse carcer praebet ei occasionem et aditum ad culmen regni. Et tametsi corporales promissiones primum omnium pertinent ad totum corpus Ecclesiae, tamen et membris saepe illa ipsa dantur divinitus quae petunt. Vult enim Deus ali et servari Ecclesiam in hac vita: vult in nobis crescere fidem petitione rerum corporalium: vult nos statuere etiam praesentis vitae commoda, non obiici casu, sed se dante et offerente nos illis potiri, sicut Psalmus inquit, dante te escam illis colligent, te aperiente manum implebuntur etc.

Nullo igitur modo nostra vota aut preces sunt irritae aut infrugiferae, et recte dicitur, in petitione rerum corporalium aliquando Deum exaudire nos non ad voluntatem nostram, sed ad salutem. Quae cum ita sint, quid cessamus aut dubitamus magna cum fiducia afferre ad Deum nostros dolores et gemitus, ut illis medeatur publice et privatim? Sed venio ad tertiam causam, quam institui, quae vel inprimis nostros animos, etiamsi ferrei essent, ad precandum debebat excitare, videlicet infinita et tristissima pericula et mala, in quibus quotidie versamur.

Vulgo celebratum dictum est: Qui nescit orare, debet navigare. Monet autem neminem tam ferum esse et prophanum, quin constitutus in periculis et terroribus, querat a Deo auxilium et petat liberationem.

Sunt igitur pericula nostra publica et privata saepe cogitanda, suntque publicae calamitates manifestae, nec est quisquam, qui ut partem aliquam confert ad causas publicorum malorum, ita postea non partem aliquam etiam communium poenarum cogatur sustinere. Videmus quibus in periculis sit Ecclesia, non tantum ab externis hostibus, et qui vi opprimere veram doctrinam cogitant, sed etiam ab internis, qui impediunt praeceptorum sanctissimos labores et consilia.

Nec consilescent turbae de religione, cum Christus dicat: Non veni pacem mittere, sed gladium. Sunt et interni hostes, domestica vitia, quae etiamsi accersunt poenas et multa pericula scholis et Ecclesiis, ut sunt luxus, ambitio, avaritia, securitas, contentiones, odia, et similes pestes.

In imperiis tanta confusio est et incertitudo, ut ubi Ecclesia sit paulo post habitura sedem aut hospitium, nemo divinare queat.

Quis paterfamilias est, qui si post decem annos revivisceret forte, non cogitaturus sit in qua parte orbis terrarum quaerat suos liberos?

Pompeium cum duobus filiis narrat historia, sepultum fuisse in tribus partibus totius orbis terrarum, Asiae, Aphricae et Europae, hanc longinquam distractionem filiorum et patris, etiam post mortem, bella civilia effecerunt.

Sed illustriora sunt exempla Ecclesiae. Iacob iam senex transfertur in Aegyptum, ibique procul a patrio solo moritur. Postea qualis dissipatio, quanta certamina totam posteritatem ipsius excipiunt?

Nunc de nostris liberis, ubi poterimus divinare eos fore in hac perturbatione et his tumultibus post paucos annos?

Nam etsi nunc Dei beneficio sunt qualiacunque Halcyonia, quae ut diuturna sint, Deum oro. Tamen semper hic est status rerum in quolibet imperio, ut usurpare possis veterem versum:

Interdum pax est, pacis fiducia nunquam.

Publica igitur pericula supra caput sunt, et tanta est eorum magnitudo, ut enarrari non possit.

Quod si quis non putat nec intelligit ea ad se pertinere privatim, sed aliena esse, is perinde

facit, ut si totus mundus flagret incendio, tamen speret se sanum et tutum fore, aut si videat navem suam perire in alto, se tamen speret incolumem emersurum esse, perinde ac cum tempore Nohae totus orbis obruebatur diluvio, aliqui potuerint securi esse, quasi ad se illud universale malum nihil attineret. Sed privatim ut omittam dicere de suo cuiusque sensu poenae aeternae, propter peccata coram Deo, quantum est malorum in quotidiana vita? quantum angustiarum primum in suo cuiusque pectore, etiam propter difficultatem rerum praesentium? Postea quae perpetuitas vel potius perennitas calamitatum, cum semper nova veterem insequatur.

Sic enim Deus genus humanum flagellat cottidie volens, ut nos admoneat nostri officii, admoneat de peccatis, de poenitentia, denique ut nos exuscitet ad invocationem, qui alioqui altum sterteremus, et securi fortassis viveremus epicurum.

Non solum autem externa pericula sunt, sed etiam saepe struuntur piis insidiae arcanae a diabolo, quibus et eorum consilia et mentes praecipitare conatur in peccata, et inextricabilia mala, quae nunquam satis prospici possunt, nisi divinitus petas te gubernari a Spiritu sancto, ut custodiat te, ne uspiam labaris, impingas, decipiaris a diabolo, etiam specie aliqua qualicunque recti.

Omitto commemorationem cottidianarum aerumnarum, quae cuilibet accidunt, in valetudine, in re familiari, in periculis suis et aliorum, quos quisque charos habet.

Denique ut nihil adversi nos adfligeret, omnia essent secunda et tranquilla domi et foris. Tamen vel praecipue in rebus secundis oportebat nos esse intentos in diabolum, qui tum insidiosissime nos captat, cum sunt induciae ab adversa fortuna. Tum enim maxime homines sunt securi, induunt contemptum Dei, dedunt se voluptatibus, ut tali tempore plus periculi sit, ne facilius praecipitemur in exitium.

Vetus versus Ennii declarat cogitantibus, res laetas maxime esse terribiles.

Ac Romanus homo, tunc cum res est bene gesta, corde suo trepidat.

Ita pios vel maxime conveniebat esse sollicitos, et quasi in statione, contra insidias diaboli, tunc cum forte Deus laxiorem quietem donavit. Ac saepe monent sacrae literae, ne incauti tempore tranquillo Dei obliviscamur, sicut et in Moyse dicitur: Sedit populus manducare, ac surrexit ludere.

Quare vel maxime rebus quietis, opus est oratione ad Deum, ut nos regat et contineat in officio, ne abiiciamus eius timorem, et frigidius ac levius curemus eius voluntatem.

Nullum igitur tempus debet vacare piis precibus, quibus a Deo petamus, ut vel rebus tristibus servet nos et Ecclesiam, vel mediocribus nos custodiat, ne eius bonitate abutamur, quae non est rara pestis omnium hominum.

Sed ne longior sim, finem faciam, et adolescentes hortor, ut se diligenter a primis annis ad hunc cultum precationis Deo cottidie offerendum assuefaciant. Addant vero ante omnia et emendationem vitae ac morum, denique operam, ut se instruant cognitione doctrinae coelestis, quae in Ecclesia traditur, ut sciant, fidem debere in omni invocatione praelucere. Non enim placet Deo oratio hominis profani, securi, negligentis et parum sobrii, denique hypocritae, qui est sine fide in filium Dei. Sed ut Salomon inquit: Abominatio est talis oratio coram Deo.

Sint igitur in conspectu semper cum aliae causae, quae nos ad precandum exuscitent, tum vero praecipue mandatum Dei, et vis et efficacia precationis, et nostrae necessitates publicae et privatae quovis tempore.

Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, regat nostras mentes, ut cum vero pectore invocent, et ut vita nostra omnis ei placeat, gloriamque eius illustret, Amen.

No. 126. an. 1551.

De definitione iustitiae.

In select. Declamat. T. III. p. 682 sqq., Servest. T. III. p. 646. et Richard. T. III. p. 420.

Oratio de definitione iusticiae, quae extat apud Clementem Alexandrinum, recitata a Mag. Luca Hetzer, Decano, an. 1551.

Initio gratias ago Deo aeterno, patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, et omnium creaturarum, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu suo sancto, quod Ecclesiam sibi inter nos colligit, et optimae doctri-

nae studia conservat, eumque toto pectore oro, ut propter mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ac certo regnantem in Ecclesia, nos deinceps quoque clementer protegat et gubernet, nec sinat extingui lucem suae doctrinae, sed faciat mansionem in nobis, ut inquit filius: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Haec mecum veris et ardentibus votis petite. Cum autem sapienter institutum sit, ut in his congressibus commonefactio proponatur, utilis aut ad iudicia formanda, aut ad excitandos animos ad virtutem, delegi argumentum, cuius explicatio et erudire iuniores potest, et monet, ut recta discamus, et prudenter caveamus, ne Sophismatum praestigiis a veritate abducamur.

Scriptor fuit post Imperatorem M. Antoninum celebris in Ecclesia Alexandrina, Clemens, qui in refutatione haereticorum intexit interdum historica digna cognitione. Hic narrat quosdam definitionem Iusticiae hanc tradidisse: Iusticia est societas Dei, cum aequalitate. *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ, μετὰ ἰσότητος.* Nec vero de priore parte definitionis multa disserit, sed recitat haereticos posteriorem particulam scelerate interpretatos esse, de tali aequalitate, in qua singuli alienis facultatibus et uxoribus uterentur. Et narrat fuisse alicubi tales fanaticos coetus omnibus sceleribus pollutos, qui tamen specie religionis se populo venditarint.

Miratus sum tam cito post Apostolos inter eos, qui in Ecclesia instituti fuerant, cum disciplina plus gravitatis adhuc haberet, quam in hac delira senecta mundi, tamen furores tantos extitisse, sed ardent diaboli immani odio filii Dei. Quare omnibus temporibus gerunt cum Ecclesia bellum prorsus *ἄσπονδον*, ut vetustas loquebatur, et horribiles dilacerationes efficiunt, sicut statim in initio dictum est: Ponam inimicitias inter Serpentem et inter Semen mulieris. Cum igitur talia exempla legimus, excitentur animi non solum, ut sollicitudo et cura in discendo sit maior, sed etiam ut veris et adsiduis gemitibus petamus, ut filius Dei, qui conculcavit caput Serpentis, depellat a nobis diabolos, et Spiritu sancto regat mentes et pectora nostra.

Ubi animi sunt temulenti et securi, nec pericula sua intelligunt, multo facilius ab hostibus opprimuntur. Ideo et nosse vos haec exempla utile est, et non ociosis mentibus audienda sunt, sed expavescamus cogitatione nostrorum periculorum, sciamus adsidue saevissimum et astutissimum hostem nobis insidiari, et ut scriptum est, circuire velut leonem rugientem, ut querat quem devoret. Adversus hanc belluam et doctrina et invocatione filii Dei nos muniamus.

Te fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, toto pectore oro, ut tua luce nos gubernes, semper Ecclesiam tibi inter nos colligas, et nos custodias, ne fanaticis furoribus animi nostri fascinentur. Fac ut te vera invocatione et vera doctrina celebremus, et facias nos vasa misericordiae. Opem fer infirmitati nostrae, cum quidem introspicias pectora nostra, et scias nos simplici studio quaesivisse veritatem.

Redeo autem ad definitionem, de qua dicere institui. Undecunque haec definitio sumpta est, etsi recens auditor propter novitatem et venustatem eam admiratur, tamen sapienter declaranda est. Primum autem studiosi considerent, de nomine et definitione iusticiae, et olim apud Philosophos et in Ecclesia fuisse magnos disputationum labyrinthos. Nec recitabo aut Platonis argutias, aut colloquium Socratis et Hippiae apud Xenophontem, ubi investigatur definitio. Tantum consideremus, quomodo Ecclesia locuta sit.

Haec plerunque cum nominat Iusticiam, intelligat congruentiam universalem cum norma mentis et voluntatis Dei. Nam quae vera, recta, iusta sunt, eo sunt talia, quia ad illam normam congruunt. Qualis autem sit illa norma, expressit Deus in lege morali. Itaque si dextre intelligatur, satis concinne dicitur: Iusticia universalis est congruentia cum omnibus praeceptis moralibus, eadem est enim congruentia cum mente divina.

Etsi autem toti legi haec infirma natura non obtemperat, tamen hoc modo constituenda est definitio, quia postea saepissime inquit vox divina. Neminem in hac infirmitate naturae iustum esse, id est: Neminem congruere cum mente et voluntate Dei, etiam si quis habet umbras externorum gestuum non deformes.

Rursus tamen aliquos vox Evangelii iustos esse pronunciat, cum quidem fateatur manere in

nobis vitia, quae nequaquam congruunt cum voluntate Dei, seu cum lege. Hic necesse est aliam vocabuli significationem esse. Haec quomodo diiudicanda sint, norunt recte instituti in Ecclesia.

Nec vero ullo modo haec pugnantia conciliari possent, nisi filius Dei ex arcano consilio divinitatis enarrationem protulisset. Manet enim firma et immota sententia in omni aeternitate, insticiam esse congruentiam cum mente et voluntate Dei, quae qualis sit, lex ostendit.

Postquam autem hanc congruentiam natura hominum amisit, et filius Dei deprecator fuit pro genere humano, decretum factum est inenarrabili sapientia, in quo cum misericordia copulata est iusticia mirando temperamento, ut Homo Christus Iesus pro genere humano poenam sustineret, atque ita iusticiae satisfieret, quae aut obedientiam aut poenam flagitat. Sicut ipse redemptor inquit: Venit filius hominis dare animam suam λύτρον pro multis. Et hanc ob causam inquit: Non veni solvere legem, sed implere eam. Haec ipsius obedientia, cum iusticiae Dei satisfaciat, congruentia est cum voluntate Dei. Ideo et Paulus inquit: Factus est sub legem, ut eos qui erant sub lege redimeret, id est, poenam pro nobis solvit, qua nos redempti sumus.

Simul autem decrevit sapientia divina, ut hic filius ab hominibus agnoscatur, et beneficia quae filius adfert, iis tribui adfirmat, qui fide hunc filium redemptorem agnoscunt, et in sensu irae Dei ad hunc mediatorem confugiunt, statuunt vere propter ipsum remitti peccata, se recipi, se placere Deo propter hunc Sacerdotem pro nobis deprecantem. Hac fide cum ex media morte eluctamur, simul in nobis aeternus pater et filius accendunt Spiritu suo sancto in cordibus nostris lucem et motus congruentes menti et voluntati divinae, quae in lege describitur. Fitque id, quod ait Dominus: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Cum autem haec initia sint languida, et multa in nobis ad illam aeternam normam nondum congruant, sancit decretum divinum, filii iusticiam nobis imputari, propter filium mediatorem et umbraculum, tegi nostras sordes, et nos Deo placere, propter ipsius inquam merita, quae ipse nominat λύτρα, et propter ipsum deprecantem nos iustos esse.

Haec iusticia in promissionibus et voce Evangelii patefacta est, sicut Esaias inquit: Livore eius sanati sumus, et significata victimis, quarum interpretatio saepe repetita est, cum dicimur purificati sanguine Christi. Et tamen simul in nobis inchoatur novitas. Sed saepe in Ecclesia lux Evangelii de fide, et illa necessaria consolatione accipiente remissionem propter mediatorem filium obscurata est, vel superstitionibus, vel aliis opinionibus. Monachi finxerunt sua exercitia iusticiam et impletionem legis esse, et mereri remissionem peccatorum.

Alii minus absurda docentes, dixerunt: Iusticiam esse quidem obedientiam congruentem cum norma divina, seu lege, sed non esse tantum gestus nostros, qui humanis viribus regantur, sed esse motus a Deo accensos in nobis. In hac sententia resistit explicatio multorum, cum de iusticia Evangelii loquuntur. Interea de consolatione illa silentium est, in qua fides sustentat nos, intuentes in merita filii Dei, et in eum tanquam propiciatorem, ut inquit Paulus: Quem posuit propiciatorem per sanguinem, fide. Hanc consolationem non sinamus ullis praestigiis obscurari. Iam igitur de definitione illa, quam Clemens recitat, dicam.

Fortassis aliquis reprehensurus opinionem, quae fingit, nostros gestus esse iusticiam, dixit: Iusticia est societas Dei, ut significaret esse non nostros gestus, sed lucem et motus divinos in nobis. Hoc etsi splendide dicitur, et verum est, oportere in nobis accendi lucem et motus divinos. Sed tamen cum nihil dicat de filio Dei, mediatore, de remissione peccatorum, de imputatione iusticiae, non plus dicit, quam Plato, Cicero, Seneca, quorum haec oratio est crebro repetita. Nulla excellens virtus est sine Deo. Scipionis fortitudo, continentia, et caeterae virtutes, motus divini sunt, sed in Ecclesia sciri oportet alia esse beneficia filii Dei, remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, haec cum fide accipiuntur, intuente mediatorem, simul et pectora nostra fiunt domicilium Dei et lucis divinae, sed prius agnosci filium oportet. Non igitur satis esse dicere, Iusticiam esse κοινωνίαν θεοῦ, Nec omittenda est mentio meritorum filii Dei, et remissionis peccatorum, sed retinenda vox Evangelii, quae nos propter filium propiciatorem adfirmat iustos esse. Haec de priore membro definitionis dicta sint, ubi cogitent auditores, quae tenebrae in Ecclesia olim quoque secutae sint, cum conticuit vox de illa iusticia in Evangelio patefacta, quae est, pro-

pter filium Dei donari remissionem peccatorum, et imputatione iusticiae per fidem accensam a Spiritu sancto.

Hac necessaria doctrina omissa, Enthusiastae et similes iactabant suos adflatus, theurgicas virtutes, et similia *θαύματα ῥημάτων,* quae sciebant admirationem ipsis parere apud populum. Deinde multitudine freti, moliebantur nova regna et novas Ierosolymas, sicut fecerunt Pepusiani, et recens Anabaptistae. Quare adversus semina talium furorum, animi vera doctrina et invocatione filii Dei studiose muniendi sunt.

Nunc venio ad alterum membrum definitionis, in quo dicitur iusticia esse aequalitatis conservatio. Hic vides constitutam esse definitionem ex diversis opinionibus, vult iusticiam esse motus divinos in nobis. Postea ne negligeret operum doctrinam, adiecit hanc particulam, *μετὰ ἰσότητος,* hic voluit complecti officia secundae tabulae legis, sed intelligi dictum de ordinata aequalitate necesse erit. Est autem norma aequalitatis mens divina in lege expressa. Olim quoque plausibile nomen aequalitatis armabat homines tribunitios, ut magnos tumultus in civitatibus excitarent.

Quare homines docti magna solertia quaesiverunt, qualis sit aequalitas iusticia. Sagacissime Plato et Aristoteles, ut in numeris viderunt aliam esse numerorum, aliam proportionum aequalitatem, ita viderunt in vita aequalitatem non semper eodem modo intelligi. Emptor dat aequale precium pro merce. Haec est aequalitas et summa et prima. Distribuit poenas iudex. Aliter punit latronem, qui ex insidiis viatorem occidit, aliter temulentum hominem, qui vicino fregit ollam. Hic poenae respondeant delictis, corpus pro corpore pendatur, pro damno pecunia. Utrique iudex aequalia tribuit similitudine proportionum.

Scitis noticiam numerorum atque ordinis in natura primam esse, et in ea maxime conspici quid sit aequalitas: itaque ad perspicuitatem conducit exempla a numeris sumere. Et dulcissimae sunt hae artium et vitae collationes. Sed nos rudius aliquanto hic definitionem, de qua loquimur, enarremus. Iusticiam ait esse conservationem aequalitatis, videlicet ordinatae, ac loquitur hoc membrum definitionis de officiis necessariis in hac communi hominum societate, quam aequalitate conservari manifestum est. Velint parentes eadem bona natis, quae sibi volunt, depellant eadem mala, ut numeri gignuntur, cum ad unitatem adduntur deinceps plures unitates. Ita ad vitam totius coetus tuendam, necessaria est erga caeteros aequalitas. Velis eadem bona civibus, quae tibi vis, depellas eadem mala, sumis ab alio mercem, redde tantundem. Nam si una pars tantum rapiat, altera exhausta fame perit. Ex his initiis potest intelligi, cur vetustas toties dicat iusticiam aequalitatem esse, quod et haec ipsa divina oracula docent: Diligas proximum sicut teipsum. Et: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito. Hic agnoscis aequalitatem sanciri, ut sicut te vis esse incolumem, et tuum corpus, familiam, domum servari, ita velis et alios esse incolumes, et eorum corpora, familias et domos servari. Ex hoc initio caetera iusticiae officia oriri, facile intelligi potest.

Sed quia falluntur interdum homines in conferendis aequalibus, ut Cyrus fallebatur, qui longiorem tunicam ereptam alteri, attribuebat proceriori corpori, addatur in definitione, iusticiam esse conservationem aequalitatis ordinatae. Sit lex divina, norma aequalitatis. Haec ostendit, quae res communicari possint, quomodo in communicatione efficienda sit aequalitas. Sumit emptor ab Agricola frumentum. Non postulet vicissim sibi dari ab emptore coniugem aut filiam, sed rem quae communicari potest. Et fiat exequatio ordinata legibus. Ita sit iustum, *ἴσον νόμιμον,* non aequalitas cupiditate aestimata. Non nominetur aequalitas, rapere alienas facultates, aut coniuges, ut fanatici homines furenter interpretati sunt. Vult Deus te aequalem esse aliis, quomodo? servandis aliis, et in eo ordine tuendo, quem aeterna et immutabili sapientia sanxit. Vult intelligi iusticiam et alias virtutes in genere humano, et honesta et turpia aeterno et immutabili intervallo seiuncta esse, praecipue hanc ob causam, ut ipsum Deum, fontem sapientiae et virtutum agnoscamus.

Quare in virtutum descriptionibus, non ut Epicurei tantum quaeramus, quae res huic materiae corporum suaves sint, sed etiam ordinem intueamur in legibus propositum, quem sciamus testimonium esse de Deo. Haec copiosius declarari possent, sed prudentes intelligunt, quare non addam plura exempla. Illud autem oro Deum fontem sapientiae et iusticiae, ut ipse propter filium, et per eum spargat in mentes nostras suam lucem,

ut et ipsum et virtutum pulchritudinem intelligamus, et inflammet pectora nostra, ut ipsi obediamus, et in omnibus rebus ordinem ab ipso sancitum, tueri studeamus.

Et quia dulce nomen est aequalitatis, discamus quomodo aequalitatem conservari Deus velit, qua in re primum illud videte. Amat et filius Dei primam aequalitatem, quae Arithmetica est. Abiecit se in has nostras miserias, ut esset aequalis nobis in morte et atrocissimis cruciatibus, derivavit in sese iram aeterni patris, adversus tua et mea et omnium peccata, ita nobis factus est aequalis, nos vero sibi facit aequales, copulavit sibi aeterno foedere naturam humanam, ut sit socia victoriae, qua caput serpentis conterit, et nobis iusticiam et vitam reddit, deinde et nos adducit ad aeternum patrem, ut sit Deus omnia in omnibus, ac nos pleni luce divina, laeti Deum in omni aeternitate celebremus.

Hoc exemplum aequalitatis sequamur, agnoscamus quod verissimum est, nos vere sontes esse singulos, et singulorum delictis cumulari publicas miserias. Quod cum verissimum sit, doleamus omnes, et a filio Dei veniam petamus, nec efferamus nos, nec elati, regna nobis queramus, et ambitione moveamus Ecclesiam et Rempu. Deinde bona communicemus amanter, doctrinam, et omnia officia, quae sunt nervi societatis, docti conferant iudicia sine acerbitate, concordiam moderatione animorum tueantur, Doctores fideliter doceant, auditores studiose discant, nemo petulanter turbet pacem publicam. In his ipsis officiis discemus, quantum bonum sit aequalitas, et quae aequalitas Deo placeat. Dixi.

No. 127. an. 1552.

De Capnione Phorcensi.

In select. Declam. T. III. p. 295 sqq. Servest. T. III. p. 280. Richard. T. I. p. 617. Etiam separatim: Oratio continens hist. Io. Capnionis, recit. a Mart. Simone. Witeb. 1552. 8. 2 pl.

Oratio continens historiam Ioannis Capnionis, Phorcensis, recitata a Mart. Simone Brandeburgensi (Decano collegii philos.).

Natura ita fit, ut intuentes ea, quae fiunt in praesentia, non solum queramus cogitatione similia facta antiquitatis, sed etiam ratiocinemur ex initiis similes exitus, quales tunc fuisse legimus. Cum igitur iam in his regionibus et horribile bellum accensum sit, et simul vagari lues ceperit, non solum oraculi recordor, ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ, sed etiam metuo similes calamitates alias, quales in eo Graeciae bello acciderunt, interitum civitatum, legum, disciplinae.

Ac videtis utrumque malum, bellum et luem fere per universam Germaniam nunc vagari, sed huic oppido proprie minitatur positus siderum hoc autumno. Compertum est enim multis veteribus observationibus, praecipue hic grassari pestilentiam, cum Saturnus vehitur in Leone, aut Aquario, et sevicia maior est, cum in Leone et Aquario sunt oppositi Saturnus et Mars. Adfert etiam pestilentiam Saturnus huic oppido, sed minus sevam in terragonis Leonis, Scorpio et Tauro. Etsi autem haec privata pericula sollicitudinem nobis adferunt, tamen multo maiore in dolore sunt omnes honesti homines in his regionibus, propter hos confusissimos tumultus, qui nisi Deus pacem restituet, tetram vastitatem ad posteros effecturi sunt. Oro igitur filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut nobis poenas leniat, et inter nos Ecclesiae reliquias servet, nec sinat deleri disciplinam et doctrinae studia. Quanquam autem ne fieri quidem potest, quin dolor impediat omnes alias cogitationes, tamen, ut remiges in seva tempestate facimus usitatas operas, praesertim cum velit Deus nos sperare Ecclesiam non funditus interituram esse, cui seminaria relinquenda sunt, etiam si magnae difficultates adversantur. Quare nunc quoque noluimus deesse nostrum officium his honestis viris, publicum doctrinae testimonium petentibus.

Utile est autem discentes multa eruditorum exempla nosse, quia de ratione discendi, et de ipsis artibus multas commonefactiones proponunt, eamque ob causam saepe in tales congressus historiae allatae sunt. Nunc igitur historiam Capnionis recitare decrevi, cuius memoria eo gratior esse debet, quia ut excitaret studia linguae Ebreae, quam Ecclesiae necessariam esse manifestum est, primus omnium, qui latinis literis usi sunt, latine Grammaticam Ebream et ὀνομαστικὸν edidit, multosque in Germania et alibi, non solum ad Ebreae

linguae cognitionem, sed etiam ad prophetica scripta maiore cura consideranda invitavit, deinde cerni potest in hac historia, qualis fuerit aetas, quorum industria excitata sint linguarum studia in Italia, Gallia et Germania. Erit hoc quoque iucundum aliquantisper a praesentibus miseriis abduci mentes ad illius aurei seculi considerationem, in quo tam multi docti viri simul vixerunt, quibus propter concordiam et vita et studia dulciora fuerunt, quique operam ad illustrandas doctrinas amanter contulerunt.

Dicam autem initio breviter de patria et adolescentia ipsius. Oppidum est celebre supra Spiram, Phorce, cuius nomen etsi Capnio ludens a graeca origine ducebat, tamen vere est Porta Harciniae. Est enim a Spira ad Sylvam Martianam accessuris primus aditus. Per id oppidum flumen mediocre Entius labitur, quod cum aliis piscibus abundat, tum vero Phagros copiose gignit, qui nostra lingua nominantur Eſchen, et influunt duo flumina in Entium ad moenia. Wormia et Nagolta, qui copiose gignunt Auratas. Et amoenitatem augent ripae, prata et vicini montes, ubi aditus est in sylvam Martianam, et in altero latere agrorum foecunditas et horti. Ut autem alia sunt multa oppidi ornamenta, ita literarum schola ibi frequentior semper fuit, quam in aliis vicinis oppidis. Ibi ex parentibus honestis Capnio natus est, ac fratrem habuit Dionysium, et sororem honestam matronam, quae non ita multo ante ex hac vita decessit. Parentes ut erant amantes virtutis et doctrinae, filios curaverunt doceri literas. Cum autem Ioannes natu maior voce valeret, postquam initia Musicae didicit, in collegio eius oppidi adiunctus est adolescentibus, qui ut multis in locis mos fuit, multa praecinunt in templo. Inde in aulam Badensem ad symphoniacos accersitus est, ubi, quia Grammaticam melius didicerat quam alii, statim adiunctus est adolescenti Marchioni Badensi, et aliquanto post cum eo missus est Lutetiam.

Haec initia fuerunt studiorum puerilium, quae adparet singulari consilio Dei gubernata esse. Fuit enim singularis foelicitas, tunc praesertim cum Germanicae Academiae agrestiores essent, venire in illam principem Academiam orbis terrarum, quae tunc etiam Italiae antecellebat. Venerat enim aliquanto ante Gregorius Tifernas Lutetiam, qui suo consilio ad Rectorem accessit, et suam operam Academiae obtulit in docenda graeca lingua, ac stipendium sibi tribui postulavit, iuxta decretum quod extat in iure pontificio. Rector etsi miratus est hominis peregrini audaciam, tamen ad consilium retulit. Ibi laudata est voluntas Tifernatis et decretum stipendium, et graece docere iussus est. Ita graeca lingua Lutetiam post multa secula rursus invecta est.

Successerat autem Tifernati Hermonymus Spartiata, hunc adolescens Capnio audivit, a quo etiam venuste pingere literarum figuras didicit, qua industria venit in multorum noticiam, et peculium paravit. Petebant enim multi describi ab ipso grammatica elementa, et paginas Homeri et Isocratis qui enarrabantur. Interea simul in lingua latina et in dialecticis Aristotelis exercebatur, quae ita perfecte didicit, ut senex etiam ad verbum longas Aristotelis sententias recitare posset. Aliquot igitur annos bene excultus doctissimorum hominum consuetudine Lutetiae, iam ingressus annum vicesimum redit in Germaniam, et Basileae Magisterii philosophici gradu ornatus, docere ibi linguam latinam et graecam cepit, habuitque studia seniorum et iuniorum non vulgaria. Eodem tempore venit Basileam vir doctissimus Wesselus Frisius pulsus Lutetia, propterea quod errores quosdam Theologorum taxasset. Eius viri ingenium, eruditionem et gravitatem valde praedicabat Capnio, quem quidem recte de eo iudicasse, nunc editis Wesseli scriptis melius intelligi potest. Ibi enim res ostendit, et in Philosophia excellenter eruditum fuisse, et de gratia, de iusticia fidei, de poenitentia, de discrimine disciplinae et regenerationis, de potestate episcoporum, de discrimine ministerii evangelici, et politicae gubernationis prorsus congruere eius sententias cum voce Lutheri. Colebat autem adolescens Capnio senem Wesselum, eo maiore reverentia, quia eum antea Lutetiae noverat, et cum ei familiaris esset, elementa linguae Ebreae ab eo didicit. Narrabat autem ipse Capnio Wesselum hortatorem sibi fuisse, ut adolescens in graeca lingua diutius se exerceret. Eius rei facultas Basileae erat, quia ibi graecos libros, quos Synodi tempore eo adferri curavit Nicolaus Cusanus, inspicere et describere poterat. Eo tempore et fratres Amorbachii officinam typographicam instituerunt, qui cum desiderari viderent latinum *ὀνομαστικὸν*, Capnio librum collegit cui titulus est:

Breviloquus, qui tunc, cum nondum meliores libri in hoc genere haberentur, et expetitus est et studiis profuit.

Quia vero doctrinam Iuris inchoaverat, cuius studia in Gallia maiora esse sciebat, Aureliam profectus est, ubi etsi praecipuus labor erat discere Iuris doctrinam, tamen hortator fuit iuventuti nobili, ut linguam latinam recte discerent, ac enarravit Ciceronis Epistolas, interdum et graece docuit, ibi cum frequens eum nobilitas audiret, quae δίδακτρα, liberaliter dabat, sumptus habuit suorum studiorum copiosos. Ornatus autem gradu in Pictavis, rediit in Germaniam, ac ut Tubingam proficisceretur, invitabant eum et vicinitas patriae, et recentis Academiae, et aulae celebritas, nam et in Academia et in aula eruditorum et bonorum virorum magna frequentia erat, quorum aliqui in Galliis familiares capnioni fuerant.

Ac ut in aulam citius vocaretur, occasio haec fuit, Princeps optimus Eberardus eo tempore Romam proficisci decreverat, quo cum senes Nauclerum, Petrum Arlunensem et Gabrielem duceret, hi monuerunt, ut adiungeretur ipsis Capnio, qui et exteras nationes antea vidisset, et usum haberet latine dicendi et scribendi, et sonum pronunciationis minus horridum. Haec initia fuerunt Capnioni militiae aulicae, fuit enim Principi admodum grata ipsius industria Romae, quia animadvertit libentius audiri Capnionis orationem a summis viris, quam aliorum, qui retinebant patrium sonum.

Non multo post reditum Legatus missus est ad Fridericum Imperatorem, ubi inter Medicos Imperatoris erat Iudaeus Iehiel Loans, quem cum in illis aulicis congressibus semel atque iterum Capnio aliquid de lingua Ebrea sciscitatus esset, et Iehiel videret eum avidum esse eius linguae, admisit eum in familiaritatem et legationis tempore fideliter eum in Grammatica erudiit. Hic cum deliberatio esset in aula de munere dando oratori, ut mos est, Capnio per hunc suum Magistrum perficit, ut donaretur Codice Ebreo pulcherrime et integerrime scripto, continente Moisen et alios libros propheticos. Delectatus est senex et sapiens Imperator studio hominis germani, et ad caetera dona hunc pulcherrimum codicem, qui non potuisset emi trecentis aureis, adiunxit. Flagrans igitur studio, et cognitis rudimentis, et instructus bibliis, ipse iam quantum aula concedebat temporis, tribuit lectioni propheticae. Ita simul et Ecclesiae doctrinam rectius discebat, et in lingua exercebatur.

Cumque iam non rudis esset Ebreae linguae, nova ei legatio et non difficilis ad urbem Romam, facultatem praebuit Romae audiendi Iudaeum perfecte eruditum in sua lingua, Abdiam, ut ipse nominat. Sed priusquam de ea legatione dico, recitandae sunt quaedam aulae Wirtebergensis mutationes, quae hunc etiam non leviter adflixerunt, et multarum rerum exempla continent. Eberardus primus dux Wirtebergensis testamentum condiderat, ut ipso extincto succederet adolescens Ulricus, cui tamen certos tutores et gubernatores addidit, contra id testamentum successit alius, cuius naturam non probaverat sapiens et bonus Princeps Eberardus. Nec fefellit Eberardum sua de illo divinatio, successor potitus ditione, monachum Augustinianum habuit ministrum omnium cupiditatum. Hic quia intelligebat agi apud Maximilianum Imperatorem, ut successor ille removeretur a gubernatione, infestus erat omnibus, per quos ea res agebatur, ac praecipue Capnioni, quem cum decrevisset in carcerem abducere, monitus Capnio, fugit in aulam Palatinam, ubi tunc erant viri ipsi amicissimi, Dalburgius episcopus Vangionum, Plinius Cancellarius, Rodolphus Agricola, et Vigilius.

Videtis et Principum dissimilitudines, et bonorum virorum pericula, qui non raro illud gementes repetunt:

ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Exulabat igitur Capnio, sed in aula Palatina tunc quidem florente, cum et Principis Philippi virtus egregia esset, et multi viri docti simul versarentur, quorum singuli magnas Academias ornare poterant. Talium amicorum consuetudo exilium ei leniebat. Ibi et Philippo Palatino Epitomen historiarum composuit, recitata serie monarchiarum ex Herodoto et Xenophonte, et ex aliis bonis scriptoribus, qui postea res Macedonicas et Romanas descripserunt: ibi comoediam scripsit, Capitis caput, plenam nigri salis et acerbitatis adversus monachum, qui eius vitae insidiatus erat. Ibi et alteram comoediam edidit fabulam gallicam, plenam candidi salis, in qua forensia sophismata praecipue taxat. Hanc nar-

rabat hac occasione scriptam et actam esse. Cum alteram de monacho scripsisset, fama sparsa est de agenda comoedia, quod illo tempore inusitatum erat. Dalburgius lecta illi monachi insectatione, dissuasit editionem et actionem, quod eodem tempore et apud Philippum Palatinum Franciscanus erat Castellus, propter potentiam et malas artes invisus nobilibus et sapientibus viris in aula. Intellexit periculum Capnio, et hanc comoediam occultavit. Interea tamen quia flagitabatur actio, alteram dulcem fabellam edit, et repraesentari ab ingeniosis adolescentibus, quorum ibi extant nomina, curat. Secutae sunt deinde in aula Palatini deliberationes de coniugio Ruperti et filiae Ducis Bavariae Georgii. Cumque Romani Pontificis autoritate comprobari id coniugium vellent, Capnio Legatus Romam missus est, ubi cum diutius anno commoraretur, et ocium ac pecuniam haberet, Abdiam illum Iudaeum studiose audivit, deditque *δίδακτρα*, pro singulis horis, singulos aureos. Ibi tantum didicit, ut postea linguam hanc recte propagare posset.

Tunc etiam Romae audivit Argyropylum publice enarrantem Thucyditen, de quo sui congressus exordia hoc modo narravit ipse. Cum in auditorium venisset ante lectionem, more Legati cum comitatu mediocri, et assiderent ibi multi homines nobiles, senes, Cardinales etiam aliqui, salutat Argyropylum reverenter, deplorat exilium Graecorum, et narrat se cupidum esse doctrinae ipsius. Argyropylus interrogat, cuias sit, et an Graecam linguam intelligat, hic narrat se Germanum esse, et non omnino rudem Graecae linguae. Iubet igitur Argyropylus eum legere partem Thucydideae concionis, et reddere sententiam. Legit clara voce Capnio, et addit interpretationem, cumque et sonus pronunciationis non esset agrestis, et sententia recte et bonis verbis reddita esset, animadvertit Argyropylus, non prorsus tyronem esse in Graeca lingua, et gemens exclamat. Graecia nostro exilio transvolavit Alpes. Ita divinavit senex Graecae linguae cognitionem, quae tunc late spargi coepit, lucem allaturam esse omnibus artibus, etiam in his gentibus horridioribus. Oratio Capnionis de Palatini et nobilissimae familiae Ducum Bavariae reverentia erga Ecclesiam, recitata coram Pontifice, extat ab Aldo edita. Cum Roma in Germaniam rediisset, iam rursus tranquilla erat aula Wirtebergensis. Nam edicto Imperatoris coactus ille successor Eberardi reliquerat gubernationem, et monachus procul fugerat in alias terras, seu potius, *ἐς κόρακας,* et iam gubernatio Duci Ulrico adolescenti sententia Imperatoris tradita erat, sed adiuncti erant ei viri excellentes sapientia et virtute Gregorius Lamparter, duo Naucleri, et alii quidam. Hi revocant Capnionem in patriam. Etsi autem Palatinus eum non libenter dimisit, tamen cum diceret, se ad coniugem et ad ocium domesticum linguae Ebreae propagandae causa redire, et ab aulis velle abesse, non repugnavit honestissimae ipsius voluntati.

Reversus in patriam, cum post bellum Bavari cum iudicium Suevici foederis ita constitueretur, ut Tubingae quater convenirent quotannis iudices et Doctores in eo numero essent, ipse quoque delectus est, eoque uno munere contentus, in studia se abdidit. Scripsit primus omnium Latine magna perspicuitate Grammaticam Ebream et *ὀνομαστικὸν,* addidit postea et Psalmorum aliquot grammaticas enarrationes, ut multis exemplis regulae illustrarentur. His operibus iudicio bene meritum esse de Ecclesia et de tota posteritate. Nam et invitavit multos ad discendam linguam Ebream, et ad cognoscendos fontes doctrinae propheticae, et eorum studia adiuvit. Quod enim postea multi locupletiora scripta ediderunt gaudeo, et gratiam eis deberi fateor. Sed existimo hos ipsos et alios multos fateri, semina huius doctrinae, vel se, vel suos Magistros a Capnione accepisse.

Etsi autem copiose hic dici posset, quam necessaria sit linguae Ebreae cognitio, et quam honestus et pius labor sit, eius propagatio, tamen in re manifesta non opinor opus esse longa oratione, et in hac brevitate temporis vix historia a nobis pertexi potest. Inter caetera dona, quae Deus attribuit Ecclesiae, scitis et linguarum intellectum esse, quae necessariae sunt ad fontes cognoscendos. Ideo non sinit Deus Ebream linguam et Graecam prorsus deleri. Existimemus igitur singulari consilio Dei earum studia excitari, et grati simus iis, quorum laboribus multi erudiuntur.

Venio nunc ad ultimum Capnionis certamen, quod fuit de libris Iudaeorum, in quo a Sycophantis monachis oppressus esset, nisi Deus eum texisset, et fatali quadam conversione rerum, tyrannis monachorum labefactata esset. Cumque palam esset iniuste Capnionem oppugnari a monachis, et multi homines literati in Germania et

in Italia privatis studiis, sententiis et scriptis cum defenderent, non leve odium adversus monachos accensum est, quod postea etiam nonnihil momenti attulit, ut avidius exciperentur scripta contra superstitiones, quae nervi fuerunt regni monastici.

Multa sunt autem insignia exempla in hac historia. Inprimis in Ecclesia hoc crebo accidit, ut iusti et bene meriti, calumniis circumventi opprimantur, ut filius Dei, Prophetae, Apostoli, Stephanus et alii multi interfecti sunt. Nec desunt similia exempla in civili gubernatione, ut Palamedis, Socratis, Phocionis interitus. Et tamen veritas postea emergit, ut dicitur: ἄγει δὲ ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, saepe autem Sycophantae quasi venti, magnas in Repub. tempestates excitant, quae postea mutationes et distractiones infinitas efficiunt. De his malis brevius dico, quia nostra aetas abundat exemplis, ut autem nihil dicam atrocius, cum iniuste oppugnarent Capnionem monachi, ut Socratem Anytus, et Melitus, texerunt eum tamen propter eruditionem multi boni et docti, quorum autoritas impedivit monachorum furores apud Imperatorem et Pontificem. Ut autem iuniores sciant quae fuerit controversia, dicam veras occasiones eius rixae.

Fuit in urbe Colonia Agrippina impostor quidam Iudaeus, qui simulabat se amplecti religionem Christianam, et familiaris erat monacho inquisitori, ut nominant, Hochstrato, et eius amicis. His ostendit magnam pecuniam honesta specie et sine magno negocio Iudaeis eripi posse, si edictum Imperator proponat, ut Iudaei libros omnes adferant in curiam, in suo quisque oppido, ut ab inquisitoribus caeteri libri praeter Biblia, tanquam perniciosi Christianae religioni comburantur. Nec id serio impostor ille agi volebat, sed Iudaeos sciebat statim magna pecunia libros redempturos esse. Eo igitur rem deduci volebat, ut Iudaei pecuniam offerrent, hanc praedam captabat dividendam inter inquisitores et socios huius consilii. Hos fuisse fontes negotii certum est. Petunt igitur monachi edictum ab Imperatore, et religionem praetexunt. Editur edictum, et Francofordiae libri in curiam gestantur. Interea ut multi sunt Iudaei, non ignari communis vitae, in aula imperatoria suos etiam patronos adeunt, qui re eo adducunt, ut Imperator sciscitaretur iudicia eruditorum in lingua Ebrea. Iubet igitur scribere Capnionem quid sentiat. Hic in illo suo hortulo Stutgardiae latitans, ne suspicari quidem potuit, quomodo haec res instructa esset. Et tamen metuens linguae, nolebat libros grammaticos et medicos interire. Scribit igitur sententiam longe mitiorem. Discernit libros. Scripta nominatim contra Christum iubet abolere, eaque suis titulis nominat. Grammaticos vero et aliarum honestarum artium libros iubet conservare, ne lingua necessaria Ecclesiae penitus deleatur. Censet eruditos in lingua adhibendos esse. Haec sententia aequior cum Imperatori magis placuisset, libri in curiam Francofordianam translati, Iudaeis restituuntur, et elusa fraude discedit inquisitor, ut corvus hians.

Tunc autem monacho furiis exarserat atro felle dolor. Lecto igitur Capnionis scripto, calumniose excerpit dicta, et arte depravat, et edita atroci criminatione accusat Capnionem haereseos. Moguntiae corrogatis aliquot suae factionis hominibus, comburit librum Capnionis. Haec belli illius initia fuerunt. Postea Capnio luculentam orationem Latinam ad Imperatorem edidit. Et provocatione ad iudicia legitima, et ad Pontificem se defendit. Pontifex episcopo Spirensi mandavit, ut controversiam cognosceret. Hic delegit iudices viros sapientes et eruditos, Sualbachium, Truchses, et Theologos Capitonem, et Iodocum Gallum, hospitem Erasmi. Hi cum pronunciassent pro Capnione, monachi rursus ad Pontificem provocant. Capnio Romae multo praestantiores habuit patronos, quam in Germania. Iudicio praeerat Cardinalis Grimanus Venetus excellenter doctus in Latina, Graeca, et Ebrea lingua. Et hic adhibuit Petrum Galatinum, cuius extant scripta. Multum etiam apud hunc cardinalem et apud alios valebat autoritate senex eruditus et suavis natus in oppido Mysorum Friberga Iacobus Questemberg, qui summa fide tuebatur Capnionem. Commendavit et Erasmus hanc causam Leoni et praecipuis cardinalibus. Interea lectis in Germania scriptis Capnionis, multi calumniarum odio a monachis fiunt alieniores. Et quasi classicum canebat suo sodalicio Huttenus, hic monachi magis etiam furere ceperunt, vociferantur in concionibus contra Capnionem, Erasmum et Huttenum, edunt picturas, futilibus argumentis propugnant suas superstitiones, quae sunt aucupia impii quaestus, denique malam causam stultissime agendo

deteriorem faciunt, et irritant contra se multo plures.

Cum ita accensa essent hominum studia, Tecelius aliud incendium maius excitat, irritat Lutherum, ut imposturas indulgentiarum refutet. Hic explicata doctrina de poenitentia, et taxatis superstitionibus, magis etiam labefactata est monachorum autoritas. Et Romae occupatis iam animis nova cura, prorsus conticuit causa Capnionis, ut saepe fit iuxta dictum: λύει δὲ συμφορὰ τὴν συμφορὰν. Ita periculo tandem liberatus est Capnio, in ultima senecta, propter bella Suevica invitatus a Duce Bavariae Guielmo, in Academia Ingolstadiensi Graecam et Ebream linguam docuit, postea et Tubingam accersitus est, sed iam egressus septuagesimum annum morbo icterico laborare cepit, ac paulatim languefactus Stutgardiae in sua domo anno 1521. ex hac vita decessit.

In testamento cum alia pie mandavit, tum vero libros Ebreos et Graecos donavit collegio Phorcensi, ita ut ibi in templo publice serventur, et ab omnibus inspici possint. Quanquam autem nunc quidem, postquam officinae typographicae bibliothecas ubique locupletarunt, minor est admiratio eius thesauri, tamen et voluntas Capnionis laudanda est, quod non voluit dissipari libros ab haeredibus, sed in loco certo custodiri, ubi ad posteros etiam plurimis usui esse possent. Sunt autem ibi et scripta nondum edita in officinis typographicis, videlicet Marci Antonini Imperatoris liber, cuius et vetustas mentionem fecit, orationis Maximi Tirii, et alia quaedam, ac ut de caeteris non dicam. Est ibi historia synodi Ephesinae digna luce, ostendit enim quis indixerit, quis praefuerit, quo ordine, et qui viri sententias dixerint. Et recitantur multorum integrae orationes, in quibus ut ab illa erudita antiquitate et ubi tot lumina Ecclesiae suam confessionem ediderunt, diligenter exponitur qualis sit copulatio divinae et humanae naturae in filio Dei nato ex virgine. Cum enim Nestorius naturas distraheret, et contenderet naturam divinam adfuisse humanae, tanquam sociam, ut adest Deus Abrahae, Moisi, Petro, Paulo et aliis piis, hic luculentis explicationibus refutatur, ac ostenditur dissimilitudo inter adsumptionem naturae humanae in filio Dei, et praesentiam qua adest Deus Moisi, Petro, Paulo, et aliis renatis: exponitur quae sit personae unitas, cum videlicet ita sustentatur adsumpta natura in adsumente, ut redigeretur adsumpta in nihilum, si ab adsumente non sustentaretur. Similitudo qualiscunque proponitur. Ut corpus hominis dissolvitur, cum ab anima deseritur. Hac similitudine et Iustinus utitur, sed tamen addit, hoc exemplum non prorsus congruere. Narrat autem liber ille synodum ab Imperatore Theodosio iuniore convocatam esse, gubernatorem vero fuisse Cyrillum Alexandrinum episcopum, non Romanum, Et sententias dictas esse, non tantum ab episcopis, sed etiam ab aliis presbyteris, quorum ibi recensentur nomina. Utile est autem extare monumenta talia, in quibus iudicia veteris Ecclesiae de gravissimis controversiis recitantur. Magnus etiam acervus est ibi librorum veterum, qui lingua Ebrea scripti sunt, sed ingens thesaurus est unus codex, librorum Moisi et propheticorum pulcherrime et emendatissime scriptus, de quo antea dixi. Gratitudo igitur Capnioni debetur, quod hos libros in loco publico posteritati custodiri voluit.

Hanc eius historiam spero vos libenter cognoscere: nam et propter ipsius virtutem et propter merita decet eius memoriam conservari. Servivit Reipublicae in curia et iudiciis, propagavit linguam Ebream Ecclesiae necessariam, vixit modeste, et erga inopes ac praecipue Scholasticos beneficus fuit. Candor in eo eximius fuit, et nihil livoris et obtrectationum. Quare a doctissimis viris ubique diligebatur. Ab Hermolao Barbaro Veneto nomen Capnionis factum esse dicebat ex Germanico, apud quem adsidue fuit toto legationis tempore ad coronationem Maximiliani. Picus Mirandulanus quia Ebream linguam norat, multa ab eo sciscitatus est de reliquiis veteris doctrinae, quam Cabalam nominant. Ac singularis foelicitas fuit eius temporis, eruditorum inter ipsos coniunctio et candor. Nunc successit alia ferrea aetas, in qua ut Cadmei fratres inter se dimicant, hi quos propter studiorum similitudinem, et foedus religionis coniunctissimos esse oportebat. Sed te fili Dei, Domine Iesu Christe, invoco, qui aeternum patrem orasti, ut faciat, ut unum simus in ipso, teque oro, ut miliges publicas et privatas poenas, serves et colligas Ecclesiam inter nos, et plurimorum animos ad veram et salutarem concordiam flectas. Dixi.

No. 128. (an. 1552 ut videtur.)

De ordine politico.

In select. Declam. T. IV. p. 133 sqq. Servest. T. IV. p. 122. Richard. T. II. p. 570.

Oratio de ordine politico; item de periculis et officio eorum, qui adhibentur publicis consiliis.

Etsi magna est senectutis infirmitas, et haec tristissima tempora, Ecclesiarum perturbationes, et ruinae imperiorum, augent grandaevis dolores: tamen iustum est, me Deo gratias agere, quod mihi vitae spacium concessit longius, sicut scriptum est: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum, quia in hac aetatis diuturnitate, (ago enim iam annum sexagesimum nonum) sensus communium aerumnarum, et multae commonefactiones, me de agnitione Dei magis erudierunt, et ardentior est invocatio et firmior fides.

Etsi autem huic languidae senectae vacatio iam a laboribus, et requies tribuenda erat: tamen propter amorem doctrinae, et posteritatis utilitatem, hoc grave onus docendi nondum deposui. Et cum in hoc tam longo usu et assidua cogitatione totius doctrinae nostrae, mea vox multis discentibus prodesse possit: vincit imbecillitatem corporis, cupiditas iuvandi rempublicam, et honestissimorum hominum filios. Cumque multorum parentes mihi amici fuerint, quadam veluti paterna pietate liberis eorum etiam benefacere cupio. Denique retinent me multae honestae causae in hoc usitato munere docendi: quod ut faustum et foelix sit reipublicae, in multis gentibus et posteritati, toto pectore quotidie opto.

Nunc igitur et his honestis viris, hoc loco gratificandum esse duxi, et nomine amplissimi collegii nostri, eos huic nostro ordini, qui legum, iusticiae et disciplinae custos est in vita praecipuus, adiunctos et insertos esse, publice mea voce exponam.

Sicut autem consuetudo est, prius et ipsis, et aliis iunioribus commonefactio de dignitate huius doctrinae, et de officio eorum, quorum voce iudicia et consilia gubernationis reguntur, proponenda est.

Ac primum: Nihil potest dici verius, simplicius et gravius, quam hanc doctrinam et iusticiae imaginem propositam in legibus, congruentem cum sapientia Dei, et nobis divinitus commendatam, primum propter ipsum Deum, monstrantem hos radios suae sapientiae, et sua autoritate sancientem leges: deinde et propter ordinis pulchritudinem, et propter pacem, valde venerandam, amandam, conservandam, et tuendam esse. Ideo noticias discernentes honesta et turpia, iusta et iniusta, indidit Deus humanis mentibus, ut hae ipsae noticiae testentur esse Deum, et ostendant qualis sit Deus: et moneant nos de iudicio divino, et de poenis scelerum: deinde etiam, ut sint rectrices vitae.

Et haec hominum consociatio ac totus ordo politicus, opus et beneficium Dei est: et quanquam varie laceratur diabolicis et humanis furoribus, tamen quantum boni reliquum est, id a Deo conservatur.

Haec cum sint verissima, agnoscamus Dei beneficia, et eis reverenter fruamur: praesertim vero in poenis etiam praesentia Dei conspiciatur.

Manifestissimum est, atrocia delicta universaliter in hac vita puniri atrocibus poenis, ut filius Dei inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de raptoribus dicitur: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Et de libidinum confusione: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

Ac tam multa tristia poenarum spectacula, supplicia publica, morbi, bella, fames, caedes, calamitates sobolis, dissipationes familiarum, discordiae publicae, et multi magni dolores publici et privati, sunt in conspectu, ut sint commonefactiones, ut normam vitae divinitus propositam in legibus discamus et sequamur.

Haec sepe cogitanda sunt de legum fontibus, et de praesentia Dei in conservatione ordinis politici, et in poenis scelerum, ut pectora ad reverentiam legum adsuefiant. Et execrandi sunt omnium furores, qui aut barbarica immanitate leges tanquam carcerem oderunt, aut vanitate ingeniorum et inani ostentatione sapientiae labefactare cavillationibus autoritatem legum et doctrinae Iurisconsultorum conantur.

Hanc totam commonefactionem saepe auditis: quia mandatum Dei est, ut haec ipsa admonitio saepe repetatur, quam quidem et ipse Deus saepe repetit, qui vult in omnium mentibus con-

firmatas esse has sententias: Non casu, non temere, non sine Deo nasci et regi humanum genus: Sed vere esse Deum conditorem rerum, et hunc bonum beneficum, veracem, iustum, aequalem et castum esse: et inspectorem et iudicem esse hominum, dedisse vitae normam, et verissime eum irasci sceleribus, et iram suam iustissimam in poenis declarare.

Has sententias cum velit Deus firmissima assensione teneri ab omnibus, saepe eas et ipse repetivit, et vult inculcari iunioribus, voce omnium docentium, et testimonia in tota rerum natura, et in exemplis poenarum proposuit.

Sed hoc tempore non ero prolixior, ac Deum ipsum conditorem generis humani, et fontem sapientiae et iustitiae, qui se clementer patefecit misso filio, toto pectore oro, ut ipse sibi perpetuo Ecclesiam et in hac regione colligat, et eam gubernet ac servet, et det politica imperia salutaria, et tueatur disciplinam, leges, iudicia, et doctrinam vitae necessariam.

Nunc pauca addam de periculis eorum, qui adhibentur publicis consiliis.

O rem magnam et plenam periculi, quam nequaquam sola humana sapientia sustinere potest: gubernationem consiliorum in Republica, seu in aulis. Nemo, inquit Ioannes, potest sibi quicquam sumere, nisi datum sit ei de coelo. Non potest sola vigilantia humana regere hanc magnam molem negociorum vitae. Sed Deus veris gemitibus orandus est, ut ipse nobis assit, ostendat consilia, et det secundos eventus, sicut scriptum est: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Caeterum hoc requiritur, ut Paulus inquit, ut fideles simus: ac fidelitas opponitur multis malis, adfectatae ignorantiae, negligentiae, et perfidiae. Necesse est artificem afferre cognitionem artis, quam profitetur, ut in lege Aquilia dicitur.

Negligentia perfidiosa est, non adhibere mediocre studium ad ea discenda et inquirenda, quae et disci possunt, et scire artificem necesse est.

Diu iam deliberatum est de generali concilio, in quo de controversiis Ecclesiae pronunciandum est.

Hic cogitate, quanta res sit, sedere ibi iudicem, de gloria Dei, de veritate, de salute animarum, de Ecclesiae incolumitate, ad omnem posteritatem. Hic si iudex sit ignarus doctrinae, de qua ibit in suffragium, deterior est omnibus parricidis.

Itaque rex Iosaphat et diligentiam iudicibus praecipit, et poenam negligentiae ac perfidiae proponit: Non hominis, inquit, exercetis iudicium, sed Domini. Et quidquid iudicabitis, in vos redundabit: Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Praecipit timorem Dei, ne falsa dicant contra conscientiam, corrupti favore aut odio, aut muneribus, vel fracti metu, aut adulatione quaerentes benevolentiam potentum et praesidia.

Deinde iubet et diligentes esse, non solum in causarum et negotiorum cognitione, sed etiam in ipsis legibus considerandis, quorum vocem sonare debent. Iudicem enim oportet esse legis vocem.

Hoc praeceptum legis Iosaphat semper in pectore circumferatur, et saepe cogitetur.

Sunt autem iam, proh dolor, multi in discendo negligentes, qui postea cum adhibentur ad negocia et consilia, quia fontes non norunt, saepe hallucinantur in dicenda sententia. Et aliqui confisi qualicunque Rhetorica, inflectunt se ad voluntates Principum, et praetextus quaerunt, ad ea negotia ornanda, quae grata sunt Principibus. Ita cum veritas et insticia opprimuntur sophisticis praestigiis, sequuntur postea bella et calamitates infinitae. Horum ingentium malorum cum praecipua causa sit negligentia, vel assentatio in suasoribus, cogitate quantae poenae ipsis impendeant: quia sine ulla dubitatione redundabit in eos quidquid iudicaverunt, sicut rex Iosaphat inquit. Et in Ezechiele inquit Deus: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris ei, sanguinem eius de manu tua requiram.

Itaque acuat curam et diligentiam consideratio maximorum periculorum et horribilium poenarum, et semper sitis memores vocis Paulinae: Hoc requiritur, ut fideles simus: id est, nec perfidiosi, nec negligentes. Adferenda est cognitio doctrinae ad consilia, ut recte iudicare possis.

Et mens intueatur Deum inspectorem, iudicem et vindicem: et velit Deo obedire, ac serio petat ab ipso salutaria consilia, et robur animi, ne voluntas frangatur ullo pravo affectu. Non sit

praeceps lingua, sed crebris gemitibus repetat et hoc dictum regis Iosaphat: Cum nescimus quid sit agendum, Ecce oculi nostri ad te Deus tolluntur. Et illud dictum Domini: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Et illud Salomonis: Da servo tuo cor intelligens, ut populum tuum iudicare possit, et discernere inter bonum et malum.

Non existimate Stationem, in quam Deus vos collocat in gubernatione, ludum esse. Specula generis humani est: et vos vult Deus custodes esse religionis, legum, iusticiae, disciplinae et pacis.

Haec optima dona voce gubernatorum Deus tribuit generi humano. Vos igitur summa vigilantia et fide ea tueamini. Non impellat vos levitas ad ambitionem, et ad adulationes: non vincat metus, ut iniustae sententiae approbentur: non odia, non studia factionum accendant animos, ut ruant contra iusticiam, et augeant mala publica.

Magnae sunt insidiae diaboli, qui dissipari genus humanum conatur. Magna rabies est diabolorum, qui odio Dei saevitiam exercent contra hanc infirmam hominum naturam. Ideo sitis vigilantiores. Aliqua ex parte in vestra potestate est, ut normam legum sequamini: et aliquis locus est diligentiae vestrae in discendo et in frenandis affectibus.

Sed adiungi oportet invocationem Dei: et promisit Deus se certo opitulaturum esse nobis, invocantibus eum bona conscientia: quae certe fugat affectatam negligentiam et perfidiam. Sicut scriptum est: Si quid petimus secundum voluntatem eius, audit nos.

Certissimum est, exaudiri vota et gemitus nostros. Sed petamus, non ut vitia aut scelera confirmentur: sed ut conserventur Ecclesia, societas politica, iusticia, disciplina, pax, salutaris gubernatio publica et privata. Hanc admonitionem, quam in hac publica renunciatione testimonii mandato divino, et nomine Reipublicae vobis propono, tenete infixam animis, et saepe cogitate, et ad eam dirigite consilia et actiones vestras.

Oro autem Deum, aeternum patrem Domini et salvatoris nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et aliarum creaturarum, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu suo sancto, toto pectore, ut vestra studia et consilia gubernet, et vos faciat vasa misericordiae, salutaria nobis, Ecclesiae et Reipublicae. Dixi.

No. 129. an. 1552.

De legum iustitia.

In select. Declam. T. IV. p. 142 sqq. Servest. T. IV. p. 150. Richard. II. p. 461.

Oratio de legum iusticia et disciplinae praestantia ac necessitate. An. 1552.

Etsi honestissimum est, et utile Reipublicae, praecipue senes ac praeceptores iudicare de studiis auditorum, et plus autoritatis est in testimonio senili: tamen excusatione aetatis, occupationum et moestitiae uti poteram, ne mihi hic labor publice dicendi imponeretur. Memini senem venerandum doctorem Ebinger in Academia Tubingensi, qui annos quinquaginta sex publice docuit: Et cum propter naturae bonitatem et temperantiam, et totum vitae ordinem vires corporis haberet etiam in senecta minus languefactas, non omisit legendi et respondendi laborem. Sed vixit ille in Repu. tranquilla, ac florente potius Germania, in qua Principum coniunctionem sapienter tuebatur Maximilianus Imp. Et inprimis florebat ducatus Wirtebergensis, legibus et disciplina ducis Eberardi Principis moderatissimi. Non vidit ille senex dissidia dogmatum in Ecclesia, non seditiosas conspirationes Principum contra Imperatorem, non peregrinarum gentium exercitus in Germania: sed cum mediocris esset reipublicae tranquillitas, et domesticae res sine insigni calamitate, placide fruebatur studiis doctrinae suae: leniebat etiam curas precatione et cogitatione de Deo. Habuit et solatia domestica non ingrata, duos filios iuris doctores: et ex his dulcissimos natos, qui avum comitabantur euntem in hortum, in quo erant operarum socii.

Ego cum iam Dei beneficio ingressus sim annum secundum et septuagesimum, cum et docendi, et respondendi adsiduitatem sustineam, quanta in moesticia sum? Incidit enim haec mea senectas in magnas Ecclesiae et imperiorum confusiones, quarum cogitatione valde excrucior. Sed hac me consolatione firma, et nequaquam irrita, erigo et sustento, quod scio filium Dei, Do-

minum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, conservaturum esse, etiam in hac vita, Ecclesiam suam usque ad resuscitationem mortuorum: et quidem ibi servaturum esse, ubi erunt studia verae doctrinae. Sed tamen dissidia huius temporis non levia, et bella, magnum mihi dolorem adferunt. Accedit et domesticus luctus, amissa honestissima coniuge.

Quanquam igitur hortator eram, ut alius hunc laborem susciperet: tamen hi mei auditores petebant, ne ipsorum honori deessem: et praecipue honestissimus vir, frater mei generi charissimi, Andreas Zoech: quem ita diligo, et propter virtutem, et propter adfinitatem, ac si filius meus esset. Hi orabant, ut ad caetera paterna beneficia adderem et hanc honorifici testimonii renunciationem. Cum igitur eos paterno amore diligam, nolui tandem refragari. Pauca vero, ut in hac moesticia mea et publica, dicam: ut extent admonitiones nostrae in hac senecta repetitae coram Deo, et coram his coetibus scholasticis, qui sunt praecipui.

Primum igitur vos obtestor propter Deum, et coram iudicio Dei, ut agnoscatis, leges, iusticiam, disciplinam rectricem vitae, et politicum ordinem esse res a Deo ordinatas, et nobis monstratas, et magna beneficia Dei: et postulare Deum, ut haec sua dona magnifaciamus et conservemus: et per ea agnoscamus, qualis ipse sit, videlicet sapiens et iustus: et sciamus, ipsum velle ut congruant homines cum ipso: et vere vindicem esse, cum homines contumaciter violant normam suae iusticiae. Haec verissima sunt, et saepe repetita in scriptis Prophetarum et Apostolorum.

Sed iuniores, et alii homines impatientes legum et freni, non considerant qualis sit Deus, ad quid condiderit homines, et quod transfuderit in nos radios suae sapientiae et iusticiae, et velit nos conformes esse suae naturae. Ideo horribili audacia negligunt legum et iusticiae doctrinam, et sequuntur suas cupiditates. Hinc oriuntur in genere humano iniuriae, discordiae, bella, vastationes gentium, et infinitae calamitates. Et punit sapiens et iustus Deus furores hominum, praesentibus et aeternis poenis.

Tanta est magnitudo harum rerum, ut nec Angelorum, nec hominum eloquentia huic magnitudini par sit. Sed quo magis senesco, et Deo illustrante pectus meum, plus cogito de Deo, et de creatione hominis, et de instituto vitae ordine: eo magis doleo tantam esse caliginem in natura hominum, ut adeo negligenter consideret Deum et eius voluntatem.

Hoc autem facio, quod est nostri officii. Moneo vos, ut procul fugiatis omnes illos, qui legum nostrarum doctrinam contemnunt, et rumpere nervos iusticiae et disciplinae conantur. Hos certum est et hostes Dei esse, et suis cupiditatibus infinitam licentiam quaerere, et praebere caussam dissipationibus et vastationibus generis humani.

Hanc admonitionem scitis a me, et ab aliis recte sentientibus saepe repeti: quam scitote vere esse commonefactionem a Deo traditam: Et Deum esse vindicem, et horrendis poenis delere contemnentes hanc suam sapientiam.

Hic autem deplorandum est commune malum. Errantibus cupiditatibus multa iniusta conantur potentes, quae ut facilius agant, quaerunt praetextus iuris, et inveniunt tinctos doctrina, qui malis consiliis fucos quaerunt. Haec est duplex iniusticia, ut Plato dixit: Scelerate facere, et scelera adprobare tanquam iusticiam. Hoc ingens delictum accusat vox divina, inquiens: Vae vobis qui dicitis malum esse bonum, et bonum esse malum. Propter hoc, sicut ignis stipulam devorat, sic peribitis, sicut favilla.

Huius iudicii exempla cernuntur omnibus aetatibus plurima. Iudaei praetextu religionis, et libertatis promissae in lege, saepe violarunt foedera cum regibus Babylonicis facta: postea Romana foedera tantum patriae, et sibi exitium attraxerunt. Vidistis in Germania aliquoties his speciosis titulis arma infeliciter sumpta.

Ut autem recte consulere gubernatoribus possitis, primum doctrinae fontes cognoscantur, et sequenda est norma in iure divino et humano scripta: non fingendae sunt opiniones propria petulantia, accommodata ad factionum cupiditates. Deinde sit etiam iusticiae amor, et tale animi robur et firmitas, ut constanter veras et iustas sententias tuearis, nec inflectas ad potentum voluntates. Ita in omnibus qui ad consilia adhibentur, necessariae sunt hae virtutes: cognitio doctrinae, veritatis amor, iusticia et constantia, veritatis et iusticiae conservatrix.

Ut in Papiniano, qui maluit interfici, quam defendere Imperatorem, qui fratrem interfici curaverat.

Et in Cassio Longino, cui et oculi effosi sunt, et adempta est patria. Et memini ipse excellentem sapientiam, iusticiam et constantiam fuisse in amico charissimi patris mei, Doctore Gregorio Lamparter, cancellario Ducis Wirtebergensis, qui maluit exulare, parte facultatum relicta, quam probare et adiuvare turbulenta consilia eorum, qui tunc movere bellum non necessarium conabantur.

Etsi rara sunt haec exempla, sicut in hac magna infirmitate generis humani semper plus est viciorum, quam virtutum: tamen erunt aliqua, et vos praesertim, qui scitis diabolum insidiari toti humano generi, et Sophismata spargere, ut sint faces bellorum et vastationum, vigilantiores esse debetis, ne sitis organa diaboli, et vasa irae, et pestes generis humani.

Ut igitur Medicum necesse est, instructum esse cognitione suae artis, si volet aliis mederi: deinde et labor et assiduitas, et fidelis animus adsint: ita in his qui adhibentur ad gubernationem, primum sit cognitio doctrinae de iusticia: deinde sit voluntas, quae in dando consilio regatur timore Dei, et non velit iniustas cupiditates ullorum hominum sciens armare contra Deum, et contra patriam. Hanc regulam sequenti Deus aderit, et honestis consiliis dabit salutares eventus. Sicut scriptum est in Salomone, de sapientia Dei: Penes me est consilium et successus. Deus sapiens et iustus, coherceri vult genus humanum intra metas, quas sua sapientia et iusticia constituit. Hoc cum facimus, ipse dat prosperos eventus. Contra vero, astuta consilia contra iusticiam, etiamsi initio videntur utilia, tamen Deus post exiguum tempus ostendit iudicium suum, horribilibus poenis eorum, qui iusticiam violaverunt. Vult enim Deus in genere humano, etiam in hac vita, conspici illustria testimonia, quod sit sapiens, iustus, et vindex. Et prorsus non dubium est, atrocia delicta puniri etiam in hac vita atrocibus poenis. Multi autem scelerati etiam in aeternas poenas ruunt, quia non rursus ad Deum convertuntur.

Iam cogitate quanta sit miseria, postquam aliquis sciens et volens dedit perniciosum consilium. Primum ipse factus est hostis Dei, aliorum multorum furores confirmavit: Ita reus est irae Dei, propter sua et aliena peccata.

Deinde cum certum sit, sequi poenas etiam in hac vita, semper erit in metu: et post exiguum tempus adficietur suppliciis, sicut Dionysii tyranni praecipuus consiliarius, et adiutor saeviciae, comprehensus tandem, tractus est per urbem Syracusas vivus, et laceratus candenti ferro.

Habuit magnam laudem sapientiae Achitophel, qui cum favisset sceleratis consiliis Absolonis, postea sese strangulavit. Etsi autem in talibus poenis, corporum cruciatus magni sunt et saevi: tamen maiores et saeviores sunt animi dolores, qui existunt, cum se, cum patriam, cum totas gentes vident iis consiliis, quae vel dederunt, vel adiuvarunt, perire: et sentiunt iram Dei. Et multi in his doloribus ruunt in poenas aeternas.

Quare vos et adhortor et obtestor propter gloriam Dei, et propter vestram et multorum hominum salutem, ut iudicium Dei intueamini, et maiore cura recte discatis, et sententias veras in curia et in iudiciis monstretis: nec spe utilitatis, nec metu periculorum ad adsentationem inflectamini.

Considerate etiam exempla iudicii divini, quae omnibus aetatibus multa cernuntur: quorum cogitatione vos confirmate.

Hanc orationem recitavi, non ut adolescentes ingenia exerceant, sed, ut senex mandato divino commonefactionem proponens, quam Deus saepe repeti vult in toto genere humano, ut agnoscamus ipsum esse sapientem, et iustum, et iudicem, et ei obtemperemus. Oro autem hunc ipsum verum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, et conservatorem Ecclesiae et societatis humanae, ut propter filium, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, semper in his regionibus aeternam Ecclesiam sibi colligat, et servet hospitia Ecclesiarum, et tueatur disciplinam et doctrinae studia, et vos regat Spiritu suo sancto: et faciat vos vasa misericordiae, et organa salutaria Ecclesiae, Reipublicae, et vobis. Amen.

No. 130. a. 1552.

De Eberhardo Duce Wurtemb.

Prodiit: „Oratio de illustri Principe Eberhardo, Duce Wirteb. recitata a Ioh. Schneidewein. Witeb. 1552. 4. 2½ pl." (An alia: „Oratio de Eberhardo duce Wirteb. Acad. Tub. fundatore, Norib. 1777. 4.", quam Strobelius commemorat in bibl. Mel. no. 744 eadem sit, nescio.) Recusa in select. Declamat. T. III. p. 161 sqq. Servest. T. III. p. 154. Richard. T. II. p. 778. Cf. Ep. Mel. d. d. 25. Dec. an. 1552.

Oratio de Eberardo, Duce Wirtebergensi; recitata a Doct. Iohanne Schneidewein, cum gradus decerneretur Doctori Georgio Müller, Mansfeldensi, an. 1552. (cf. Scripta publ. T. I. p. 414.)

Ut navis Pauli in mediis fluctibus, rapido Typhone agitatis, qui et antennas et remos fregerat, vere tamen divina ope servatur, donec in portum venit: ita non dubium est, inter tantos diabolorum et hominum furores, qui dissipare et delere genus humanum conantur, quantum politici ordinis, et humanae societatis, educationis, institutionis, legum et iudiciorum reliquum est, a Deo ipso conservari, et legum vocem vere esse sapientiam Dei, rectricem vitae humanae, de qua dicitur: Per me Reges regnant, et iudices iusta decernunt, et quidem, ut propter Paulum laceratio navis impeditur, ita ut colligi Ecclesia, et haereditas filio Dei possit, pars generis humani a Deo servatur.

Haec cum sint verissima, valde dolendum est, paucissimos homines agnoscere conservationem vitae politicae, leges, ac iudicia, vere esse opera Dei, et testimonia praesentiae Dei inter nos, et in ipsa curia, et in familiis nostris. Pauciores vero amare et venerari haec divina munera. Sed multi et Deum removent a gubernatione, et casu omnia volui putant. Leges vero, iudicia, poenas, oderunt tanquam carcerem, et cogitant vincula esse potentum arbitriis excogitata.

Etsi autem semper multi coeco furore Deum et res divinas horribiliter contemnunt, tamen Deus in hanc nos stationem collacavit, ut furores illos constanter taxemus, et veritatem illustremus, ut extent de ipso testimonia, ac ut aliqui sanabiles, nostra commonefactione flectantur ad virtutem. Saepe igitur repetimus hanc verissimam doctrinam, quae adfirmat totum ordinem politicum, sapientiam Dei, opus divinum, et testimonium praesentiae Dei inter nos esse, et beneficia divina salutaria nobis, plurima complecti, et praecipue propter Deum autorem, venerandum et reverenter tuendum esse: deinde etiam eo amandus est ordo politicus, quia maxime convenit homini intelligere, et amare sapientiam, et discernere eam a furoribus et mendaciis.

Sed magis moventur homines utilitatis consideratione. Quae res autem alia vitae utilior est, quam haec civilis societas? Nam vita hominum sine multorum officiorum communicatione, et sine communi defensione retineri nequaquam potest. Sunt autem nervi societatis leges, imperia, iudicia, poenae. Et custos est huius utilitatis etiam ipse Deus: nam tunc quoque cum Magistratuum autoritate compesci homines violenti ac scelerati non possunt, Deus ipse adest vindex, et punit scelera, simul ut ostendat se esse iustum, et ne dissipetur, ac deleatur genus humanum, sicut inquit filius Dei: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Nec dubia est regula: Atrocia delicta comitantur atroces poenae in hac vita.

Cum igitur manifestum sit, ordinem politicum Dei opus esse, cumque sit in conspectu utilitas, exuscitemus animos ad considerationem et amorem tanti boni, et frenari cupiditates nostras hac norma divina patiamur. Saepe etiam cum intuemur furores hominum turbantium hunc ordinem, ut in navi Paulus faciebat, nos quoque Deum conditorem generis humani oremus, ne fluctibus opprimi has nostras politias, nostras familias, nostra tuguriola, templa et scholas sinat.

Te igitur omnipotens Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et omnium creaturarum, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, sapiens, verax, bone, iuste, vindex, caste, liberrime, oro, ut propter filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, semper Ecclesiam aeternam inter nos colligas, et gubernes, et propter eam serves et protegas haec hospitia, et hos nidulos nostros, et leges et disciplinam.

Haec vota quotidie veris gemitibus repetenda sunt, quae quanquam magnis fluctibus nostra navis quassatur, tamen non erunt irrita. Nota est enim iuramenti vox: Amen Amen dico vobis:

Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Hanc commonefactionem de reverentia debita ordini politico breviter nunc repetivi, quia saepe alias eadem de re copiose dicitur. Et tamen in his congressibus, in quibus praecipue legum dignitas ornanda est, non prorsus omitti potest. Nunc exemplum addam iusti et salutaris Principis, et qui leges et legum custodes viros doctos summa reverentia coluit. Recitabo enim historiam principis Eberardi Ducis Wirtebergensis, qui cum excelleret sapientia et iustitia, primus dignitate Ducem in ea familia, quae tamen vetustate et rebus gestis clarissima erat, ornatus est. Nec miremini de peregrino Principe dici. Nam et omnium virtus ubicunque sunt, aut fuerunt, laude digna est, et turpitudo digna odio et vituperatione, et exempla ad omnes pertinent. Deinde nos in hac Academia non prorsus alienum esse ducamus, Cum enim sit *οἰκιστὴς* Academiae Tubingensis, unde quasi Colonia deducta est haec nostra Academia, decet nos ipsius quoque gratam memoriam retinere.

Deinde et quandam habeo privatam huius officii rationem. Fuit excellens virtus Comitis Stolbergensis, qui pater eorum fuit, qui nunc vivunt. Hunc Eberardus ille natum ex sorore ita educavit, et adsuefecit ad iustitiam, et ad alias virtutes, velut Chiron aut Phoenix Achillem, ut postea gubernatio eius patriae salutaris fuerit. Et quia Comes Boto in hunc virum, tanquam in exemplum intuebatur, multa ipsius dicta et facta recitabat, quare adhuc eius Principis memoria nostri delectantur.

Optarim autem nos copiosiorem eius historiam habere. Sed cum haec pauca exempla quae audivi, literis digna sint, et vitae utilia, satius est mutilam historiam extare, quam nomen tanti Principis in oblivionem venire. Nec dubito vobis omnibus hanc veram commemorationem gratam fore. Etsi enim semper pauci boni sunt, tamen propter gloriam Dei celebranda est virtus, et naturae non monstrosae, intuentes honesta exempla, virtutem magis intelligere discunt, et amore eius accenduntur.

Ac priusquam de familia dicam initio, fines describam, quibus propemodum nunc inclusa est universa ditio Wirtebergensis. Pene quadrangula est regio, ac latus meridianum est a fontibus Danubii ad Ulmam usque. Latus occidentale a fontibus Danubii Sylva Martiana est, ut scriptores depravato nomine appellant, ad oppidum usque, cui nomen est porta Harciniae, vulgo Pfortzen. Latus septentrionale a porta Harciniae ad Neccharum, et vicina iuga Sylvae Francicae. Flumen Coccharus pene latus quartum ad ortum constituit. Fere ubique regio gignit frumentum et vinum, et magna est oppidorum et pagorum frequentia. Naturae hominum beneficae sunt, et invictu mediocris mundicies est, et si recte regantur, non contumaces sunt.

Arx est non procul ab Eslinga, cui Wirteberga nomen est, unde Comitum vetus adpellatio est: oppida in extremis oris olim partim ad Francicum Ducatum, partim ad Suevicum pertinuerunt: media pars, quae est uberrima, fuit Comitum Wirtebergensium inde usque ab Imperatoris Henrici Quinti tempore. Apud hunc enim fuit Ductor exercitus excellens consilio et virtute Comes Wirtebergensis, qui tenuit oppidum Groningen Wernherus, a quo deinceps orti sunt comites, qui in hac familia recensentur. Vetus adpellatio huius regionis apud Ptolemeum haud dubie est Charitini, quod a nomine germanico, quod hortos significat, factum esse videtur, ac significat veteres etiam ubertatem et amoenitatem loci celebrasse.

Usitatum autem fuit ante hunc Eberardum, de quo dicam, cum duo fuerunt fratres, ita dividere patriam, ut alter teneret Stutgardiam, et caetera oppida Franciae propiora, alter Urachium et vicinam Tubingam. Hanc horridiorem partem tenuit comes Ludovicus, qui coniugem habuit sororem Palatini Friderici, cuius nomen celebre est, propterea quod in uno prelio tres principes non procul ab Heidelberga cepit.

Ex his parentibus nobilissimis nati sunt Eberardus et Mechtildis, postea nupta Landgravio Hassiae, et Elisabeth nupta comiti Stolbergensi. Sed de Eberardo nunc dicam. Cum pater immatura morte extinctus esset, mater et praecipui viri ex ordine equestri gubernarunt et patriam et adolescentem. Sed excellens in matre fuit virtus, quae filias summa gravitate rexit, adolescens filius paedagogum habuit virum honestum, Iohannem Nauclerum, cuius adhuc extant monumenta, de

quo postea plura dicam. Sed narrat ipse, tutores prohibuisse, latinam linguam doceri adolescentem, fortassis ne diu in studiis literarum retineretur, ac scribit Nauclerus, saepe Eberardum, cum postea conventus imperii, et exteras nationes adiret, cum insigni significatione doloris improbasse haec mandata tutorum, ac dixisse, nemini magis opus esse cognitione doctrinae et linguarum, quam Principi. Et postea sibi doctissimos homines adiunxit, a quibus et Ecclesiae doctrinam integre, quantum posset, disceret, et fontes doctrinae Iuris et historias cognosceret, ut deinde dicam.

Egressus ex adolescentia, in ipsis initiis gubernationis suae profectus est Ierosolymam, et quia studio tenebatur videndi vestigia filii Dei, impressa illi regioni, in quibus illustria testimonia coelestis doctrinae edita sunt, et quia respublicas alibi, et peritorum hominum sensus, et mores cognoscere cupiebat. In ea peregrinatione et multa didicit, et virtus eius in periculis et laboribus perferendis crevit, et cum in omnibus deliberationibus et actionibus iam diligentior et gravior factus esset, reversum magis admirari, et diligere patriam coepit.

Inciderunt autem exordia gubernationis ipsius in tempora satis tristia. Agnatus comes Ulricus gessit bellum infoelix cum Friderico Palatino, incitatus ab Alberto Marchione, a cuius belli societate ut abstineret Eberardus, mater perfecit, in qua erat excellens prudentia et virtus. Interea et Carolus Burgundus Germaniam turbabat, et Mahumetus capta Constantinopoli et vastata Graecia bellum transferebat in Pannoniam, et aliquanto post Maximilianus gallicis artificiis captus est.

In his publicis impecii periculis non adiunxit se ullis factionibus. Sed haec duo praecipua esse Principis officia dixit ipse: Primum adiungere se ad Imperatorem et ad imperii senatum, et cum his velle tueri communem patriae salutem, ut in animantibus singula membra toti corpori opem ferre conantur. Deinde consulere et saluti subditorum. Quare auxilia Imperatori Friderico, et deinde Maximiliano fideliter misit, duxit et ipse exercitum in Belgicum magno sumptu ad Maximilianum liberandum: et cum frugalis esset, hos sumptus sine magnis expilationibus sustinuit.

Liberato Maximiliano cum iam mediocris in Germania tranquillitas esset, et in eo, aetate et usu rerum prudentia crevisset, et post agnati mortem comitatus utramque partem regere coepisset, praecipue hoc egit, ut sibi viros sapientes et eruditos adiungeret, quorum audiret consilia de maximis rebus. Viderat enim et Imperatoris aulam, et Venetam gubernationem, et aulas Ducem Saxoniae, Ernesti et Alberti, ubi ad negocia docti homines adhibebantur. Quare et ipse viris nobilibus addidit Doctores, inter quos excelluerunt Petrus Arlunensis et Ioannes Nauclerus, et post hos Capnio.

Ac ut tota regio ornaretur doctrina, et fieret cultior, et in Ecclesiis maior lux esset doctrinae de Deo, Academiam constituit Tubingae, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, in quam accersivit multos doctos viros in doctrina Ecclesiae, Iure et aliis artibus. Fuerunt ibi Iuris consulti Uranius, qui etiam ex Italia consulebatur, Gregorius Lamparter Imperatori Maximiliano admodum familiaris. Theologi clari fuerunt, Gabriel Biel, Summenhart, et Wendelinus qui Duci Eberardo familiarissimus fuit. Erant autem horum omnium mores casti et sancti. Et Wendelinus, cum adsiduus lector esset sacrorum librorum, et Augustini, agnoscebat multa errata esse in scriptis Thomae et Scoti, et similium, et satis libere in scholis doctrinam de gratia sinceriorem tradebat. Hic Principem audiebat petentem absolutionem, hic eum de beneficiis filii Dei erudiebat, collecta etiam germanico scripto summa doctrinae.

Capnio historiam continuam de monarchiis contexuit, et elementa Iuris civilis, quae utcunque viam ei monstrarent in iudicando.

Quanquam autem latine ignorabat, tamen et Theologorum et Iuris consultorum disputationes adibat, et sciscitabatur suos, qua de re disputatio instituta esset, et si quid dignum consideratione propositum erat, iubebat ut germanice interpretarentur. Interdum et ipse suas cogitationes inter doctores palam proponebat, ut controversia magis explicaretur.

Plerumque cum Tubingae fuit, dimisit comitatum in arcem. Ipse divertit ad Naucleri domum exiguam, sed vicinam templo. Fuit enim huius viri et eximia eruditio et summa integritas, et ut Capnio de eo praedicabat, in iudicando singularis rectitudo. Ibi cum ante lucem surgerent, dicta

precatione, postea tribuebantur tres horae deliberationibus, et aderant scribae, quibus mandata dabantur de formandis responsionibus, deinde ibant in templum. Post sacrum usitata hora prandebant simul in illa ipsa Naucleri domo, et vocabantur duo aut tres alii, tum Doctores, tum viri nobiles. Nec adparatus splendidior erat, quam solent ibi mediocrium civium prandia esse. Sed colloquia tantis viris digna erant plena sapientiae de Ecclesia, de doctrina divina, de gubernatione publica, de praesentibus periculis.

A prandio patebant aditus ad ipsum omnibus, qui eum alloqui volebant, aut supplices libellos adferebant. His placide respondebat, ac tempora eis constituebat petendi responsa. Cum frumentum aut ligna pauperes petebant, mandabat fidelibus hominibus, ut statim dari curarent, quantum iubebat. Etsi enim parsimoniam et amabat et tuebatur, tamen erga pauperes beneficentiam exercebat. Postea tribuebat aliquantulum temporis quieti aut somno. Deinde ad vespertinas preces accedebat, in quibus plerumque legebat scripta de doctrina Ecclesiae. Deinde ante coenam rursus conveniebant ad deliberationes, aut recitabantur literae prius formatae.

Coenam volebat esse hilariorem et conditam dulcedine sermonum, ne somnus impediretur, quem saepe ei moles curarum excutiebat.

Talis erat aula in illo tuguriolo senis doctoris, quae modestia, sobrietate, castitate par erat Eremitarum Pauli et Antonii congressibus, utilitate antecellebat, quia horum deliberationibus regebatur tota ditio, et iustitia, pax, disciplina conservabantur.

Constituta forma gubernationis in patria, deinde Romam profectus est. Ubi cum in templo, proxime astans ipsi Cardinalis interfectus esset, postea non diu mansit. In itinere honorifice exceptus est Florentiae a Laurentio Mediceo, ac valde admiratus est eius viri sapientiam, et in omni sermone et actione gravitatem. Postea Mantuae uxorem duxit filiam Marchionis Mantuani, natam matre germanica, filia Marchionis Brandeburgensis, ex qua ei filia tantum nata est. Et quanquam postea non peperit, tamen semper cum ea amanter vixit, et adfirmabat doctor Wendelinus, fidem et castitatem coniugalem nunquam ab eo violatam esse.

In communibus imperii negociis conferebat pecuniam, et mittebat milites officiose, quoties opus erat. Sed domi bella non movebat, et quanquam saepe iniuriae dolore valde accendebatur, tamen populi salutem irae anteferebat.

Ac ut erat in privata vita et in tota gubernatione severus custos iusticiae, ita adversus latrocinia vigilans et acer fuit. Cumque propter Suevica bella ante ipsius gubernationem multi latrunculi passim grassarentur, brevi suo labore et suis periculis perfecit, ut nulla regio minus esset infesta latrociniis, quam ista.

Nam ipse cum delectis equitibus suspecta loca adibat, et aliquoties magno cum periculo deprehensos coepit, et postea suppliciis adfici curavit, nec metuit cognatorum Nobilium odia, nec ambitiosis intercessionibus eripi eos poenae sinebat.

Saepe tempore Francofordiani mercatus, ipse se inter equites in via, et in oppidis ostendebat mercatoribus, ut eius vigilantiam cognoscerent. Salutabat etiam, et iubebat sibi indicari, si qua iniuria in via, vel in diversoriis adficerentur. Haec pene servilis adsiduitas videretur nunc parum regia. Sed illi optimi viri, iusticia et virtute erant magni, non Persico fastu.

Semel omnino bellum movit, ac iusto exercitu oppugnavit arcem non procul ab Ulma sitam, quae ab altis Corvis nomen habet, quam et expugnatam diruit, ne receptus esset latronum.

Diligebatur ergo et a suis et ab urbibus imperii et a vicinis Principibus, ac de benevolentia populi erga ipsum, recitabatur haec ipsius narratio. In conventu Wormaciensi cum Saxoniae duces vocassent ad coenam Duces Bavariae, Palatinos, et ipsum, et singuli suarum regionum ornamenta praedicarent, alii venas metallicas, alii urbes, frumenta, vinum, sedit tacitus auditor Eberardus, ibi tandem Albertus Saxoniae Dux: Cur non iubemus etiam Ducem Wirtebergensem de sua patria loqui? Respondet hic modeste: Scio, vestras familias potentia, autoritate et opibus antecellere, nec vobiscum certare possum, sed contentus sum meo, et scio me Deo gratitudinem debere. At unum hoc praedicare me posse existimo, securus in medio aestu in campo, et solus in gremio cuiuslibet meorum civium dormire possum. Quid significaret, non obscurum erat.

Augebat ei benevolentiam apud Principes et civitates, quod in conventibus ipse multorum causas dicebat. Cum enim et facundus esset, et haberet apud se homines doctos, a quibus armatus, suae partis ius exponere et illustrare poterat, et scirent multi delectari eum hac oratoria laude, libenter ad eum causas deferebant. Has cum recepisset, petebat a Doctoribus fontes argumentorum et ornamenta, exempla, historias, aut alias narrationes convenientes suo negotio. Postea tanta facultate exposuit, ut cum admiratione audiretur.

Cum igitur esset aulae disciplina plena honestorum exemplorum, multi Comites ad eum filios mittebant. Hos ipse interdum audiebat recitantes Catechismum, et precationes, et dictata non recte reddentes, non solum obiurgatione sua commonefaciebat officii, sed etiam aliis exemplis castigari iubebat. Saepe inculcans iunioribus hanc ipsam sententiam: Initium sapientiae timor Domini.

Etsi non teneo integram ipsius historiam, tamen multa addere possem sapienter ab ipso dicta et facta. Sed nunc de ultimo vitae actu. Maximilianus initio suae gubernationis multum ipsius consilio utebatur, cumque iudicaret imperio honorificum esse, talem virum in consessu Principum dicere sententiam, et regionis amplitudo sustinere Ducum sumptus posset, auxit hanc familiam dignitate Ducum. Qua de re cum deliberatio esset, et intelligerent sapientes, magnum onus imponi patriae, vicit tamen et Maximiliani voluntas, et publicae utilitatis ratio, quia existimabant aequum esse, ut talis regio fere in medio Germaniae sita, plus oneris sustineret in communibus imperii negotiis.

Cum ingressus esset annum alterum et quinquagesimum, vesica sauciata a calculo aliquandiu aegrotavit, et morbi saevicia tandem extinctus est. Sed digna est memoria narratio de eius agone. Triduo visus est ipse secum valde luctari, tantumque certamen fuit, ut loqui non posset. Amici tamen interrogant, an sumptione corporis Domini confirmari velit, nutu respondet se velle. Cumque reverenter sumpsisset, hic tanquam eluctatus ex morte, erexit se in lecto, et clara voce Deo gratias egit, remissionem omnium peccatorum, et donationem salutis aeternae propter filium petivit, et se Deo commendavit, inquiens: Scio, Domine Iesu Christe, fili Dei, te velle ut tibi credamus. Cum igitur haec tua vox sit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego vos reficiam, te invoco, tibi me commendo, a te peto et expecto salutem aeternam. Et errata mea in gubernatione et alios lapsus mihi remittito.

Postea triduo placide cum amicis collocutus est, et de quibusdam rebus mandata dedit. Adfuit morienti Wendelinus Theologiae Doctor vir sanctus, quem audio hanc historiam, tanquam singulare exemplum saepe recitare solitum esse. Videmus autem signa animi vere a Deo illustrati, quare iudicandum est, hanc eius mortem vere fuisse iter ad coelestem Ecclesiam.

Tales cum audimus historias, bonorum et salutarium Principum, multa cogitanda sunt. Primum cum imperia sint Dei opus, aliqui etiam salutares Principes a Deo in hoc fastigium collocantur, ne totum hoc opus Dei frustra conditum sit. Deinde agamus Deo gratias, quod propter suam gloriam, et propter conservationem generis humani non sinit prorsus dissipari honestam societatem, et in tantis furoribus diabolorum lacerari omnes nervos honestae societatis, et quod interdum fideles, et foelices custodes legum, iusticiae et pacis aliquibus regionibus tribuit, et ardentibus votis oremus, ut etiam haec nostra tuguriola protegat, et nobis det salutares Principes. Omnino enim vera vox est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Dixi.

No. 131. (an. 1552.)

De nativitate Christi.

In select. Decl. T. III. p. 390 sqq., Richard. III. p. 33. et Servest. T. III. p. 370. — Scriptam puto an. 1552. hanc orationem, quia eo anno Melanthon eadem in schola docuit.

Oratio de nativitate filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, hoc est, de admiranda copulatione divinae et humanae naturae in filio Dei, assumente humanam naturam in utero virginis Mariae, et de causis cur missus sit, et quomodo sit excipiendus.

Instat ut scitis, festus dies, quo memoria celebratur operis divini omnium maximi, quod multo

magis omnes Angeli, quam rerum omnium creationem admirantur, quodque ipsi praecones generi humano annunciarunt hac laetissima voce, quam ipsis etiam admiratio tantae rei expressit. Ecce annuncio vobis gaudium ingens, quod erit universo populo, quod natus sit hodie vobis salvator, qui est Christus Dominus. Ut igitur animi scholasticorum ad huius divini beneficii cogitationem ac considerationem vel praepararentur vel accenderentur, instituta est haec dicendi consuetudo. Ut enim in coelo non est aliud studium maius, quam huius mirandae societatis divinae et humanae naturae contemplatio, et immensae misericordiae erga homines praedicatio, sic in Ecclesiis ac Scholis, quae praecipue sunt imago agminum coelestium, eadem studia excitanda, et eadem voce cum Angelis celebranda est Dei aeterni bonitas, praesertim cum beneficium ad nos verius quam ad Angelos pertineat. Etsi autem nec Angeli, nec mentes humanae hanc societatem divinae et humanae naturae perspicere ac comprehendere possunt, tamen quia patefecit eam Deus illustribus testimoniis, ac celebrare iussit, necesse est nos haec arcana, quae patefacta sunt, etiamsi infantia nostra eloqui ea non potest, recitare et spargere, ut Dei beneficia plures agnoscant, et gratis mentibus amplectantur. In Psalmo secundo inquit ipse filius Dei, Praedicabo praeceptum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Ipse igitur hanc vocem in Ecclesia sonat, ipse mittit Angelos praecones, ipse hominum pectora et linguas accendit, ut hoc tantum mysterium profiteantur ac celebrent. Ipse diabolo irascitur invidenti nobis, hoc cum natura divina foedus, et memoriam eius delere cupienti.

Ipse Iudaeorum et Mahometi furores refutari vult, qui impie reclamant testimoniis Dei et voci Christi, ac negant factam esse hanc divinae et humanae naturae societatem. Quare etsi sumus imbecilles, tamen excitemur voce Christi, sequamur, recitemus, propugnemus, inseramus omnium animis quantum possumus. Nec existimemus frustra ab eo dictum esse: Praedicabo praeceptum. Vult extare huius tanti muneris memoriam. Hoc praecipue officio coli Deum affirmat, cum vere celebratur hoc beneficium, cum haec vox late spargitur, et fides ac gratitudo in mentibus accenditur. Quanquam igitur infantiam meam agnosco ac deploro, tamen quia mihi in schola, hoc est, in praecipuo Ecclesiae congressu, hae partes dicendi datae sunt, verecunde obtempero. Sed ex animo ut iisdem de rebus alii dicant eruditiores opto. Nulla de re audire malim bonos et doctos viros quam de hac causa graviter disserentes.

Haec operum divinorum summum et maximum proponit: haec magnitudinem divinae misericordiae erga nos illustrat: haec dignitatem humanae naturae restitutam et auctam esse ostendit: haec docet quomodo ex aeterna morte ad lucem iustitiam et vitam aeternam reducamur. Sint sane alii sapientes, qui philosophantur de legibus motuum coelestium, qui explorant herbarum naturas, et remedia salutaria his infirmis corporibus querunt, qui terram certis ac finitis spaciis includunt. Non vitupero haec studia. Sed haec quamvis elegans et suavis doctrina, tamen tantum huic mortali vitae seruit, non monstrat Dei naturam et voluntatem erga nos, non restituit nobis lucem iustitiam et vitam aeternam. Tribuamus ergo et huic utiliori doctrinae de rebus aeternis aliquid studii: non existimemus fabulosa haec esse, quae de societate divinae et humanae naturae Christus concionatur, cum suam concionem tot testimoniis confirmarit resuscitatione mortuorum, sua resurrectione, et testes harum maximarum rerum, tam multi fuerint Apostoli et collegae, imo testimonia omnia quibus se ab initio Deus patefecit: servatio Nohae in diluvio, eductio Israelitarum ex Aegypto, denique defensio totius Politiae Iudaicae, ad hoc praecipuum opus referantur.

Omnia haec facta testantur, veram esse hanc concionem de filio Dei, arcano consilio aeterni patris, filii, et Spiritus sancti decretum esse, ut hic filius assumeret humanam naturam et pro nobis victima fieret, ut ira Dei iusta placata, genus humanum rursus in gratiam reciperetur. Nec vero fieri aliter potest, quin pii admiratione tanti muneris attoniti, a Deo petant, ut in mentibus nostris fidem et gratitudinem accendat. Idem et ipse toto pectore oro. Et quoniam haec ad iuventutem oratio praecipue habetur, vos quoque scholastici adhortor, ut huc adferatis et animos pios, et vera vota, ut Deus sua voce pectora nostra erudiat et exuscitet ad cogitationem huius sui ingentis beneficii, et ad gratitudinem.

Nec putate hos festos dies, qui sequuntur, ludorum et conviviorum causa institutos esse.

Scio multis laxari animos et curam studiorum, queri sodalicia et voluptates tali tempore, et doleo nec publica, nec domestica disciplina coherceri talem petulantiam.

Sed nostri est officii, moderatiora ingenia monere, ut suos mores et sua studia attemperent ad Angelorum et verae Ecclesiae mores, ac studia in his feriis. Angeli memores sui praeconii, nunc Christo gratias agunt, et passim pro Ecclesiis excubant, et propugnant eas, ut sonare hanc concionem de filio Dei nato possint. Prophetae, qui una versantur apud Christum in illa aeterna consuetudine, iam de suis vaticiniis cum Christo colloquuntur, eumque orant, ne Ecclesiam in terris extingui sinat.

Pii toto orbe terrarum gementes deplorant calamitates humani generis, seque hac una consolatione sustentant et erigunt, quod sciunt nos curae esse Deo, quia filius Dei non frustra tale foedus cum natura humana fecerit, ut sit os ex ossibus nostris. E contra diaboli furentes, odio Christi discurrunt undique, ut orbem terrarum tumultibus et scandalis concutiant, ne vox Christi audiatur, ne Deus invocetur, et recte colatur.

Et habent sua organa, agmina impiorum ingentia, qui cyclopica audacia derident Deum et omnes leges, et laxant frenum omnibus furiosis cupiditatibus. Iam cogitate utrius partis studia nobis imitanda sint. Velitis ne cum Christo, Angelis, Prophetis et piis modeste celebrare Deum, an vero grassari cum diabolis.

Haec deliberatio subeat animum. Nam profecto seriae res aguntur. Deus poenas horribiles et aeternas proposuit contemnentibus hunc filium. Et e contra pollicetur nobis, et in hac vita defensionem, et postea magnum et aeternum decus, si hunc filium reverenter amplectemur. Haec quia in versiculis Psalmi secundi dulcissime et gravissime proponuntur, hos potissimum hic vobis interpretari volui, ut his diebus eos in animis vestris circumferatis, vosque eorum cogitatione ad pietatem excitetis, et hac recordatione festum diem vobis agendum esse ducatis. Sic enim ut dixi, hunc ipsum diem celebrant Angeli et Prophetae in coelis, et ubique terrarum omnes pii.

Sic inquit Deus in Psalmo: Osculamini filium, ne irascatur et pereatis de via. Brevi enim exardescet ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo. Audistis brevem concionem sonantem de coelo, sed res maximas complectentem, quam prinsquam enarro, vos adolescentes de re, ut videtur, parva commonefaciam, quam tamen Ecclesiae necessariam esse res ipsa ostendit. Mihi legenti hunc Psalmum et alia dicta in Prophetarum et Apostolorum scriptis, de hoc festo cogitanti, venit in mentem valde necessaria esse Ecclesiae studia literarum. Huic Psalmo quantum lucis accedit, cum fontes consulimus. Idem fit in dicto Esaiae Cap. 9.: Parvulus natus est nobis, Deus pater aeternitatis. Idem fit in dicto Micheae: Egressus eius ab initio ante dies mundi. Et apud Ioannem ac in Epistola ad Hebraeos dicta de filio multo sunt illustriora, naturam graeci sermonis intelligentibus. Amemus igitur et colamus haec studia linguarum, in quibus Deus sua oracula nobis tradidit, et perpetuo conservat: imo quae sunt velut fasciolae, quibus Christus involutus est. Venio igitur ad enarrationem, in qua primum persona consideranda est. Filium nobis aeternus pater commendat et mittit. Deinde causa cogitanda erit, et excitandae mentes, ut hoc tantum beneficium amplectantur.

Magnum omnino testimonium est, esse Deum mentem aeternam, immensae sapientiae, bonitatis ac potentiae, haec ipsa mundi machina et nostrae naturae totum opificium. Nobis enim insita est Dei noticia, nobis insitum est discrimen honestorum et turpium, aeterno et immutabili septo seiungens falsa a pravis. Id testatur hanc naturam non esse casu ortam. Sed ingens Dei bonitas non tantum hanc communem sui significationem patefecit, sed multa illustriora testimonia de sese et de sua voluntate. Colloquutus est cum primis parentibus antequam laberentur, et postea suam doctrinam et promissionem certissimis testimoniis tradidit generi humano. Id beneficium magis declarat nos Deo curae esse haec ipsa filii missio, et hoc foedus cum natura humana. Hoc mirari, hoc celebrare omnium mentes et linguae deberent. Quod etsi diaboli execrantur, et impii homines contemnunt, nos tamen in Ecclesia grata voce praedicemus. Scimus statim ab initio magnam multitudinem generis humani amisisse doctrinam a Deo traditam. Hic tamen multi sapientes vestigia Dei in natura considerabant, et fatebantur regi hunc mundum providentia. Agnoscebant magnos viros Heroas, quorum sapientia

et virtute imperia constituebantur, mitti ac iuvari divinitus, ut Herculem, Achillem, Solonem, Cyrum, Alexandrum et similes, qui omnes etsi divinitus ornati fuerunt magnis ingenii viribus, tamen tantum fuerunt homines miseri obnoxii peccato ac morti. Non se miscuit eorum naturae divinitas.

Ac talem quidem expectant Iudaei ducem et instauratorem sui regni. Talem Mahometus assentitur et Christum fuisse, atque ita semper multi senserunt, ut Samosatenus, Nestorius, Eutyches, et alii. Et hanc Philosophiam magnos tumultus excitare in animis multorum nunc quoque metuo. Sed pii in Ecclesia sciunt de Deo sic iudicandum esse, ut ipse nos suis testimoniis erudiit. Haec affirmant in Christo non tantum esse humanam naturam, sed etiam divinam filii Dei, quem Ioannes *λόγον* vocat, quique est imago aeterni patris. Magnum fuit Dei beneficium, quod Moysen misit Doctorem legis. Sed in Moyse tantum erat humana natura obnoxia peccato et morti. At hoc beneficium quanti faciendum est, quod Deus aeternus filium coaeternum imaginem suam mittit ad nos, assumentem humanam naturam, in qua tota lucet Deus filius immutabili foedere. Nec putemus ludere Deum, aut rem tantam frustra factam esse. Etsi nos non possumus comprehendere penitus hanc Dei deliberationem, tamen illud certe fatendum est, nec temere nec frustra hanc societatem divinae et humanae naturae factam esse, eamque evidens testimonium esse magni erga nos amoris.

Ac prius verba expendamus, postea de causis cur nobis donatus sit filius dicemus. In principio erat *λόγος*, id est, hic filius, qui est imago patris aeterni intuentis sese ac gignentis hanc sui imaginem, cui et essentiam suam communicat, ut ad Hebraeos dicitur, Filium esse effigiem et *ἀπαύγασμα* essentiae patris. Hic filius erat apud Deum, inquit Ioannes. Distinctio personae indicatur, sive sic interpreteris, erat apud Deum, ut usitate interpretamur, et ego non aspernor, sive ut quidam nos amice monent, sermo erat apud, id est, ad Deum, ut usitatissime Graeci loquuntur: *διαλέγομαι πρὸς σέ*. Erat, inquit, sermo ad Deum, erat imago reddens patrem et respondens deliberationi aeterni patris. Agnosco sententiam gravissimam inclusam esse huic brevi oratiunculae, et evolvere eam cuperem, nisi me rerum magnitudo deterreret. Vos tamen qui eruditione excellitis, attentius considerare hanc particulam velim: Erat sermo apud Deum. Personae discernuntur, et colloquium ac communis deliberatio aeterni patris significatur: Qua de re? Non tantum de creatione, sed de mutua agnitione patris et filii, deinde de creatione, postremo omnium maxime de generis humani redemptione et aeterna salute. Addit deinceps Ioannes: Et *λόγος* erat Deus. Hic testatur filium esse natura Deum, et ut in Epistola ad Hebraeos dicitur *ἀπαύγασμα* gloriae et essentiae patris. Ideo et Micheas narrat, egressum esse hunc nostrum liberatorem ante dies mundi, id est, fuisse filium Dei etiam ante assumptam humanam naturam. Hanc sententiam teneamus, et Christum a Moyse et aliis magnis viris longe discernamus, nec excuti nobis hanc veram sententiam ullis humanis cavillationibus sinamus. Muniamus nos etiam testimoniis veteris Ecclesiae, quae ostendunt hanc ipsam sententiam ab Apostolis traditam esse. Sic Irenaeus testis gravissimus inquit Cap. 20. libri tertii: Ostenso manifeste, quod in principio *λόγος* existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit. Constituta hac sententia intelligamus filium in hoc dicto: Osculamini filium, vere esse Deum, ac natura filium Dei, lumen de lumine, ut in symbolo dicitur.

Nunc reliqua verba Psalmi enarrabo. Sed prius gratias agamus Deo aeterno conditori omnium rerum, pro hoc tanto beneficio, quod non Prophetas solos, sed filium suum misit. Tibi igitur omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et conservator cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, gratias agimus, quod filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum ad nos misisti, ac pro nobis victimam fieri voluisti, eumque *μεσίτην καὶ ἱκέτην* pro nobis constituisti, quodque hoc mirabili foedere divinae et humanae naturae, cum filius assumpsit humanam naturam, declarasti ingentem erga nos amorem tuum. Teque propter hunc filium oramus, ut nos erudias et regas Spiritu sancto tuo.

Iam igitur ad Psalmi verba redeo. Osculamini filium, inquit. Multae sunt aliae descriptio-

nes, quae docent, cur filius missus sit, sed summa rei breviter in verbo Osculamini significata est. Venit, ut dulcissimo osculo hanc miseram et aerumnosam hominis naturam amplectatur, eique iusticiam et vitam reddat. Ah nimium frigent pectora nostra in rebus tantis cogitandis. Non subit animos ferreos agnitio aut irae Dei, aut liberationis. Sed primos parentes intuemini, qui et sapientia excellebant, et meminerant quae dona amisissent. Hi cum lapsi essent, quia nondum audita erat promissio de liberatione, quid aliud cogitare poterant, nisi se abiectos esse perpetuo, ut diabolos. Norant Deum iustum esse, et vere ac serio irasci peccato, imo rapi se in iudicium, et accusari mox audiebant, nec (ut homines leves futiliter cogitant) Deum non magnifacere peccatum et quadam futilitate abiicere iram iudicabant, sed vere metuebant aeternas poenas. Et quidem Deus, ut est mens iustissima, non futiliter contemnebat peccatum, sed vere irascebatur. Hic igitur intercessit filius, ac deprecatus est pro genere humano, et ut iustitiae Dei satisfieret, poenam in se derivavit. Magna et seria deliberatio, et ardens deprecatio fuit, de qua olim in vita aeterna colloquemur uberius, nunc tamen ut pueri elementa discamus, credamus Deum vere succensuisse, nec futiliter abiecisse iram, sed ardenti deprecatione filii placatum esse. Id igitur beneficium postea parentibus nostris exponit, et traditur promissio de venturo liberatore. Semen mulieris conteret caput serpentis. De eo semine deinceps patres et Prophetae concionati sunt, et causam cur mittatur exponunt, ut fiat victima, et placata ira Dei, nobis restituat iustitiam et vitam aeternam.

Venit igitur Christus osculo nos salutans, ardens amore nostri (scitis enim quis sit osculi sensus) alloquens nos suavissime, promittens remissionem peccatorum donandam propter ipsum gratis, ut sit beneficium certum. Hanc Moyses non attulit, sed solius filii munus est, qui quidem omnes invitat, clamitans: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Qua in sententia cogitare vos iam oportet, quantae sint miseriae humani generis, quas quidem monstrant quotidiana exempla. Sed tamen tragoediarum exempla, summorum hominum tristissimos casus vobis proponite, ut Aiacis, Achillis, Hectoris, Agamemnonis, Caesaris, Pompeii, et innumerabiliorum aliorum interitus. Nec tamen illi casus summa mala sunt. Quidquid enim finitum est, breve et exiguum ducendum est prae aeterno. Signa sunt autem haec praesentia supplicia irae Dei. Restat aliud iudicium, in quo retegentur omnium impiorum mentes: omnia mala consilia et facta proferentur, et damnati in aeternos cruciatus abiicientur. Id malum quia infinitum est, nec breve nec exiguum ducatur. Venit igitur filius Dei, ut a peccato et aeterna morte liberet omnes, qui voci Evangelii obtemperare incipiunt, imo et praesentes calamitates Ecclesiae mitigat. Servantur Hieremias, Daniel, Iechonias et alii multi pii, etiam si urbs Hierosolyma solo aequatur, et impia multitudo horribiliter interficitur. Si magnitudinem nostrorum malorum intelligeremus: si videremus quantum malum sit contemptus Dei et peccatum: si iram Dei adversus peccatum sentiremus: si poenarum metu afficeremur: tum vero magnifaceremus beneficium filii Dei. Sed in hoc ocio, in his deliciis et somno, quotus quisque de sua immundicie, de ira Dei, de tragicis calamitatibus et exemplis irae Dei cogitat?

Quanquam autem magna multitudo hominum sine emendatione vivit, ac ruit in perpetuum exitium, tamen aliquam esse Ecclesiam necesse est, quae venientem Christum amplectitur, agnoscit esse liberatorem a Deo missum, audit, et studet ei obtemperare. Adhortor igitur sanabiles omnes, ut huius coetus membra esse studeant.

Christus ardens amore nostri, osculo suo nos salutat. Iubet igitur vox Dei, vicissim ipsum osculo excipi, id est, audiri, et fide eum amplecti. Ut tunc quidem Mater, Ioseph, Pastores, Zacharias, Elisabeth, Simeon, Anna, huic infanti in genis multa suaviola figebant, et in pectore accendi flammam fidei sentiebant, agnoscebantque sibi propter hunc liberatorem, Deum propitium esse, et vaticinia de eo illustrabant, et suum coetum omni officio fovebant. Sic semper pii flagrent amore Christi, et tanquam oscula daturi, amplectantur eum fide, accedant ad Deum fiducia huius mediatoris, invocent Deum, et ab eo bona praesentia et futura petant et expectent. Si friget animus, nec petit a Christo quidquam, nullus est osculi sensus, sed excitanda mens est, ut experiatur, quantum sit in hoc osculo et complexu Christi suavitatis.

Contra vero execrandus est furor magnae multitudinis in genere humano, quae non osculo excipit Christum, sed vel superbe contemnit, vel crudeliter odit, ut Herodes, statim ubi rescivit natum esse, inquirit et interficere conatur, et quidem in ipsius aequales crudelitatem atrocissimam exercet. Ita nunc multi tyranni toto orbe terrarum in membra Christi saeviunt. Multi Epicurei derident in universum omnem Dei mentionem. Sed omnibus his in hoc Psalmo vox Dei poenas proponit. Brevi, inquit, ira Dei exardescet, quae funditus delebit omnes impios. Nec ideo fabulae sunt minae aeternorum cruciatuum, quia Cyclopes et Epicurei illi deridere eas audent. Sed aliquanto post experientur ipsi has minas non fuisse inanes. Multos etiam in hac vita exempli causa rapit Deus ad supplicium, ut Caligulam, Neronem, et alios innumerabiles.

Ut autem impiis poenae propositae sunt, ita e contra piis et amplectentibus Christum, aeterna iustitia et vita donatur, ut hic dicitur: Beati omnes qui confidunt in eo. Haec verba declarant osculum. Venit Christus ad indignos, ad oppressos peccato et morte, sed nos dulcissimo complexu suo ad Deum revocat, donat iustitiam et vitam. Quibus? Non defugientibus osculum seu amplexum, sed fiducia huius liberatoris accipientibus haec munera.

Audis hic in Psalmo doctrinam de fide proponi, quae cum diu iacuerit oppressa tenebris errorum, nunc Dei beneficio rursus depulsa caligine lucet in Ecclesiis nostris. Et Deus orandus est, ne hanc lucem extingui sinat. Donat Christus remissionem peccatorum. Hic si affingis opiniones ex lege male intellecta haustas, dubitandum esse, an donet remissionem peccatorum, nec acquiescendum esse in Christo, pro osculo das ei colaphum. E contra igitur statuito vere tibi donari remissionem peccatorum, propter hunc filium Dei gratis, non propter tuam dignitatem, aut tuas virtutes. Et hac fiducia ad Deum accedendum est: Deus invocandus est, et ab eo bona petenda et expectanda sunt. Haec fiducia reliquae obedientiae praeluceat, sicut ad Roma. 5. scriptum est: Iustificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus fide in gratiam hanc. Hanc fiduciam qui accendi in invocatione sentiunt, hi vere intelligunt osculum atque amplexum, de quo hic Psalmus praecipit. Sine hac doctrina de fide, nemo intelliget Angeli praeconium. Ecce annuncio vobis gaudium magnum. Quod erit gaudium dubitanti, fugienti et repellenti complexum atque osculum liberatoris? Vult a te pati haec munera Christus, offert ex animo sine ulla simulatione. Accedito igitur, et laetus accipe ingentia beneficia, et in eius voce acquiescito, et statue adfuturum tibi hunc Dominum, qui cum assumpserit humanam naturam, et tale nobiscum foedus fecerit, haud dubie nos curat et diligit.

Haec de osculo filii adolescentes cum in omni vita, tum vero in his feriis maxime cogitanda sunt, et mentes ad pietatem et ad veram invocationem excitandae sunt.

Dixi breviter cur filius Dei missus sit, et quomodo sit excipiendus, videlicet non modo ut Doctor, ut Moises, aut alii Prophetae, sed ut redemptor, placator, donator remissionis peccatorum, iusticiae et vitae aeternae. Haec bona primum a Christo petenda et accipienda sunt. Quod ut fiat, in animis existant agnitio aliqua nostrorum malorum et poenitentia. Nam qui pergunt ruere contra conscientiam, hi contemnunt Deum, et hoc mirandum foedus divinae et humanae naturae. Sed vera poenitentia animi ad Deum conversi acquiescent in complexu Christi, et agnoscent veram esse vocem. Ecce annuncio vobis magnum gaudium. Postea etiam praesentiam et auxilium Christi in regendis moribus et vitae periculis experiamur. Ideo regnat, ut adsit nobis, ut exaudiat, iuvet et regat invocantes, sicut inquit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Talis vita carmen Angelorum perpetuo canit: Gloria in excelsis Deo, in terra pax, et hominibus laeticia.

Gloria est ex animo tribuere Deo laudem sapientiae, potentiae, iustitiae et misericordiae. Non igitur tribuit laudem Epicurus, qui fingit ociosum esse: non Stoici, qui fingunt non posse eum aliter agere, nisi ut movent causae secundae: non Saul et caeteri ignari Evangelii. Etsi enim fatentur eum punire peccata, tamen misericordiam ignorant. Nesciunt enim quomodo aut cur recipere indignos velit. Nascitur ergo Christus, ut patefiat misericordia, auditaque Evangelii voce, tum demum integra gloria Dei tribuitur. Ideo nunc canunt Angeli hunc hymnum, ac docent,

hos tantum vere tribuere gloriam Deo, qui filium agnoscunt.

Addunt Angeli et pacem adferre hunc Dominum generi humano. O gratum et dulce nomen pacis prudentibus. Sed Ecclesia subiecta cruci et aerumnis non fruitur nunc quidem prorsus pace. Verum aliquanto post integram et perpetuam tranquillitatem habitura est. Nunc id tenet, quod est praecipuum, scit pacem Deo nobiscum esse, hoc est, ingentem iram Dei placatam esse, sublatum esse dissidium Dei et generis humani, recipi in gratiam omnes, qui ad hunc filium confugiunt.

Nec pacem tantum, sed et laeticiam hominibus adfert, hoc est, ut Deo iam delectentur, eique laeti in gentibus animis obtemperent. Haec laeticia nunc quidem impiis inchoanda est, sed in vita aeterna erit integra. Non delectantur Deo Cain, Saul, et similes, qui poenas sentiunt, sed laeti adeunt certamina et supplicia Hieremias, Baptista, Paulus. Hi enim norant se curae esse Deo, et propter filium diligi, et intelligunt causas, cur Ecclesia cruci subiecta sit. Quare parere non recusant, et norunt quomodo obedientia placeat. Verum haec bona omnia, gloria Dei patefacta per filium, pax et laeticia magis conspicientur in vita aeterna, sed tamen hic inchoari necesse est. Ideo nobis Angeli hunc hymnum praecinunt, monstrantem Christi beneficia et Evangelii summam. Ut autem Angeli praecinunt, ita nos doctores omnes sonare eum in Ecclesia debemus, et haec tria inculcare animis, quomodo Deo vera gloria tribuenda sit invocatione et fiducia filii, cum quibus in terra pax facta sit, quomodo placeat obedientia Deo. Hae sunt res magnae et aeternae, ad quarum considerationem praecipue humana natura condita est. Utinam doctores hunc hymnum una voce et eodem animo canerent, sicut canunt Angeli, et mutuis studiis Ecclesias foverent ac coniungerent, nec privatis cupiditatibus eas distraherent. Multi non ut gloriam dei invent, Respub. movent, sed ut privatis affectibus indulgeant. Multi pacem animorum et concordiam ambitione turbant. Multorum scandala dolorem piis adferunt et adducunt imbecilles ad dubitationem. Haec mala cum hymno Angelorum pugnant, et poenas publicas accersunt. Quare simus diligentiores in doctrina, in tuenda concordia, in regendis moribus.

Vos quoque adolescentes quoties libros vestros aspicitis, cogitate primum de filio Dei, qui est λόγος et fons sapientiae, ut aeterni patris voluntatem ex sinu eius protulit. Ad huius gloriam ornandam studia referte, et vestra moderatione Dei munera, pacem, tranquillitatem animorum in vobis et aliis, et concordiam omnibus honestis officiis alite, nec contemnite filium Dei, et hoc admirandum foedus divinae et humanae naturae, nec aspernamini minas in Psalmo, in quibus dicitur: Brevi furor eius exardescet, nec Angelorum et universae Ecclesiae vota et iudicia levia esse ducite. Hi vos hortantur ut Deum agnoscatis, ut filium eius amplectamini, ut saluti vestrae consulatis. Haec vobis praecipue meditanda sunt in his feriis, quae institutae sunt, primum docendi populi causa, deinde ut simul Ecclesia gratias agat deo aeterno patri domini nostri Iesu Christi, quod filium placatorem constituit, et tanto foedere, videlicet coniunctione divinae et humanae naturae pactus est, se velle nobis propicium esse, nosque in hac vita regere, et post hanc vitam ornare aeternis bonis. Accedere et invocationem oportet, quam Deus requirit ut praecipuum cultum. Nec vero intelligi Evangelium potest, sine assiduis exercitiis invocationis. In hoc colloquio cum Deo luctatur fides cum dubitatione, cum accusat nos horribilis immundicies nostra, et mens polluta fingit Deum. E contra vero se offert filius Dei frater noster, nos vocat, invitat, iubet ut credamus placatum esse patrem, nosque recipi. Affirmat gratiam exuberare supra peccatum, modo desinamus ruere contra conscientiam. In hoc certamine vincat filius Dei. Nec tantum nos ipsos, sed Ecclesiam et has nostras politias Deo commendemus. Erratis enim si principum sapientia et virtute sine ardenti precatione Dei munera Ecclesiarum et politiarum salutem retineri posse arbitramini. Deus autor et custos tanti boni orandus est, ut sua munera tueatur, et rogatus haud dubie tuebitur. Verax est enim et promissa optima fide praestat. Cum igitur scriptum sit: Ubicunque duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum: quidquid petent impetrabunt, cumque nos piorum studiorum causa convenerimus, et maximum Dei opus celebremus, omnes vota faciamus ac ita precemur.

Te vive et omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti

immensa bonitate, et clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, Hunc audite, conditor et servator omnium rerum, cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto effuso in Apostolos, oramus, ut propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis esse victimam ἱκέτην καὶ μεσίτην, nostri miserearis, et nos et hanc totam Ecclesiam, scholam et politiam Spiritu sancto tuo regas, nec sinas Turcicis armis aut aliis tumultibus deleri inter nos nomen et doctrinam filii tui Domini nostri Iesu Christi. Sed hic Ecclesiae tuae seminaria et tui Evangelii lucem ad illustrandam tuam gloriam perpetuo serves, Amen.

RELIQUAE PHILIPPI MELANTHONIS DECLAMATIONES

IN VOLUMINE DUODECIMO SEQUENTUR.

HALIS

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

